

Venerabilis IOSEPH MARIA THOMASIVS *Panor mitanus Clericus Regularis*
Ex Principibus Lampedusae, et Ducibus Palmae S·R·E· Presbyter Card. Tit. Sanct. Silvestri, et Martini
A SS. Domino Clemente XI Pontifice Maximo creatus die 18 Maii 1712
Obiit prima die Ianuarii 1713



VENERABILIS VIRI

JOSEPHI MARIAE

S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS

* THOMASII

OPERA OMNIA

Quà edita, quà nondum vulgata, nunc primùm in unum collecta, Prolegomenis, Tractatibus, Notis, Appendicibus, & vetustissimis anecdotis Monumentis ad Divinam Psalmodiam, & Res Liturgicas pertinentibus aucta,

STUDIO CURAQUE

JOSEPHI BLANCHINI VERONENSIS

Presbyteri Congregationis Oratorii Romani.

TOMUS PRIMUS

IN DUAS PARTES DISTRIBUTUS.

* *Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit Ecclesia*. Ecclesiastici cap 39. v. 14.







ROMAE ANNO DOMINI MDCCXLI.

Typis, & sumptibus Hieronymi Mainardi in Platea Agonali.

SUPERIORUM PERMISSU.



PARS PRIMA
TOMI PRIMI.

DE LITURGIA, ET PSALMODIA ANTIQUA HISPANICA, GOTHICA, ISIDORIANA, MOZARABICA, TOLETANA, MIXTA.

APPARATUS

Ad Psalterium cum Canticis versibus prisco more distinctum, Argumentis & Orationibus vetustis *Breviarii Mozarabum*, novaque litterali explanatione brevissimà dilucidatum

A VENERABILI VIRO

JOSEPHO MARIA
THOMASIO

Ex Congregatione Clericorum Regularium

S.R.E. PRESBYTERO CARDINALI.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIIII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

JOSEPH BLANCHINUS
felicitatem, & annos plurimos.



MNES, qui probari volunt, BEATISSIME PATER, voluntatem eorum qui sapientes sunt, intuentur, ad eamque, & ad eorum arbitrium & nutum totos se fingunt & accomodant. Itaque, cùm ipsi uno miroque consensu Venerabilis Viri JOSEPHI MARIAE CARDINALIS THOMASII

Opera omnia, saluberrimae frugis plena, & perfectissima judicent, putavi suscipiendum mihi laborem utilem Christianae Reipublicae, atque Ecclesiasticis hominibus necessarium, si ejus libros, quos satis multos edidit, in unum corpus colligerem, & *Anecdotorum* auctario diligentissimè locupletarem.

Sed quoniam veterem & vulgatam esse rem novi, quòd liberales semper Editores, qui typographi nec sunt, nec tales videri volunt, aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut Mss. librorum consultatione nova se prolaturos promittunt; ego quoque id praestare conabor: addens lucis operibus filios lucis, Supplementum videlicet Thomasianum, & Prolegomena quaedam Divinae Psalmodiae, ac Rerum Liturgicarum Occidentalis Ecclesiæ; ut ita ad mensuram bonam, ex Evangelii sententia, apponam confertam, coagitatam, atque supereffluentem. Si qua vero Sacrarum rerum studia mandata literis, offerre Summis Pontificibus convenit, illa certè mihi praecipua videntur, quae hominibus in sortem Domini vocatis prodesse valent. Itaque, BENEDCITE SANCTISSIME, cogitanti mihi tantae molis Opus in publicam lucem proferre, non diu Patronus quaerendus fuit: sive enim in argumentum, quod eodem Opere continetur, sive in rationes dedicandi hujuscemodi laboris animum mentemque converterem, sola occurrebat Sanctitas Tua, quae omnibus anteferenda esse videretur; ut non quaerendus fuerit, qui legeretur; sed legendus, qui Catholi-

cae

cae Ecclesiae praesideret. Praesertim cùm penes Te unicè illud gravissimum DE BEATIFICATIONE SERVORUM DEI extet* judicium, quod Thomasiana Causa, etiam me supplice, exorat.

* De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione, lib. I. Cap. XI.

Praeclarum sanè Venerabili Thomasio erit ad famam, ipsum a Te fuisse summis laudibus celebratum (a). Praeclarius,* *signatam fuisse commissionem Introductionis Causae Beatificationis ipsius, dum TU Promotoris Fidei munere fungebaris*. Praeclarissimum denique, PATER SANCTE, si (quod nobis sperare licet) eadem Causa coepta Te auspice, feliciter quoque Te judice promoveatur. Id ejus pietas exigit; id Clerici Regulares expansis in Caelum manibus a Deo Opt. Max. efflagitant; id alma

*Ibidem. lib. 3. Cap. 33. num. 9.

Roma,

(a) In insigni Opere *de Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione*, lib. 3. cap. 31. agens de nonnullis particulariter advertendis quò ad Dignitatum Ecclesiasticarum adeptionem in Causis Servorum Dei, qui eas, dum viverent, obtinuerunt, postquam honorificentissima commemoratione Caesarem Baronium ex nostra Congregatione Oratorii S.R.E. Presbyterum Cardinalem praedicasti, quòd invitus, & praecepto coactus ad Cardinalatus Dignitatem ascenderit, haec addis numero 12. pagina 464. *Similia contigerunt ante aliquot annos tunc, cùm sanctae memoriae Clemens Papa XI. Cardinalium numero adscripsit Venerabilem Virum Joseph Thomasium Clericum Regularem, natalibus, virtutibus, & doctrina undequaque illustrem. Notissima sunt, quae in electione praedicti Clementis Papae XI. ad Summum Pontificatum contigerunt. Nuntio siquidem delato, alto dolore pressus, quem molesta febris secuta est, nil intentatum reliquit, ut a Pontificatu liber evaderet; nec ejus jugo colla submisit, nisi postquam quatuor insignes Theologi, inter quos memoratus Thomasius, concordi judicio gravissimis ex causis judicarunt, non sine gravissimi criminis labe oblatum sibi Summum Catholicae Ecclesiae Pontificatum posse dimitti; quemadmodum late refertur in ejus Vita lib. I. pag 47. Ex quo proinde factum est, ut, recusante subinde Thomasio delatam Cardinalatus Dignitatem, fuerit ei ab eodem Pontifice praeceptum, ne recusaret; cùm eaedem prorsùs rationes, quas in suo Suffragio exposuerat, suadentes, ut Votis Eligentium assensum praeberet, & sic Pontifex fieret, aequè adversus ipsum militarent, ne a Cardinalatu resiliret, uti fusè refertur in Vita memorati Cardinalis Thomasii fideliter conscripta a Dominico Bernino Cap. 17.*

Item lib. III. Cap. 33. pag. 464. num. 16. *Etsi quis alia consimilia de Venerabili Dei Servo Cardinali Josepho Maria Thomasio noscere vellet, qui post adeptam Cardinalatus Dignitatem semper in Urbe, licèt modico tempore, vixit, quàm modesta videlicet, & humilis fuerit ejus suppellex, quàm sanctè suam Familiam gubernaverit, quàm egregia monumenta reliquerit tum pietatis, tum Ecclesiasticae liberalitatis in sua Ecclesia Titulari Sanctorum Martini, & Silvestri ad Montes, legere poterit ejus Vitam fideliter conscriptam a bonae memoriae Dominico Bernino, & signanter cap. 18. & 19.* QUAE OMNIA NOS IPSI PROPRIIS OCULIS, ET NOBISCUM ALII OMNES, QUI TEMPORE VITAE EXIMII CARDINALIS ROMAE MORABANTUR, ET ADHUC SUPERSTITES SUNT, ADMIRABUNDI CONSPEXIMUS.

Roma, caeteraeque Nationes, ac Ordines univerſi ſupplicum libellorum porrectione a Chriſti in Terris Vicario votis concordibus deprecantur. Quod ſi effeceris, congruet oraculum Pontificale cum praeconcepta hominum ſama,atque opinione Terrarum.

Probè novit SANCTITAS TUA, Venerabilem Virum nil magis in votis habuiſſe, quàm vota ipſa Beatiſsimi Cajetani Parentis ſui: ut nempe videret extorrem reſtitui Eccleſiaſticam diſciplinam; vigilare morum cenſuram; reviviſcere ſui obſervantia inEccleſiis modeſtiam,hac hominum feminarumque ſecretionem; cultum Domus Dei priſtino nitore floreſcere; cohiberi improborum audaciam; poſtliminio revocari exulem alicubi probitatem; ſacrorum denique myſteriorum ſcientiam excoli vehementius. Novit, ex omnibus iis,qui hac aetate in rerum Liturgicarum ſtudiis ſunt doctrinaque verſati, ipſum jure principem extitiſſe; in cujus immortalitate dignis Operibus continetur venerabilis priorum Saeculorum Traditio arctè conſtricta fibulis Sanctuarii, Libris videlicet Sacramentorum Romanae Eccleſiae, quibus obſtruuntur haereticorum ora frementia, & Catholica veritas in pleno lumine collocatur. Novit denique, omnes omnium Gentium celebriores Academias de Thomaſianis Operibus ampliſsima & ornatiſsima elogia texuiſſe; ac nullum eſſe Eruditorum Virorum Diarium, nullas Litterarias Recenſiones, quae de ipſis honorificentiſsimè non ſint loquutae, hodieque loquantur.

Dabit

Dabit veniam, ſi tardiori fortaſſe, quàm putabam, intervallo in lucem prodit hic Tomus I. Ipſe enim tarditatis ſuae veniam multiplicium morarum excuſatione promeretur; tum quia me inter ſcribendum, non ſemel, nec leviter remorata eſt illa, quam dixi, Supplementi Anecdotarum rerum acceſsio, quae, ut uno veluti partu effunderetur, ingentes mihi labores peperit, itu, ſtatu, ac reditu ab inſignioribus Bibliothecis; tum etiam quia, Editione quaſi confecta, cùm ad manum extremam eidem imponendam accingerer, ſuborta repentè fauſto feliciqne omine, Tᴇ Sᴀᴛᴏʀᴇ, Tᴇ Pᴀᴛʀᴇ, quatuor in Urbe feracium Academiarum ſegete, aliò me tantiſper, utpote earundem excolendo poſitum campo, curae cogitationeſque traxerunt; tum denique, quòd Prolegomena Primae Partis aggreſſo, dum ex racemorum ubertate opulentior ultrò vindemia conſurgeret, prolixiori aliquanto, ſed jucunda, nec inutili Eccleſiaſticis hominibus comperendinatione latiùs excurrendum fuit, ad inquirendam originem primaevi ritûs Iſidoriani, quam Tu ſine antiquiſsimi Codicis Veronenſis auxilio ſapientiſsimè detexiſti in inſigni Opere de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione *. Ita factum, ut magnam hujuſce Voluminis partem, in ipſis ferè Tuae Electionis Solemnibus abſolutam, Tibique jam inde, quod perorando teſtatus ſum (cùm Vindicias Sacrarum Scripturarum laetus obtuli) oppignoratam, nunc demum evolvente ſe anni ſpatio exſolve-

* Lib. 1. Cap. 5. num. 6. pag. 43. & ſeq.

b re,

re, fidemque obstrictam liberare licuerit, cum foenore antiquissimi Libelli Orationum Gothico-Hispani. Hic autem auro gemmisque praestantior, ab Amplissimo Capitulo Veronensi, faventibus Cll. Viris Jo: Francisco Musellio Archipresbytero, Bartholomaeo Campagnola Cancellario, & Comite Ottolino Ottolinio multis nominibus Literariae Reipublicae, Tibique caro, mihi edendus, atque illustrandus transmissus est. Verùm, Beatissime Pater, ex hac ipsa cunctatione id mihi etiam oblatum est commodi, quòd, si tum, quando ad Summi Pontificatus apicem evectus es, promissum munus statim obtulissem, praeter spem & vota publica, nihil habuissem quod offerrem: nunc verò, postquam in hoc annuo Tui Pontificatus decursu spem universi Christiani Orbis firmavit eventus, atque secundis votis facta secunda cumulatissimè successerunt, est quod gratuler Tibi, nobisque gaudeamus, Deo immortali summas gratias agentes, qui maximas & singulares virtutes Tuas ex suprema Ecclesiae specula splendidissimis facibus emicare facit, Orbique universo irradiare. Et profecto Pontificalis regiminis disciplinam numeris omnibus absolutam Roma intuebitur, contemplando sapientissimum regimen tuum.

Hîc autem nescia freni excurreret laetabunda Epistola mea, atque ingens planè curriculum adinveniret, si vellem eam per amplissimum campum rerum Tuarum, quas pro Christiana Republica benè ac feliciter administranda gessisti, laxatis quasi habe-

nis

nis immittere; Sed illas ut contraham, facit jam matura atque admirabilis illa modestia tua, quae solet laudes existimare spicula, & hostes credere laudatores. Quare, cùm vèl invita cogatur oratio per Tuas virtutes ferè transire jejuna, satis hoc erit laudis, Te omni studio, cura, & vigilantia in illud incumbere, ex quo gloria Romanae Ecclesiae, salus Populorum, honos Literarum, atque felicitas oritur Sacerdotii. Si enim non est aliud Summum Pontificem agere, quàm publica & privata omnium commoda curare, Christi fidelium salutem suae anteponere, non sibi populos, sed se populis natum ostendere, effrenatis hominum cupiditatibus & flagitiis obviam ire, Urbem sanctissimis moribus, legibus, religione sepire, optimarum artium disciplinas liberalitate fovere, Reges filiorum loco ducere atque componere, nullam Christianae Reipublicae partem procurationis suae expertem esse sinere, & (quod omnium rerum difficillimum est) in maxima potestate ne minimum quidem commodi sibi, suisque vendicare, haec omnia cumulatissimè praestitisti. Quamobrem, quod diu publicis omnium votis expetitum, atque intimis apud Deum Ecclesiae lacrymis flagitatum est, ut eum sibi Vicarium eligeret ex omnibus unum, qualem deceret esse Virum omnibus imperaturum; illud sanè, prout exoptatum fuerat, vidimus contigisse, cùm Augustissima Apostolici Senatûs Comitia, non humanis ducta consiliis, sed instinctu afflatuque divino Te Beatissimi Petri Successorem,

Chri-

Christique Vicarium in terris, & Principem renuntiarunt,

Annus hodie agitur auspicatò, ex quo tantae dignitatis fastigium conscendisti. Quare ego, plurimos ominando, ad osculum Sanctissimorum pedum accedo; & gratulor Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui, hac primùm recurrente anniversaria die, admirabili consensione, in momento, in ictu oculi, summam Tibi potestatem decernentes, optimè declararunt, & quàm explorata esset apud eos Tuae virtutis opinio, & quàm certus accederet Divini Spiritus claves Tibi deferentis afflatus. Gratularer etiam Tibi, BEATISSIME PATER, quòd satis jam videam factum meritis tuis, satis omnium votis, satis oneri Pontificio, satis honori; si Tibi quoque majora molienti brevi unius anni curriculo factum intelligerem satis.

O felix hujusce Voluminis nuncupatio! Plena spei bonae venit Epistola hac die universalis exultationis; &, quasi blando arridentis Patris vultu illecta, ad Thronum Pontificalem securior adrepit, &, qua potest voce, rogat, ut nostrae Congregationis Oratorii jura auctoritate Apostolica tueare. Tota Tibi se dat, donat, dedicat, & in manum natam ad benemerendum tradit. Excipias illam clemens, ac lubens; nata est enim in hortis Ecclesiae, ut paret ex Thomasianis epulis lautissimam mensam, & ex reliquiis dispertiendis in Populos cumulet Davidicos cophinos fragmentorum. Tibi Sacerdoti Summo defertur instar primitiarum. Igitur BENEDICTE

SAN-

SANCTISSIME, (quod ſacri muneris eſt) oblatum manipulum ad Deum eleva, ut conſecretur, atque, ut in eo reliqua Tomorum meſsis benedicatur, repende Apoſtolicam benedictionem, quae multiplicet fruges laetitiae noſtrae, augeatque Clericis Regularibus proventum hilaritatis. Sed quoniam acceptorum beneficiorum recordatio ad referendam pro viribus gratiam quemque ſollicitat, liberalitas in me tua, BEATISSIME PATER, ita debitum hoc officii genus ſibi vendicat, ut cùm par ſolvendo non ſim, gravis propemodum mihi fieret, & animo dolorem incuteret, ni liceret, antequam benedictione munitus ab oſculo Sanctiſsimorum pedum abſcedam, ſi non debitum ſolvere, ſaltem illud publicè profiteri: ut omnes intelligant, me eo Tibi nomine perpetuò obſtrictum, quem eximiâ beneficentiâ devinxiſti. Haec autem, quamvis adeo magna fuerit, ut qualibet gratiarum actione major videri poſsit, minima tamen apparebit, ſi conferatur cum illa, quam Congregationi Oratorii Veronenſis contuliſti. Alibi fuſiùs erupi in laudes tuas: & quot in mea Patria ſunt Cives, tot erunt mecum ſemper ora clamantia, jugiterque dicentia, Gratias Tibi, PONTIFEX MAXIME, referimus immortales, qui Bullam Unionis Abbatiae SS. FIRMI & RUSTICI, illi tenellae Congregationi (quae noſtra aetate omnium jecit fundamenta virtutum, ac inſtar ingentis columnae magnam deſuper ſanctioris diſciplinae molem erexit) a Praeceſſore Tuo BENEDICTO XIII. *ſub plumbo* datam, Eminentiſsimi ac Reveren-

verendissimi Angeli Cardinalis Quirini, meique rogatu firmam, ratam, & nullius *renovatoriae* indigam declarasti. Ut autem venturorum deinceps Saeculorum nulla unquam delere possit oblivio memoriam debiti sempiternam, monumentum aere perennius Tibi a Patribus erectum est, quod praedicet in omnes generationes Tuam erga S. PHILIPPUM NERIUM devotissimam animi propensionem. Par non erat, BEATISSIME PATER, ubi vota omnium fuerant, sortitis exitum votis, laetitiam esse paucorum. Quare ego meae conditionis oblitus, hac anniversaria Tuae Creationis die venio cum Senatoribus Terrae & Consiliariis Ecclesiae Sanctae Dei, ut Tibi ominer annos plurimos, & longaevam incolumitatem.

Ex Aedibus Vallicellanis XVI. Kalendas Septembris, Anno Domini MDCCXLI.

LECTO-

LECTORI.



Ostulabatur jam diu, vel flagitabatur potius a Doctissimo Viro Cajetano Merati Clericorum Reg. Sacrae Rit. Congr. Consultore, ut ipse Venerabilis Josephi Mariae Cardinalis THOMASII *Opera omnia in unum Corpus colligeret, &, quae excessu vitae relicta fuerant inedita, non fineret interire. Sed Gavantus, quem illustrabat mirificè, aliarum rerum cogitationem ei tunc temporis abstulit: nunc verò infirma ejus valetudo nec volentem Opus aggredi finit. Quare istum laborem a me suscipi posse putabat, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus, & liberum. Quamvis autem jussu Sanctissimi Domini Nostri* BENEDICTI XIIII. *Pont. Opt. Max. Annalium Ecclesiasticorum prosequutio meum nunc sit munus, atque hoc a me expectetur; volui tamen ipsi Patri Merato satisfacere; praesertim ut etiam doctissimi & sapientissimi Principis Dominici Passionei S.R.E. Presbyteri Cardinalis votis obsecundarem, qui Josephum Mariam Thomasium, tamquam caelestem in terris Virum semper coluit ex animo; utque aeternum silentium imponerem cuidam Ms. Libello, qui densas tenebras clarissimis Thomasianis Operibus* Codicum Sacramentorum nongentis annis vetustiorum *videbatur offundere, lugente, unà cum bonis omnibus, universa nostra Oratorii Romani Congregatione, qua inscia, ut Acta testantur, illa infoelix censura clam prodiit. Ejus Author (caeterà doctus, ac pius) in primitivis Ecclesiae Romanae ritibus enucleandis allucinatus, impugnavit ea, quae totâ antiquitate nituntur. At mortuum in osculo Domini non excitemus: id enim caritas probibet, & Lex Christiana non sinit. Igitur, ut quod narrare coepi jam prosequar, in animum induxi meum ita banc Editionem adornare, ut ipsa complectatur omnes Thomasianas lucubrationes, cùm impressas, tum nondum evulgatas, quae a sacrae eruditionis cultoribus deposci vehementissimè audio. Eminentissimis ac Excellentissimis*

Principibus Annibali, & Alexandro S.R.E. Cardinalibus Albanis, ad eruditae antiquitatis tutelam natis & institutis, immortales agendae sunt gratiae, quòd, publico literarum bono, mihi dederint facultatem exscribendi anecdota omnia, quae ipsius Authoris manu conscripta, in insignibus eorumdem Bibliothecis, tamquam sacra pignora, religiosè asservantur. Sed, ne Collectorem tantùm agerem, subseciva tempora quae incurrebant, aliorum quoque veterum monumentorum inquisitioni deputavi; & quammulta reperi auro gemmisque cariora, quae fuerunt a majoribus ignorata, & nondum lucem viderunt. Habent verò cum Thomasianis Operibus maximam cognationem: quare ea amplius latere non patiar; sed publici juris faciam in praesenti Collectione, tamquam locupletissimum Sacrorum Rituum, Divinae Psalmodiae, ac rerum Liturgicarum auctarium. Sex Voluminibus universa Collectio constabit; quorum nunc Primum damus, in duas partes distributum. Prima *autem Pars continet Libellum Orationum Ecclesiasticorum Officiorum Gothico-Hispanum quantivis praetii, nunc primùm ex antiquissimo & plusquam millenario Codice Manuscripto evulgatum, quem Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Joannes Franciscus Musellius Capituli Veronensis Archipresbyter sapientissimus meo rogatu transcribi jussit, favente Amplissimo Canonicorum Collegio toto, atque curantibus eruditissimis viris Comite Ottolino Ottolinio Veronensi inter Romanos Patricios cum sua Gente cooptato, & Bartholomaeo Campagnola Archipresbytero S. Caeciliae & memorati Capituli Cancellario, qui summa fide Codicem exscripsit integrum, mihique transmittendum curavit, ut eum publici juris facerem, ac Notis, & observationibus illustrarem. Ut autem pro dignitate tantus thesaurus prodire poßet, operae praetium duxi eidem* LIBELLO *praemittere Tractatum Historico-Chronologicum de Liturgia antiqua Hispanica, Gothica, Isidoriana, Mozarabica, Toletana, Mixta, a Doctissimo Cl. Viro Joanne Pinio Societatis Jesu concinnatum, unà cum* Notitià, & Ordine *Divini Officii Breviarii Mozarabici, jussu Card. Ximenii typis editi anno Christi* 1502. *atque*

Cl.

Cl.V. Cajetani Cenni judicio, demum & Adnotationibus meis. Illud quaeres fortasse, Lector, cur mihi Psalterium Thomasianum in secunda parte hujus Primi Voluminis edituro, in mentem venerit, eidem, Prolegomenum loco, hujusmodi Libellum Gothico-Hispanum assuere, atque praefigere. Sed causa in promptu est. Ven. namque Vir in Praefatione in ipsum Psalterium cum Canticis, versibus prisco more distinctum, argumentis, & Orationibus vetustis, novaque literali explanatione dilucidatum, quod ego cum auctario, supplemento, & appendicibus evulgo) pag. IX. haec habet.

„ Quod ad sensum moralem sanctosque animae Christianae affectus attinet; praeterquamquod saepe id illustretur argumentis laudatis, Orationes quae singulis Psalmis subjunguntur, ad idipsum maximè conducunt; quae quod piis affectibus accommodum, per longam Psalmi narrationem erat diffusum, breviter contrahunt; quò ferventiùs ex intimo corde, haustus ex Psalmo spiritus se effundat in preces, ut vitia extirpentur, inserantur que virtutes divinà imploratà manu Omnipotentis Dei. Antiquissimi sanè moris est post singulos Psalmos humi strato corpore (exciperem dies Dominicos tempusque Paschale) adorare Deum, precarique brevissimè: quo de ritu sic legitur in tractatu de Virginitate, sive S. Athanasii, sive aliùs cujuspiam antiqui Patris: *Tot Psalmos dices*, Virginem alloquitur, *quot poteris: & ad quemlibet Psalmum preces & genuum inflectio cum lacrymis addatur, pronunciando Domino peccata tua, orandoque ut tibi remittantur: & post tres Psalmos absolutos, dices Alleluja: Quod si Virgines tecum fuerint: & illae quoque psallant; & singulae singulas preces effundant*. Apud Cassianum totus hic ritus, ut apud Ægyptios Monachos servabatur, Angelo etiam eum morem comprobante, sic traditur. * *Cùm sedentibus cunctis (ut est moris nunc usque in Ægypti partibus) & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, undecim Psalmos orationum interjectione distinctos, contiguis versibus parili pronunciatione cantasset: duodecimum sub Alleluja responsione*

* lib. II. de Coenobiorum cap. V.

„ *ne consummans, ab universorum oculis repente subtractus,*
„ *quaestioni pariter & caeremoniis finem imposuit.* &
„ cap. VII. *Has igitur praedictas* Orationes *hoc modo inci-*
„ *piunt atque consummant, ut finito Psalmo non statim ad*
„ *incurvationem genuum corruant; quemadmodum facimus*
„ *in hac Regione nonnulli, qui nedum bene finito Psalmo in*
„ *orationem procumbere festinamus, ad celeritatem missae*
„ *quantocyus properantes..... Apud illos ergo non ita est:*
„ *sed antequam flectant genua, paulisper orant: & stantes*
„ *in supplicatione majorem temporis partem expendunt.*
„ *Itaque post haec puncto brevissimo procidentes humi, ve-*
„ *luti adorantes tantùm Divinam clementiam, summà ve-*
„ *locitate consurgunt: ac rursus erecti expansis manibus eo-*
„ *dem modo quo priùs stantes oraverant, suis precibus in-*
„ *tentiùs immorantur. Humi namque diutiùs procumbentem*
„ *non solum cogitationibus, ajunt, verum etiam somno gra-*
„ *viùs impugnari..... Cùm autem is qui orationem collectu-*
„ *rus est, è terra surrexit, omnes pariter eriguntur: itaut*
„ *nullus nec antequam inclinetur ille, genu flectere; nec cùm*
„ *à terra surrexerit, remorari praesumat: ne non tam se-*
„ *cutus fuisse illius conclusionem qui precem colligit, quàm*
„ *suam celebrasse credatur.* Haec porro collectio & con-
„ clusio precis à Sacerdote fiebat: unde Cap. X. *Nulla*,
„ inquit, *vox absque Sacerdotis precem concludentis audi-*
„ *tur.* Haec paulo latiùs retulimus; ut morem nostris
„ temporibus obsoletum cuncti noverint explicatius; qui-
„ que voluerint privatim etiam imitentur. Coeterum num
„ istiusmodi collectio sive conclusio Sacerdotis fuerit ali-
„ qua precatio ex Psalmo decantato excerpta, sive ex tem-
„ pore dicta, sive ex aliquo libro recitata; aut generalis
„ tantùm aliqua conclusio precationum, verbi gratià, *Per*
„ *Dominum nostrum Jesum Christum*, vel quid aliud simi-
„ le: arbitror, quantum in re tam obscura conjectare pos-
„ sum, hoc postremo potiùs modo voce clarà Sacerdotis
„ fuisse collectas atque conclusas secretas cunctorum ad-
„ stantium preces: cùm nuncusque nullum vestigium de-
„ prehenderim orationum ex Psalmis confectarum apud
„ Grae-

„ Graecorum vel Orientalium rituales libros, vel tracta-
„ tus Patrum. Itaque istiusmodi Orationes de Psalmis,
„ quales sunt, quas ad praesens edimus, primùm institu-
„ tae fuere in Occidente. In Concilio Agathensi anno
„ DVI. canone 30. praescribitur, ut *post Antiphonas, Col-*
„ *lectiones per ordinem ab Episcopis vel Presbyteris dicantur.*
„ Id quod numquam intelliges, nisi ritum psallendi Gal-
„ liarum antiquum pernoveris, quem in praesenti (ali-
„ quibus tamen immutatis) repraesentat Breviarium Mo-
„ zarabum, Hispaniarum scilicet ritus antiqui, consimi-
„ lis omnino prisco illi Gallicano veteri. Eo in Breviario
„ Antiphonae habentur cum accessione plurium versuum,
„ post quos repetantur: quae ut plurimum ex Psalmis, aut
„ ex Prophetis sunt desumptae. Hisce Antiphonis singu-
„ lis Orationes subjunguntur ex eodem ipso Psalmo de-
„ cerptae, unde Antiphona proximè cantata excerpta fue-
„ rat. Has Orationes, cum animadverteremus aptissimas
„ esse ad institutum nostrum, collegimus; suoque pro-
„ prio Psalmo hoc in Opere attribuimus: rem gratissimam
„ nos facturos pio Lectori arbitrantes, si hisce pulcherri-
„ mis aequè atque piissimis precationibus, ipsius excita-
„ remus animum ad orandum Deum flagrantius aequè ac
„ fructuosius. Porrò quod attinet ad Auctores harum
„ Orationum, antiqui planè sunt: meminerunt enim non
„ rarò Gentilium, & Arrianorum, tamquam suo adhuc
„ tempore perdurantium: id quod vix referri potest ad
„ tempora Sarracenica, quae Regnum Gothicum exce-
„ perunt. S. autem Leandrum, aut Conantium vel om-
„ nium, aut certè ex parte majore, Auctores esse harum
„ Orationum pro certo habeo. *Leander enim*, inquit
„ S. Isidorus, *ex Monaco, Hispalensis Ecclesiae Provinciae*
„ *Beticae constitutus Episcopus..... in toto Psalterio dup-*
„ *plici editione Orationes conscripsit.* Conantius autem,
„ ut Beatus scribit Ildefonsus, *post Mavulanen Ecclesiae*
„ *Polentinae Sedem adeptus est..... Orationum libellum de*
„ *omnium decenter scripsit proprietate Psalmorum.* Latent
„ quoque fortassis aliquae Orationes Salvi Abbatis inter

d hasс-

„ hasce Mozarabicas Orationes: de quo scriptor anony-
„ mus apud Garsiam Loaysa haec tradit: *Salvus Abba Al-*
„ *beidensis Monasterii .... cujus oratio in hymnis, Oratio-*
„ *nibus, versibus, ac Missis, quas illustri ipse sermone com-*
„ *posuit, plurimam cordis compunctionem, ac magnam sua-*
„ *viloquentiam legentibus, audientibusque tribuit.... obiit*
„ *temporibus Garseani Christianissimi Regis, & Theudemi-*
„ *ri Pontificis, IV. Idus Febr. Æra millesima*, hoc est an-
„ no 962. Quod si caussam Lector inquirat, cur pluribus
„ in Psalmis Hispanicae hae Orationes non habeantur,
„ promptum est dicere: quia hae tantùm nunc exstant eo
„ in Breviario Orationes ex Psalmis, quae Antiphonis ibi-
„ dem positis respondeant: quare, ubi nulla in illo occur-
„ rit antiphona ex aliquo Psalmo decerpta, ex eodem
„ confecta Oratio ibi locum habere non potest. Cùm con-
„ tra unus quandoque Psalmus complures habeat Ora-
„ tiones; quia pluries in diversis Officiis ex eo Antiphona
„ cantatur. Has Orationes Episcopi, vel Presbyteri, ut
„ in laudato Concilio Agathensi dicitur, recitabant post
„ Antiphonas, respondente congregatione tota Fidelium
„ bis *Amen*: ut videre est hic in ipsius Orationibus.

Itaque, cùm omnes ferè Orationes a Ven. Card. Thomasio singulis Psalmis adjectae, ex Ximeniano Breviario Mozabum desumptæ sint; ipsumque, si quod habet antiqui, (habet autem plurimum) a nostro Libello derivarit, atque ex eo nescio cujus collectoris ingenium circa VIII. vel IX. saeculum in Officii Toletani sinum effuderit, operae pretium erat agnoscere, quaenam in vulgato Br. Mozarabico nova essent, aut vetera. Id ignoratum hactenus ante Veronensis Codicis Editionem. Accipe ergo benigne Lector hunce Libellum Orationum, omnium ad hanc diem excusorum antiquissimum, piis affectibus maximè accommodum, ac spiritu Dei plenum: &, siquam ex eo utilitatem percipies, gratias age Deo Optimo Maximo, cujus honor laboris mei finis est.

Pars verò hujus Primi Voluminis Altera complectitur Psalterium cum Canticis, versibus prisco more distinctum, argumentis, & orationibus vetustis, novàque litterali expla-

planatione brevissimâ a Ven. Card. Thomasio dilucidatum. Cui adjiciuntur perpetua argumenta Psalmorum ex Psalteriis Syriaco, Arabico, atque Æthiopico, itidemque ex S. Hieronymo, studio ejusdem Ven. Viri collecta; meâ sed curâ nunc primùm, sub asteriscis indicibus Supplementorum, in lucem edita, ope Exemplaris autographi, quod exstat in Excellentissimae Domus Albanae inclyta Bibliotheca.

Excipit Psalterium insignis Epistola prodroma Eminentissimi ac Reverendissimi Principis Dominici S.R.E. Presbyteri Cardinalis Passionei, in hac Editione non semel honoris causâ nominandi, quam dedit ad Abbates & Visitatores Congregationis Helvetico-Benedictinae, *cùm ipse Praesul & Archiepiscopus Ephesinus apud eosdem Helvetios Nuntium Apostolicum ageret. In ea doctissimus Author, describens pretium laudatae Psalmorum dilucidationis, vivam quoque pinxit imaginem sanctioris vitae Venerabilis Viri, atque sapientiae ejus eximiae & planè singularis; eamque omnibus conspiciendam exhibuit cum nativis lineamentis suis.*

Psalterii Prodromum claudit Tractatus ineditus Thomasianus, de privato Ecclesiasticorum Officiorum Breviario extra Chorum, *quem, ad consulta respondens, Sacrorum Rituum Congregationi proposuit Vir pientissimus, cum debita reverentia expendendum approbandumque Summi Pontificis auctoritate, si nihil obstaret.*

Denique hujus Editionis auspicia mihi tam prospera fuere, ut quaedam anecdota monumenta repererim ad eandem Editionem mirificè locupletandam, ornandamque, de quibus ego initio minimè cogitaveram.

Habes igitur in hac Secunda Parte aliud Supplementum Thomasianum, quod continet,

I. *Quaedam Carmina de Sancto Gregorio Magno, ex antiquissimo Codice Bibliothecae Vaticanae descripta, quae pertinent ad Psalmodiam; ut ex secundo disticho satis constat, quod ait:*

Tradidit hic cantum populis, normamque canendi,
Quod Domino laudes referant noctuque diuque &c.

Exstant ea quidem & in nonnullis Mss. Libris Antiphonarii S. Gre-

S. Gregorii Magni, sed valdè a nostris diversa, ac nullo Authoris nomine praesignata, quemadmodum videre licet apud nostrum Thomasium in Antiphonario Romanae Ecclesiae pag.CCXVI. necnon in Scholiis in eundem Libellum pag. 13. *ubi ipse ait: „ Praeter eum Codicem, unde descriptum fuit hoc Antiphonarium, exstat item alius in Monasterio S. Galli, qui hos similiter versus exhibet. Meminit Amalarius cap.*8. *Prologi cujusdam, antiquo Romano Antiphonario praefixi, illi scilicet Libro, qui Antiphonas habebat; cùm in alio seorsum Responsoria continerentur. Quòd hosce Versus intellexerit Amalarius nomine Prologi, si quis assereret, non detrectarem. In Antiphonario Missae, scripto Saeculo* XI. *servatoque in Bibliotheca Angelica S. Augustini in Urbe, praeponuntur sequentes versus:*

Gregorius Praesul, Papae meritis & nomine dignus,
Unde genus ducit, summum conscendit honorem.
Renovavit monimenta Patrumque piorum.
Tunc composuit hunc Libellum musicae artis
Scholae Cantorum anni circuli.

Modoëtiae quoque, in Sacrario Basilicae S.Joannis Baptistae a Theodolinda Regina constructae, habetur Codex ex membranis purpureis, Gregorii Antiphonarium continens (sed mutilum) quadratis literis aureis exaratus, cum operculis ex ebore, quae ex una parte praeferunt effigiem Davidis Regis, ex alia S. Gregorii, cum distiche:

Gregorius Praesul, meritis & nomine dignus,
Quo genus hunc duxit, summum conscendit honorem.

Hoc autem cum laudato Cod. Bibliothecae Angelicae ferè ubique concordat. Sed adhuc ejus conditor latet; & nescio, an ipse se prodat ex nostro Exemplari Vaticano, in quo legitur:

Erfridus ovans Domino, Petroque dicavit
Exiguum, quod cernis, Opus, spectator amice.

Praeterea antiquum Missale Ecclesiae Pictavensis, ab annis circiter 300. *scriptum, haec habet: „ Ad Missam ante Introi-*
„ tum dicitur : Gregorius Praesul meritis & nomine di-
„ gnus, unde genus duxit, summum conscendit hono-
„ rem:

„ rem : renovavit monumenta Patrum piorum. Tunc „ composuit hunc Libellum musicae artis Scholae Cantorum anni circuli. Eja dic, Domine, eja „. *Hujus consuetudinis meminit Mabillonius in Itinere Italico. De ea etiam ad calcem Martyrologii Usuardi anno* 1490. *Parisiis editi, ista leguntur* : Ad perpetuam rei memoriam. Prima Dominica Adventûs ante introitum Missae in plerisque Ecclesiis, & signanter in Ecclesia Bituricensi, in ipsius Gradualis initio inscribitur tamquam prooemium Libri, & cantatur, quòd Gregorius Praesul &c. *Quod dicit de Ecclesia Bituricensi, constat ex antiquis ipsius Missalibus. Quonam verò ritu haec persolverentur, ita praescribit Ordinarium Ecclesiae Trecensis* : De praecepto Succentoris, aut illorum, qui pro tunc habent regere Chorum, duo Vicarii ascendunt Pulpitum, aliàs *Jube*, ut cantent antiphonam, *Gregorius Praesul*; qua finita, dum Chorarii incipiunt introitum Missae &c. *Ordinarium Ecclesiae Turonensis* : accensis Cereis, duo Canonici in cappis nigris incipiunt ante Altare alta voce antiphonam, *Gregorius Praesul*; qua finita, statim Cantor incipit : *Ad te levavi* &c. *Et Antiquum Rituale S. Martini Turonensis ait* : *post processionem* presbyteri, qui cantaverunt primum ℟. Matutinarum, cantant ad januas ante formam Subdecani *Gregorius* in cappis sericis, & ostendunt Graduale, vertentes se ad Praecentorem, quando dicunt, *composuit hunc libellum &c.*

II. *Continet Synodale Decretum* Gregorii *itidem de Psalmodia, quod est multis nominibus praestantissimum. Legitur quidem apud Gratianum* de Consec. Dist. 5. cap. In die &c. *tributum Gregorio VII. sed ibi mutilum est, ac maximè interpolatum. Integrum prodit nunc primùm ex Codice Vatic. ac naevis carens omnibus. Numerus Psalmorum, atque Lectionum ibidem designatus in Divinis celebrandis Officiis* (*qui dicitur* antiqui moris esse, atque ex regula Sanctorum Patrum) *in Breviario Romano hodie etiam obtinet. Id autem Apostolicam Sedem veteris disciplinae tenacem satis ostendit. In fine, cujusdam meminit corruptelae, quae condendo Decreto causam praebuit* : Illi autem, (*inquit*) qui

in diebus quotidianis tres Pſalmos, & tres Lectiones videntur agere, non ex regula Sanctorum Patrum, ſed ex faſtidio comprobantur facere. Romani autem diverſo modo agere coeperunt, maxime a tempore quo TEUTONICIS regimen noſtrae Eccleſiae conceſſum eſt. Nos autem, & Ordinem Romanum inveſtigantes, & antiquum morem noſtrae Eccleſiae * conceſſum eſt, ſtatuimus fieri, ſicut ſuperius praenotavimus, antiquos imitantes Patres.

* hic ſubeſt error.

Haec verba deſunt in vulgatis, & cum Gregorii VII. aevo componi minimè poſſunt, ſi Decretum ſit intelligendum de Ordine Theutonicorum, qui recentiorem habuit inſtitutionem. Lege ergo ſodes, ſi placet, MONACHIS, *non* TEUTONICIS: *& tunc lucebunt omnia. In Baſilica namque Principis Apoſtolorum Monachi quatuor Monaſteriorum divina perſolvebant Officia. Haec verò erant Monaſteria: S. Martini, ac S. Stephani minoris a dextro Baſilicae latere; Sancti Stephani majoris, atque Sanctorum Johannis & Pauli à ſiniſtro. Monaſterium Sancti Stephani majoris, alio nomine* Cata-farfara, *ſeu* Cata-Galla patricia *dicebatur: Sancti Stephani minoris*, Cata-Barbara patricia. *De tribus ex his Monaſteriis Gregorius III. conſtitutum edidiſſe memoratur * apud Anaſtaſium Bibliothecarium, qui unum ex illis, nempe SS. Johannis & Pauli a Leone Magno conditum fuiſſe teſtatur. An S. Gregorio III. vel VII. ſit tribuendum Decretum, de quo agitur, apud te, Lector erudite, judicium eſto.*

* Sectione 194.

III. *Continet Flores Pſalmorum Prudentii Epiſcopi Tricaſſini, nunc primum evulgatos ex duobus Codicibus Vaticanis decimi ſaeculi. Horum alter ſignatus numero* 84. *Venerabilem Cardinalem Thomaſium non latuit. Ipſe enim in Praefatione ſeu Monito ad Lectorem in duplex Pſalterium, Romanum ſcilicet, & Gallicanum, Cap.* 1. §. *penultimo haec habet:*
„ *De poſterioribus verò Prudentius quidam Epiſcopus; cujus*
„ *in Prologo ad ſuum Opuſculum Mſ. in Bibliotheca Vatica-*
„ *na, inſcriptum* Flores Pſalmorum, *haec ſunt verba*:
„ Et licèt ſint plures imitantes SS. Patrum exempla, quod
„ experimento didicimus, qui omni videlicet die in divi-
„ nis

„ nis laudibus totum complent Psalterium &c. „ . *De Prudentio Sammarthani in Gallia Christiana To.III. agentes de Episcopis Trecensibus num.37. pag.1078. haec litteris consignarunt:* „ *Galindo, cognomento Prudentius, Hispania* „ *oriundus, interfuisse memoratur Synodis Parisiensi 846.* „ *Turonensi 4. anno 849. Suessionensi 2. anno 853. Hoc eo-* „ *dem anno statuitur judex in controversia Clericorum Re-* „ *mensis Ecclesiae, & in ordinatione Æneae Praesulis Pari-* „ *siensis ex Epistola 99. Lupi Abbatis Ferrariensis. Ei scri-* „ *bit Leo 4. Papa, ut Monasterium Arremarense consecret,* „ *& Lupus Abbas epist.63., qua testatur per Regem Caro-* „ *lum delegatum ad monasticam disciplinam restaurandam,* „ *sic scribens*: Supervacuum judico locorum statum, „ quem jam perspeximus, iterum adire, quando nulla sit „ correctio subsequuta, & in Aurelianensi, ac Senonico, „ & vestro, ac nostro pago restent quaedam Coenobia, in „ quibus tempus interim terere possumus, ut sicut in aliis „ locis, ita & in iis etiam emendanda per nos Rex co- „ gnoscat, & ne in Legatis ejus ipsius jussio contemnatur, „ si voluerit, sentiat. Quanti enim sumus habiti, imo ip- „ se qui nos miserat, nobis impensus honor patefecit, & „ Monasteriorum instaurata religio. Proinde antequam „ Legationem adoriamur, Regi per me de his, quae vi- „ debuntur suggerere statui, & tractorias accipere, & „ tunc, favente Dei gratia, proficisci. *Intimus fuit Hinc-* „ *maro, a quo consultus in abstrusis Sacrae Scripturae locis* „ *explicandis, tanquam perspicax divinae scientiae inter-* „ *pres; & apud Flodoardum Hist.Remensis lib. III. cap.21.* „ *conqueritur, se praesentia ejus fraudari. Scripsit corre-* „ *ctiones in librum Joannis Scoti ad Guenilonem Archie-* „ *piscopum Senonensem, quas legere est apud Camuzatum.* „ *Extinctum autem an. 861. docent Annales Franchorum* „ *Bertiniani*: Galindo cognomento Prudentius, Tricas- „ sinae Civitatis Episcopus, natione Hispanus, adprimè „ literis eruditus, qui ante aliquot annos Gotescalco „ Praedestinatiano restiterat, pòst felle commotus con- „ tra quosdam Episcopos, secum haeretico resistentes, ip-

„ sius

„ ſius haereſis defenſor acerrimus: indeque non modica „ inter ſe diverſa, & fidei adverſa ſcriptitans, moritur: „ Sicque licet diutino languore fatigaretur, ut vivendi, „ ita & ſcribendi finem fecit.

Bollandi quoque Continuatores ad diem VI. Apr. in Sanctis praetermiſſis, & ad alios dies rejectis, Tomo I. Apr. pag. 531. haec habent: „ *Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus „ refertur ut Sanctus in additionibus Carthuſianorum Colo- „ nenſium, ad Uſuardum utriuſque editionis, & in Ms. Flo- „ rario Sanctorum. Demochares etiam Sanctum appellavit, „ atque poſt eum recentiores auctores, & Hagiologi varii. „ Camuratus addit*: Reliquias ejus capſulae ligneae inclu- „ ſas in primaria Tricaſſium aede aſſervari, in eaque Fe- „ ſtum ejus hoc die peragi cum Officio 9. Lectionum, in „ quo omnia de communi; *unde ſuſpicatur vitam ejus „ intercidiſſe. At non interciderunt ipſius aliorumque ope- „ ra, ex quibus conſtat non omnino rectè in fide ſenſiſſe; „ & odio quodam Hincmari Remenſis, qui ſuae Eccleſiae „ jura contra eum aſſeruerat, a recto tramite deflexiſſe: „ quod & Annales Bertiniani, intra vigeſimum a Pruden- „ tii obitu annum ſcripti, ſic confirmant, quaſi non prius ma- „ le ſcribendi finem quam vivendi feciſſet. Rem totam Lu- „ dovicus Collotius deducit libro 3. Hiſtoriae Gotheſchalci „ cap. 9. & deinceps. Potuit quidem moriens Eccleſiae ju- „ dicio ſe ſuaque ſubjeciſſe: meritò tamen requirimus anti- „ quius aliquod de ejus ſanctitate & cultu teſtimonium, quàm „ ſint ſupra allata.*

Vide Tom. IV. editionis Veronenſis Col. 695.

Eminentiſſimus tamen Cardinalis Noriſius, Patriae meae decus & ornamentum, in Synopſi Hiſtoriae Gotheſchalcanae ejus Vindicias texuit, & Capite I poſt multa haec habet: „ *Dum operi Hincmarus tam diligenter incumbe- „ ret, Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus Orthodoxae fidei „ contra haereſis Pelagianae reliquias aſſertor & vindex „ acerrimus, Auguſtini partibus adverſus Scotum & Hinc- „ marum ſtrenuè propugnatis, non minus morum ſancti- „ tate, quàm doctrina eximius moritur, & Divorum fa- „ ſtis adſcribitur. De quo Ludovicus ab Angelis ſcribit:*

„ San-

„ Sanctus Prudentius natione Hispanus, cujus festum per-
„ agitur apud Tricassinos VI. Idus Aprilis, errores Pe-
„ lagii suscitatos a quodam Joanne Scoto strenue confu-
„ tat; & illis, asserit in praefatione sui libri, a Patribus prae-
„ cipueque beatissimo Augustino competentissime abun-
„ dantissime responsum. *Inscriptus etiam fuit novissimè in*
„ *Auctuario Martyrologii Romani ad Urbanum VIII. Ejus*
„ *reliquiae lignea capsula insitae in primaria Tricassien-*
„ *sum Aede servantur, & quotannis ejus festum 9. Lectio-*
„ *nibus de communi Confessorum celebratur. Cujus doctri-*
„ *nae quidam Recentiores detrahere non erubescunt, sed vel*
„ *eo maximè Augustinianus esse probatur, quod illis displi-*
„ *ceat, qui ne auctorem suum semel errasse fateantur, Au-*
„ *gustinum, Prudentium, Fulgentium, ceterosque Augusti-*
„ *nianae palaestrae frequentatores immoderatis calumniis*
„ *impetere non quiescunt.*

IV. Continet nonnullas preces, & Litanias in utroque Cod. Vatic. FLORIBUS *PSALMORUM adjectas, ad quarum illustrationem, praeter ea quae Ven. Vir. Josephus Maria Thomasius mandavit litteris in Praefatione in Psalterium, praeclara sunt quae de S. Udalrico Episcopo Augustano refert Gerardus in ejus vita capite* 4.. Tempus verò Quadragesimae (*inquit*) quanta devotione celebraret, sermo mihi non sufficit ad narrandum; sed tamen ea, quae vidimus, non decet nobis in totum omittere. Matutinis namque laudibus expletis, aurorâ diei prima illucescente, aliis orationibus expletis, psallere Psalterium coepit: quo expleto, & LETANIA EXPLETA, aliis Orationibus firmiter insistebat, usque dum signum ad Vigilias defunctorum sonaret: quo audito, statim surrexit, & cum Fratribus Vigiliam celebravit, & Primam. Primâ verò expletâ, Fratribus SOLITO MORE CRUCEM PORTANTIBUS, ipse remanens in Ecclesia CODICULUM * BREVIATUM EX PSALMIS CUM ALIIS ORATIONIBUS interim decantavit, usque dum Fratres cum Cruce redirent, & Missam Sacrificationis celebrare coepissent.

* In Cod. Vatic. 1981. scripto circa undecimum Saeculum exstat index Librorum Bibliothecae Sancti Vicentii, in quo *Flores Psalmorum & alius Orationalis* commeratur.

f Eas

Eas inter preces, & Orationes, de quibus impraesentiarum sermo est, laudatus Codex Regio-Vaticanus 334. *aliquot antiphonas exhibet, quae fuissent a nobis in hac Editione praetermissae, aut in alium Tomum illatae, nisi essent datâ operâ Floribus Psalmorum assutae ab eo, qui Prudentii Opusculum exaravit. Quoniam ergo complectendus in hoc volumine totus Codex erat, ipsum quoque Antiphonarii fragmentum, quod in pauca quaedam folia concluditur, typis edendum curavimus.*

Continet demum quatuor Enarrationes, in Orationem Dominicam, atque in Symbolum Apostolicum, & Athanasianum; de quibus perpauca nunc scribam.

Enarratio in Orationem Dominicam edita pag. 497. *excerpta est ex lib. II. S. Augustini de Sermone Domini in Monte. Vide-sis Caput III. & seqq. usque ad XI. Codicis Antiquarius de auctore Synopseos silet: & utinam non sileret; fortassis enim nobis conjectura esset, qua etiam sequentis Enarrationis* in Symbolum Apostolorum *parentem agnosceremus. Ipsa vero nunc primùm in lucem prodit pag.* 501. *atque ita inscribitur:* Explanatio Symboli Apostolici. *Impius Calvinus, Apostolos Symboli auctores fuisse, primus omnium in dubium revocavit libro II. Institutionum; cap. XVI.* Apostolicum autem Symbolum (*inquit*) nuncupo, de auctore minimè sollicitus.... Neque vero mihi dubium est, quin a prima statim Ecclesiae origine, adeoque ab ipso Apostolorum saeculo, instar publicae, & omnium calculis receptae confessionis obtinuerit, undecumque tandem initio fuerit profectum. Quo intellecto, de auctore vel anxiè laborare, vel cum aliquo digladiari, nihil attinet. *Audacius Duce suo Chamierus lib. IX. de Canone cap. X.* Esse ab Apostolis Symbolum sic compositum, si non est falsum, certè, quod proximum falso esse nemo negat, incertum est. *His concinit Erasmus in praefatione ad Lectorem, Paraphrasis S. Matthaei.* Librum hunc (*inquit*) concinnare cupio, non ex humanis lacunis, sed ex fontibus Evangelicis, & Apostolicis litteris, & ex Symbolo, quod an ab Apostolis proditum sit, nescio. *Contra*

tra hos omnes, quamvis habeamus innumera ex tota antiquitate petita testimonia, aliud tamen Ecclesiastica traditione *munitum suppeditat palestrae Polaemicorum Codex, quem evulgamus: in eo namque ita legitur pag.* 501. De hoc Symbolo, quod dicitur Apostolicum, ita auctoritas Ecclesiastica tradit... Sancti igitur Apostoli, cum adhuc in unum Hierosolymis consisterent, divisuri se ad praedicandum circumquaque Evangelium Christi, hoc Symbolum Spiritûs Sancti auctoritate ediderunt, confessionem Fidei mirabili brevitate invicem conferentes; & inde appellatum Symbolum, idest collationem, vel pactum; quia eum inter se ad invicem contulerunt; & ut indicium esset divisis per diversas Mundi partes praedicatoribus, ut ille verum Evangelium praedicare crederetur, qui hoc Symbolum, nihil augens vel demens, traderet auditoribus. In eo Symbolo totius Sacramenta Fidei idcirco tam brevi sermone signata sunt, ut nulli sexui, nulli aetati, nulli capacitati esset difficilis ad tenendum. De hoc etiam Symbolo, vel Dominica Oratione, dictum per Esaiam creditur: *Consummationem, & adbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram*: quae consummatio, idest perfectio, & adbreviatio de tam sublimibus rebus, hominis ingenio fieri nullatenus poterat, sed facta est virtute Creatoris, ut Sancti (ut dictum est) Praedicatores per universum Mundum uniformem Fidei tenorem Ecclesiae auribus traderent, & omni ad Fidem venienti facilis esset ad memoriae commendandum.

Pag. 504. *ad ea verba*: Passus sub Pontio Pilato: *ejusdem Explanationis Auctor Patriam Pilati ab eruditis hactenus ignoratam prodit; inquit enim*: Sicut Evangelium indicat, natus est Dominus tempore Caesaris Augusti, idest Octaviani, cùm Judaeis regnaret Herodes; passus est tempore Tiberii Caesaris, cum Judaeam procuraret Pilatus:Constatque hunc Pilatum hominem Romanum a Principe Romano videlicet Tiberio, ad procurationem Judaeae pauco tempore antequam Dominus pateretur, missum; & vocatum Pontium a quadam Insula Romana, Urbi viciná, ubi natus fuisse fertur. *Pag.*

Pag. 506. *Articulus* IX. de Sanctorum Communione *ibidem nec legitur, nec explanatur. Etiam in Ruffini Symbolo non apparet; quod post articulum de Spiritu Sancto mox habet*, Sanctam Ecclesiam: remissionem peccatorum. *Deest itidem in antiquissima illa Enarratione in Symbolum, quam ex quodam insigni Codice millenariae antiquitatis publici juris feci Veronae anno* 1732. *unà cum aliorum monumentorum accessione. Hic adnotasse sufficiat, quod verba* Sanctorum Communionem, *Appendicis loco addita, in nullo Symbolo ante Divi Augustini aevum reperiuntur; immo nec in ejus quidem, cùm in Enchiridio ad Laurentium cap.* 66. *discertè affirmet, post commemorationem* Sanctae Ecclesiae, *in ordine Confessionis poni*, Remissionem peccatorum. *Verosimile tamen est, circa ea tempora, vel paullo post, partem illam Symbolo Apostolorum accessisse, idque non ex eo tantùm, quòd compareat in Symbolo in aliquibus Homiliis eidem Augustino adscriptis, verùm & ex eo, quòd istis temporibus occasio se obtulerit, quae ejus additionem suadere posset, schisma scilicet Donatistarum. Etiam Orientalis Ecclesia, (inquit Christianus Lupus in notis ad Praescript. cap.* 13. *pag.* 284.) *videtur ista verba non habuisse. Etenim Constantinopolitana Synodus, quae Nicaenam Fidei formulam, non dumtaxat per nova contra Macedonianos, & Apollinaristas additamenta, sed etiam ex Apostolico Symbolo supplevit, ista verba praetermisit. Plura vide in eodem nostro Libello in Patria edito an.* 1732. *sub auspiciis Eminentissimi ac Reverendissimi Principis Angeli Mariae Card. Quirini, Purpurae, & Literarum insignis ornamenti. Quoniam verò, dum haec scribo, idem sapientissimus Vir, pro ea qua flagrat caritate & zelo Domûs Dei, Patres Congregationis Oratorii Veronensis, multis nominibus ob egregia in urbem merita, ex testimonio Episcopi vigilantissimi, atque universorum ordinum, reverendos, in sui tutelam patrociniumque suscepit, eosque ab ingruenti interitu, porrectâ obstetricante manu liberavit; da mihi, ò Lector, hanc veniam, ut laetabundus paucis te morer, & Magnum Quirinum celebrem, qui inveniens gratiam coram Vicaria Numinis*

nis majestate, totam restituit rem. Ipse enim Christiano potens eloquio, a Sanctissimo Domino nostro Benedicto XIIII. Pontifice verè Optimo, verè Maximo, verè divinitus dato, tandem precibus impetravit, ut Bullam sub plumbo, *Unionis Abbatiae Sanctorum Firmi & Rustici, anno* 1728. *a Benedicto XIII. praecessore suo benemerentissimo eidem Congregationi rite ac rectè concessam, ac demum Illustrissimi ac Reverendissimi Farsetti Archiepiscopi Ravennatensis, ejusdem Abbatiae Commendatarii, morte intercedente Confirmatam, Pontificio Oraculo (ob institutas quotannis a Patribus triduanas preces in aevum celebrando) ratam, firmam, authenticam, atque nullius (ut ajunt)* renovatoriae *indigam declaret. Id mecum communicare clementissimus Pontifex, atque Eminentissimo Card. Quirino nuntiare dignatus est literis aliquando Annalibus inserendis. Age jam Beatissime Pater Philippe (te enim tamquam praesentem alloquor, dum eum vides, qui praesens ubique est) faveto vineae illi, quam plantavit dextera tuâ, Congregationi scilicet Veronensi, cui praestitisti auxilium ex alto; ac sine mihi, licèt immeritò, publicè profiteri memoriam debiti sempiternam. Detur etiam a te, Lector benevole, mihi locus, ut haec gratiarum actio Deo Optimo Maximo, Philippo Patri Sanctissimo, Benedicto XIV. Pontifici Maximo, atque Eminentissimo Cardinali Quirino Maecenati Optimo, ut haec gratiarum actio primo huic adhaereat affixa volumini, ut ita per Orbem terrarum quocumque Venerabilis Viri Thomasii Opera ferentur, excurrat. Nunc nostri propositi memores in viam redeamus, ac reliquae editionis Opuscula, quae Pars Secunda complectitur, expendamus.*

Igitur post illam anecdotam Symboli Apostolorum enarrationem, de qua multa jam diximus, sequuntur aliae duae in Symbolum Athanasianum, quae nondum lucem viderunt. Ambo videntur mihi auro gemmisque cariores; quoniam Magni Episcopi Alexandrini nomine sunt insignitae. Ne autem parum esset auctoritatis in titulo, Auctor primae Enarrationis veritatem ejus est conatus inquirere paulo diligentiùs, quàm consueverint reliqui, ea aetate minus ex

cultâ, qua floruit. Critices enim ope explicat suam de Athanasiana fide sententiam, & antiquitatem optimam ducem sequitur, eique paret. Est in manibus tanti viri laudatio, quam cùm legeris, non dubitabis dicere, ipsum fuiße in literis eruditum, atque naris emunctae virum: Injunxistis (*inquit*) mihi illud Fidei Opusculum, quod passim in Ecclesiis recitatur, quodque a Presbyteris nostris usitatiùs quàm caetera Opuscula meditatur, Sanctorum Patrum sententiis, quasi exponendo, dilatarem, consulentes Parrochiae nostrae Presbyteris, qui sufficienter habere libros nullo modo possunt; sed vix, & cum labore, sibi Psalterium, Lectionarium, vel Missalem adquirunt, per quos divina Sacramenta vel Officia agere queant. Et quia cùm inopiâ librorum plerisque neque studium legendi, aut discendi suffragatur; idcirco vultis, ut saltem hanc Fidei Expositionem meditare cogantur, ut aliquando amplius de Deo possint sapere & intelligere: quia maxima omnium ista pernicies est, quòd Sacerdotes, qui plebes Dei docere debuerant, ipsi Deum ignorare inveniantur. Nam sicut laico blasphemia, ita Sacerdoti voluntaria Dei ignoratio in sacrilegium deputatur. Hoc namque Opusculum, non quidem est altis sermonibus obscurum, nec latiniosis sententiis arduum; cùm penè plebejo conscriptum sit sermone, sed tamen, si adjunguntur ei pro locis necessariis tractorum fidei verba, plurimum juvat ad fidei notitiam. Traditur enim, quòd a beatissimo Athanasio Alexandrinae Ecclesiae Antistite sit editum. Ita namque semper eum vidi praetitulatum, etiam in veteribus Codicibus. Et puto, quòd idcircò tam plano & brevi sermone tunc traditum fuerit, ut omnibus Catholicis, etiam minus eruditis, tutamentum defensionis praestaret adversùs illam tempestatem, quam ventus contrarius, hoc est diabolus, excitavit per Arrium, qua tempestate navicula, idest Christi Ecclesia, in medio mari, videlicet Mundo, die tota a fluctibus est vexata, sed non soluta aut submersa; quia ille imperavit vento & mari, qui se eidem Ecclesiae promisit usque ad finem saeculi adfuturum.

Co-

Codex est noni saeculi, sed auctor Enarrationis majorem spirat antiquitatem, & Episcopali dignitate fulgebat. Ipse verò pro Athanasiano nomine traditionem testem appellat, quam a senioribus audivisse diendum est. De ea tunc temporis omnium erat fama consentiens. Et non solùm in sententia hominum, sed etiam IN ANTIQUIS CODICIBUS *haberi asserit testimonia. Tanti apud me valet veterum monumentorum authoritas, ut eam pluris faciam, quâm sexcentas hominum conjecturas. Quare sine haesitatione definio, Sancti Athanasii titulum, Symbolo* Quicumque &c. *praefixum, esse antiquissimum. Quod si in hoc erro, lubenter erro, nec mihi hunc errorem, in quo ab anonymi Enarratione confirmor, extorqueri volo, ni clariora suppetant argumenta. Etiam in quodam Capitulari pro Sacerdotibus, nondum edito, quod exstat in Codice Palatino-Vaticano* 485. *scripto (ut videtur) circa decimum saeculum, haec habentur Capitulo* II. Fidem Catholicam S. Athanasii, & caetera quaecumque de fide, Symbolum etiam Apostolicum, Orationem Dominicam ad intelligendum cum expositione. *De Authore tamen ejusdem Symboli ferre judicium nolo, quoniam Scriptores nostra hac aetate magna sunt in varietate constituti. Eorum plerique, nullas omnino censent partes habuisse in Symboli conscriptione Sanctum Athanasium,* I. *quia ipsum Symbolum Athanasii stilum non sapit.* II. *quia inter ejus Tractatus desideratur.* III. *quia a novis cudendis Symbolis alienus omnino fuit. IV. quia nulla fuit occasio mutandi propositi, sed potius retinendi: &, si propositum mutaßet, non tamen* consubstantialis *vocem Symbolo detraxißet. V. demum, quia author si fuißet Athanasius, non illud ignoraßent Graeci Patres, & Latini. Sunt & alii, qui rem propius attingere arbitrantes, asserunt a Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo illud Symbolum prodiisse. Ut autem hoc probent, his utuntur argumentis. Tempus, quo scriptum videtur Symbolum Vigilio Tapsitano optimè convenit, siquidem post haereses Arianam, Nestorianam, atque Eutychianam floruit; imo illas pluribus insectatus est libris. Deinde Vigilio id moris fuit, ut si*

qua

qua contra haereticos Opuscula saeviente barbarorum insectatione scriberet, ea non suo nomine, sed sub antiquorum Patrum, praecipueque sub S. Athanasii persona evulgaret, quod eruditis maximè constat. Veri igitur simile ipsis videtur & hocce Opusculum magno Athanasio per hunc Auctorem fuiße suppositum, eamque etiam firmius confirmari putant opinionem, ubi simul conferantur Symbolum, & libri tres de Trinitate a Vigilio contra Marivadum, seu Varimadum scripti, in quibus nonnulla sensa inter se consimilia reperiuntur. His additur Codicis Thuanaei auctoritas, in quo, praeter Dialogum adversus Arianos, Sabellianos, ac Photinianos sub Athanasii nomine à Vigilio editum, proxime legitur Symbolum Athanasianum cum hac epigraphe: Fides dicta a S. Athanasio Episcopo.

Alii demum, & hi quidem magni nominis, in diversam ivere sententiam, & quaestionem omnem ex ipso Athanasiano Symbolo definiri poße arbitrantur. Neque verò id solùm, sed etiam ex eodem Auctorem prodi. Nam, & sententias, & verba ipsa à Commonitorio Sancti Vincentii Lirinensis mutuata fuisse credunt, & multa quae dicuntur in Symbolo colligunt, quae talia ipsis videntur, ut eam fidei formulam ab ipso Vincentio conditam fuisse demonstrent. Doctissimus Joseph Antelminus, qui novam de Symbolo Athanasiano disquisitionem edidit anno 1693. *ut laudatum Vincentium Lirinensem Symboli aßereret conditorem, rationibus istis innititur.* I. *Quia Vincentius ea floruit tempestate, qua prodiit Symbolum.* II. *Quia Vincentio adversus Haereses unicum studium fuit.* III. *Quia errores in Symbolo perstrictos ipse specialiter convellit in Commonitorio.* IV. *Quia Haereses sub aliena forma profligere in more habuit.* V. *Quia Trevirense solum, e quo primùm habita Symboli notitia, Vincentio patria fuit.* VI. *Quia ad Sancti Athanasii sortis similitudinem, extorris est factus.* VII. *Quia in Commonitorio omnes omnino Symboli voces, formulas, & transitiones usurpat.* VIII. *Quia Vincentius in fidei confessionem, in Commonitorio delibatam, miris fuit effusus affectibus, & ad eandem ex professo tractandam conceptis verbis, obligatus.*

tus. IX. *Quia Lirinenses processionis Spiritus Sancti a Patre Filioque primi praecones in Galliis fuere*. X. *Quia Vincentius trinae Sanctificationis glorificationem, quam attingit in Commonitorio, plenius, ut promiserat, exequitur in Symbolo*. XI. *Quia demum Lirinenses ad varias in Symbolum expositiones edendas omnino conversi sunt; & Gallicanis Doctoribus antiquis & recentibus semper innatum eas expositiones concinnare*. *Hoc autem ut praestet Antelmius (inquit eruditissimus Ludovicus Antonius Muratorius Tomo* II. *Anecdotorum in insigni disquisitione in propositam Expositionem ad Cl. V. Laurentium Alexandrum Zaccagnium Vaticanae Bibliothecae Praefectum) Vigilium Tapsensem de loco primùm dejicit, nullam intercedere similitudinem inter hujus libros, laudatumque Symbolum ostendens. Tum addit, si has conjecturas sequi oportet, formulas apud S. Augustinum posse reperiri, quae ad Symboli stylum propius accedant. Nemo vero hucusque fuit, qui Augustino Symbolum inscriberet. Praeterea (inquit) futile est argumentum e libris contra Varimadum scriptis desumtum; Vigilium enim illi nequaquam parentem habent. Mos denique Vigilio fuit Athanasianum Symbolum in operibus Athanasio suppositis consectari. Quod in hoc Symbolo non animadvertas, quippe ab Athanasiano stylus discrepat. Praeterea, ut Vincentium Lirinensem Symboli Auctorem statuat, illum in Galliis natum, scilicet Treveris, vel in Belgica prima ex testimonio S. Lupi probat. Atqui Symboli Auctorem Gallum quoque fuisse, Pithoei, Vossii, aliorumque sententia est. Quandoquidem prae aliis nationibus in Gallia prodire in lucem Symbolum istud coepit, Trevirisque potissimum elucubratum videtur. Tum à Gallis scriptoribus primùm celebratum, atque ab Episcopis, Synodisque Galliarum antiquitus receptum, & commendatum reperitur. Lirinensis insuper, in iis potissimum haeresibus, quae in Symbolo perstringuntur, profligandis operam posuit, uti ex ejus Commonitorio apertissime cognoscitur. Sub alienis autem nominibus consuevisse Vincentium in arenam prodire, laudati Commonitorii exemplis patet; illud enim sub nomine Peregrini evulgavit.*

Quod si cum Symboli formulis, ac loquutionibus Commonitorium componas, ac praesertim Caput XIX., mirum est, quanta inter ambos foetus similitudo intercedat. Haec & similia pluribus pertractavit Antelmius, cujus opinioni multorum eruditorum suffragia postmodum accesserunt.

Ego tamen Venerabili Josepho Mariae Cardinali Thomasio Cleric. Regular. in notis ad Psalterium evulgatis libentiùs adhaererem, qui breviter, & modeste sententiam suam explicat de Symboli hujus Auctore his verbis: Omissis nonnullorum conjecturis ac divinationibus de Auctore hujus Symboli, ex longa praescriptione multorum seculorum, & Scriptionibus veterum Codicum, diligentius videndum, num haec plenior explicatio Nicaenae Fidei sit velut Hympomnesticon quoddam, sive Commonitorium ad Catholicorum instructionem contra varias haereses, & Graecè, & Latinè primo confectum de iis, quae de Trinitate, & Incarnatione, tum voce disputata, tum scripto decreta sunt in Concilio Alexandrino sub Juliano Augusto, praesidente S. Athanasio, praesentibusque ex Latinis S. Eusebio Episcopo Vercellensi, & duobus Diaconis Luciferi Episcopi Insulae Sardiniae. Certe quae Rufinus Lib. X. Historiae Ecclesiasticae cap. 29. & Epistola ipsa ejusdem Concilii apud S. Athanasium Epist. ad Antioch. scribunt, si considerentur attentius, verbatimque expendantur, pene totum Symbolum hocce repraesentare videntur.

Sed jam tollenda manus è tabula, quoniam recitavimus summa Capita hujusce primi Voluminis, ex quibus, amice Lector, conspectu primo cognosces quid a nobis gestum sit. Ingens opus in me suscepi. Confido tamen, ad eorum excusationem, quae minus rectè pertractata videbuntur, te mihi veniam daturum. Alii Mycenas suas, ego vicissim Spartam, quam Sacris Altaribus mancipatus sortitus sum, adornare volui; ut Thomasiana opera publici juris faciens, in commune convivium ἀσύμβολος *non venirem. Imposterum tenuitas mea, quae aliena ope plus caeteris eget, continuandis Annalibus Ecclesiasticis operam dabit, quorum conscribendorum*

dorum

dorum rationem omnem quamprimùm exponam, quatenus inter moras, aliorum consilio & opera frui possim. Nulla sine linea excurret dies, quamvis nunc etiam in vetustis Ecclesiae documentis summo studio eruderandis, & evolvendis insudem. Vaticanae praesertim Bibliothecae scrinia (quae noster immortalis Annalium Parens Card. *Baronius caeteris jure merito semper praetulit) exploratum ibo; ex quibus, quae ad institutum meum conducunt, decerpens ac inferens in adversaria, omnia per seriem temporum digeram, ut haereditas nostra non transeat ad alienos.* En *paucis, quod Deo auspice, in futurum praestabo; en quod in praesenti* Editione *jam praestiti. Superest ut ab humanitate & sapientia tua, quisquis sis Lector, ex intimo cordis exposcam, ut orationibus adjuves, consilio monumentisque succurras, parturientique obstetricantem manum accommodes, ut foetus Annalium sit cultior, & opera gratior. Eam primam Historici legem sacram mihi esse volo*, ne quid falsi dicere audeam; *in qua equidem plus operae, quam in ornatu sermonis reponam. Vale, ac Thomasianis epulis* UTERE FELIX.

DE

DE JOSEPHO MARIA THOMASIO
S. R. E. CARDINALI
EX CLERICIS REGULARIBUS
Honorifica Scriptorum Testimonia.

SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER BENEDICTUS XIIII. PONT. OPT. MAX. in Opere, cui titulus: *De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione* Lib. III. cap. XXXIII. num. VIIII. pag. 457. habet: *Signata quoque fuit Commissio Introductionis Causarum Venerabilium Dei Servorum Cardinalium Gregorii Barbadici, & JOSEPHI MARIAE THOMASII, dum munere fungeremur Fidei Promotoris.*

R O M A N A
Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei JOSEPHI MARIAE CARDINALIS THOMASII.

Commissa in Sac. Rituum Congregatione sub die 13. Maji 1719. cum subsequuto assensu SSmi, Emo & Rmo Dno Cardinali Fabrono hujusmodi causae Ponenti revisione infrascriptorum Opusculorum Romae impressorum à Servo Dei Josepho Maria Cardinale Thomasio exaratorum, quorum peculiaris Titulus est:

Speculum Divi Aurelii Augustini Episcopi Hipponensis, 1679.
Codices Sacramentorum nongentis annis vetustiores &c. 1680.
Exercitium Fidei, Spei, & Charitatis &c. 1683.
Psalterium juxta duplicem editionem, quam Romanam dicunt, & Gallicanam &c. 1683.
Responsorialia, & Antiphonaria Romanae Ecclesiae &c. 1686.
Vera norma di glorificare Iddio, e di far orazione &c. 1687.
Sacrorum Bibliorum juxta editionem, seu 70. Interpretum, seu Beati Hieronymi veteres tituli sive Capitula &c. 1688.
Antiqui Libri Missarum Romanae Ecclesiae &c. 1691.
Officium Dominicae Passionis secundùm Ritum Graecorum latine editum &c. 1695.
Psalterium cum Canticis, versibus prisco more distinctum 1697.
Breve ristretto de' Salmi, che comprende i versi d'orazione in quelli contenuti &c. 1699.
Indiculus Institutionum Theologicarum veterum Patrum &c. 1701.
Institutiones Theologiae antiquorum Patrum &c. Tomus primus 1709., Tomus secundus 1710., Tomus tertius 1712.
Breve instruzione del modo di assistere fruttuosamente al S. Sagrificio della Messa &c. 1710.
Esercizio quotidiano per la Famiglia &c. 1712.

Praedictisque Opusculis per eundem Ponentem, adhibitis etiam pluribus revisoribus, & Theologis juxta facultates Eminentiae Suae concessas diligentissimè examinatis, & in Sac. Rituum Congregatione relatis, Sac. eadem Congregatio censuit rescribendum, ex illis nihil obstare, quin procedi possit ad ulteriora, si Smo Dno Nostro visum fuerit, die 2. Martii 1720.

Factaque deinde per me secretarium de praedictis Smo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, Die 20. Aprilis ejusdem anni 1720.

Ita reperitur in registris Decretorum Congregationis Sac. Rit. In quorum fidem &c. die 14. Novembris 1620.

N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus Sec.

Loco ※ Sigilli.

In Oratione habita a SSmo Dno Nostro Clemente PP. XI. in Consistorio Secreto sub die 30. Januarii 1713. de Venerabili Cardinali Thomasio haec habentur.

Venerabiles Fratres.

Admonent nos multiplicia funera, quae paucos intra menses quamplurium ex Fraternitatibus vestris, non sine gravi paterni cordis nostri dolore contigerunt, ut ad tot tantasque Apostolici Senatus jacturas opportunè reparandas animum convertamus. Nec sanè

ſanè diſſimulare poſſumus caeteris acerbiorem Nobis accidiſſe noviſſimam omnium, quam fecimus, eximii ac piiſſimi Viri Cardinalis Thomaſii; moleſtè ſiquidem ſenſimus nimia celeritate nobis ereptum fuiſſe verum exemplar ſanctioris veteris Diſciplinae, quod in ejus moribus, & doctrina ſuſpiciebamus. Humiliantes nos nihilominus ſub potenti manu Dei, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, Davidicum illud coram Domino recolere non praetermiſimus: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti*; ſperantes interea adfuturum nobis ope ſua apud Deum in Caelis, qui conſiliis ſuis diu nobis adeſſe non potuit in Terris. Hoc igitur incenſi ſtudio &c.

Juſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus in Diſſertatione *de Corona ferrea Longobardorum* Cap. 9. pag. 78. = Nobis tam abdita & abſtruſa ſcrutari non licet, ſed potius cum venerandae memoriae Cardinali Joſepho Maria Thomaſio, viro harum rerum ſcientiſſimo, quem totius Eccleſiaſticae antiquitatis veluti oraculum ſaepe ſuſpeximus, omnino ſentimus: nimirum, in iis quae ſacros Chriſtianorum ritus reſpiciunt, non arcana & ingenioſa myſteria pro cujuſque arbitratu facile excogitanda, ut nonnulla vulgo factitari conſueverunt; ſed veras, hiſtoricas, atque, ut ſic dicam, naturales & genuinas eorum cauſas, & originationes eſſe nobis inveſtigandas.

Idem Archiepiſcopus in lib. cui Tit. = *Diſcus argenteus votivus veterum Chriſtianorum, Peruſiae repertus, ex muſeo Albano depromptus, & Commentario illuſtratus* = In Praefatione pag. XVII. = Agmen claudunt aliae Sacrae literaturae antiſtites Cornelius Margarinus, Joannes Bona, Henricus Noris, Angelus a Nuce, Chriſtianus Lupus, & Joſephus Maria Thomaſius. At qualia, quantaque nomina! Horum aliquos ſua virtus poſtea ad ampliſſimas dignitates evexit.

Et in Commentar. Cap. XVI. pag. 47. Confer aureum Gelaſianum Codicem Sacramentorum Romanae Eccleſiae lib. 3. pag. 197. cujus editionem debemus Venerabili Viro Joſepho Mariae Thomaſio S.R.E. Tituli Equitii Presbytero Cardinali, ob antiquam pietatem penitioremque rerum eccleſiaſticarum ſcientiam ſummis laudibus praedicando: cujus inclyto nomini Doctorum & proborum Chorus aſſurgit univerſus: mihique illud repetere jucundiſſimum eſt, plures annos ſtricta tanti viri neceſſitudine uſo.

Idem in Diſſertatione *de S. Petro Urſeolo Duce Venetorum* = Capite XIX. pag. 64. = De hoc ritu Gothorum Hiſpaniae, in Gallia Narbonenſi olim florente, conſulenda una atque altera inſignis Praefatio illuſtrium doctrina Virorum Venerabilis Cardinalis Joſephi Mariae Thomaſii ad Codices Sacramentorum, ac Theodorici Ruinartii ad Acta Martyrum pag. V. ſecundae Editionis.

Idem Archiepiſcopus in Commentario *de Sancta Columba Virgine Sacra Aquilejenſi* Cap. X. pag. 32. = Ma più diſtintamente il tutto ſi ſpiega nell'aureo Codice Galaſiano, rammentato dagli antichi Scrittori, e poi con immortal beneficio degli Studioſi di queſte Sacre Materie divulgato dal Cardinale Giuſeppe Maria Tommaſi, degnamente *Venerabile* per la ſua gran pietà non meno chè per la profonda dottrina Eccleſiaſtica, onde ebbe piena la lingua e il petto.

Theodoricus Ruinartius in Vita Joannis Mabillonii Ord. S. Benedicti Congregationis S. Mauri Cap. XXII. pag. 52. edition. 2. Patavii = Pari quoque honore eum non ita poſt dignatus eſt ſpectatae apud omnes doctrinae & pietatis Thomaſius Clericorum Regularium Sodalitii Presbyter, incredibili bonorum omnium plauſu ac gratulatione renunciatus S. Romanae Eccleſiae Cardinalis; nec minori omnium moerore, tutiuſque reipublicae cum Eccleſiaſticae tum literariae jactura, nuperrime nobis ereptus, cum ſuum ipſi de Theologicis Veterum Patrum Inſtitutionibus Indiculum Romae anno MDCCI. editum inſcripſit.

Et Cap. XXXVII. pag. 8. = Taceo Thomaſium eximia pietate perinde ac ſacris Operibus nemini non notum, clariſſimoſque Sluſium, Fabrettum, Blanchinum, Ciampinum, alioſque, dum Romae verſatus eſt, amiciſſimos viros.

Antonius Mongitori in Bibliotheca Sicula pag. 390. verbo: Joſeph Maria de Thomaſiis = Praeclara morum indole, & ingenii acumine apprime inſtructus, graviores didicit diſciplinas, ac doctiſſimus Philoſophus ac Theologus efformatus, mirifice inclaruit. Antiquitatis ſtudia complexus in perſcrutandis ſacrae vetuſtatis archivis uberrima eruditione locupletatus eſt, & ad eruenda antiquae Eccleſiae monumenta tenebris obſita operam navavit egregiam. Ideoque in eo ſtudiorum genere ſolertiſſimus, magnum ſibi nomen adeptus; in literato orbe longe lateque refulget. Graecis, Latiniſque literis virtutum ſtudia addidit, & ad abſolutiſſimum regularis perfectionis faſtigium

 aſcen-

ascendere curavit, ut virum Religiosum decet. Nunc Romae Vir sane egregius floret, & inter Sac. Congregationis Indicis Consultores adscriptus doctrinae praestantiam in Ecclesiae bonum detegit, ac tum Praesulibus Dynastis, & S. R. E. Cardinalibus gratissimus, tum etiam a viris doctissimis veneratus, omnium existimatione insigniter promeretur.

Petrus Pollidorus lib.4. de Vita & Rebus gestis Clementis Papae XI. §.XXX. pag.273. = Laetitiam uberem, quam de valido Catholicae Religioni adjecto praesidio Clemens coeperat, turbasse visa sunt multiplicia funera, quibus paucos intra menses plures lectissimi Romanae Ecclesiae Cardinales sunt elati. Dissimulare profecto non potuit acerbiorem caeteris sibi accidisse jacturam Doctissimi ac Religiosissimi Josephi Mariae de Thomasiis: quem postrema nocte cedentis anni (1712.) vita functum, non aliter quam verum sanctioris disciplinae veteris exemplar, quod in ejus moribus & doctrina elucebat, suspicere consuevit; laudavitque mortuum.

Laudant praeterea Cardinalem Josephum Mariam Thomasium Scriptores sequentes.

Franciscus Maria Mogius de Sacris Ceremoniis Tom. 1. Opuscul. 1. disquisition. 6. pag.38. Disquisit. 12. pag. 89.& Opuscul. 4. pag. 332.Tom. 2. disquisit. 24. pag. 467. & in Carmelo Mariano Benefic. 12. §. 9. pag. 301.

Josephus Mansi Congreg. Orat. Rom. Presbyter in lib. cui tit. *Il vero Ecclesiastico* editionis Octavæ auctæ lib. 5. Cap. 5. pag. 692.

Michael de Judice in notis ad descriptionem Ecclesiæ Montis Regalis Aloysii Lelli parte 1. pag. 60. & 75.

Joannes Ciampinus de perpetuo Azimorum usu, & in Opusculo de Cruce Stationali.
& in Opusculo de vocis correctione in Sermone VII. S. Leonis Rom. Pontificis &c.

Jo. Mabillonius in libris de Liturgia Gallicana.

Philippus Bonannus e Soc. Jesu in Numismatibus Pontificiis Tom. 1. ubi agit de Alexandro Papa VI. num. 3. pag. 118.

Re-

REverendissimi P. Nicolai Rodulphi Magistri Sacri Palatii Apostolici obsequuturus mandato, Volumen inscriptum: *Ven. Viri Josephi Mariæ S. Rom. Ecclesiæ Presb. Card. Thomasii Opera omnia &c.* libenter legi; publicaque luce dignum censui. Quotquot enim complectitur Ecclesiasticæ Antiquitatis Monimenta, Veteres Sacrorum Rituum formulas, & Disciplinam exhibent puris, nec uno nomine venerandis derivatam fontibus. Eadem Vir Clarissimus Joseph Blanchinus, qua opportunè adjectis aliorum doctissimorum Virorum Commentariis, qua eruditis Præfationibus, & notis suis sic illustrat, ut non modo Catholicæ Religioni hac item in parte consulat, verùm etiam Literariæ Reipublicæ utilitatem afferat, paretque pietati non vulgare præsidium. Auget operi pretium Venerabilis S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis Joseph Maria Thomasius, cujus spectata vitæ sanctimonia, & insignis eruditio præcipua omnium praedicatione meritò celebratur.

Romę Idibus Sextilis, anno Domini MDCCXLI.

Petrus Pollidorus.

JUssis obtemperans Reverendissimi P. Nicolai Rodulphi Ord. Prædicatorum S.P. Apostolici Magistri, sedulo inspexi Volumen in duas partes divisum, quod complectitur complura Opuscula ad S. Liturgiam spectantia, partim vulgata, partim anecdota; præfertque titulum: *Ven. Viri Josephi Mariæ S. R. E. Presb. Card. Thomasii Opera omnia &c.* quæ nimirum iisdem Opusculis illustrantur, studio, curaque P. Josephi Blanchini Veronensis Presbyteri Congreg. Oratorii Romani: Viri scilicet clarissimi, & juxta id genus rerum collectoris præstantissimi, necnon optimi Interpretis monumentorum veterum; ut patet ex selectis observationibus toto in hoc volumine occurrentibus, siqui æstimaturi eas diligenter perlustrent, atque expendant. Quare Opus nec Catholicæ veritati, nec probis Christianisque moribus adversans; nec quicquam comprehendens, quod Sacrosancta nostræ Catholicæ Fidei Mysteria non tueatur atque illustret, maxime dignum censeo, quod publicæ lucis fiat ad communem Cleri utilitatem, nisi secus videatur eidem Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici. Dabam ex ædibus meis XVII. Kalendas Julias anno MDCCXLI.

Cajetanus Cennius.

PRO commissione mihi quidem gratissima Reverendissimi Patris Nicolai Rodulfi, Sacri Palatii Apostolici Magistri, inspexi quàm accuratè tam profectò jucundissimè Librum in duas Partes distributum, cui est Titulus: *Ven. Viri Josephi Mariæ S. R. E. Presbyteri Cardin. Thomasii Opera omnia &c.* atque in eo non solùm nil reperi aut Catholicæ Fidei, aut bonis moribus, disciplinæque Ecclesiasticæ dissonum adversumve, sed potius omnia Christianam pietatem redolentia, ac excitantia magnopere. Præsefert enim Ecclesiasticę Liturgiæ plurima, quà olim vulgata a laudato Cardinali, rerum hujusmodi studiosissimo, ac æquo doctoque æstimatore, quà inedita hactenus monumenta, cum doctis admodum, accuratisque notis Cl. & de literatis optimè meriti, Josephi Blanchini Veronensis, Congreg. Orat. Romani Presbyteri; ex quibus omnibus & sacræ antiquitatis studiosi quamplurima investigare queant, & Ecclesiastici homines divinorum Officiorum dignitatem, sacrosque eorum ritus perspectos magis magisque habere. Multæ igitur utilitatis, multæque religionis librum, ut publicus fiat, dignum censeo.

Romæ ex Hospitio Apostolico Sancti Michaelis ad Ripam, die 18. Junii MDCCXLI.

Joannes Chrysostomus a S. Joseph Scholarum Piarum.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Phil. Spada Archiep. Theodosiæ Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apost. Magister.

INDEX
RERUM,
Quæ in Prima, & Altera Parte hujus Tomi continentur.

(a) Ex Breviario Mozarabico Toletano, aliisque Libellis Orationum excerptis; quibus Codex Veronensis Antiquissimi Ritus Hispani in hac Editione praefatur.

LITURGIA
MOZARABICA
TRACTATUS
HISTORICO-CHRONOLOGICUS
DE

Liturgia antiqua Hiſpanica, Gothica, Iſidoriana, Mozarabica, Toletana, Mixta;

QUAM EX HISPANIÆ CONCILIIS,

Romanorum Pontificum geſtis, Regum Hiſpanorum diplomatibus, aliiſque, ad præſens inſtitutum repertis documentis

COLLEGIT, DIGESSIT, ET ILLUSTRAVIT

JOANNES PINIUS

Societatis Jeſu Theologus.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



TER nostrum Hispanicum pro Actis Sanctorum anno 1721 susceptum, elaborando huic Tractatui occasionem præbuit. Etenim post lustratas à Majoribus nostris Henschenio, Papebrochio, Baertio, ac Janningo, Italiam, Galliam ac Germaniam; visum fuit ad Opus nostrum conducere, si, quam nemo nostrum hactenus tentarat, excursio Hispanica à nobis institueretur; eo ad rem, quam præ manibus habemus, operæ pretio, ut dum Toleti essemus, nonnulla ibidem reperta fuerint, quæ ad liturgiam Hispanicam, sub Mozarabum nomine etiamnum ibi usitatam, spectare potissimum posse videbantur; tametsi minimè tunc sufficientia, ut integer ex illis, satisque instructus, ac prælo dignus, qualem eum nunc esse confidimus, Tractatus conficeretur. Jacta itaque quædam ejusdem fuere semina; quibus copiosior aliunde notitiarum messis accrevit, ex variis Hispaniæ conciliis, Romanorum Pontificum gestis, aliisque, quæ undequaque corradere potuimus, documentis; partim ex aliorum auctorum pervestigatione haustis, partim ex Hispania post reditum in Belgium submissis. Sic itaque se habuere hujus Tractatus initia & incrementa.

Ea verò, quæ circa liturgiam istam quatuor primis Christi seculis & ulterius, de singularibus ejusdem partibus quæri possunt, incerta prorsus fatemur, atque obscura esse; uti videre est ex illis, quæ cap. 1 super hoc argumento deducimus; propositâ eruditis lectoribus controversiâ, quæ eò redit, an satis solidè probari possit, quod codex aliquis liturgicus integer, ad usum particularis ecclesiæ sive in Oriente, sive in Occidente, scripto exaratus exstiterit; integer, inquam, atque ita digestus, auctus, concinnatus, ut totius sacræ œconomiæ modum, ordinem, cæremonias, ac preces singillatim ac determinate recenseret. Allata sunt varia tam sententiæ id negantis, quam affirmantis argumenta: sed quamquam me propendere potius in illam, quam in hanc insinuem; cupio tamen, ut quæstio illa eo habeatur loco, ut non tam à me certò decisa, quam eruditorum judicio tantisper proposita, eorumque calculis probanda vel improbanda censeatur. Et erit fortasse ex illis quispiam, qui arrepta inde occasione, controversiam istam secundis curis examinet, pleniùs tractet, meliusque ac certiùs aliquid me doceat. Quod si fiat, applaudam & gratulabor. *Non enim vincimur, quando afferuntur nobis meliora, sed instruimur*, aiebat S. Cyprianus in epistola ad Quintum.

Videbimus porro liturgiæ antiquæ Hispanicæ, anterioribus seculis circa determinatas, proprias ac singulares sui partes adeo nobis incompertæ, novam lucem affundi seculo VII, ex decretis omnium Hispaniæ conciliorum celeberrimi quarti Toletani; præside S. Isidoro, Hispalensi antistite; qui de sacra liturgia cumulatissimè meritus est, aliis quoque post ipsum sanctis viris suam pio huic labori symbolam conferentibus. Videbimus eam deinde sub barbaro Saracenorum jugo gemere, humanæque vicissitudinis scenam subire; ad hæc ex corruptione quorumdam exemplarium accusatam, at deinde comprobatam; seculo autem XI, recuperato ab Alphonso VI. Toleto, extrema passam, & abrogatam, non tamen penitus exstinctam. Videbimus denique sequentibus seculis varia à regibus Hispaniæ indulta Mozarabibus diplomata; quorum antiquum Officium sacrum ne in tantam desuetudinem veniret, ut ab interitu parum abesse videretur, seculo tandem XVI

ineunte novum à magno Francisco Ximenio, archiepiscopo Toletano, & S. R. E. Cardinale splendorem accepit, ad perpetuitatem utique temporis cum Sedis Apostolicæ consensu à Viro illo immortalitatis famâ dignissimo fundatum ac stabilitum. Quæ omnia hîc in compendio exhibita, pluribus dabuntur suis locis.

Ne verò mireris, lector, liturgiam hanc adeo varia ac multiplici nominum coacervatione à nobis indigitari: res enim illa sese evolvet per decursum; nam pro varia ratione temporum aliud ex alio hæc liturgia nomen induit. Observari etiam abs te cupio, Tractatum hunc, si alicui præfigendus erat de Actis Sanctorum tomo, non incongruè præfigi tomo huic Julii mensis sexto; cum in eo illustrentur Acta S. Jacobi Majoris, primi utique ecclesiæ Hispanicæ fundatoris, atque adeo primos inter rituum sacrorum ibidem adjutores, ministros ac propagatores, designatoris, &, quantum quidem per commorationis apud istam gentem tempus licuit, propagatoris gloriosum etiam nomen meriti; juxta ea, quæ tum cap. 1, § 1 dicemus; tum quæ de ipsius ad Hispanos adventu, adeo diu multumque inter eruditos disputato, in hoc præsenti tomo in favorem eorum probabilius decisa reperies.

Interim non dissimulamus, varia apud varios auctores circa Officium sacrum, de quo dicere aggredimur, excusa reperiri; nam ut nihil dicamus de Francisco Pisa, Eugenio Roblesio, Emis Joanne Bona, & Josepho Aguirrio; item ut non memoremus Joannem Mabillonium, atque Edmundum Martenium, de quibus redibit per decursum sermo; Petrus Brunus in suo Gallico opere, postea à nobis memorando, non segnem operam huc contulit, quando res gestas in antiqua liturgia Hispanica ac Mozarabica historico-chronologicè deduxit, Ordinem Missæ Mozarabicæ observationibus explanavit ac cum antiqua liturgia Gallicana contulit. At nemo omnium, quos ego quidem viderim, illud argumentum plenè tractavit hactenus, ea videlicet plenitudinis ubertate, qualem nos post illos comparare conati sumus: nam diplomata varia, aliaque documenta Tractatui nostro inserimus, quæ apud laudatos auctores frustra inquiras, allaborantibus viris illis Hispanis, quorum, ubi res feret, veneranda nobis memoria recurret.

Tametsi verò non segni opera colligere conati simus, quidquid ad plenam rerum liturgicarum, de quibus agimus, notitiam maximè conducere putavimus, tantum tamen nobis polliceri non audemus, ut in animum inducamus, Tractatum hunc pari ab omnibus approbatione, pari aviditate ac gustu lectum iri: ea namque hujus argumenti, ea aliorum rituum antiquorum investigationis est conditio, ut, spectatâ illorum naturâ, non pauca se offerant, quæ instruant potiùs quàm delectent; unde fiat, ut quia sunt jejuna, tetrica etiam ea esse, necesse sit, atque adeo illis dumtaxat grata potissimum, qui hujusmodi rerum studio rapiuntur; quibus conatus hosce meos non omnino displicituros confido; in quorum præsertim numero ponimus eruditos Hispanos, ad quos Tractatus præsens, tamquam rei avitæ eis olim, domesticæ ac propriæ; nunc verò tamquam nomine, atque usu unicè singularis, imprimis spectat. Atque hæc sunt, de quibus te, Lector, præmonendum censui. Tu interim, quidquid hujus sit Tractatus, æqui bonique id consule.

TRA-

A

TRACTATUS
HISTORICO-CHRONOLOGICUS,

D E

LITURGIA ANTIQUA HISPANICA, GOTHICA, ISIDORIANA, MOZARABICA, TOLETANA, MIXTA.

CAPUT I.

Origo liturgiæ Hiſpanicæ; qualis ea fuerit quatuor primis æræ Chriſtianæ ſeculis.

B

§. I.

E

Status quæſtionis; origo liturgiæ Hiſpanicæ S.Petrus Apoſtolus; alii in hac re ipſius adjutores.



QUANDO primùm, diviſis toto orbe Apoſtolis, novæ legis præconibus, in omnem terram exire cœpit doctrinæ evangelicæ ſonus, & longè latéque quaquaverſum propagari; præter ſacrum Chriſtianæ fidei depoſitum, quod cuilibet ex illis ſeorſim atque omnibus ſimul ſub Petro eorum principe ac præſide, concreditum erat, varia alia in ſuam quiſque, quò deſtinabatur, provinciam ſecum detulit, ad novæ Eccleſiæ œconomiam neceſſaria, atque ad credentium inſtitutionem utilitatemque prorſus accommodata; quæ Spiritu ſancto dictante, Chriſto docente, ac per os Petri utroque loquente, didicerat. Id cum in aliis pluribus, ad naſcentis Eccleſiæ propagationem, conſervationem, incolumitatemque conducentibus, tum præcipuè locum habuit in liturgia ſacra, ſeu in ordinata auguſtiſſimi novæ Legis Sacrificii adminiſtratione; circa quam, quatenus Hiſpaniam ſpectat, præſentis collimat tractatus præliminaris argumentum. Non agitur autem hic de ſubſtantia & eſſentia, ut loquuntur Theologi, quibus illud Sacrificium intrinſecè atque ex vi primævæ ſuæ inſtitutionis conſtat & perficitur: quippe cum illud ſit eatenus juris divini, ſemper ab initio idem, ſemper idem deinceps, ſemper denique unum idemque ad noſtra uſque tempora perſeveravit, ac perſeverare porro perget uſque ad conſummationem ſeculi.

Res liturgica ab Apoſtolis quaquaverſum propagata

C

2 Id quod nitidè expreſſit Wilhelmus Lindanus, qui è Sirleti Ms. Græco liturgiam ſub nomine S.Petri, latinè vertit, edidit, notis illuſtravit, & apologetico defendere conatus eſt; quando in rem noſtram à pag. 70. ſic enuntiat: *Ipſum Chriſtiani ſacrificii nucleum enim ſi ſtudio Chriſtianæ pietatis inveſtiges, ac ſedulo quæras; agnoſces formulam ſacrificalem, & Romanam D. Petri, & Jeroſolymitanam D.Jacobi, Byzantinam ſive C'Politanam D.Andreæ, Epheſinam D. Joannis, Alexandrinam D. Marci, Mediolanenſem D. Barnabæ, & Indianam D.Thomæ prorſus conſentire; atque tamquam ab illo uno veritatis magiſtro Spiritu ſancto editam omnino conſpirare, eamdemque omnibus vocem ſonare, quod quidem ad ipſam rei ſubſtantiam attinet, ſive ad rem oblatam, & ad effectum ſacrificii, aliaque conſ.ntanea.* Non itaque de prima ac neceſſaria hujus divini Holocauſti forma, ſubſtantia, &, ut ita loquar, natura hic agitur, de quibus Catholicos inter omnes convenit; ſed agitur de quibuſdam partibus, quæ primæ ejuſdem inſtitutioni poſtmodum accidérunt, quæque proinde, ſalvâ rei ſubſtantiâ, adeſſe & abeſſe poſſunt.

conveniunt ubique in ſubſtantialibus;

F

3 Hujuſmodi ſunt, externi quidam ritus ac cæremoniæ, preces plures vel pauciores, earumque compoſitio, diſpoſitio item, numerus & ordo. Adde hymnos, tractus, antiphonas, lectiones, pſalmos, & quæ ſunt generis ejuſdem: & quamvis illa omnia, vel ex omnibus ſaltem aliqua, initio prædicationis evangelicæ, uti ego quidem cenſeo, magna cum moderatione fuerint adhibita, ut nec longa admodum eſſent, nec alia ab aliis omnino diverſa, quamquam in diverſis regionibus recitarentur; lapſu tamen temporis varias ſenſim ſine ſenſu œconomia liturgica induit mutationes, additioneſque accepit, viris illorum temporum apoſtolicis, ſive eccleſiarum particularium moderatoribus epiſcopis, in conciliis, aut extra illa, pro ſuo quibuſque in res ſacras ſtudio in illud incumbentibus, ut auguſtiſſimum hoc, & omnium, quæ fuerunt ſub ſole, digniſſimum longè ſacrificium & pro ſua tremenda majeſtate ritè & decenter, & pro aſſiſtentium fidelium utilitate & reverentia ſalubriter perageretur.

In accidentalibus autem differunt.

4 Juvat

A

De quare scribit S. Gregorius Magnus.

4 Juvat itaque hic meminisse, quidnam S. Gregorius Magnus responderit S. Augustino, Anglorum apostolo, qui inter alias interrogationes apud Labbeum tom. 5. Conciliorum col. 1568, ex illo Sanctissimo Pontifice sic quærit. *Cur, cum una sit fides, sunt ecclesiarum consuetudines tam diversæ, & altera consuetudo Missarum est in Romana ecclesia, atque altera in Galliarum ecclesiis tenetur?* Cui rectè Gregorius: *Novit fraternitas tua Romanæ ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut, sive in sancta Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet ecclesia, aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, & hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.* Consuli etiam potest laudati summi Pontificis epistola 64, libri 7 ad Joannem episcopum Syracusanum data, quæ habetur loco citato à col. 1347.

Varia proponuntur circa primigeniam liturgiam Hispanicam:

B

5 Sic itaque se habuere rerum liturgicarum exordia; sic paulatim cum tempore accreverunt ac variaverunt earum progressus: quod, quemadmodum in Hispania contigerit, inspiciamus. Rem aggrediamur à tribus punctis, quæ potissimum ante alia omnia hic quæri possunt. 1. A quo videlicet suam primo liturgiam acceperint Hispani seculo æræ Christianæ primo. 2. Qualis ea tunc & tribus sequentibus seculis fuerit. 3. An denique quatuor primis seculis aliqua litteris exarata, & in unum collecta volumen extiterit. Circa primum quæstionum propositarum punctum, ista colligere potui, quæ subnecto.

cujus origo fuit S. Petrus;

6 *Ordo autem Missæ*, inquit S. Isidorus, Hispalensis episcopus, de ecclesiasticis officiis lib. 1, cap. 15, *vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primùm à S. Petro est institutus.* Quod ibidem additur, *cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis*; Cardinalis Bona Rerum liturgicarum lib. 1, cap. 7, pag. 83, *Hoc de re & substantia, non de verborum tenore ac cæremoniis intelligendum esse*, rectè observat, & sequitur ex dictis. Suam itaque liturgiam, teste S. Isidoro, Hispani ab Apostolorum Principe acceperunt; idque vel immediatè, siquidem in Hispania prædicarit, prout vult noster Gaspar Sanctius tractatu 4 de Prædicatione sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Hispania, cap. 2; vel mediatè, quatenus alii Hispanis circa illam tradiderunt, quod à Petro acceperant. Operam quoque suam fortasse eò contulerit S. Paulus, sive ordinem istius liturgiæ tradendo ac promovendo per se, idque in illorum sententia, qui tenent, Doctorem gentium in Hispania fuisse; inter quos est laudatus Sanctius, qui illud ex sanctis Patribus probat ibidem cap. 1 (de qua etiam re videri possunt ea, quæ occasione prædicationis S. Jacobi Majoris dicta sunt in hoc tomo ad diem xxv Julii pag. 94) sive per alios illuc mittendo, quod didicerat à S. Petro.

C

fortè etiam juvit S. Paulus;

7 Ut ut est, assertio ista commodè combinatur cum verbis S. Pauli ad Rom. cap. 15, ℣. 24, ubi sic loquitur: *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc.* Et ℣. 28. *Per vos proficiscar in Hispaniam.* Hispanos itaque animo complectebatur Apostolus; ut mirum non sit, si dicamus, quod studium suum ipsis navarit in sacra liturgia; præsertim cum S. Clemens, S. Petri in cathedra Romana successor, & à S. Paulo ad Philipp. cap. 4, ℣. 3 honorificè nominatus, de eo scribat in epistola sua prima ad Corinthios pag. 12 novissimæ editionis Epistolarum Romanorum Pontificum (ἐπὶ) τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, *Cum.. ad occidentis terminum venisset*; quæ locutio tametsi disertè Hispaniam non exprimat; congruè tamen eidem aptari potest; sed quocumque modo tam verba hæc ultima, quam superiora testimonia intellexeris, parum interest: illud manet, quod prima Hispanicæ liturgiæ vestigia ad cathedram Romanam, atque adeo ad S. Petrum sint referenda.

D

faventibus huic sententiæ SS. Innocentio PP. I, & Gregorio VII.

E

8 Audiatur S. Innocentius PP. I in epistola 1, quæ est ad Decentium, episcopum Eugubinum, tom. 2 Concilior. apud Labbeum col. 1245 ita scribens: *Manifestum est, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint sacerdotes.* Eòdem itaque spectat institutio liturgiæ Hispanicæ, quò spectat institutio ecclesiarum & plantatio Catholicæ fidei in Hispania, ad cathedram utique Romanam S. Petri. S. Gregorius PP. VII lib. 1 epistola 64 ad Alphonsum & Sancium Hispaniæ reges, quæ habetur apud Labbeum tom. 10, col. 53, rem sic declarat; *Cum beatus apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos à Petro & Paulo apostolis directos fuisse, qui destructâ idololatriâ christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem & officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, & sanguine suo ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret.*

Enumerantur alii adjutores

F

9 De illis fidei in Hispania præconibus jam pridem nos tractavimus ad diem xv Maii, quo inscribuntur Martyrologio Romano. Prudentius de Sandoval in libro de Fundationibus monasteriorum S. Benedicti, Hispanicè edito, part. 1, fol. 8 verso testatur, in libro quodam Ms. Conciliorum, in Hispania celebratorum, qui spectabat ad monasterium S. Æmiliani, quique ad Scorialense delatus fuerit anno 1598, haberi sequentia, sub hoc titulo: *De Missa Apostolica in Hispaniam ducta, Julianus & Felix.* Tum sequitur: *Igitur cum apud urbem Romam beatissimi confessores Torcatus, Tisefon, Indalecius, Secundus, Eufrasius, Cecilius, & Isicius, à sanctis apostolis Petro & Paulo sacerdotium suscepissent, & ad tradendam Hispaniæ Catholicam fidem, quæ adhuc gentili errore detenta, idolorum superstitione pollebat, profecti fuissent divino gubernaculo comitante, & ad civitatem Accitanam se utrique converterent: deinde non mente segregantes, nec fide; sed pro dispensanda Dei gratia per diversas urbes dividuntur: Torcatus Acci, Tisefon Bergii, Esicius Carcesa, Indalecius Urci, Secundus Abula, Eufrasius Eliturgi, Cecilius Eliberri.*

in liturgia sacra apud Hispanos propaganda.

10 *In quibus urbibus commorantes cœperunt de initio vitæ immortalis prædicare; sicque factum est, ut dum famuli Dei cælestia dona impertiunt, magnum sua ecclesia credentium*

tium

A *tium fructum acquirunt: atque ita, sicut ab Apostolis Missam, doctrinamque acceperunt, per Hispaniam ordinatis episcopis, supradictis urbibus tradiderunt. Et sic crevit fides Catholica paulisper, donec de orthodoxis & Catholicis viris fuit illustrata; id est Fulgentio, Petro, Leandro, Isidoro, Ildefonso, Fructuoso, Juliano. Ab illis exemplum tenuerunt, & nobis reliquerunt. Æra* DCCCCLXV; id est anno Christi 927. Ab ecclesia igitur Romana, cui præsidebat S. Petrus, ordinem & modum liturgicum accepit Hispania, adjutoribus illis, ministris se propagatoribus, quos jam memoravi; è quorum numero nequaquam volo excludi S. Jacobum Majorem, Hispanorum Apostolum. Etenim cum is in Hispania prædicarit, juxta illa, quæ operosè discussa reperies ad diem XXV hujus mensis, ubi intricatissimam & diu multumque agitatam de ejusdem in Hispaniam adventu controversiam in favorem Hispanorum decidimus; sequitur, ut Apostolus ille sacros liturgiæ ritus ibidem designarit; imo etiam, quantum per commorationis tempus licuit, tradiderit & confirmarit id, quod circa rem præsentem à S. Petro acceperat.

§. II.

Obscura prorsus atque incerta sunt, quæ quatuor primis Christi seculis, cum de aliis liturgiis tum de Hispanica inquiruntur.

B *Liturgia totius ... qualis fuerit Sec. I,*

EXpedito, quantum in me fuit, primo propositæ quæstionis puncto, delabor ad secundum, quo dispiciendum susceperam, qualia fuerit Hispanica liturgia quatuor primis æræ Christianæ seculis. Quæstio enimvero perobscura & difficilis! Nam quibus verbis, quo ordine, quo principio & fine, quibus externis ritibus ac cæremoniis, quibus precandi formulis, (ut de ministris & duratione temporis nihil dicam) sacra ista liturgia constiterit, quisnam edisserat? Quod Christus dominus benedictionem, & gratiarum actionem adhibuerit in consecratione & institutione sanctissimi sui Sacramenti, tradunt disertis verbis Evangelistæ; sed quæ orandi forma usus fuerit, dum benediceret & gratias ageret; hactenus non didici vel ex sancti Evangelii scriptoribus, vel ex aliis, qui Spiritu sancto inspirante locuti sunt, novi Testamenti auctoribus sacris. Neque satis apparet, quod Apostoli scripto consignarint jam tum ab Ecclesiæ primordiis omnem precum formam, modum ac numerum; aut quod omnes ordinarint externos ritus, qui omni tempore ac loco illud divinum Sacrificium deberent comitari. Ecce itaque nos C in tenebris plus quam Cymmeriis hîc positos, sine luce palpantes, atque sine duce aut viæ præmonstratore incedentes, qui obsoleta primævæ liturgiæ vestigia nobis ostendat.

nec constat ex S. Paulo Ap.;

12 *Laudo .. vos fratres*, ait Doctor gentium 1 ad Corinth. cap. 11, ℣. 2, *quod .. sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et ibidem ℣. 23: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis* &c. Et ℣. 34: *Cætera*, inquit, *cum venero, disponam.* Denique cap. 14, ℣. 40: *Omnia .. honestè & secundum ordinem fiant.* Similem absque dubio procedendi modum in suis quique ecclesiis, quas fundarunt, alii tenuere Apostoli: sed quidquid S. Paulus *tradidit*, quæcumque *præcepta* dedit, quidquid disposuit & quo modo; quem demum in omnibus *ordinem* præscripsit, litteris id exaratum ubi reliquit, ut à posteris legi posset? Tradiderunt itaque viva voce tam ipse, quam reliqui Apostoli, quidnam in celebranda divina liturgia observatum vellent: neque novi, aliquod indicium exstare, unde sciri queat, quod illud vel scripserint umquam per se, vel scribi per alios jusserint. Quod si à primo æræ Christianæ seculo progrediamur ad secundum, nihilo fere plus lucis se nobis offeret. Tunc quippe floruit S. Justinus Philosophus martyr (quem dedimus tom. 2 Aprilis, à pag. 104) Is itaque in Apologia 2, tom. 2 Bibliothecæ Patrum anno 1618 Coloniæ edita, pag. 51, *Sub finem precum*, inquit, *nos inter nos osculo salutamus; deinde ei, qui præpositus est fratribus, panis offertur, & poculum aqua & vino temperatum, quæ cum accepit, laudem & gloriam omnium parenti, Filii Spiritusque sancti nomine tribuit:*

Sec. I, II, III, IV.

13 *Gratiasque diu agit, quod ab eo his dignus sit habitus: quibus rite perfectis, precibus & gratiarum actioni, populus omnis, qui adest; benedicit, dicens: Amen ... Posteaquam & is qui præest, gratias egit, & populus omnis benedixit; ii, qui apud nos diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui absunt, perferunt. Atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur, qua nemini alii participare licet, nisi ei, qui & vera esse credit, quæ nos dicimus, & expiatus est lavacro, quod in remissionem peccatorum, regenerationemque datur; & ita vivit, ut Christus tradidit. Neque nimirum hunc communem usitatumque panem, usitatamque potionem capimus, sed quemadmodum per Dei Verbum homo factus Jesus Christus conservator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: sed etiam cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, & quo sanguis carnesque nostræ communione aluntur, Jesu Christi ejus, qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse accepimus* ex Evangeliis, quorum verba profert. Et paulo pòst ita pergit: *Die, qui solis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur, unum in locum conveniunt, commentariaque Apostolorum vel Prophetarum scripta leguntur, quamdiu hora patitur.*

nec ex S. Justino

E

14 *Deinde ubi is, qui legit, destitit; is, qui præest, admonet & hortatur, ut ea, quæ lecta sunt, bona imitemur: tum surgimus omnes, ac comprecamur, conclusisque nostris precibus, panis, jam ut dixi, vinumque & aqua offeruntur; tumque is, qui primum locum tenet, eadem modo preces gratiarumque actionem pro virili mittit, populusque benedicit, dicens, Amen, & iis, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, unusquisque participat, eademque ad eos, qui absunt, diaconis dantur perferenda.* Talem sanctissimus Martyr iste Antonino Pio imperatori, nec non senatui populoque Romano, ad quos apologia illa dirigitur, sacræ Christianorum liturgiæ reddebat rationem, pro suo tunc instituto sufficientem; quamquam pro nostro, non satis in individuo determinatam; nam inde quidem habemus, quod fusæ fuerint *preces*, *laus*

Seculo 2;

F

Sec. I, II, III, IV, *laus & gloria* Deo *reddita*, adhibitæ *lectiones Apostolorum vel Prophetarum* &c. Sed quibus verbis, ordine ac modo omnia & singula constarent, inde non discimus.

nec ex S. Irenæo sec. 3; 15 Sanctus Irenæus, qui S. Polycarpum, S. Joannis Evangelistæ discipulum, audiit, & seculo III ineunte martyrii laureâ fuit coronatus, (de quo agitur apud nos tom. V Junii à pag. 335) Adversus hæreses lib. 4, cap. 32 agens de Eucharistia, quam Christus instituit, *Novi*, inquit, *Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo affert Deo*. E quibus nihil elicere datur præter ideam quamdam indefinitam sacrosanctæ hujus oblationis, & ab adjunctis individuis abstractam. Tertullianus, qui seculo item tertio ineunte vixit, valdè etiam indeterminatè scripsit in rem nostram. Quippe ex ejus verbis, in libro de Corona militis quæ habet, cap. 3: *Eucharistiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*; item ex iis, quæ habet in Apologetico cap. 39: *Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis*; nihil concludes singulare, ac determinatum, ex quo tota liturgiæ œconomia intelligatur.

B

nec ex S. Epiphanio sec. 4 neque scitur, 16 Seculo IV occurrit S. Epiphanius, qui hæresi 79, num. 3 tradit ista: *Petrus & Andreas, Jacobus & Joannes, Philippus & Bartholomæus, Taddæus & Jacobus Alphæi, & Judas Jacobi & Simon Cananæus, & Matthias ad supplendum Duodecim suffectus; illi, inquam, omnes, & Apostoli delecti sunt, ac toto terrarum orbe sacrum Evangelii functionem administrarunt, cum Paulo, Barnaba, & ceteris: iidemque mysteriorum auctores, atque conditores fuerunt, unà cum Jacobo Domini fratre, primo Hierosolymorum episcopo*: tradit, inquam, ista; sed ex eo, quod Apostoli *mysteriorum*, id est illarum rerum, quæ mysteriorum substantiæ accidunt, secundùm dicta, *auctores atque conditores fuerunt*; ex eo, ut iterum hoc repetam, nobis non est perspectum, qualium rituum usum divinæ liturgiæ adjunxerint, & quousque auctoritas atque conditio, ut ita dicam, sese ista extenderit. Imo verò etiamsi Patres isti distinctius ac pressius sacros suæ liturgiæ ritus & preces definivissent, nondum tamen vel sic innotesceret status liturgiæ Hispanicæ primis quatuor Christi seculis usitatæ, de qua mihi hic sermo est. Interim nullum mihi dubium est, quin ea ibidem tunc non solùm exstiterit; sed propriis etiam quibusdam modis ac ritibus fuerit circumscripta. *Fundatæ ecclesiæ*, teste S. Irenæo lib. 1 cap. 3, *quæ in Hiberis sunt*: ac proin usitata ibidem in istis ecclesiis aliqua talis liturgia.

C

qualis tunc liturgia apud Hispanos fuerit. 17 Cardinalis Bona lib. 1, cap. 7 postquam dixisset, antiquam & immemorabilem traditionem esse, quod Missæ ordo à Petro apostolo traditus fuerit Romanæ Ecclesiæ, cui successores addiderint preces aliquot ac cæremonias, sic rectè statuit: *Ita enim fert rerum omnium conditio, ut initium suum habeant, sequatur incrementum, omnibus demum numeris perficiantur*. Mea igitur sic fert opinio, quod Hispanorum liturgia, sicut aliæ omnes, à parvis initiis paulatim cum decursu temporis accreverit, additis sensim sine sensu orationibus, ritibus ac cæremoniis, & quid ni etiam aliquot Sanctorum festis, cetërisque id genus adminiculis externi cultus, prout ferebant & locorum varietas, & ecclesiarum ratio, & adjuncta temporum vel locorum, & episcoporum denique propensior erga hunc potiùs quam erga illum Sanctum Martyrem colendum affectus. Sed quid, quantum, quo modo atque ordine id contigerit in Hispania quatuor primis, de quibus nunc quæritur, Christi seculis, definire, hoc opus, hic labor est. Nullam quoque satis patentem lucis desideratæ rimulam nobis aperit concilium Eliberitanum, è quo intelligitur, quod liturgia quidem aliqua tum temporis exstiterit in Hispania, sed qualis ea fuerit, non item.

D

Distincta ejusdem notitia ex concilio Eliberitano 18 Concilium itaque illud, ineunte seculo IV celebratum (adisis Aguirri Cardinalis Collectionem maximam conciliorum omnium Hispaniæ; in qua tom. 1, dissertatione 1 alias 16 inquirit tempus & annum, quibus illud concilium fuerit habitum) concilium, inquam, illud apud laudatum Cardinalem tom. 1, pag. 275 statuit capite XXIX: *Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur; hujus nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministret*. At quibus partibus cum illa oblatio, tum ministerium constiterint, unde extundes? Quibus si addas caput XXVIII, quo sancitur: *Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere*. Item caput XLIII: *Pravam institutionem emendari placuit juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes celebremus* *: *quod qui non fecerit, quasi novam hæresim induxisse notetur*; nihilo plus promoveris ad designandam vel œconomiæ liturgicæ totius, multo minus singularum ejusdem partium in individuo cognitionem, qualem apud Hispanos frustra hactenus investigamus.

E

* *al.* post Pascha celebremus

non eruitur. 19 Ne cuiquam porro mirum id videatur, in sententia præsertim illa, quæ censet, nullam liturgiam quatuor primis Christi seculis scripto exaratam ad posteros transiisse; sed sola viva voce traditam; adminiculante memoria exercitam, ac non interrupto usu propagatam, ubique gentium tunc perstitisse: ut mirum non sit juxta istam sententiam, adeo abstrusa esse omnia, quæ de singularum sacræ liturgiæ partium accidentalium notione quæri possunt. Tametsi autem controversia illa non sit adeo cum instituto meo connexa, quin ejusdem investigatione facilè supersedere queam; visum tamen fuit operæ pretium fore, si argumenta sententiæ, quæ liturgiam aliquam tum temporis scriptam extitisse negat; & oppositæ, quæ id affirmat, eruditis liturgiophilis exhiberem; eo, uti spero successu, ut ex ista mea degressione, pars aliqua laboris ad liturgiam Hispanicam transitura sit.

F

§. III.

An liturgia aliqua quatuor primis Christi seculis scripto exarata fuerit. Sentential negans.

Sententia negans probatur ex silentio antiquitatis, PRobandæ, quæ nunc præ manibus est, controversiæ subserviunt argumenta, quæ præ-

A præmissa fuere paragrapho præcedente, inde videlicet desumenda, quod admodum parcè ac jejunè, quin imo non nisi genericis fere terminis primorum quatuor Christi seculorum scriptores, quos ibidem produxi, de sacris liturgiæ mysteriis meminère: ut proinde omnes illos, quibus mira videbitur sententia negans, quique adeo ab ea dissentiunt, provocare ausim, ut vel unum unicum auctoris legitimi, ac fide digni, qui tunc vixerit, testimonium proferant, quo planè constet, ordinem quemdam liturgicum scripto exaratum & in ecclesia aliqua particulari usitatum fuisse, atque ita concinnatum, ut modum totius mysticæ œconomiæ, precesque à sacerdote recitandas, & peragendo Missæ sacrificio accommodatas singillatim ac determinatè recenseret. Tertullianus in libro de Corona militis cap 3 videtur indicare, ritus Sacramentorum, & modum ea administrandi, suo tempore cognita fuisse ex sola traditione non scripta: *Quærimus*, ait, *an & traditio non scripta non debeat recipi?... Denique ut à baptismate ingrediar, aquam adituri ibidem, sed & aliquanto priùs in ecclesia sub* B *antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus.*

21 *Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus. Exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.* Tum subdit, *Eucharistiæ Sacramentum* &c. quæ dedimus suprà num.15; & cap.4 sic pergit: *Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Si ergo scriptus tunc extitisset sacræ liturgiæ codex, cur ad traditionem non scriptam recurrisset Tertullianus, etiam tum, quando agebat de Eucharistia? Signum itaque est, quod præter solam traditionem non scriptam, nullum Tertullianus agnoverit liturgici ordinis instrumentum litteris exaratum, quod partes divino Sacrificio accidentes recenseret. Procedamus ad seculum III.

ex Tertulliano item

22 Si liturgicum aliquod exemplar characteribus scriptis efformatum tunc extitisset, enimverò S. Cyprianus auctoritate istius exemplaris fuisset usus, ut probaret; vino calicis Eucharistici consecrando admiscendam esse aquam.

ex S. Cypriano

C Tempore quippe S. Cypriani, inventos fuisse, qui vel ex ignorantia vel ex simplicitate offerebant in sacro calice solam aquam, non autem vinum aquâ mixtum, liquet ex ejus epistola 63 ad Cæcilium fratrem. Sive autem abusus iste irrepserit, quia in animum inducebant suum, quod esset indecorum, sumere vinum in antelucanis cœtibus; quò spectant S. Cypriani verba ibidem posita: *An illa sibi aliquis contemplatione blanditur, quod etsi manè aqua sola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus?* Sive metuerent, ne vini consecrati odor prodidisset eos gentilibus, tamquam jamjam reversos à sacrificio Jesu Christi, quod modo obtulerant; prout innuunt ibidem hæc verba: *Nisi in sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi.* Quidquid sit, quod isti abusui ansam dederit, parum id nostrâ interest; illud ad nos spectat, quod Sanctus iste Carthaginensis episcopus ibidem moneat, *ut ubique lex evangelica, & traditio Dominica servetur.*

23 Vinum fuisse in calice, quem Dominus noster consecravit atque Apostolis suis distribuit clarè ex Evangelio scimus; sed quod vinum illud aqua mixtum fuerit, ex traditione accepimus. Si verò tum temporis liturgia aliqua scripto expressa extitisset, ultimum hoc punctum decidere & stabilire Cyprianus potuisset testimonio decretorio, ex scripta ista liturgia deprompto; unde simul uni, simul alteri puncto non modica confirmationis vis accessisset; neque S. Cyprianus non potuisset illam liturgiam citare, tamquam primo obvium & irrefragabile pro aqua vino admiscenda, testimonium. Rem illustremus argumento à contrario. Patres concilii Quini-sexti, CPoli celebrati anno 706, (prout notatur in editione novissima Conciliorum apud Harduinum nostrum tom. 3 col. 1651.) canone 32. à col. 1671, *Quoniam*, inquiunt, *ad nostram cognitionem pervenit, quod in Armeniorum regione vinum tantùm in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes, qui incruentum Sacrificium peragunt, adducentes Ecclesiæ doctorem S. Joannem Chrysostomum, hæc dicentem in interpretatione Evangelii secundùm Matthæum* (cap. 26. Homil. 82 *al* 83) „ *Quamobrem non aquam bibit, cum* „ *surrexit, sed vinum? improbam sanè hære-* „ *sim extirpant. Quoniam enim nonnulli aqua* „ *in mysteriis usi sunt; ostendens, quod & quan-* „ *do mysteria tradidit, & quando, postquam re-* „ *surrexisset, absque mysteriis solam ac nudam* „ *mensam apposuit, usus est vino. Ex genimine,* „ *inquit, vitis: vitis autem vinum, non aquam* „ *generat* „: *Et ex eo aquæ in sacro Sacrificio adjunctionem, doctorem subvertere existimant; ne non ab hoc tempore in posterum ignorantia teneatur, Patris sententiam orthodoxe aperimus.*

hic sanè liturgiam scriptam citasset, si talem novisset; ut sumetur à contrario

Sec. I, II, III, IV.

E

24 *Cum enim improba Hydroparastatum, hoc est, eorum qui aquam offerebant, antiqua esset hæresis, qui loco vini sola aqua in proprio Sacrificio usi sunt; refellens hic Vir divinus detestabilem hujusmodi hæresis doctrinam, & ostendens, quod directè Apostolicæ traditioni adversatur, id quod jam dictum est, affirmavit. Nam & suæ ecclesiæ... aquam vino miscendam tradidit... & in omni etiam ecclesia... hic ordo divinitus traditus servatur. Nam & Jacobus, Christi domini nostri secundùm carnem frater, cui Hierosolymitanæ ecclesiæ thronus primum est creditus; & Basilius Cæsareensium ecclesiæ archiepiscopus,... mystico nobis in scriptis tradito Sacrificio, ita consecrandum in divina Missa ex aqua & vino sacrum calicem ediderunt. Et qui Carthagine* (anno 397) *convenerunt sancti Patres, his verbis* (capitulo 24) *apertè & præcisè mentionem fecere: Ut in sanctis nihil plus quam corpus & sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradidit; hoc est; panis & vinum aqua mixtum. Si quis ergo* &c.

è synodo Quinisexta

F

25 Vides hic citari liturgias, *in scriptis traditas*, S. Jacobi (de qua inferiùs num. 42) S. Basilii, ac S. Joannis Chrysostomi; & istorum quidem duorum disertissimis verbis; hujus verò tacitè quodammodo & paullo obscurius per verbum *tradidit*? Jam verò ut ad S. Cyprianum revertar; cur de liturgia scripta non meminit; cur de sola tradita meminit? Non alia sanè de causa; quam quia Hierosolymitanam scriptam non noverat, atque adeo verosimiliter nondum tunc scripta erat. Neque enim tempore S. Cypriani ignorabant Afri, quo ordine ac ritu sacro-sancta divinæ liturgiæ mysteria Hierosolymis celebrarentur; sicut inferiùs alia fortasse occasione videbitur; ac proin multo minus hæc ignorare poterat ipse Sanctus, tam in rebus sacris egregiè copioseque versatus; atque adeo citari sanè ab eo non potuerit liturgia S. Jacobi,

liturgias scriptas citante.

b

Sec. I, II, III, IV.

bi, primi ejusdem civitatis episcopi; quia nondum tunc temporis fuerit scripta. Quæ cum ita sint; concludo, nullam verosimiliùs in Oriente liturgiam, scripto codice exceptam viguisse, sed sola viva voce traditam.

S. Basilius in rebus liturgicis

26 Pro seculo IV egregiè idem probat insignis locus S. Basilii, Cæsareæ Cappadociæ archiepiscopi, libro de Spirito sancto, cap. 27 ita loquentis: *Invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis; quis Sanctorum* IN SCRIPTO *nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ memorat Apostolus aut Evangelium; verùm alia quoque & antè & pòst dicimus, tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex* TRADITIONE CITRA SCRIPTUM *accepimus. Consecramus autem aquam baptismatis, & oleum unctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretaque traditione? Ipsam porro olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde ex scriptura haustum? Reliqua item quæ fiunt in baptismo; velut renuntiare satanæ, & angelis ejus, ex qua scriptura habemus? Nonne ex minimè publicata & arcana hac traditione? Nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto, minimèque curioso, servarunt?* Ut verò causas noveris, quæ sacros rerum liturgicarum administros tunc temporis impulerunt, ut arcana earum mysteria viva potiùs voce traderent, quam scripto publicarent, audi S. Basilium his verbis, ad istum agendi modum quid Patres nostros adduxerit, graphicè ibidem exponentem: *Pulcrè quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem silentio conservari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat, horum doctrinam publicitus circumferri scripto?*

solam assignat traditionem,

27 Et proposito exemplo Moysis circa templum, levitas, ministerium sacerdotum, adyta, ac Sancta sanctorum in veteri Lege; mox appositè subjungit: *Ad eumdem profectò modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum.* Hactenus Magnus Basilius cum notis nostri Frontonis Ducæi, anno 1618 Parisiis vulgatus: cujus utinam sanctissimi Præsulis

C

ac sapientissimi Doctoris verba audiant, atque altè in animum demittant iniquitatis filii, ruboreque (si quid etiamnum in illis superest frontis) suffundantur, quod sacratissimorum liturgiæ Romano-Catholicæ mysteriorum majestatem, ac linguæ sacræ, qua eorum series, verba & ritus excusa sunt, dignitatem sus deque habentes, rudi ac simplici utriusque sexus plebeculæ importunè obtrudere audent quidquid in eadem nostra liturgia sacrum ac tremendum est, Missam nimirum, administrationemque Sacramentorum, ex Latino idiomate in linguam vulgarem conversa.

Ex S. Innocentio PP. I

28 Sed redeamus ad propositum. Quod hactenus diximus, nullum quatuor primis Christi seculis scripto ordinatum liturgiæ canonem, seu totam aliquam arcanorum altaris seriem exstitisse; ne quis existimet, id ad solum extendi debere Orientem; nonnulla proferam, unde confici queat, eumdem etiam sacræ liturgiæ modum obtinuisse in Occidente. Probationi subserviet epistola S. Innocentii PP. I, ad Decentium data, de qua superius. Sanctus itaque ille Pontifex Decentii consultationibus ita moderatè, parcè ac restrictè respondet, ut ne utique plusculum sibi elabatur de arcanis mysteriis, quam sit conveniens. Sic loquitur: *Sæpe dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in ecclesia convenisse, & quem morem vel in consecrandis mysteriis vel in ceteris agendis arcanis teneat, cognovisse dubium non est. Quod sufficere ad informationem ecclesiæ tuæ vel reformationem (si prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt) satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses.*

D

nullam tunc liturgiam scriptam

29 *Pacem ergo asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare; vel sibi inter sacerdotes tradere: cum post omnia,* QUÆ APERIRE NON DEBEO, *pax sit necessario indicenda: per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentis signaculo demonstrentur.* Jam vero dic, amabo, cur timore detineri potuisset S. Innocentius, ne declarasset disertius ac dilucidiùs exposuisset arcana rerum liturgicarum; si ea scriptis tabulis consignata facilè admodum in promptu haberi, & proin nullo negotio promiscue inspici ac perlegi poterant? Et sub dictæ epistolæ finem summa cum locutionis moderatione insinuat,

E

plenam sese ad propositas quæstiones non dare responsionem, quædam tunc dicens, quædam postea dicenda reservans; ac non obscurè ostendens, malle se circa ista cum illo præsente coram, & os ad os loqui, quam absenti plura enucleatè & definitè determinare, & scripto vulgare ea, quæ scripto vulganda non erant, quia ad aliorum clericorum, quin imo etiam laicorum fortasse notitiam manatura: Quidquid sit; sive voluerit Pontifex illud præcavere, sive divinorum mysteriorum solummodo majestati consulere, plura, quæ poterat indicare, eadem occasione silentio suppressit.

exstitisse in Occidente comprobatur,

30 Nam postquam in decursu epistolæ de nominibus ante preces sacerdotis non recitandis egerat, dicens: *De nominibus verò recitandis, antequam preces sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse tua prudentia recognoscis, ut, cujus hostiam necdum Deo offerat, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Priùs ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus*; postquam, inquam, de offerentium nominibus recitandis ita egerat,

F

restrictè admodum se enuntians de *precibus sacerdotis*, aliaque subdidisset de consignandis infantibus, jejunio Sabbatino, fermento, baptizatis, pœnitentibus, ac de ungendis oleo chrismatis; super quibus S. Innocentius a Decentio fuerat consultus, tandem sub finem suæ epistolæ clarè exprimit, sancta arcana parcè, restrictè & sanctè revelanda esse scripto; nam *reliqua*, inquit, *quæ* SCRIBI FAS NON ERAT, *cum adfueris, interrogati poterimus edicere.* Unde concludo, anno 416, quo data notatur epistola ista, nullum liturgiæ ordinem scripto consignatum fuisse in Occidente.

atque adeo nulla talis tunc fuerit in Hispania.

31 Atque hæc, quæ de liturgia sacra, quatuor primis Christi seculis tam in Oriente, quam in Occidente, vi solius non scriptæ traditionis conservata, hactenus dixi, ad ipsam quoque Hispaniam extendi debere contendo; ab illis utique, quibus sententia ista ad verum propiùs accedere videbitur: & potiore quidem ratione, sicut planum faciam paullo post, ubi priùs difficultates varias elucidavero, quæ contra assertionem toto hoc paragrapho stabilitam,

A tam, objici possunt; quæ totidem erunt argumenta pro sententia affirmante, quod quatuor primis Christi seculis exstiterit liturgia litteris consignata.

§. IV.

Sententia affirmans liturgiam aliquam tunc temporis extitisse; seu difficultates sententiæ id negantis.

Difficile concipitur, quod cessantibus

PRima, quæ percellere possit eum, qui præcedentia nostra circa traditionem solam non scriptam quatuor primis Christi seculis legerit; prima, inquam, difficultas ista desumitur ex eo, quod dictu difficile & vix credibile videatur, nullibi gentium tunc temporis ordinem liturgicum litteris expressum extitisse. Et quamquam assertio ista, quatenus ad tria prima æræ Christianæ secula extenditur, non adeo feriat intellectum, qui consideret, id accidere potuisse tum ob causas superiùs allegatas, tum B potissimùm ob timorem non Panicum sed benè fundatum, ne temporibus sævientium adversus Christianos persecutionum sacrosancta illa mysteria venissent in manus gentilium, impiæ eorum profanationi exponenda; monente & mandante ipso Christo Matth. 7, ℣ 6: *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*; illa tamen ultima ratio non ita mox intelligitur obtinere seculo Christi quarto aliquantulum adulto, quando pace per Constantinum Magnum Ecclesiæ data, persecutiones cessabant, atque adeo unà cum illis cessabat sacræ liturgiæ, etiamsi tunc scripto exarata fuisset, profanandæ metus.

sub Constantino M. persecutionibus, non fuerit scripta aliqua liturgia.

33 Accedit eò, quod, rebus Ecclesiæ ita se habentibus, credibile non appareat, sacri altaris mystas frustratos fuisse maximo, ne dicam fere necessario isto subsidio, eos præsertim, quibus vel propter sui muneris novitatem, vel propter ingravescentem senectutem, non satis fida & tenax rerum omnium observandarum custos erat memoria, ut rite decenterque sine omissione, sine additione, sine errore aut mutatione totum liturgiæ ordinem decurrerent; vel si hoc non vis, ut summa saltem cum facilitate & commodo rem totam expedirent. C Ista quidem, fateor, sententiæ neganti obiici possunt, & ita obiici, ut non parvam prima fronte præseferant speciem veritatis. Sed an ideo mutabunt mentem sententiæ negantis patroni; Non equidem existimo: verosimiliora quippe sunt, inquient, & probabiliora Patrum modò allegatorum testimonia, quam ut è manibus nostris extorqueri illa sinamus ob rationes paullo antè objectas, quæ assertionem nostram conceptu quidem difficilem arguunt, sed falsitatis non convincunt. Et sanè res captu difficiles, veræ tamen, quia accomodatis testimoniis roborantur, quam sæpe sine ulla imprudentiæ nota admittuntur?

Factum tamen ita fuisse, ex S. Hieronymo,

34 Præter testimonia Patrum superiùs prolata, plura, quæ dictis tamquam corollarium subnecti possint, superaddere poterunt. Dic, amabo, cum regula, ordo, preces, concinnitas, & reliqua, quæ substantiæ consecrationis accidunt, per solam traditionem non scriptam conservata non fuerint quatuor primis Christi seculis, cum formula seu symbolum fidei per traditionem non scriptam per quatuor Christi secula conservata fuisse videatur? S. Hieronymus ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani epistola 61, juxta novam operum ejusdem sancti Doctoris editionem 38, tom. 4, part. 2, col. 323 scribit: *In symbolo fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis* TRADITUM, NON SCRIBITUR IN CHARTA ET ATRAMENTO, *sed in tabulis cordis carnalibus* &c. Et quamvis facilitatem maximam symbolum fidei litteris expressum afferre deberet iis, qui vel in provecta ætate ad Christi fidem convertebantur, vel vacillante laborabant memoria; nihil tamen propterea vel ad latum unguem ab antiqua symbolum fidei non scribendi consuetudine deflectebatur.

Sec. I, II, III, IV.

& S. Augustino

35 Audiatur S. Augustinus, qui sermonem de symbolo ad Catechumenos tom. 6 novæ editionis col. 399 incipit his verbis: *Accipite, filii, regulam fidei, quod symbolum dicitur; & cum acceperitis,* IN CORDE SCRIBITE, *& quotidie dicite apud vos; antè quàm dormiatis, antè quàm procedatis, vestro symbolo vos munite.* SYMBOLUM NEMO SCRIBIT, UT LEGI POSSIT; *sed ad recensendum, ne fortè deleat oblivio, quod tradidit diligentia;* SIT VOBIS CODEX VESTRA MEMORIA. Ad memoriam itaque, ad codicem non scriptum, ad solam, ut verbo dicam, traditionem recurrit S. Augustinus in E symbolo fidei; ad hanc etiam solam, dicent negantis sententiæ assertores, recurrimus & nos in regula seu ordine divinæ liturgiæ. Memoria itaque temporibus istis partes agebat suas in rebus hujusmodi sacris; non littera, non manus, non codex characteribus loquens. Et rursum ibunt ad S. Augustinum serm. 58 in Matth. secundùm novam editionem (aliàs 42 inter Homilias 50) ubi tom. 5, part. 1; col. 239 tradit in rem eorum sequentia: *In ecclesia.. ad altare Dei quotidie dicitur Dominica oratio, & audiunt illam fideles. Non ergo timemus, ne minus diligenter in eam teneatis: quia & si quis vestrûm non poterit tenere perfectè, audiendo quotidie tenebit... Modo enim nisi teneatis symbolum, in ecclesia, in populo symbolum quotidie non auditis. Cum autem tenueritis; ut non obliviscamini, quotidie dicite... reddite symbolum vestrum.. commemorate vos ipsos, non pigeat repetere.*

colligitur.

36 *Bona est enim repetitio, ne subrepat oblivio. Ne dicatis: Dixi heri, dixi hodie, quotidie dico; teneo illud bene.* Jam verò an tanta F tamque diligente solicitudine & cautione usus fuisset Augustinus, tam graphicis ac disertis verbis inculcans audiendum; è memoria non delendum, ideoque quotidie dicendum, commemorandum, ac repetendum symbolum, si symbolum tunc temporis è scripto codice à quolibet litterarum non penitus ignaro legi, memoriæ mandari ac recitari identidem potuisset? Quis nisi iniquus rerum arbiter id in animum inducat suum? Reclamat utique tantus quantus est magni Patris textus modo productus, ne dicam verba ejusdem textus penè singula, sicut patet cuilibet, qui studio partium vacuus illa expenderit. Sicut igitur symbolum fidei nobis tradiderunt Apostoli, sic, teste S. Epiphanio superiùs assignato, iidem Apostoli *mysteriorum auctores*, μυστηρίων ἀρχηγέται, exstiterant; ita ut nihil vetet, cum aliqua analogia dicere, quod utrobique pro scriptura ordinis sacri, fuerit traditio ordinis sacri non scripta. Plura circa præsens institutum collegit Petrus lé Brun, Oratorii presbyter, in opere, quod inscribitur. Explicatio litteralis, historica & dògmatica precum & cæremoniarum Missæ, anno 1726 Gallicè edito; sed an non potiùs edendo Latinè tantùm, lingua utique

Sac. I, II, III, IV.

ſacra, ob ſacroſanctam myſteriorum majeſtatem, tum præſertim quando canonem Miſſæ exhibet, & explicat tom. 1, à pag. 411; quidquid in præfatione operis ſui à pag. XLI varias congerat, quibus ſuadere conatur ſui inſtituti ſcopum, rationes? Plura, inquam, ille ſcriptor collegit tom. 2, diſſertatione 1, pag. 10 & pag. 30.

Varia alia

37 Sed longiùs evagamur, quam & inſtituti ratio, & brevitas, quæ hic cordi nobis eſſe debet, à nobis poſtulant. Et verò ne longius nos à propoſito, quod in inquiſitione ſacræ Liturgiæ Hiſpanicæ poſitum eſt, abducere pergant aliæ difficultates circa ſententiam negantem obiiciendæ, compendio utemur, aſſignando potius, quam fuſiùs enucleando ea, quæ auctores tradidere. Eminentiſſimus Cardinalis Bona ſuperius citatus, lib. 1 cap. 8 rejicit quidem liturgiam illam, quæ à Lindano edita eſt ſub nomine Petri Apoſtoli; deinde dubiæ fidei eas eſſe cenſet, quæ Matthæo & Marco euangeliſtis tribuuntur. Denique *his*, inquit, *rejectis*, *vel in quæſtione relictis*, *de liturgia Jacobi*, *fratris Domini*, *Hieroſolymorum epiſcopi*, *omnium*

B

celeberrima paulo fuſiùs, ait, *differendum eſt*. Quod dum feciſſet, illam S. Jacobo iſti poſt Leonem Allatium vendicare conatur. Aſt Ambroſius Gardeboſc in Hiſtoriæ eccl. Synopſi tom. 1, diſſertatione 5, à pag. 546 de liturgiis quatuor, nimirum S. Petri, S. Matthæi, S. Jacobi & S. Marci, præcipuè controverſis, ſtatuit ſequentia.

ex variis

38 Primò. Quod quamvis prædictæ quatuor liturgiæ ab Apoſtolis ſcriptæ fuiſſent, tamen ante quintum Eccleſiæ ſeculum fuerint prorſus ignotæ. 2. Quod nulla ex dictis liturgiis eo modo, quo nunc leguntur, eum habeant auctorem, cujus nomen præferunt. 3. Quod nulla ab Apoſtolis ſcripta fuerit forma liturgiæ. Propoſita nobis brevitas haud patitur, ut illa pluribus deducta & probata ex eodem auctore exhibeamus, quæ apud ipſum legi poſſunt. Hiſce plurimùm ſuffragatur Euſebius Renaudot in liturgiarum Orientalium collectione, tom. 1, cap. 5, pag. XXXIII, quamquam candide fateatur, *rem in obſcuro eſſe*; *adeo ut quando li-*

C

turgiæ ſcribi cœperint, *deſignari certis argumentis non poſſit*; mox tamen pag. XXXIV. ſuam ſubdens conjecturam, veroſimilius eſſe cenſet, quod liturgias Græcas ſcriptas fuiſſe oporteat ante Epheſinum concilium, anno 431 celebratum. Atque hæ duorum iſtorum auctorum ſententiæ ſatis cum negante conſentiunt, quidquid diſſentiant Leo Allatius, & Cardinalis Bona.

circa utramque

39 Honoratus à S. Maria, Carmelita excalceatus, in Obſervationibus ſuper regulis & uſu critices Gallicè editis, tom. 3, lib. 5 diſſertat. 3 varia congeſſit ad præſens inſtitutum; ſed quæ rem in longos nimium ſermones extraherent, ſi omnia huc tranſcriberem. Summos igitur, ut ita dicam, rerum apices inde ſolummodo delibabo. A pag. 165, varias præmittit obſervationes: quænam verò ſint, colligi utcumque poterit ex concluſione, quam ex dictis obſervationibus deducit pag. 167. Textum ejus ita reddo Latinè: *Dicendum*, *quod ſi ſanctum Miſſæ ſacrificium fuerit celebratum ab initio Eccleſiæ abſque interruptione*; *ſi magnus numerus precum ac cæremoniarum*, *quæ eidem diverſis temporibus adjecta ſunt*, *exigebant*, *ut liturgia eſſet ſcripto conſignata*: *& ſi illæ*, *quæ attribuuntur S. Petro*, *S. Matthæo*, *S. Marco*, *S. Barnabæ*, *& XII. Apoſtolis*, *incognitæ fuerint*, *& auctoritate deſtitutæ*; *ſequitur*, *ut ex omnibus liturgiis*, *quæ ſupponuntur compoſita primis ſeculis*, *quæque ad noſtram pervenere notitiam*, *non ſit niſi illa*, *quæ præfert nomen S. Jacobi*, *& illa*, *quæ attribuitur S. Clementi*, *quæ uſui eſſe potuerint à temporibus Apoſtolicis ad uſque quartum circiter ſeculum*; *quæque ſpectari queant tamquam ſcaturigo omnium liturgiarum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ*.

D

40 Pag. 169 pro ſcripta à S. Jacobo liturgia allegat auctoritatem Procli, canonis item 32, concilii Trullani ſeu Quiniſexti; Allatium denique & Cardinalem Bonam addit, qui conſtantem eccleſiæ Græcæ traditionem pro iſta re fuiſſe teneant; ſed quam parum illis teſtimoniis fiſus fuerit, candidè fatetur, dum dicit, *nolle ſe inferre ex omnibus iſtis teſtimoniis*, *certum eſſe*, *quod S. Jacobus ſcriptam nobis liturgiam reliquerit*; *& minus etiam*, *quod ſit auctor iſtius*, *quam habemus ſub ejus nomine*: *ſed id duntaxat*, *quod ſatis ſit veroſimile*, *quod ille Apoſtolus potuerit ſcripto exaraſſe* (POURROIT AVOIR MIS PAR ECRIT) *modum*, *quo myſteria divina celebrabantur in ſua eccleſia*; *vel quod aliquis*, *ipſo vivente*, *vel paullo poſt ejus mortem*, *ad conſervandam ejuſdem apud poſteros memoriam*, *vel ad inſtruendas alias eccleſias*, *fecerit quaſi corpus aliquod liturgicum*, *quod attributum iſti fuerit Apoſtolo ſequentibus ſeculis*. Ita ille, nixus conſtanti, uti vult, & univerſali traditione. Pag. 170 conjicit, ſatis eſſe probabile, quod iſta liturgia fuerit ſcripta ſaltem exeunte ſeculo primo, aut ineunte ſecundo. Etenim adjectas tum temporis ad Miſſam ab Apoſtolicis viris preces, gratiarum actiones, multaſque cæremonias cenſet; credibile proinde non eſſe, quod tamdiu exſpectatum fuerit, quo minus ſcripto committerentur ritus, in auguſtiſſimi noſtri myſterii celebratione obſervandi. Ibidem rem ſuam urgere pergit ab uniformitate eccleſiarum, & miniſtrorum capacitate non omnium ſemper æquali.

ſententiam

E

41 Pag. 171 cenſet è liturgia S. Jacobi extracta eſſe, quæ refert S. Juſtinus in Apologia 2, quam ſuprà citavi. Quid, quod recenſeat ex S. Cyrillo, archiepiſcopo Hieroſolymitano, cæremonias aliquot liturgicas, ejus tempore uſitatas; ut videre eſt à pag. 172. Pag. 181 citat S. Proclum, & vult liturgiam S. Jacobo adſcriptam, ſcaturiginem & fundum eſſe liturgiæ S. Baſilii, S. Joannis Chryſoſtomi, omniumque aliarum, quæ uſitatæ fuerunt in eccleſia Græca. Pag. 186 agens de Miſſa Eccleſiæ Romanæ, & de origine ejuſdem Miſſæ nonnulla præfatus, pag. 187 producit Baronium ad annum 102, num. 21; cujus verba huc tranſcribo: *Traditio eſt*.. *Clementem Romanum Pontificem*, *quem acceperat à S. Petro ritum offerendi ſacrificium*, *Miſſam nempe ipſam*, *Romanæ Eccleſiæ ſcriptis conſignatum reliquiſſe*. Et mox pro iſta traditione à Baronio & ab Honorato allegatur teſtimonium S. Procli CPolitani. *Quidquid ſit*, inquit Honoratus pag. 188, *de illa liturgia S. Clementi attributa*; *debemus conſentire*, *oportuiſſe exiſtere aliquam Miſſam ſcriptam intra quinque prima ſecula*; ſed pag. 189 ex additionibus Miſſæ & ipſius quidem canonis, per Pontifices Romanos factis, vult evinci, quod ad uſum Eccleſiæ Romanæ ſcripto expreſſa fuerit liturgia ante Gelaſium PP., quin imo jam inde ab exordio ſeculi ſecundi. An aliqua liturgia ſcripto tradita fuerit ſeculo quinto, extra noſtram controverſiam eſt; de quatuor Chriſti ſeculis id quæritur; & neque ex rationibus Honorati, neque ex aliis argumentis, quæ protuli, videtur prorſus ſolidè everti ſententia illa, quæ negat, ullam liturgiam, integram videlicet, omnibuſque ordinatam & perfectam partibus, ita ut ſingularis cu-

proferuntur:

F

A eujusdam codicis sacri formam præferret, & in stabilem singularis alicujus ecclesiæ usum esset destinata, quatuor primis æræ Christianæ seculis scripto exaratam fuisse. Ast Honorati argumenta discutienda erunt paragrapho proximo, ne hic nimium excrescat.

§. V.

Reliquæ in hac materia difficultates; an aliqua hujusmodi liturgia quatuor primis Christi seculis apud Hispanos.

Non probatur ex traditione, quod aliquis ex Apostolis scripserit liturgiam:

QUod S. Jacobus Minor *potuerit scripto exarasse modum, quo mysteria divina celebrantur in sua ecclesia*, hic non quæritur; sed quæritur an revera id fecerit, & hactenus id non probat Honoratus; sed nec probare id voluisse se insinuat, quia sub disjunctione indicat, *quod sit satis verisimile, quod ille Apostolus potuerit scripto exarasse &c. vel quod aliquis, ipso vivente, vel paullo post ejus mortem, fecerit quasi corpus aliquod liturgicum, quod* illi postmodum *attributum fuerit*. Traditionem illam constantem & universalem, quam adducit, an ignorassent Patres quatuor primorum Christi seculorum, siquidem talis tunc B uspiam exstitisset? Imo verò quod nulla tunc litteris consignata fuerit vel ab Apostolis, vel ab alio quopiam liturgia sacra, suaderi potest *ex profundissimo totius antiquitatis silentio, quod usque ad VI Ecclesiæ seculum perseveravit: si enim hujusmodi liturgiæ etiam brevissimæ extitissent, in serie scripturarum sacrarum fuissent repositæ: saltem Origenes, & Hieronymus, exacti librorum scrutatores, levem aliquam hujusmodi liturgiarum mentionem fecissent: concilia, quæ numerum librorum sacrorum determinarunt, earumdem liturgiarum meminissent: Damasus Romanus Pontifex, & Gelasius eas saltem inter apocrypha rejecissent: Basilius, & Chrysostomus, qui primi leguntur scripsisse liturgias, fassi fuissent, se eas saltem ex parte exscripsisse ex Apostolorum liturgiis, ut majorem ipsis conciliarent auctoritatem. Cum ergo nihil ex prædictis contigerit; habendum est tamquam certum, nullam ab Apostolis scriptam fuisse formam liturgiæ*, uti rectè argumentatur Gardeholeus suprà laudatus pag. 548.

C

neque id suadetur ex numero precum ac cæremoniarum

43 Quod dicebat Honoratus de *numero magno precum ac cæremoniarum, quæ eidem diversis temporibus adjectæ sunt* &c., nihil evincit. Nam nec quatenus earum fuerit numerus, nec quales & quam longæ illæ exstiterint, scimus secundùm dicta superiora. Certè S. Gregorius Magnus lib. 7, epist. 63 *orationem*, ait, *Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam* SOLUMMODO *orationem oblationis hostiam consecrarent*: ubi quamvis *solummodo* non in omni rigore, quem præfert, sed accomodè intelligi debeat & cum aliqua latitudine, juxta ante dicta ex S. Justino, temporibus Apostolorum admodum propinquo, & illud Apostoli ad Timotheum Epistola I, cap. 2, *obsecro.. fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones* (quem locum ad sacrificium Missæ aptissimè refert Augustinus tom. 2, epist. 59 ad Paulinum, quæst. 5 pag. 114 editionis Plantinianæ) & verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*; eo tamen valet *solummodo*, ut ex S. Gregorii sensu intelligatur brevitas liturgica, quæ tempore Apostolorum fuerit. Consuli tamen potest Cardinalis Bona lib. I, cap. 5, num 3 ita loquens:

ab Apostolis usitato:

44 *Hæ sunt in speciem diffidentes* circa breviorem vel longiorem liturgiæ divinæ durationem, *Patrum sententiæ, quæ facilè conciliari possunt, si dixerimus, Apostolos utramque formulam & brevem & prolixam diversis temporibus adhibuisse: brevem quidem cum temporis angustia, vel persequentium metu premebantur; prolixam verò, cum per tempus & occupationes licebat. Credo autem ab initio brevissimum fuisse liturgiæ ritum, ita exigente primæ Christianitatis inter procellas adversantium nascentis conditione. Postea vero crescente fidelium numero cœperunt Apostoli lectiones, preces, cæremonias adjicere, quibus & sacrificii dignitas clarius elucesceret, & major ipsi veneratio conciliaretur, pietasque fidelium ac fervor magis accenderetur; exemplo nimirum veteris Testamenti; in quo plures a Deo cæremonias institutas, sacræ litteræ nos docent*. Sed imminens persecutorum furor, & præsens profanationis mysterii inter res sacras sacratissimi, cum, si non semper, plerumque saltem periculum instaret; cumque Apostoli, ac primi eorum discipuli & administri tot aliis maximè ad salutem animarum necessariis occupationibus distinerentur, existimo eos sacram liturgiam brevitee vel semper, vel plerumque saltem expedivisse. Exemplum, quod additur ex veteri Testamento, huc non spectat, quia non erant illa incommoda in veteri Testamento, quæ fuisse diximus in novo. E

Sec. I., II, III, IV.

nec ex Proclo & Chrysostomo

45 Textus itaque, quem ex libello de traditione divinæ liturgiæ sub nomine Procli CPolitani citat eminentissimus Bona, & habetur inter opera ejusdem Procli à Vincentio Riccardo, Clerico Regulari, Romæ anno 1630 edita, & Commentariis illustrata, pag. 581 nimium probat; dicit enim: *Salvatore nostro in cælis assumpto, Apostoli antequam per omnem terrarum orbem dispergerentur.. ad* INTEGRUM ORANDUM DIEM *convertebantur.. &...* FUSISSIME LONGOQUE VERBORUM AMBITU MISSAM DECANTABANT. Quæ Bona Cardinalis ex S. Chrysostomo profert in Epistolam I ad Corinthios Homil. 27 in hæc verba: *Cum sacras illas cœnas Apostoli accipiebant, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur & hymnos? Nonne in sanctas vigilias? Nonne in longam illam doctrinam & multæ plenam philosophiæ?* Nimium, inquam, ista probant. Ecquis enim concipiat, tantum inter ardua tot negotia superfuisse otii Apostolis? Et fortè sanctus ille Pater modo oratorio plus dixit, minus volens intelligi; prout Patribus illis, ac S. Augustino imprimis non raró usitatum esse, norunt Theologi. F

nec ex uniformitate rei sacræ.

46 Ad uniformitatem rei sacræ, & non æqualem ministrorum ejus capacitatem, ut debito modo illam peragerent, quod attinet; respondeo Honorato; quandoquidem ex dictis functio liturgica tempore Apostolorum non videtur fuisse adeo longa, non erat vel mediocris capacitatis ministris tunc adeo multum laborandum vel de prompta precum recitatione vel de rituum aliorum æqualitate. Et fac aliquousque eos alicubi laborasse; certè non laborabant nisi de rebus minoris momenti, ac mere adventitiis sacrificio, quæque salvâ ejusdem substantiâ, poterant alicubi esse inæquales. Deinde fac ministros sacrificii, quatuor primis seculis adjutos fuisse scripto aliquarum Missæ partium minus principalium, ne memoria eos falleret; nondum tamen video, inde sequi, quod codex integer liturgiæ, sensu superius declarato, tunc exstiterit scripto exaratus. Neque id, ut censeo, videbunt sententiæ negantis assertores; qui reponere poterunt, nimis clara sibi videri testimonia Patrum, superius producta, quam ut ex ista objectione enerventur.

An S. Proclus

47 Porrò S. Proclus, de quo jam dixi, floruit seculo V; & quoniam testimonio ejus (si ta-

Sæc. I, II, III, IV.

tamen ipsius est) adeo nititur Honoratus, expendamus quid contra afferri possit. Dico *si tamen ipsius est*: nam ipsemet Leo Allatius; cujus tametsi maximè intererat, testimonium, quod sub istius auctoris nomine promit, tamquam genuinum ac verè ab eodem scriptum vindicare, ut hoc pacto majorem liturgiæ S. Jacobi, quam defendit in Συμμίκτοις à pag. 176, conciliaret auctoritatem; & ubi Proclum pag. 180 pro ea citat, tamquam *antiquissimum, & omni exceptione majorem*; ipsemet, inquam, Leo Allatius non semper sibi constitit, sed vacillavit circa auctorem Tractatûs, de quo hic agimus. Nam De libris, & rebus ecclesiasticis Græcorum dissertatione 1, pag. 17, de genuino ejusdem Tractatus auctore subdubitans, *Si tamen*, inquit, *illius Procli Tractatus ille est*. Vincentius verò Riccardus supra citatus, in suo ad istum Tractatum Commentario pag. 582 ingenuè de eo fatetur sequentia: *Sed nec Tractatus integer est, sed potius fragmentum quoddam excerptum ex epistola, vel Tractatu S. Procli à librario, qui liturgias exscripsit, ut tanti viri testimonio pariter & elogio eas commendaret. Quocirca ea duntaxat, quæ ad rem suam facerent, exscripsit: nam ita abruptè à sancto viro hæc ipsa fuisse composita, haud crediderim umquam.*

B

composuerit Tractatum liturgicum?

48 At concilium Trullanum illam adscribit S. Jacobo. Quid tùm? Responderi enim potest, concilium suo isto nomine citasse illam liturgiam, non quia re ipsa credidit, aut credi voluit, verum ac genuinum liturgiam, hanc fuisse fœtum S. Jacobi, sed quia sub isto nomine tunc cognita circumferebatur. Adde ex Gardeboscо pag. 548, *ex auctoritate Trullani concilii id solum sequi... post quintum Ecclesiæ seculum hujusmodi liturgias, præsertim liturgiam S. Jacobi, prodiisse: unde non mirum est, si præfatum concilium illam laudaverit, quod in sexto Ecclesiæ seculo celebratum fuit. Potuit igitur illud Concilium laudare opus, quod jam à pluribus annis Jacobo fuerat falsò suppositum.* Ad S. Cyrillum, Hierosolymorum præsulem, superius objectum, quid reponendum sit nunc intellige.

Respondetur ad ea, quæ contra sententiam negantem ex S. Cyrillo,

49 Cum floruerit S. Cyrillus seculo IV, dubium esse non potest, quin, si pro codice aliquo liturgico ante ejus tempora scripto, solidi aliquid afferri posset, sententia negans ullum istiusmodi codicem quatuor primis Christi seculis scriptum extitisse, planè corrueret. Sed ex eo, quod Sanctus iste in sua Catechesi mystagogica quinta sanctam Missam exponat, ejusdemque partes singulatim admodum designet, notans, quænam in decursu fierent; non tamen trascribit verba, quibus ista fierent, & quibus istius liturgiæ totiùs ordo constaret. Unde non video sequi, ut omnes Missæ idiotismi, de quibus ibi agit, scriptis characteribus exarati tunc extiterint, ita, ut ex integro aliquo, quod tunc Hierosolymis asservatum sit, liturgiæ sacræ corpore, fuerint deprompti ac verbatim excepti. Id etenim quomodo persuaderi sibi sinet sententia negans, præsertim, quando tot alia, quæ assignavimus, antiquitatis monumenta videntur oppositum suadere? Quando autem dicit Honoratus, ea, quæ refert Justinus, extracta esse è liturgia S. Jacobi; negabunt id rotundè sententiæ negantis patroni: atque ipsi incumbet, illud idoneis argumentis probare. Atque his ita se habentibus, nullo modo assentiri poterunt laudato pluries Honorato, quod liturgia S. Jacobo adscripta, fons seu origo fuerit liturgiarum S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi, & omnium aliarum, quæ usitatæ fuerint in ecclesia Græca.

C

50 Etenim hoc si verum est; fierine potuit, ut illam S. Basilius non viderit scriptam? sin verò scriptam viderit, prorsus non intelligent quomodo ita loqui potuerit, quemadmodum locutum fuisse constat ex ejus verbo à num. 26 allatis; è quibus arguent, quod sanctus iste doctor neque istam neque aliam ullam liturgiam characteribus insignitam aut viderit, aut videre potuerit suo tempore, aliis planè verbis usurus, quam usus fuit loco mox designato, si uspiam talem vidisset. Ad traditionem, quam ex Baronio profert Honoratus, non difficilis est responsio; illa quippè facilè dicitur, sed difficillimè probatur, habere majus pondus, quam traditionis popularis; quæ si populari major, & solidis antiquitatis documentis suffulta quatuor primis Ecclesiæ seculis exstitisset, scivissent hoc S. Basilius apud Græcos, & S. Innocentius PP. I apud Latinos; ac proinde tam hic quam ille non tam parcè, cautè, & restrictè de liturgia sacra egissent, uti egisse eos jam diximus. Ceterum quæ congerit Honoratus à pag. 188. de liturgia, quæ S. Clementi attributa sit, quæque à Gelasio aucta, à Gregorio magno postmodum restricta, mutata, ac novis addictionibus instructa sit, duobus utique Gelasii tomis, uti dicit pag. 189, ad unum ab eo redactis, negantem sententiam ferirent, si illa diceret, nullam sacram liturgiam litteris exceptam fuisse seculo V; sed, id esse factum quatuor primis Christi seculis, sententia illa negat. — *ex traditione,*

E

51 Brunus dissertatione 2, à pag. 131, ostendit, liturgias tam in Oriente quam in Occidente scripto commissas fuisse seculo V, non serius, tum ex elencho virorum vitæ integritate & sapientiæ laude florentium, qui illuc studium suum contulere, nimirum S. Basilii, S. Hilarii, Musei Massiliensis ecclesiæ presbyteri, Voconii Mauritaniæ episcopi; tum ex aliis rationibus, propter quas scriptæ tunc fuerint liturgiæ. Quid verò causæ fuerit, quod liturgiæ Apostolis aliisque Sanctis attributæ sint, exponit pag. 136. De Sacramentario Gelasiano tractat à pag. 151; de Gregoriano autem à pag. 154; quæ si singillatim recensere velim, finis non erit. Ex iis, quæ habet Honoratus pag. 189, quod Alexander PP. I ex traditione Apostolica jusserit aquam admisceri vino in calice; quod Sixtus I instituerit hymnum *Sanctus, sanctus, sanctus*; quod Damasus I voluerit cani in Missa symbolum Nicænum; quod Innocentius I introduxerit osculum pacis ante communionem dandum; quod Leo canoni adjecerit *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*; ex iis, inquam, *invictè probari* affirmat, quod, uti supra ex ipso retulimus, ad usum Ecclesiæ Romanæ extiterit aliqua liturgia scripta ante Gelasium PP., quin imo à principio seculi secundi; sed quod ille pro seculo secundo affirmat, nos negamus. — *aliisque rationibus destruuntur.*

F

De liturgia Constitutionibus Apostolicis inserta.

52 Jam verò si sententiæ neganti aliquis objiciat liturgiam, Constitutionibus Apostolicis, quæ sub nomine S. Clementis PP. exstant, insertam; observo, libro 2 istarum Constitutionum, cap. 57, à pag. 260 editionis novæ Cotelerianæ, nullam liturgiæ formam talem, qualem hic inquirimus, contineri; uti liquet ex titulo dicti capitis: *Descriptio ecclesiæ, & cleri; & quid facere debeat unusquisque clericus vel laicus in synaxi congregatus*. Lib. 7, cap. 25 habetur, *Gratiarum actio Sacramentalis*; cap. 26, *Gratiarum actio super divina Communione*. Liber verò octavus continet integram liturgiam simul cum orationibus ante & post verba consecrationis &c. Quia verò plus hic videtur ausus fuisse istius liturgiæ scriptor, quam fuerat ausus dicere lib. 2; conse-

A sequens esse apparet, quod seriùs ista scripserit; quæ exarata fortè fuerint sub finem seculi IV, post mortem S. Basilii, quæ contigit anno 379; cum sanctus ille Doctor juxta numerum 36 nos docuerit, quod oratio, quæ præmittitur & postponitur verbis Christi, non scriberetur. Jam verò unde probabis, liturgiam istam in aliquo particulari ecclesia usitatam fuisse. quod si probari non possit, quidquid ex ista liturgia objici sententiæ neganti potest, illam non tangit, uti patet ex statu quæstionis sub initium §. 3 proposito. Quod autem liturgia ista à nolla determinatè ecclesia adoptata & usitata fuerit; suadetur ex S. Basilio, aliisque circa arcana ista testimoniis suprà citatis.

Si alibi non exstiterit tunc scripta liturgia;

53 Habes, lector, de codice aliquo integro liturgico ad usum alicujus tam in Oriente quam in occidente particularis ecclesiæ quatuor primis Christi seculis scripto vel non scripto, præcipua, quæ censui exponenda: tuum nunc est, considerare, quæ quibus momenta rationum præponderent, & controversiam bene dirimere. Ego certè non video hactenus quidquam adeo solidum afferri, quod à sententiæ negantis patronis discedere me cogat, tamdiù saltem, donec melius aliquid edocear. B Sed jam in Hispaniam, unde digressa tamdiu fuit, revertatur oratio. Si, hisce ita expositis, nulla hujusmodi liturgia tunc temporis scripta exstiterit, multo minus talem in Hispania exstitisse, credibile videtur. Etenim quoniam Hispanica, secundum ea, quæ suprà diximus, Romanæ à S. Petro Apostolo institutæ est filia, ob eodem utique Apostolo tamquam rerum liturgicarum parente ad Hispanos immediate vel mediatè saltem propogata; quidnam satis probabile afferri poterit, quod suadeat, codicem aliquem quatuor primis seculis ibidem exstitisse, in quo œconomia tota liturgica ad usum vel totius Hispaniæ, vel loci alicujus particularis, non viva tantum voce, usu, exemplo fuerit tradita, sed expressis scripto characteribus efformata?

multo minus exstitit talis in Hispania.

54 Quid est, cur sola Hispania in usu suorum rituum amplius aliquid habuisse dicenda sit, quam omnes Orientales & Occidentales ecclesiæ simul? An quia tunc ibi gentiles non erant? An quia nulla ibi tunc sæviebat adversus Christianos persecutio? An denique quia nullum ibi tunc imminebat periculum C profanationis mysteriorum sacratissimorum? At nihil horum dici potest; ac proinde quæ hactenus proponere nobis visum fuit de liturgia aliarum ecclesiarum, ad Hispaniam maximè extendenda putamus, saltem donec solidis rationibus contrarium probetur. Nunc commenta quædam liturgica refellenda dabit proximus paragraphus.

§. VI.

Commenta quædam liturgica in pseudo Chronicis notata; certiora quædam ex concilio Toletano primo anni 400 liturgiæ veteris apud Hispanos vestigia eruuntur.

Figmenta pseudo-Dextri,

INnotuit jam pridem viris passim omnibus eruditis famosa pseudochronicorum figlina, è qua sub personatis nominibus Flavii Lucii dextri, Marci Maximi, Juliani Petri, Luitprandi, tot falsitates in orbem invectæ sunt. Quamvis autem sordes illæ non merentur moveri; placuit tamen nonnulla circa nostrum institutum ex eis fragmenta producere, ut vel ex parvo specimine perspicuum fiat, quam strenuè partes egerint in obtrudendis etiam liturgicis commentis. Pseudo-Dexter in Chronici fragmento fol. 7 verso agens de divisione Apostolorum sic scribit: *Quo tempore canones eduntur, & Apostolicæ constitutiones componuntur, ad Sacramentorum & totius Ecclesiæ œconomiam.* *Sæc. I, II, III, IV.*

larvati Juliani

56 Larvatus verò Julianus in Adversariis à pag. 102, *Ego*, inquit, *utpote archidiaconus prius, nunc archipresbyter S. Justæ, defendi libris editis officium Mozarabum, vel S. Isidori, Missale, Breviarium, Manuale, & Antiphonarium, quod primus reformavit S. Melantius episcopus Toletanus, vir sanctus. Perfecerunt illud Olympius, Gregorius, Asturius, Audentius, & alter Olympius, Montanus, Leander, Isidorus, Ildefonsus, Julianus, Toletani archiepiscopi; & multas Missas composuerunt: sed S. Jacobi Majoris ab Discipulis S. Jacobi inceptam fere perfecit, ut modo est, S. Melantius confessor, archiepiscopus Toletanus.* Et ibidem pag. 96. ita fabulatur: *Inter Officium Breviarii Gotthici per & antiquissimum est officium S. Jacobi, Zebedæi filii; & ideo ponitur exempla aliorum. Compositum est à discipulis ejusdem Jacobi.* Rursus E pag. 115: *Missam S. Jacobi acceptam ab ejus discipulis auxit Eugenius Evangelio Epistolaque.* Pag. 116: *Missa S. Jacobi Majoris, à discipulis ejus composita, incipiebat: „ Apostolo tuo Jacobo „. Post adjecit M. Marcellus Eugenius: „ Hæc dixit Dominus „ & orationem: „ Christe, cujus virtus. Duas lectiones „ Justus si morte „ & „ In illis diebus supervenerunt „, Cetera ad finem S. Melantius Toletanus episcopus adjecit.*

Luitprandi.

57 At multo apertius & disertius se declarat isti nugivendulo non impar Luitprandus, quando pag. 488, num. 187 obtrudere conatur sequentia: *S. Jacobus Missam, quam coram ceteris Apostolis constituerat, Petrus ceterique comprobaverant (& post litteris mandavit S. Clemens; & ob id dicitur vulgo Missa S. Clementis) Hispanis episcopis tradidit: & usi sunt illa prius in Hispania, quam aliis Occidentis partibus. Postea illam in scriptis attulerunt etiam septem sancti discipuli S. Jacobi, S. Torquatus & socii; & per Bæticam meridianalem, ubi nullum reliquerat episcopum, ut testantur Julianus & Felix, Toletani pontifices, libris ea de re editis, in confirmationem Missæ S. Isidori: quos ego* F *legi, & aliquando evolui, cum essem in Fuldensi bibliotheca, à Carolo Magno cœpta, multisque libris valde referta, bibliothecarius.* At cum bibliotheca illa, quatenus hic in testimonii subsidium advocatur, in malè feriato cerebro nata & instructa sit, & tam ipsa quam personatus ejusdem bibliothecarius infami falsitatis nota laborent, jure meritissimo ad aniles nænias talia commenta relegamus. Vide, quid dictum fuerit in Responsionibus Papebrochianis part. 2, ad art. 15 à pag. 230; item ad art. 18, à pag 352; denique ad art. 21, à pag. 387, & ad art. 25, à pag. 547.

Eruditorum contra eos censura.

58 Emunctioris enimvero naris, veræque & non umbratilis gloriæ pro gentis suæ antiquitate avidiores fuisse, quam ut larvata hujusmodi suppellectilis scena decipi se sinerent, insignes Hispanorum eruditorum triumviros, quis ignorat, excellentissimum videlicet D. Gasparem Ibañez, Agropolitanum primò marchionem, comitem deinde de Mondexar; & illustrissimum D. Nicolaum Antonium; ac tertium denique Hispaniæ litteratæ decus, eminentissimum D. Cardinalem Aguirrium: quos satis est vel nominasse? Laudatus comes Mondexarensis in Discursu suo historico à paragrapho 6 egregiè impu-

Sec. I, II, III, IV.

impugnat pseudoDextrum. Nicolaus Antonius Bibliothecæ veteris Hispaniæ tom. 2, lib. 7, cap. 8 Julianum Petri operosè castigat; & cap. 9 duodeviginti ostendit locos, ex quibus refelli promptum sit insulsi istius fabulatoris Chronicon & Adversaria. Aguirrius genuinis coloribus depingit tam pseudoChronica, quam eorum architectum, occasione Melantii, Toletanii præsulis, ut videre est tom. 1, à pag. 301 in Commentariis ejus novis; & tom. 2, pag. 63. aperit candidè suum circa figmenta ista sensum. Quid, quod ipsemet Joannes Tamayus, tantus alioqui hujusmodi mercium æstimator ac venditor, ad diem III Aprilis, pag. 469 de Juliani larvati Adversariis sic enuntiat: *Vidimus passim in hisce Juliani Adversariis tot glossematum inepcias, quod potius ferrum, quam illas deglutire, compelleremur.* Sed hæc plus quam satis, ut detracta commentitiis hisce documentis fide, nihil posthac pro liturgia veteri Hispanica ex illis citemus.

D

Certiora ex Concil. Toler. I. circa res liturgicas vestigia.

59 Nunc indaganda me vocant certiora antiquæ liturgiæ Hispanicæ vestigia ex concilio primo Toletano, quod apud Aguirrium tom 2, pag. 130 innectitur æræ 438; id est anno Christi 400. Quæ indicantur canone seu capitulo 1 de diaconibus, ministerio, interdicto, atque presbyterio; can. 2 de clero, ostiariis, lectoribus, manuum impositione; can. 3, 4 & 5 de subdiacono; can. 20 de chrismate, hierarchiam propriè ecclesiasticam indicant, non liturgiam; illa verò can. 2 *divino.. reconciliatus altario*: & can. 5 *ad ecclesiam ad officium* * *quotidianum non accesserit*, supponunt liturgiam, non indicant, qualis ea fuerit. His autem adde ex dicto can. 2. *Placuit, ut de pœnitente non admittatur ad clerum; nisi tantùm, si necessitas aut usus exegerit, inter ostiarios deputetur vel inter lectores*: & subditur, *ita ut Evangelia & Apostolum non legat*. Hactenus quatuor primis Christi seculis circa res liturgicas omnia sunt obscurissima apud Hispanos; ad quintum transeamus.

* *Apud Labbeum & Harduinum facticium.*

C A P U T II.

B

Status veteris liturgiæ Hispanicæ seculis V & VI.

E

§. I.

Hispania à barbaris occupata; summâ rerum potiti Gothi; liturgia tunc ibidem duplex; disciplinæ ecclesiasticæ observatio.

Inter barbaras gentes, quæ Hispaniam invasere,



Nnitium seculi quinti novam in Hispania nobis scenam aperit; de qua Idatius episcopus in Chronico, edito à nostro Sirmondo, pag. 10 sic fatur: *Alani, & Wandali, & Suevi Hispanias ingressi aræ* CCCCXLVII; *alii quarto Kalendas, alii tertio idus Octobris memorant die, certâ feriâ, Honorio* VIII, *& Theodosio Arcadii filio* III *Consulibus*; id est anno 409, quo rem contigisse confirmat Pagius ad istum annum. Noster Joannes Mariana in Historia sua De rebus Hispaniæ ad annum 410 its eam describit lib. 5, cap. 1: *Multas gentes feras & indomitas in Hispaniam per hæc tempora venisse, sequens narratio declarabit, Vandalos, Suevos, Alanos atque Silingos. Gotthi in primis ex antiquis sedibus dilapsi, cum Orientis Occidentisque solis oras sui nominis terrore famaque complessent, atque victricibus armis Italiam universam lustrasseat, ad extremam in Hispania consiterunt ... Ex semptemtrione omnes has gentes profectas sese in Romani imperii provincias infudisse, quæstionis non est.* De regionibus, è quibus singulæ hæ nationes in Hispaniam commigrarint; quibus moribus & ingenio essent, pluribus supersedeo prosequi. Laudatus historicus Gothorum originem, quoniam diutius in Hispania regnarunt, majori utique ibidem præ reliquis nominis fama celebres, & de quibus hic à me potissimum instituetur sermo, paullo altius eruit; sed quæ ita hic à me erui, instituti mei ratio non exigit. Dividebantur porro Gotthi in Ostrogothos, id est Orientales, & Visigothos seu Occidentales, sicut valgo notum est.

C

Gothi summâ rerum potiti:

61 Qualis autem per dictas provincias fuerit invasorum istorum partitio, ita traditur apud citatum paullo ante Idatium pag. 11. *Barbari ad pacem ineundam, dominio miserante, conversi, sorte ad habitandum sibi provinciarum dividunt regiones. Gallæciam Wandali occupant & Suevi, sitam in extremitate Oceani maris occidua. Alani Lusitaniam, & Carthaginiensem provincias: & Wandali cognomine Silingi Bæticam sortiuntur. Hispani per civitates & castella residui à plagis, barbarorum per provincias dominantium se subjiciunt servituti.* Gothi verò illuc quoque intrigressi, post certamina cum Romanis atque cum barbaris bene multa, cæsis Alanis, ejectis Wandalis, Suevisque in Gallæciam retrusis, suas in Hispania fixere sedes, summâ ibidem rerum potiti. Ex quo intelligitur, duas illic potissimum tunc temporis liturgias usitatas fuisse, alteram quidem antiquam Hispanicam; alteram vero Gothorum, qui jam inde à Valentis imperatoris regno pestifera Arianismi lue infecti fuerant.

qui ex Philostorgio,

F

62 Quamlibet verò obscura & incomperta mihi sit Gothorum liturgia, nullus tamen dubito, quin eam hauserint ex ecclesiis Orientis, secundum ea, quæ de conversione illorum tradit Philostorgius apud Valesium lib. 2, num. 5, pag. 470: *Cum Valerianus & Gallienus imperium administrarent, ingens multitudo Scytharum trans Istrum degentium, in Romanorum ditionem traiecit... Deinde verò cum in Asiam traiecissent, Galatiam & Cappadociam invaserunt. Cumque plurimos homines captivos fecissent, inter quos non pauci erant clerici, cum ingenti præda in patriam suam reversi sunt. Captivi igitur ac pii homines isti, barbaris permixti, non paucos eorum ad veram pietatem traduxerunt; utque pro gentilium superstitione Christianam religionem amplecterentur, iis persuaserunt. Ex horum captivorum numero fuerunt etiam majores Ulfilæ, natione quidem Cappadoces, orti juxta urbem Parnassum, ex vico, qui Sadagolthina vocatur. Hic igitur Ulfila dux fuit piorum hominum, qui ex Gothia egressi sunt, primusque eorum episcopus fuit, constitutus hoc modo &c. Eorum itaque tum aliis in rebus maximam curam gessit; tum proprias ipsis litteras excogitavit, & universos sacræ scripturæ libros patria ipsorum sermone interpretatus est, exceptis libris* Regno-

A

Regnorum, eo quod illi res bello gestas contineant; gens autem illa bellis maximè delectetur, & freno potius opus habeat ad bellicos impetus comprimendos, quam calcari, quo ad prælia incitentur.

ac Sozomeno

63 Sozomenus Historiæ ecclesiasticæ libro 6, cap. 37 memoriæ prodidit, *Gothos*, prælio superatos ab Hunnis, qui universam quoque eorum regionem occuparunt, *fugientes in Romanorum regionem trajecisse; transmissoque fluvio legatos ad imperatorem misisse, qui se auxiliares in posterum fore Romanis pollicerentur, peterentque ut ipsis, ubicumque vellent, degere concederetur. Hujus legationis princeps dicitur fuisse Ulphila, episcopus gentis Gothorum .... Ulphila, qui tunc apud ipsos erat episcopus, initio quidem nulla in parte dissensit ab Ecclesia Catholica. Cumque regnante Constantio imprudenter, ut opinor, unà cum Eudaxio & Acacio Constantinopolitana synodo interfuisset, cum episcopis Nicænorum patrum decreta sectantibus communicare perseveravit. Sed cum venisset CPolim & Arianæ sectæ antistites de religione cum eo disseruissent, eique polliciti essent, se legationem illius adjutores esse apud imperatorem, modo idem cum ipsis sentire vellet; necessitate compulsus, vel quod eam de divinitate sententiam potiorem esse existimaret, cum Arianis communicasse dicitur, seque & universam gentem ab Ecclesia Catholica abrupisse.*

B

liturgiam Orientalem

64 *Gothi enim, in iis quæ ad religionem pertinent, ejus magisterio eruditi, & ad mansuetiorem cultum per eum traducti, cunctis in rebus ei facilè obtemperabant, pro certo habentes, nihil eorum, quæ ab illo aut dicerentur, aut fierent, improbum esse; sed cuncta ad utilitatem eorum, qui zelo Dei ducerentur, spectare. Quin & virtutis suæ multiplex experimentum dedit. Quippe qui pro Christi fide innumera subierit pericula, dum barbari adhuc gentilium ritu simulacra colerent. Primusque apud eos inventor extitit literarum, & sacros libros in patriam sermonem convertit.* Theodoretus lib. 4, cap. ultimo similia narrat compendiosius, & nonnulla superaddit, à Philostorgio & Sozomeno prætermissa; ut ejus verba huc etiam transcribere, supervacaneum non videatur. Sic itaque habet ex

C

editione Henrici Valesii: *Ego verò operæ pretium facturus mihi videor, si ignaros docuero, qualiter barbari* (Gothi) *Arianam hæresim amplexi sint. Quo tempore Gothi Istrum trajicientes, fœdus cum Valente percusserunt, abominandus ille Eudoxius, qui tum aderat, suggessit imperatori, persuadendum esse Gothis, ut cum ipso communicarent: nam cum diu antea divinæ cognitionis radiis illustrati essent, in Apostolica doctrina semper fuerant enutriti.*

adhibuisse referuntur.

65 *Quod* Eudoxii *consilium cum approbasset Valens, optimatibus Gothorum proposuit, ut in doctrina fidei cum ipso consentirent. At illi responderunt numquam se adduci posse, ut à Majorum suorum doctrina discederent. Porro ea tempestate, Ulfila, totius gentis erat episcopus, magnæ apud illos auctoritatis;* qui verbis & muneribus Eudoxii eò impulsus est, *ut Gothos ad communionem imperatoris amplectendam adduceret. Id autem persuasit, cum diceret contentionem ex ambitione ortam esse; dogmatum verò nullum esse discrepantiam. Quamobrem Gothi hactenus, Patrem quidem Filio majorem esse dicunt: Filium tamen creaturam dicere non sustinent, licet cum iis communicent, qui ita dicunt. Nec tamen à Majorum doctrina penitus discesserunt. Etenim Ulfila, cum eis persuadere vellet, ut cum Valente & Eudoxio communicarent, nullam dogmatum discrepantiam esse dixerat; sed ex inani altercatione ortum fuisse dissidium.*

Sæc. V.

quæ una cum ipsis Gothis in Hispaniam invecta sit.

66 Quæ cum ita se habeant; ut jam propositum mihi elucidationis liturgiæ in Hispania seculo V filum prosequar, intelligi datur ex dictis 1. Quod præter liturgiam antiquam Catholico ritu ibidem hactenus usitatam, alia simul cum victricibus Gothorum armis eò introducta fuerit; quam etenim seculo IV ante imperium Valentis, duce, præmonstratore, instructore atque antesignano Ulfila unà cum fidei Christianæ rudimentis didicerant (& verò quando illa ab ipso didicere, didicisse & hanc ab illo, quis dubitet;) hanc quoque sine dubio in Hispaniam detulere secum, quando stabilem ibidem seculo V fixere sedem. Intelligimus 2. Quod, sicut cum fide Catholica, prima eorum institutio sacra consentiebat, sic etiam liturgia sacra à Catholica dissentiens tunc non fuerit ab ipsis adhibita; de tempore autem, quo Ariana fuligine infecti fuere, id non ita ausim affirmare: nam dicere promptum mihi non est, an & quo usque iisdem sordibus liturgicæ apud ipsos res fuerint infectæ. 3. Intelligimus, vel totam eorum liturgiam, vel pro magno saltem parte Orientalem fuisse. Quod verò de isto Ulfila, Gothorum catechista & episcopo, longior & repetitis quidem vicibus institutus recidierit sermo, non frustra id factum est; nam ex idea ipsius, hoc loco præmissa, lux quædam accedet alteri loco, quo de abrogatis in Hispania Toletanis seu Gothicis characteribus, quos vidimus ipsum ad Gothos propagasse, dicendum erit inferius.

E

& videtur fuisse

67 Res Gothorum sacras habuisse cordi S. Joannem Chrysostomum, liquet ex ejus epistola ad Olympiadem, quæ est 14 in editione Latina operum ipsius Parisiis excusa anno 1588; in Græca verò Henrici Savilli est ordine 13. Itaque in ea, quam primo loco nominavi, editione reperio sequentia: *Hoc autem quod dicturus sum, ne prætereas, verum de eo perquam ingens studium exhibeas. Narraverunt mihi Marsi ac Gotthi monachi, apud quos Serapion episcopus perpetuo delitescebat, Moduarium diaconum venisse, illud afferentem, eximium illum atque admirabilem virum Unilam*, quem nuper ita pridem episcopum creavi, atque in Gotthiam misi, multis ac magnis rebus gestis, diem suum extremum clausisse: ac regis Gotthorum litteras attulisse, quibus, ut ad eos episcopus mittatur, petit. Quoniam igitur ad subversionem eam, cujus minæ nobis intentantur, depellendam, nullum aliud adjumentum conspicio, quam cunctationem ad dilationem (neque enim nunc ipsi in Bosphorum aut in illas partes navigare possunt) da operam, ut illos ob hiemem remoreris. Atque hæc, quæso, ne negligenter prætereas. Istud enim si perficiatur, maximi momenti erit.*

* *Græcè apud Savilium Οὐνίλας*

Constantinopolitana.

68 *Duo quippe sunt, quæ si contigant* (*quod Deus procul avertat*) *maximè me excruciant, nempè & quod ab istis creandus ille sit, qui tot mala perpetravit, & quod simpliciter quispiam ab his creetur, à quibus creari nefas est.* Omnia hæc ansam præbent non vanam suspicandi, quod tam episcopus ille à S. Joanne Chrysostomo creatus, & in Gothiam missus, quam alius in istius defuncti locum eò mittendus, liturgiam eò secum CPolitanam deduxerint, quodque illa ipsa fuerit, quam habebant Gothi, quando Hispaniam invaserunt, id quod paucis annis post mortem S. Joannis Chrysostomi contigit. Quamquam enim sub imperio Valentis aliquot antè annis natio Gothica fascino Arianorum, uti vidimus, seducta fuerit; mansisse

Sæc. v.

tamen inter illos primævæ suæ institutionis tenaces & probè Catholicos, conficitur ex producto loco S. Chrysostomi; atque adeo inde etiam intelligi posse videtur, repertos fuisse Catholicos, Arianis admixtos, dum irruptio in Hispaniam facta est; quos sua illuc secuta fuerit liturgia, fortè eadem cum illa, quam Gothi Ariani adhibebant, vel saltem non multum diversa; quæ ex Orientali aliqua ad illos transierit.

Turbulentis hisce temporibus.

69 Quia autem turbulentis istis & Hispaniæ fatalibus temporibus sacra omnia & profana sub barbaris nationibus sus deque vertebantur, vastationibus, deprædationibus, rapinis, cædibus, incendiis, sacrilegiis ac profanationibus eorum exposita; mirari utique non debemus, seculum illud obscurum adeo delitescere circa individuam ac singularem rerum liturgicarum communicatam cum posteris notitiam: quamquam aliunde satis constet, quod miserrima illa ibidem rerum facies non obstiterit, quo minus plurima circa disciplinam ecclesiasticam sancita fuerint publica auctoritate: uti videre est apud Aguirrium *tom.* 2, *à pag.* 190: ubi agitur de concilio Bracarensi, anno circiter Christi 411 celebrato; quod in adjectis ad illud notis tamquam genuinum censet. Concilii Hispanici generalis, suasu S. Leonis PP. in causa Priscillianistarum anno Domini 447 indicti, regula fidei occurrit pag. 202. Epistola Pontificis prædicti 95 *alias* 109 ad episcopos Galliarum & Hispaniarum de celebrando Paschalis festi die, anno 445, habetur pag. 223; quam pag. 225 sequitur Epistola 1 Episcoporum Tarraconensium, anno circiter 465 ad Hilarum PP. data, & in concilio Romano anni 465 lecta.

B

Tarraconensis provincia præcipua custos legum & canonum:

70 Conqueruntur in ea apud Pontificem de ordinatione episcopi contra regulas & canones, eumque consulunt de isto casu; ut illis abusibus velociter occurratur. *Et quamquam barbaricus furor*, uti pag. 226 notatur ex Binio, *Gotthorum, Hispaniarum ecclesias prope omnes devastantium, vigorem ecclesiasticæ disciplinæ relaxasset, Tarraconensem tamen provinciam custodem legum & canonum permansisse, Romanum Pontificem observasse; omnes controversias ad eamdem, velut ad supremum judicem & pastorem Ecclesiæ, detulisse; hæc epistola manifestè satis indicat.* Cum quanta verò & quam patheticis expressa terminis submissione ad Sedis Apostolicæ oraculum confugerint, liquet ex his eorum in initio epistolæ verbis: *Nos Deum in vobis penitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam; inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipiunt.* In fine verò epistolæ sic dicunt: ... *erit profecto vester triumphus, si apostolatus ... temporibus, quod S. Petri cathedra obtinet ... Catholica audiat Ecclesia, si novella zizaniorum semina fuerint extirpata.*

C

Liturgia tum ibi, tum alibi videtur viguisse.

71 Nos interim, quod huc spectat, discere possumus ex illa epistola, quod, sicut Tarraconensis provincia in summa aliarum ecclesiarum devastatione, custos legum & canonum fuit; sic etiam una ista præ reliquis omnibus haud dubie excelluerit in conservando augustissimo sacræ liturgiæ deposito; atque in id incumbendo enixè, ut nulla sui parte temeraretur, minueretur ejus majestas, interturbaretur ordo: quamquam is, si non jam tum, saltem seculo VI à primævo fuit diversus. Verùm etiam alibi in Hispania divinum arduis hisce temporibus floruisse cultum, colligo ex epistola Simplici PP. ad Zenonem Spalensem episcopum, qua *committit illi vices Apostolicæ sedis in omnibus Hispaniarum ecclesiis*, prout præfert ejusdem epistolæ synopsis; ibid. pag. 232. Quamquam non constat, quo determinatè anno ea fuerit data; contigisse tamen hoc oportet intervallo illo, quod est inter annum 467, quo adiit pontificatum; & annum 483, quo illum unà cum vita exuit. In illa itaque epistola laudatur Zeno *digna honoris remuneratione cumulandus . . ., per quem in his regionibus* DIVINUS *crescere innotuit* CULTUS.

D

§. II.

Plurima ad res liturgicas spectantia proferuntur.

Ex concilio Tarraconensi circa divinum officium;

SEculum æræ Christianæ sextum, plurimarum notitiarum magis ferax quam alia quinque prægressa, aream bene latam pandit, ut sensim sine sensu in arcana & abstrusa hactenus divinæ liturgiæ adyta aliquo saltem usque penetremus. Viam præmonstrant Hispaniarum concilia isto sexto seculo celebrata; quæ memorantur apud Aguirrium tom. 2, à pag. 235. Concilium Tarraconense decem episcoporum anno Christi 516 illigatum, quædam præscribit, non ad mysteria liturgica, sed ad mores seu disciplinam ecclesiasticam pertinentia, quæque ea de causa huc non transcribimus. Sequentia utcumque hujus loci esse, censeri possint; cum sint instituta, ut majore cum solemnitate divinum officium peragatur. Igitur tit. 7 sic dicitur: *De diœcesanis ecclesiis vel clero, id placuit definiri, ut presbyteri vel diaconi, qui inibi constituti sunt, cum clericis septimanas observent: id est, ut presbyter unam faciat hebdomadam: quâ expletâ succedat ei diaconus similiter; ea scilicet conditione servata, ut omnis clerus die Sabbato ad Vesperam sit paratus: quo facilius die Dominico solemnitas cum omnium præsentia celebretur: ita tamen, ut omnibus diebus Vesperas & Matutinas celebrent; quia desistante clero (quod est pessimum) comperimus, in basilicis nec luminaria ministrari. Si qui sanè negligentiæ vitio hæc implere noluerint, noverint se secundùm statuta canonum, pro modo personarum, canonicæ disciplinæ subdendos.*

E

F

ac Gerundensi varia præscribuntur circa Missam &c.

73 Apud eumdem Eminentissimum à pag. 241 ponitur concilium Gerundense septem episcoporum, anno Christi 517 habitum, in quo notantur ista 1. *De institutione Missarum, ut quomodo in metropolitana Ecclesia fuerit, ita in Dei nomine, in omni Tarraconensi provincia, tam ipsius Missæ ordo, quam psallendo vel ministrandi consuetudo conservetur.* 2. *De Litania, ut expleta solemnitate Pentecostes, sequenti septimana, à quinta feria usque in Sabbatum; per hoc triduum, abstinentia celebretur.* 3. *Item secunda litania facienda sunt Kalend. Novembris; ea tamen conditione servata, ut si iisdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada, secundùm prioris abstinentiæ observantiam, à quinta feria incipiatur, & in Sabbato Vespere Missâ factâ finiantur. Quibus tamen diebus à carnibus & vino abstinendum decrevimus.* Omnia denique, quæ ibidem sancita sunt, excipiunt ista verba: *Ita nobis placuit, ut omnibus diebus, post Matutinas & Vespertinas, oratio Dominica à sacerdote proferatur.*

Observatio Ambrosii de Morales circa litanias.

74 Ceterùm circa litanias varia ibidem notantur à pag. 243. Breve est illud Ambrosii de Mora-

A

Moraleз in Chronico generali Hispaniæ lib. XI, fol. 51, ubi observat, *istas litanias Hispaniæ magis esse antiquas quam Romanas: nam hæ institutæ sunt pluribus post annis à S. Gregorio PP., Romæ inquam, neque enim adhuc erat usus litaniarum, quem nunc habet Ecclesia; tametsi jam tum antea eas haberent in Gallia, institutas à S. Mamerco* *, *episcopo Viennensi: prout in Sidonio Appollinare, Gregorio Turonensi, & in Martyrologio Usuardi apparet*. De Mamerto isto, Vita functo post annum 475, actum est apud nos die XI Maii, pag. 629 & seqq., ubi plura invenies. At ne ab instituto nostro in hujusmodi rebus longiùs evagemur; prius quædam memoriâ repetenda sunt, quam ulterius pergamus.

* Mamerto

Hispanos alicubi deflexisse à Romana liturgia;

75 Dictum est supra, 1. Quod sacra liturgia à S. Petro Apostolo in Hispaniam manarit. 2. Quod Orientalis comitata eò fuerit Gothos: hanc verò ultimam alicubi in Hispania, adeo arrisisse Catholicis, suspicor, ut eam vel Romanæ immiscuerint, vel fortasse tertiam aliquam ex utraque simul conflaverint. Etenim si nihil horum contigit, & si manserit immutata in provincia Bracarensi Catholicorum liturgia;

B

quorsum pertinet igitur epistola Vigilii PP. ad Profuturum episcopum Bracarensem (non ad Eutherium sive Eutherium, ut in omnibus Conciliorum editionibus scribi in titulo epistolæ observat, & improbat Aguirrius in notis pag. 277) quorsum, inquam, pertinet ista epistola ad dictum episcopum data, cujus consultationibus Pontifex respondet, anno Christi, uti annotatur, 538? de quo tamen consule Aguirrii notas eadem pag. 277; cum Vigilius nondum tunc fuerit Pontifex rite electus, sed solus S. Sylverius. Frustra itaque ad hunc Bracarensem metropolitam direxisset Romanæ liturgiæ contextum Vigilius (fortè per prolepsin Papa vocatus) si in provincia Bracarensi tunc, vel etiam priùs à Romanæ liturgiæ ordine non deflexissent. Neque intelligo, quò probabilius deflexerint, quàm ad liturgiam Orientalem, spectatis rerum adjunctis. Titulus itaque quintus, prædictæ epistolæ præfixus, sic sonat: *De Paschæ festivitate, precum ordine, ac Missarum solennis*, Textus verò ita se habet:

C

suadetur ex epistola Vigilii ad Profuturum, episcopum Bracarensem.

* diversum.

76 *Pascha verò futurum nos, si Deus voluerit, XI Kalendarum Maiarum die celebraturos esse cognoscite. Ordinem quoque precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum* *; *sed semper eodem tenore oblata Deo munera conferrare. Quoties verò Paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes & Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctæ solennitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus. Cetera verò ordine consueto prosequimur. Quapropter & ipsius canonicæ precis textum direximus subteradjectum, quem (Deo propitio) ex Apostolica traditione suscepimus. Et ut charitas tua cognoscat, quibus locis aliqua festivitatibus apta connectes, Paschalis diei preces similiter adjecimus*. Porro per *canonicæ precis textum* intelligo sacræ actionis canonem, & animadverto, arctum illud in istis arcanis sacrosanctis scripto communicandis secretum, quale superiùs à S. Innocentio adhibitum fuisse dixi, non observatum fuisse hoc seculo sexto ea cum cautela; nec porro ita observari debuisse; quandoquidem tunc extabant liturgiæ litteris consignatæ, juxta ea, quæ superius dicta sunt.

77 Concilium Barcinonense, de quo Aguirrius pag. 279., quodque anno circiter Christi 540 celebratum notatur, canonibus suis nonnulla interserit, ac statuit 1. *Ut Psalmus quinquagesimus ante Canticum dicatur*. 2. *Ut benedictio in Matutinis fidelibus, sicut in Vespera, tribuatur*. Valentinum anno 546 congregatum, est pag. 288, & ad rem sacram aliquid statuit: sic enim sex episcopi, qui eidem interfuerunt, decernunt titulo 1: *Anno XV Theodorici regis, sub die 11 Non. Decembr. in nomine Domini numini nostri Jesu Christi Valentiæ in Concilio congregati, cum de Ecclesiastica regula tractaremus, antiquos canones relegentes, inter cetera, hæc* * *censuimus observandum, ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem, vel Missam Catechumenorum, in ordine lectionum, post Apostolum legantur: quatenus salutaria præcepta Domini nostri Jesu Christi, vel sermonem sacerdotis non solum fideles, sed etiam Cathecumeni ac pœnitentes, & omnes, qui ex diverso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem adtractos evidenter scimus*. Aguirrius in notis monet, pro *Theodorici* sine dubio legendum esse *Theudis* seu *Theudiredi*. Præterea *in omnibus Hispaniæ conciliis morem fuisse, ut codex canonum initio legeretur*, ibidem observat, citans Acta ipsorum, *ac propterea*, sicut rectè infert, *concilia Hispaniæ semper & ubique in magna æstimatione fuerunt, veluti maturè celebrata ad præscriptum & amussim sacrorum canonum*.

Sæc. VI. Concilium Barcinonense ac Valentinum nonnulla circa Officium ac Missam sanciunt.

* lege hoc

E

78 Synodus Bracarensis, quæ apud Aguirrium tom. 2 pag. 292 notatur prima; apud Labbeum verò tom. 5, col. 836, secunda; & quæ signatur apud Eminentissimum Aguirrium anno 561 celebrata, differente illam Baronio ad annum 563) omnimodam urget in divinis officiis uniformitatem; Nam *omnes episcopi dixerunt: Necessarium & valde hoc utile arbitramur, ut ea quæ apud unumquemque nostrûm varia & inordinata consuetudine retinentur, unita inter nos, per Dei gratiam, quo per concordiam celebrentur officio. Et idcirco si quid illud est magnum vel parvum, in quibus variari videmur, ad unam, sicut dictum est, formulam, præfixis rationabiliter capitulis, revocentur: præcipuè cum & de ceteris quibusdam causis instructionem apud nos Sedis Apostolicæ habeamus, quæ ad interrogationem, quondam venerandæ memoriæ prædecessoris sui Profuturi, ab ipsa beatissimi Petri Cathedra directa est*. Ista ad Lucretium, metropolitanæ in Gallæcia provincia Bracarensis ecclesiæ Præsulem; dum præfati essent episcopi, suam deinde mentem synodus ista declaravit, editis super hac re variis capitulis in hæc verba: 1. *Placuit omnibus communi consensu, ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officiis teneatur; & non diversæ ac privatæ, neque monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica regula sint permistæ*. II. *Item placuit, ut per solemnium dierum vigilias vel Missas, omnes easdem, & non diversas lectiones in ecclesia legant*. III. *Item placuit, ut non aliter episcopi, & aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur; & ut respondeatur à populo: Et cum spiritu tuo: sicut & ab Apostolis traditum omnis retinet Oriens: & non sicut Priscilliana pravitas permutavit*. IV. *Item placuit, ut eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus metropolitanæ ecclesiæ episcopus, ab ipsa Apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum*.

In Bracarensi Missa uniformis.

F

79 Et quibusdam aliis intermixtis, quæ non sunt propriè hujus loci, nimirum circa baptismum,

Et alia nonnulla præscribuntur.

Sæc. VI,

mam, episcoporum subordinationem, portiones ecclesiasticarum rerum, ac non ordinandum ab episcopo clericum alterius, mox subditur: IX. *Item placuit, ut quia in aliquantis hujus provinciæ ecclesiis diacones absconsis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre à subdiacono videantur: de cetero superposito scapulæ (sicut decet) utantur orario.* . XI. *Item placuit, ut lectores in Ecclesia in habitu seculari ornati non psallant, neque granos gentili ritu dimittant.* XII. *Item placuit, ut extra psalmos, vel canonicarum Scripturarum novi & veteris Testamenti, nihil poeticè compositum in ecclesia psallatur: sicut & sancti præcipiunt canones.* XIII. *Item placuit, ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis, viris vel mulieribus; nisi tantùm clericis: sicut & antiquis canonibus statutum est.* At ne cuiquam injiciat moram vox *granos*, modicè explanat illam Cardinalis Aguirrius in notis pag.297: *Extusi* ait GRADUS, *lego* GRANOS, *ut est in manuscripto.* Tum subdit illud Isidori lib.19 Etymologiarum cap.23.

parva circa modum ejus loquendi observatio;

B

80 *Nonnullæ etiam gentes non solùm in vestibus, sed & in corpore aliqua sibi propria, quasi insignia vindicant; ut videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gotthorum.* At quale illud Gothorum insigne, quod per *granos* hic indicatur? *Existimat*, inquit Aguirrius, „*D. Loaisa, esse genus laicæ vestis oblongæ: at ex iis verbis S. Isidori potiùs colligere debuisset, esse cincinnum, vel capillitium, ut exponit Jo. Ludov. Zerda in Adversar. cap.177 ex antiquo interprete in verba illa Judith: „ Et discriminavit crinem „, &c. ubi exponit* GRANOS *fecit.* Per vocem autem *sanctuarium*, uti hic rursus rectè ex Loaisa observat Aguirrius, *velum intelligitur, quo distinguebatur locus altaris, & tegebatur, ne omni populo esset conspicuus. Hoc constat ex Gregorio in epist.XXX ad Constantiam August. lib.3. Vocatur & brandeum, ex quo, cum à S. Leone PP. forcipibus incideretur, sanguis effluxit. Alibi appellatur velamen.*

& aliorum quorumdam circa hanc synodum annotatio.

81 Per illa verba capituli XII, quibus dicitur, *sicut & sancti præcipiunt canones*, videtur alludi ad canonem LXVII, qui ponitur post capitula, ex Orientalium synodis à S. Martino episcopo Bracarensi collecta, & in concilio Lucensi publicata; vide Aguirrium à pag.325. Canon verò iste LXVII his verbis constat: *Non oportet psalmos compositos & vulgares in ecclesia dicere; neque libros, qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos novi & veteris Testamenti.* Forsan respexit synodus ad illud Augustini epistolâ 55, alias 119, ad Inquisitiones Januarii, cap.18, ubi de Donatistis dicitur, quod *ebrietates suas ad canticum psalmorum, humano ingenio compositorum, quasi ad tubas exhortationis inflammant.* Quidquid sit; Patres concilii IV Toletani can.13 præscripserunt postea; non esse renuendos hymnos, à sanctis doctoribus compositos. Ratio quoque hic habeatur eorum, quæ ad canonis XIII superioris explanationem affert pag. 297 Aguirrius ex Loaisa: sunt autem ista: *Sacerdotibus & levitis dabatur communio ante altare, clero in choro, populo extra chorum. Id constat ex concilio Toletano IV, cap.18. Hinc à locorum divisione vocatur laica communio, & peregrina, & sacerdotalis.*

C

Liturgia Hispanica ex Orientali commixta.

82 Quæ superius dicebam de ritibus liturgicis in provincia Bracarensi ex Orientali liturgia commixtis; suspicor non intra solam istam provinciam obtinuisse, sed ad alios quoque extensa fuisse Hispaniæ tractus. An verò & quomodo id fiat verosimile; qua item auctoritate, occasione atque adminiculis executioni illud videatur mandatum, nunc discutiam, simulque conabor exponere, quo loco fuerint res liturgicæ, ex variis congruentiis, quas subdo, & quibus confirmabo ea, quæ in provincia Bracarensi facta fuisse memorabam; ac præterea in reliquam Hispaniam tempore S. Leandri Orientales quosdam ritus transivisse, suadere cattar.

D

§. III.

Liturgia Romano-Hispanica ex Orientali commixta.

Varia ex liturgia Orientali in Hispanicam translata fuisse,

Liturgiæ Romanæ, primis legis Christianæ temporibus in Hispaniam introductæ, hoc seculo ut plurima ex liturgia Orientali immixta fuisse, probabile admodum mihi videtur ex variis congruentiis; quarum prima sit, quod varii tunc viri ibidem floruerint, qui studium & auctoritatem eò conferre potuerint ac voluerint; nimirum Theodomirus seu Ariamirus, Suevorum rex, Martinus Dumiensis archiepiscopus Bracarensis; Joannes Biclarensis, ac Leander. De singulis dicam. Cardinalis Baronius ad an.563, num.14 scribit ista: *Dum imperator* (Justinianus) *in Oriente à Catholica fide deficiens, insequitur Orthodoxos (o mirabile divinæ providentiæ signum!) in Occidente, qui erat hæreticus ad fidem conversus princeps, collegit Catholicos episcopos; per quos concilium celebrat, quo damnentur hæreses cum hæreticis. Hoc enim ipso anno, qui tertius Theodomiri, Suevorum regis numeratur; idem princeps celebrari curavit concilium Bracharense, in totius Gallæciæ metropoli civitate. Porro in editis ibi canonibus, loco Theodomiri, Ariamirus positus est, qui ejus filius fuit. Præfuit autem synodo Lucretius Bracharensis episcopus, qui successit Profuturo; præcessit autem Martinum.*

E

ex persona regis Theodomiri seu Ariamiri;

84 De Theodomiro & Ariamiro, eodem an diverso; de anno item, quo concilium illud celebratum est, agitur apud Aguirrium in notis variorum pag. 296. Gregorius verò Turonensis De miraculis S. Martini lib. 1, cap.XI mirabilem regis prædicti & subditorum ejus ab hæresi Ariana conversionem narrat; ubi perperam in plerisque Mss. haberi *Chararicum*, observat hic Ruinartius in novissima operum S. Gregorii Turonensis editione col. 1012. Recens ergo illa ac planè mirabilis conversio plurimum favebat, ne vel ex parte regis, vel ex parte subditorum moræ quidquam injiceretur, si ritus eorum sacros mutari contingeret. Ceterùm quæ de Theodomiro & Suevis orthodoxæ fidei adjunctis, dicta sunt, præclarè confirmata invenies ex S. Isidoro, episcopo Hispalensi, apud nos ad diem XX Martii quo Commentarius historicus datur à pag.86 de S. Martino Dumiensi, archiepiscopo Bracarensi, paucis nunc, quoad in rem præsentem conducet, illustrando.

F

Martini Dumiensis,

85 *Pannonia ortus fuit*, teste Gregorio Turonensi Historiæ Francorum lib.5, cap.38, *& exinde ad visitanda loca sancta in Orientem properans, in tantum se litteris imbuit, ut nulli secundus suis temporibus haberetur.* Vixit in Gallæcia annis circiter 20; obiit anno 580, sicut notatur in citato Commentario. Exstat in ejusdem laudes carmen Venantii Fortunati, quod Aguirrius inseruit suo tomo 2, pag.324; & pag.325 agitur de capitulis, quæ ex orientalibus synodis laudatus Martinus collegit, in melius restauravit, & in concilio Lucensi publicavit, notante ad nostrum circa arcana liturgica

ea institutum Loaisa apud Labbeum tom.5 Conc., col.902: *Graecus homo... ad mores nostrorum hominum Graecos ritus sanctè & prudenter accomodavit*. Quod verò tam hic dicit, tam paullo ante ibi præmiserat, *erat Graecus*; contradicit Gregorio Turonensi & Fortunato, si de natalibus seu patria S. Martini illud intelligas. Plura de eo ac scriptis ejus dabunt S. Isidorus jam designatus, de Viris illustribus cap.35, Nicolaus Antonius Bibliothecæ Hispanæ veteris lib.4, cap.3, Commentarius noster mox allegatus, & Mabillonius Actorum Ordinis Benedictini tom.1, à pag.257.

Joannis Biclarensis,

86 Iisdem temporibus floruit Joannes, cum Biclarensis à monasterio, cui præfuit, tum ab ecclesia, quam rexit, Gerundensis vocatus. Elogium ejus S. Isidorus inter ea, quæ memorat De viris illustribus, cap.44 his verbis concinnat: *Joannes Gerundensis ecclesiæ episcopus, nativitate Gothus, provinciæ Lusitaniæ Scalabi* * *natus. Hic cum esset adolescens, Constantinopolim perrexit, ibique Græca & Latina eruditione munitus, post decem & septem annos in Hispanias reversus est, eodem tempore, quo, incitante Leovigildo rege, Arriana fervebat insania. Hunc supradictus rex, cum ad nefandæ hæresis crudelitatem compelleret, & hic omnino resisteret, exilio trusus, & Barcinonem relegatus, per decem annos multas insidias & persecutiones ab Arrianis perpessus est. Qui postea condidit monasterium quod nomine Biclaro dicitur; ubi congregata monachorum societate, scripsit regulam ipsi monasterio profuturam, sed & cunctis Deum timentibus necessariam*: & mox injecta ab Isidoro mentione scriptorum ejus, *& multa alia*, inquit, *scribere dicitur, quæ ad nostram notitiam non pervenerunt*. De hoc Joanne Gerundensi diffusiùs tractat Nicolaus Antonius Bibliothecæ Hispanæ veteris lib.4, cap.5; ubi illam, quam & nos supra dedimus, lectionem præferendam tenet, quæ non *septimo demum anno*; sed *post decem & septem annos* in Hispanias reversum esse Joannem istum, habet.

* *Nunc dicitur Santaren*

suaderi videtur;

87 Jam verò ut ad priora, quorum gratiâ paullo fusiùs deducta hæc sunt, retro referamus pedem; facilè ex dictis intelligitur, quod locorum ac personarum, adde & temporis adjuncta, eò mirificè conspirarint, ad ritus, cæremonias, preces, ac consuetudines ecclesiæ Orientalis inserendas Hispanicæ veteri liturgiæ; non importuno atque alieno tempore quæsita, nedum affectata, sed sponte oblata, ac proinde facili & percommoda ad hoc tentandum favente occasione, prout ex præmissis abunde constat. Sed enim ex parte Theodomiri seu Ariomiri, Suevorum regis, jam ad Christianam fidem ab Arianismo conversi, erat timendum nihil; quin potiùs tam illi quam ejus subditis grata ea res debuerit accidere; imo verò id ipsum fortasse urserint apud episcopos Gallæciæ, ut liturgiæ Romanæ, à Vigilio ad Profuturum directæ, nonnullæ interserereutur preces, aut alia hujusmodi, ex Ordine liturgico Orientali, cui, utpote Ariani, videbantur ipsi assuevisse, exprompta, vitato interim, ut credere par est, omni excessûs, defectûs, errorisve periculo. Et sanè num prudenter timeri illud poterat? Aderat quippe Martinus Bracarensis archiepiscopus; aderat Joannes episcopus Gerundensis, ambo egregiis scientiæ atque virtutum dotibus præstantes, ad Orientem profecti ambo, Orientales quodammodo ambo, ut ita dicam, si natales excipias; ex Oriente deinde ambo in Hispaniam reduces, memoresque eorum omnium, quæ cum in rebus ecclesiasticis generatim, tum in liturgicis singulatim coram usurpari inspexerant.

ac potissimùm ex S. Leandro episc. Hispal.

88 Quid de S. Leandro, magno Gothorum apostolo, dicam, cum gesta Viri istius in clara adeo luce versentur, ut supervacaneum sit, pluribus hic verbis in laudes ejus excurrere. Elogium ipsius contexuit germanus ejus frater, & dignissimus in cathedra Hispalensi successor, S. Isidorus De viris illustribus cap.41; gesta quoque laudati Præsulis jam pridem apud nos Commentario historico illustrata sunt die XIII Martii à pag.275, & apud Mabillonium Actorum Benedictinorum sec.1, à pag.378. Annus mortis ab aliis alius ponitur; sed idem Mabillonius ex SS. Gregorio PP. & Isidoro inter se collatis, illam affigit anno 601. Quod huc spectat, illud est, quod arctissimam Constantinopoli cum S. Gregorio Magno amicitiam contraxerit; de qua te ipsemet Gregorius in epistola, expositioni libri Jobi præfixa, testatur his verbis: *Reverendissimo & sanctissimo fratri suo Leandro coepiscopo Gregorius S. S. D. Dudum te, Frater beatissime, in Constantinopolitana urbe cognoscens, cum me illic Sedis Apostolicæ responsa constringerent, & te illuc injuncta pro caussis fidei Wisigothorum legatio perduxisset, omne in tuis auribus, quod mihi de me displicebat, exposui*.

intimo amico S. Gregorii M.

89 Gregorio deinde ad summi pontificatus apicem evecto, amicitia, quæ ibidem inter utrumque hunc sanctum par intercesserat, ultro citroque postmodum datis literis conservata atque confirmata (adi citatum Commentarium §.3, pag.279) satis S. Leandro præbuerit causæ, ut in sacra ecclesiæ Hispanicæ Officia introduceret varias consuetudines, in ecclesia CPolitana, ejusdemque suffraganeis usitatas; eo præsertim quod ipse S. Gregorius PP. satis suâ sponte propensus fuerit, ut optima quæque ex sacro vel ecclesiæ CPolitanæ vel alterius Officio excerperet, & in Romanum transferret. Id lucescit ex epistola sanctissimi Pontificis 63, lib.7 jam superius assignata, ad Joannem episcopum Syracusanum, in qua *contra aliquorum murmurationem, rationem reddit de Missæ ordinatione*, quasi *ecclesiæ CPolitanæ consuetudines per omnia sequeretur*. Ad quæ postquam sanctus Doctor respondisset; *In quo ergo*, fundit, *Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparavimus, aut* NOVAS & UTILES CONSTITUIMUS; *in quibus tamen* ALIOS *comprobamur* IMITARI?.. *De Constantinopolitana ecclesia quod dicunt; quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam?..*

& satis propenso, ut ex liturgiis optima excerperentur; cum variis rationes

90 *Tamen si quid boni vel* IPSA *vel* ALTERA ECCLESIA *habet; ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo*, IN BONO IMITARI PARATUS SUM. *Stultus est enim, qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit, discere contemnat*. Quæ ergo Sanctus viderat ac didicerat CPoli, aut alibi hauserat liturgici ritus puncta, quamquam *nova*, tamen *utilia* omnino se promptum disertè indicat, ut ea in Ecclesiæ Romanæ usum converteret. Quantum itaque erat ex parte Romani Pontificis, si à Leandro, uti credere par est, consultus sit, facilè is ab illo inclinari se passus fuerit, ut mutatio aliqua fieret in veteri Hispanica liturgia; vel si non consultus sit, nullo negotio intelligi potest, quod Leandro novi aliquid in hoc genere meditanti non obstiterit, cum in hujusmodi *nova*, modo simul *utilia* Pontifex ille Romanus satis, ut dixi, propenderet. Ex parte autem Visigothorum ut aliquid in hoc genere fieret, nonne omnino conveniens & rationi congruum erat?

Emer-

Emergebant illi è barathro errorum, amplectebantur nova sacra, liturgiæ suæ, Ariana tunc fortassè multis locis contagione corruptæ, nuntium remittebant; nonne itaque conducens planè erat in rem Catholicam regni Hispanici, recentissimè ad Christum adjuncti, indulgere pluscululum; obsecundare in loco & tempore, ac deferre novis conversis, & ex Orientali liturgis delibare nonnulla, ut hoc pacto magis prompti, volentes ac lubentes sacra mysteria frequentarent? Hæc itaque aut certè similia rationum momenta induxisse S. Leandrum ad mutandam liturgiam, credibile est.

Assignantur, cur ex liturgia CPolitana S. Leander aliqua in Hispaniam transtulerit.

91 Postquam enim Virum hunc à sua legatione CPolitana reversum Leovigildus Visigothorum rex, Catholicos acerbè persequi non cessans, in exsilium unà cum aliis Catholicis episcopis relegarat; intimo deinde animi sensu dolens, quod proprium filium Hermenegildum capitis damnasset, sanctum Præsulem revocavit; filium ei suum natu minorem Reccaredum educandum commisit, talibusque morum institutionibus informandum, quales perfidus ille ac ferox pater in suo Hermenegildo probabat suspiciebatque. Quo factum est, ut Reccaredus, regni quidem paterni successor, sed non heres paternæ vesaniæ, acerrimus exstiterit orthodoxæ doctrinæ propugnator, & cum subditos suos, tum episcopos Gotho-Arianos exemplo & prudentis induxerit, ut fidem Catholicam amplecterentur. Gloriosa porro illa & planè illustris conversio summum accepit splendorem ex celeberrimo concilio Toletano tertio, anno Christi 589 convocato, quod habes apud Aguirrium à pag.338. Inter alia verò, quibus piissimus iste rex affatur patres congregatos, notare juvat ad nostrum propositum sequentia, quibus ostendit Ordinem liturgicum sibi admodum cordi fuisse.

B

Concilium Toletanum 3 statuit symbolum CPolitanum in Missa recitandum.

** forte quemque*

92 *Priùs tamen*, inquit, *admoneo pariter & exhortor, jejuniis vos & vigiliis atque orationibus operam dare, ut Ordo canonicus, quem à sacerdotalibus sensibus detraxerat longa ac diutina oblivio, quo * ætas nostra se nescire fatetur, divinæ nobis rursus dono pateſiant.* Singulare omnino est quod can. 2 *Pro reverentia sanctissimæ fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu piissimi & gloriosissimi domini Reccaredi regis, sancta constituit synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ vel Galleciæ, secundùm formam Orientalium ecclesiarum, concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta episcoporum, symbolum fidei recitetur; ut priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara à populo decantetur: quo & fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus & sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant.* Singulare, inquam, illud omnino est, quod hic circa symbolum statuitur:

C

D

Id quod postea alia fecerunt ecclesiæ S. Leander liturgiam illustravit.

93 Nam Cardinalis Bona lib. 2, cap. 8, num. 1, morem recitandi Symbolum, *Hispani*, inquit, *primi inter Latinos receperunt*; ubi plura de symbolo ab aliis postmodum ecclesiis Occidentalibus recepto, addita invenies. Cæterùm quidnam S. Leander in gratiam officii ecclesiastici præstiterit, breviter exponit S. Isidorus De viris illustribus cap 41, ita loquens: *In ecclesiasticis Officiis idem non parvo laboravit studio: in toto enim psalterio duplici editione orationes conscripsit. In sacrificio quoque, laudibus atque psalmis multa dulci sono composuit.* Quid autem, quale & quantum tum pro Officio ecclesiastico diurno (quod sub nomine *psalterii* hic dictum intelligimus cum Nicolao Antonio Bibl.Hisp.vet.lib.4., cap.4., propter majorem ejus partem psalmis insumptam.) quid item, quale & quantum pro divino Sacrificio elaborarit, in obscuro est. Porro quod nec ipse, nec frater ejus S. Isidorus auctores fuerint veteris liturgiæ Hispanico-Gothicæ, postmodum declarabitur.

E

Quid circa illam in concilio Narbonensi statutum sit.

94 Huc etiam spectat concilium Narbonense, eodem quo Toletanum tertium, anno 589, & sub eodem piissimo rege Reccaredo convocatum; cui regi, & Hispania & Gallia Narbonensis tunc suberat, (de qua re consuli possunt notæ variorum apud Aguirrium à pag.387) quamquam enim in ejusdem concilii canonibus agatur de disciplina ecclesiæ reformando, nonnulla tamen ibidem notata reperio, quæ sunt instituti mei. *Hoc itaque definitum est* canone secundo, *ut in psallendi ordinibus per quemque psalmum Gloria dicatur omnipotenti Deo: per majores verò psalmos, prout fuerint, prolixiùs pausatione fiant, & per quamque pausationem Gloria Trinitatis Domino decantetur.* Canone autem XII dicitur: *Hæc maximè pro Dei timore & modo disciplinæ canonicæ, elegimus custodienda vel tenenda, ut, dum Missa celebratur, nullus presbyter aut diaconus absque aliqua infirmitate, dum Missa perficitur, egredi de altario audeat: nec diaconus aut subdiaconus, certè vel lector, antequam Missa consummetur, albâ se præsumat exuere. Quod si quisquam* &c. Atque hæc quidem hactenus de sex primis Christi seculis. Inspiciamus seculum VII.

F

A

CAPUT III.

Acta circa res liturgicas seculo VII.

§. I.

Multiplex earum notitia ex decretis concilii Toletani IV.

Concilium hoc de rebus liturgicis optimè meritum.

QUod religiosissimus rex Reccaredus à congregatis synodi Toletanæ tertiæ patribus petierat, *admonens & exhortans eos, jejuniis & vigiliis atque orationibus operam dare, ut ordo canoniens, quem à sacerdotalibus sensibus detraxerat longa ac diutina oblivio . . . divino illis rursus dono pateſiant*; quodque exsecutioni circa restaurationem innovationemque sacræ liturgiæ sub Leandro mandari cœptum vidimus, id in pleuissima forma exsecutioni mandatum videbimus in celeberrimo concilio Toletano IV; cui apud Eminentissimum Aguierium tom. 2, pag. 478 præfigitur hic titulus: *Gesta synodalia in Toletana urbe, in concilio LXII episcoporum, Hispaniæ & Galliæ* (Narbonensis seu Gothicæ) *provinciarum, edita anno tertio regnante gloriosissimo domino nostro principe Sisenando, die IX* * *Decembris, æra* DCLXXI *, id est anno Christi 633. Etenim quæ seculo V & VI ad illustrandum veteris liturgiæ Hispanicæ statum ac progressum ex obsoletæ antiquitatis erepera, ut ita loquar, luce coacervare conatus sum, meræ quodammodo videntur esse tenebræ, si cum clarissimis comparentur novæ lucis radiis, quos laudatum illud concilium rebus liturgicis affudit; adeo enim præscribit numero multa, genere singularia, certoque precum, rituum ac cæremoniarum forma, modo, ordine definita, ut operæ pretium sit atque in rem nostram apprimè conducat, illa huc transcribere; unde discat lector statum sacræ liturgiæ in Hispania seculo VII.

B

** Ita etiam apud Labbeum; sed apud Harduin. die nonas*

** Vide notas apud Labb., Aguirr. & Harduin.*

C

præscribit omnimodam in eis æqualitatem,

96 Canon itaque secundus sic sancit: *Placuit, ut omnes sacerdotes . . . nihil ultra diversum aut dissonum in ecclesiasticis Sacramentis agamus . . . Unus igitur ordo orandi atque psallendi nobis per omnem Hispaniam atque Galliam conservetur; unus modus in Missarum solennitatibus; unus in Vespertinis Matutinisque officiis: nec diversa sit ultra in nobis ecclesiastica consuetudo, qui in una fide continemur & regno: hoc enim & antiqui canones decreverunt, ut unaquæque provincia & psallendi & ministrandi parem consuetudinem contineat.* Quod hic dicitur de antiquis canonibus; declaratur exemplis apud Aguirrium in notis variorum pag. 495. Hoc itaque præjacto ad urgendam æquabilem & uniformem in omnibus ubique sacerdotibus observationem eorum, quæ circa officium ecclesiasticum præscribentur, fundamento; pergit synodus ad singularia quædam, quæ vel jubet vel prohibet. Can. V urgetur uniformitas in celebrando Pascha: *Solet in Hispania de solennitatis varietas existere prædicationis. . . . proinde placuit, ut ante tres menses Epiphaniorum metropolitani sacerdotes literis invicem se inquirant, ut communi sententia edocti, diem Resurrectionis Christi, & comprovincialibus suis insinuent, & uno tempore celebrandum annuntient.*

97 Canon VII jubet *celebrari Officium in feria sexta Paschæ*, seu hebdomadæ sanctæ. Textus sic habet: *Comperimus, quod per nonnullas ecclesias in die sexta feria Passionis Domini, clausis basilicarum foribus, nec celebratur Officium, nec Passio Domini populis prædicatur: dum idem Salvator noster Apostolis suis præceperit, dicens &c. Ideo oportet eodem die mysterium crucis . . prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ Resurrectionis, remissis iniquitatibus suscipere mereatur; corporisque ejus & sanguinis sacramentum mundi à peccatis sumamus.* Canon VIII est *De non solvendo jejunio in sexta feria Paschæ, exceptis languidis, senibus, & parvulis*, uti ex hoc canonis titulo liquet; sub pœna in ipso canone expressa, ut *quicumque in eo jejunium . . ante peractas indulgentiæ preces resolverit, à Paschali gaudio repellatur; nec in eo Sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiat.* Canon. IX agit *De benedicendo cereo & lucerna in vigiliis Paschæ*, ut iste ejusdem titulus satis indicat; ex ipso autem canonis textu intelligitur, quod hac in re fuerit defectus per Galliam Narbonensem, quando dicitur: *Et quia hæc observatio per multarum loca terrarum, regionesque Hispaniæ in ecclesiis commendatur, dignum est, ut propter unitatem pacis, in Gallicanis ecclesiis conservetur.*

celebrationem Officii feria 6 Passionis, benedictionem cerei in vigilia Paschæ;

E

98 Canon X circa orationem Dominicam præscribit sequentia: *Nonnulli sacerdotes per Hispanias reperiuntur, qui Dominicam orationem . . . non quotidie, sed tantùm die Dominica dicunt.* Et postquam varia protulisset canon pro quotidiana hujus orationis recitatione, concludit: *Ergo sicut Christus præcepit, sicut Apostolus admonuit, & quemadmodum Doctores ecclesiastici instituerunt, quia quotidie vel cogitatione, vel verbo, vel opere delinquimus; quotidie hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus. Quisquis ergo sacerdotum vel subjacentium clericorum, hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico aut in privato officio præterierit, propter superbiam judicatus, ordinis sui honore mulctetur.* Quod Dominica oratio in sacrificio Missæ publico vel privato dicenda sit, Christus docuit, auctore S. Hieronymo lib. 3 Adversus Pelagianos; *Sic docuit*, inquit, *Christus Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster, qui es in cælis.* S. Gregorii verba habes superiùs num. 43. Hæc, & plura ex Loaisa dat Aguirrius inter notas variorum pag. 498. Quod verò per privatum Officium, à publico hic distinctum intelligi debeat privata recitatio Horarum canonicarum (cui frequens intertexitur oratio Dominica) non autem celebratio Missæ, apud Aguirrium invenies inter notas citatas, eâdem paginâ 498.

quotidianam orationis Dominicæ recitationem;

F

99 Canon XI prohibet cani *Alleluia* in Quadragesima, his verbis: *Item cognovimus, quosdam Hispaniæ sacerdotes, qui in Quadragesima*

item non canendum Alleluia in Quadragesima:

Sæc. VII.

ma diebus Alleluia decantant, præter in ultima hebdomada Paschæ: quod deinceps interdicimus fieri, statuentes, ut in omnibus prædictis Quadragesimæ diebus, quia tempus est non gaudii, sed mæroris, Alleluia non decantetur... quousque veniat tempus Resurrectionis Christi, quando oportet Alleluia in lætitia canere... In temporibus quoque reliquis, id est, Kalendis Januariis, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino Alleluia non decantetur. In quibus etiam præter piscem & olus, sicut in aliis quadraginta diebus, à ceteris carnibus abstinetur, & à quibusdam nec vinum bibitur. Si quis igitur episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum fuerit repertus, qui arbitrium suum huic constitutioni existimet præferendum, ordinis sui officio carere cogatur, & à communione ejusdem Paschæ privetur.

circa quam vocem nonnulla notantur.

100 S. Isidorus Hispalensis Etymologiarum lib. 6, cap. 19, *Alleluia*, ait, *duorum verborum interpretatio est, hoc est, laus Dei: & est Hebræum. Ia enim unum est de decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur*. Præsentis vero canonis constitutio confirmari potest ex eodem S. Isidoro lib. 1. De ecclesiast. officiis cap. 13, ubi hæc scribit: *Laudes, hoc est, Alleluia canere, antiquum est Hebræorum... Apud nos secundum antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies jejuniorum vel Quadragesimæ, omni tempore canitur Alleluia*. Plura dantur apud Aguirrium pag. 498 de hujus vocis usu & significatione.

B

Vetat idem concilium,

101 Canon XII ita statuit: *In quibusdam quoque Hispaniarum ecclesiis Laudes post Apostolum decantantur, priusquam Evangelium prædicetur: dum canones præcipiunt, post Apostolum non Laudes, sed Evangelium annuntiari... Circa omnes igitur sacerdotes hic ordo deinceps retineatur: excommunicationis pœnam suscepturi, qui hunc ordinem perturbaverint*. Sed canon ille, quid sibi velit, dilucidius intelligi poterit ex iis, quæ Cardinalis Bona curiosè circa illum observat lib. 2, cap. 6, num. 4: *Putat*, inquit, *Berno Augiensis cap. 1, tempore hujus concilii gradualia frequentari cœpisse, & Hispanos novitate rei perculsos restitisse; postea verò Romanæ Ecclesiæ auctoritate constitutum fuisse, ut Responsoria & Alleluia ante sanctum Evangelium canerentur: idque ait Walfridus Strabo cap. 22, usu Romano commendatum, ad omnes deinde Latinorum ecclesias pervenisse. Sic omnes fere ignorantiâ facti hunc nodum evadunt, sed non solvunt. Ad ritum enim Mozarabicum, quo tunc* (nondum tamen tum temporis sub ista nomenclatione cognito) *Hispania utebatur, & longo post tempore ibidem viguit* (prout suo loco dicetur) *pertinet citatus canon*.

C

ut Laudes ante Evangelium canantur:

102 *Quem ritum cum quidam sacerdotes perverterent, merito in illos Toletani concilii antistites, Isidoro Hispalensi in eo præsidente, animadverterunt. Sunt autem Laudes, quæ post Evangelium prisco more Hispaniarum dicuntur: non hymnus trium Puerorum, ut ait in notis ad præcitatum canonem Garsias Loaisa; sed versiculus cum Alleluia ei prorsus similis, qui ritu Romano post Responsorium cantatur. Ipsum verò Responsorium cantabant Hispani post lectionem veteris Testamenti, quæ in eorum Missali epistolæ præmittitur. At post epistolam chorus respondet, Amen, & sequitur immediatè Evangelium*. Vide Missæ Mozarabicæ ideam, ac cæremoniarum ejus descriptionem, infrà cap. 9. Pergamus jam ad canonem XIII sæpe memorati concilii, in quo restituitur usus hymnorum; restituitur, inquam; nam, ex supra allato canone XII Synodi Bracarensis 1, *placuit ut extra psalmos, vel canonicarum Scripturarum novi & veteris Testamenti, nihil poëticè compositum in ecclesia psallatur, sicut & sancti præcipiunt canones*, usus hymnorum erat sublatus. His itaque verbis concilium Toletanum IV circa usum hymnorum mentem suam declarat:

D

usum hymnorum restituit.

103 *De hymnis etiam canendis, & Salvatoris & Apostolorum habemus exemplum... Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum & Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt; quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de scripturis sanctorum canonum vel Apostolica traditione non existunt. Respuant ergo & illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque Officio in fine omnium psalmorum dicimus: Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto in secula seculorum. Amen. Nam & ille hymnus, quem nato in carne Christo angeli cecinerunt: „ Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ „ voluntatis „ Reliquaque ibi sequuntur, ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec idem in ecclesiis canendus est, quia in Scripturarum sanctarum libris non invenitur. Componuntur ergo hymni, sicut componuntur Missæ, sive preces vel orationes, sive commendationes, seu manûs impositiones: ex quibus si nulla dicantur in Ecclesia, vacant Officia omnia ecclesiastica... Sicut igitur orationes; ita hymnos, in laudem Dei compositos nullus vestrûm ulterius improbet; sed pari modo Gallia Hispaniaque celebret: excommunicatione plectendi, qui hymnos rejicere fuerint ausi*. De antiquitate hymnorum varia congeruntur in notis variorum apud Aguirrium pag. 499; ubi etiam agitur de eorum auctoribus.

E

§. II.

Aliæ ex decretis ejusdem Concilii Toletani IV notitiæ.

Præscribitur usus hymni trium puerorum, & conclusio psalmorum.

CAnon XIV sequentis est argumenti: *Hymnum quoque trium Puerorum, in quo universa cœli terræque creatura Dominum collaudat, & quem Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam sacerdotes in Missa Dominicorum dierum, & in solemnitatibus Martyrum canere negligunt. Proinde hoc sanctum concilium instituit, ut per omnes ecclesias Hispaniæ vel Galliæ, in omnium Missarum solemnitate idem in pulpito decantetur: communionem amissuri, qui & antiquam hujus hymni consuetudinem, nostramque diffinitionem excesserint*. Unde pronum est intelligere, quod rectè Cardinalis Bona, paullo ante assignatus, dixerit contra Garsiam Loaisam, *Laudes* non esse *hymnum trium puerorum*. At quod attinet ad istud Canticum seu hymnum: consule dicenda inferius cap. 10, § 2. Canon XIV jubet, ut *in fine psalmorum non, sicut à quibusdam huc usque, Gloria Patri; sed Gloria & honor Patri dicatur... Universis igitur ecclesiasticis hanc observantiam damus, quam quisquis præterierit, communionis jacturam habebit*. De versu illo *Gloria Patri, & Filio* &c. nonnulla ponuntur inter notas variorum apud Aguirrium pag. 499 ex Loaisa. De illo item versu tractat Cardinalis Bona lib. 2, cap. 3, num. 2; qui, ipso teste, ab antiquis Patribus *hymnus glorificationis* dictus est. Consilio S. Hieronymi in Ecclesia Latina addi-

A

additum finibus Psalmorum à S. Damaso, refert ipse Hieronymus in epistola ad illum Pontificem data. *Et hic mos Romanus prævaluit in Ecclesia; & ita non* GLORIA *&* HONOR, *sed* GLORIA PATRI *dicitur*, ut legere est inter citatas modo notas apud Aguirrium. Sequitur in nostra synodo

Item Gloria in fine Responsoriorum, & liber Apocalypsis:

105 Canon XVI: *Sunt quidam, qui in fine Responsoriorum* GLORIA *non dicunt, propter quod interdum inconvenienter consonat. Sed hæc est discretio, ut in lætis sequatur* GLORIA, *in tristioribus repetatur principium*. Canon XVII: *Apocalypsim librum multorum conciliorum auctoritas, & synodica sanctorum Præsulum Romanorum decreta, Joannis Evangelistæ esse præscribunt, & inter divinos libros recipiendum, atque in Ecclesia Dei prædicare contendunt. Si quis eum deinceps, aut non receperit, aut à Pascha usque ad Pentecosten, Missarum tempore in Ecclesia non prædicaverit, excommunicationis sententiam habebit.*

B

& quædam alia.

106 Canon XVIII. *Nonnulli sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: sed post orationem Dominicam, & conjunctionem panis & calicis, benedictio in populum sequatur, & tunc demum corporis & sanguinis Domini sacramentum sumatur; eo videlicet ordine, ut sacerdos & levita ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.* Canon XXVI. mandat, ut *Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem à sacerdote suo accipiant, ut ad ecclesias sibi deputatas instructi succedant; ne per ignorantiam etiam divinis Sacramentis offendant.* In notis ad Concilium IV Toletanum apud Garsiam Loaisam à pag. 370 circa *libellum*, prout hic vocatur, *officialem*, pauca ista observantur: *Sacramentorum manuale nunc*, inquit, *appellatur; & in eo etiam decreta Patrum de Sacramentorum usu, & ritibus contineri apparet ex concil. Magunt. cap. 22; ubi de libro officiorum fit mentio, & duæ regulæ ex eo de clericis vagis adducuntur. Concilio Toletano octavo vocatur supplementum*; uti constat ex ejus Canone VIII.

C

Quisnam fuerit præcipuus dicti concilii scopus.

107 Atque hæc quidem sunt, quæ de libris ac legibus circa officium sacrum à celeberrimo isto concilio tradita accepimus: in quo nullus de novo Officio aut œconomia nova liturgica concinandis; nullus de novo codice aut libris introducendis conficiendisve occurrit sermo: sed illud unicè concilium præ oculis habet, illud urget, illud inculcat, prout constat ex disertissimis ipsius verbis can. II; ut nulla post hac in provinciis Gothorum per Hispaniam & Galliam Narbonensem liturgiæ ac ministeriorum sacrorum sit diversitas; sed *unus ordo, unus modus, par consuetudo.*

Termini provinciæ Narbonensis, tempore Gothorum.

108 Quæ autem de Gallia Narbonensi per decursum dixi, modicè illustrando censeo ex Cardinale Aguirrio in notis ad Concilium Narbonense à pag. 387: *Porro*, inquit, *termini Narbonensis metropoleos, sicut & aliarum intra dominia regum Hispaniæ Gothorum, descripti inveniuntur tempore Wambæ sive Wambanis . . ., in continuatione S. Ildefonsi Toletani ad Chronicon S. Isidori apud Lucam Episcopum Tudensem.* Textum, seu fragmentum ex Aguirrio sic transcribo: *Divisio autem sedium Narbonensis metropolis hæc est. Beterris teneat de Scalath usque barcinonam de Clachay usque Ribofora. Agathe teneat de Rusa usque Riberam, de Gallar usque Nurlam. Magalona teneat de Nurla usque Ribogar, de Castello usque Sambiam (Nemauso*

D

*hæc teneat: de Busa usque Angoram, de Castello usque Sambiam) Lateva teneat de Sambia usque Ribanal, de Anges usque Montem-rufum. Carcassona teneat de Monte-rufo usque Angeram, de Angosa usque Montanam. Elna teneat de Angera usque Rosmalam**, *de Latorsa** *usque Lamosam**. *Hæ sunt octo sedes immediatè subditæ archiepiscopo Narbonensi provinciæ Galliæ, vel Hispaniæ, quæ citerior dicitur. Et fiunt sedes harum duarum Hispaniarum octoginta sub dominio Gothorum, tam archiepiscopales quam episcopales, per quas nobis ministratur verbum Dei, qui à Romano Papa accipiunt communitatem Catholicæ veritatis, ut in fide Christi secundùm traditionem & doctrinam sanctorum Patrum, animas sibi commissas valeant gubernare. Hæc igitur nostra divisio, quæ de assensu omnium archiepiscoporum & episcoporum dictarum sedium auctore Deo facta est, firma permaneat in æternum. Hæc omnia suprascripta legit gloriosus rex Wamba in concilio Toletano: ubi omnes archiepiscopi & episcopi Hispaniarum convenerunt, Quirico Toletano archiepiscopo, & primatiæ dignitate & fide Catholica consistente.* Ita ibi. Quæ uncinis inclusi, uti variantes lectiones ad marginem notatas, desumpsi ex editione Labbeana tom. 5, col. 883; ubi plures invenies.

Sæc. VII.

* Rosmalam.
* Laterosa.
* Lamasam.

E

ex codice antiquissimo.

109 Subdit verò laudatus & sæpius laudandus Cardinalis Aguirrius: *Concilii autem hujus manuscriptum exemplar antiquissimum, simul & aliorum Hispaniæ celebratorum intra primam Chiliadem annorum Christianam, desumptum fuit ex chartulario regii & venerandi monasterii Sancti Æmiliani in Castella-veteri (in quo ad sacrum, inquit, D. Benedicti ordinem miseratione divina admissus fui) unde Philippus II Hispaniarum Catholicus rex illud transtulit in bibliothecam exquisitam S. Laurentii in Scoriali; sicuti & plurima alia sacra antiquitatis monumenta ex eodem aliisque monasteriis & tabulariis ecclesiarum, ubi multis sæculis delituerant.* Hactenus Aguirrius. Videsis dicta superius num. 9.

An illa divisio.

110 Concilium verò, supra designatum, esse *Toletanum* XI, *novemdecim episcoporum*, uti in ejus titulo prænotatur apud Aguirrium pag. 660, *in quo sedium episcopalium divisio facta est, anno IV Wambani** *regis, VII Idus Novembris, anno Redemptoris nostri* DCLXXV, *tempore Adeodati PP.*, tenet idem Aguirrius contra Baronium, sicut videre est inter illius conciliographi notas variorum pag. 668; qui mox, *sub Wambane*, inquit, *rege nullum aliud præcedens concilium in Hispania fuisse, in quo divisio sedium fieret, videtur palam constare ex prologo hujus synodi sub initium; in quo testantur, & dolent Patres, octodecim annos fuisse transactos sine concilio ullo, indeque ortam fuisse tantam disciplinæ ac morum relaxationem in clero & populo &c. Cum igitur annus hujus concilii fuerit quartus Wambanis (aliàs Wambæ) regis; planè evincitur, nec totis iis quatuor annis, nec aliis quatuordecim præcedentibus, fuisse aliud concilium generale in Hispania, immo nec provinciale, in quo eadem sedium divisio fieret.*

F

* Bambæ.

Sub rege Wambane facta sit.

111 Quæ enimvero Aguirrii rationes rem hic controversam, ut mea quidem fert sententia, plenè planèque evincerent, per hoc unum ni staret, quod ad istud concilium dicuntur *omnes archiepiscopi & episcopi Hispaniarum convenisse*; cui tamen post Quiricum episcopum metropolitanum, sedecim tantùm subscribunt episcopi; ac duo deinde vicarii episcoporum; nonnulli denique abbates. Qui nodum ne tricis à meo instituto prorsus alienis me implicet; videcint

Sec. VII. A rint de eo eruditi Hispani, quorum intererit. Porro breviter his videtur addendum non abs re, quando cœperit, ac quamdiu perrexerit Gallia Narbonensis spectare ad dominium Visigothorum; quamdiu item deinde gemuerit sub jugo Saracenorum.

112 Noster Jacobus Sirmondus apud Labbeum Conciliorum tom. 5, col. 1031. sic notat: *Ejecti è Gallia Gothi à Clodoveo rege, compulsique in Hispaniam, provinciæ Narbonensis oram maritimam, quæ ipsis olim à Romanis concessa fuerat, & Gothia postea de eorum nomine dicta est, in potestate sua retinuerunt; quoad tandem Caroli Martelli armis recepta, Francorum regno adscita est.* De Visigothis unà cum suo rege Alarico debellatis à Clodoveo, agit Cointius ad annum 507. Rem vero gestam de adjecta B Francorum regno provincia Narbonensi à Carolo Martello, nescio unde hauserit Sirmondus; cum nullum auctorem citet. Cointius certè ex verbis, quæ profert, Annalistæ Metensis, id contigisse probat anno 755, sub Pippino rege; qui, uti notum est, fuit Caroli Martelli filius. Eumdem annum signat Pagius; *licet vetus*, inquit, *Chronicon, de quo mox, hæc ad annum* DCCLIX *referat*. At nunc resumpto liturgicarum rerum filo, dispiciamus, quousque S. Isidorus, archiepiscopus Hispalensis, de illis fuerit meritus.

§. III.

S. Isidorus, archiepiscopus Hispalensis, de Officio Gotico-Hispano optimè meritus; an novi fuerit conditor.

Sanctus iste laudatissimus. C NEmo sanè est, qui dubitare possit, quin S. Isidorus optimè mereri potuerit de rebus liturgicis, si raras sapientissimi viri dotes norit, pari eruditionis & sanctitatis nexu conjunctas. Acta ipsius illustrata sunt apud nos die IV Aprilis: ubi pag. 329 proferuntur excellentis ejus doctrinæ testimonia. Breve est illud concilii Toletani VIII, anno 653, post sancti obitum XVII, habiti: *Nostri quoque seculi doctor egregius, Ecclesiæ Catholicæ novissimum decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, &, quod majus est, in seculorum fine doctissimus, atque cum reverentia nominandus Isidorus*. Fuit itaque tum in aliis scientiis versatissimus, uti ex libris ejus constat, tum in Officiis ecclesiasticis instructissimus, sicut liquet ex iis, quæ super isto argumento eruditè conscripsit. Omnia igitur in eo ita erant comparata, ut ipse, si quis alius in toto Hispaniæ regno, lucem longè maximam mysteriis liturgiæ reconditis & arcanis affundere posset. At quod in hoc genere potuit efficere, effectum re ipsa dedit in concilio Toletano IV; cui quoniam tanta cum laude, tantaque cum gratia præsedit, minimè aberravero à vero, si à tanto præside, seu viva potius ejusdem concilii voce & oraculo, profluxisse dixero, vel omnes vel plerosque saltem circa œconomiam liturgicam canones, in isto concilio præscriptos, & à me superius recensitos: cui enim meliùs & verisimilius canones isti attribui possint?

creditus est à variis auctoribus 114 Quidquid sit; adeò magnam rebus ibi gestis sanctus Doctor sui apud auctores concitavit æstimationem circa Officium ecclesiasticum, ut crediderint ac tradiderint, novum ab illo tunc temporis conditum fuisse. Baronius ad annum 633, quo concilium illud celebratum dixit: *Fuit*, inquit, *sententia plurimorum, cui volens lubensque subscribo, in hoc concilio à patribus injunctum S. Isidoro, rerum ecclesiasticarum peritiâ & scientiâ ceteris excellenti, ut ex præscripto sacri concilii volumina elucubraret ecclesiasticorum Officiorum, quibus tum in sacris Missis, tum in horis psallendis canonicis nocturnis atque diurnis uti deberent omnes Hispaniarum ecclesiæ. Quod quidem ab eo quam felicissimè præstitum est, ita ut & Missale, atque Breviarium ederet*. D Longior essem, si producerem auctores Hispanos, & ex eorum verbis conficerem, quidnam & quantum in hoc, quo de agitur, argumento tribuant S. Isidoro: neque enim eodem modo loquuntur omnes; & sunt qui ipsi adjungunt præterea S. Leandrum; quem alii dicunt, auctorem fuisse Officii sacri. Quæ videri poterunt apud scriptores, quos assigno, videlicet nostrum Joannem Marianam De rebus Hisp. lib. 6, cap. 5; Franciscum de Padilla Historiæ eccl. Hispan. centuriâ 1, cap. 10, & centuriâ 7, cap. 21; Vasæum ad annum 787; E Ambrosium Moralem lib. 12, cap. 19; Alvarum Gomecium De rebus gestis Cardinalis Ximenii lib. 2, pag. 969; Marchionem Mondexarensem fol 136; quibus addi potest observatio ad concilia celebrata in Hispania citeriore apud Labbeum tom. 9, col. 1198. Verba producam inferius alia opportunitate. Nunc juverit rem alibi expositam audire.

115 Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana veteri lib. 5, cap. 4, pag. 269 S. Isidori opera recensens, *Tribuitur ei quoque*, inquit, *Missale & Breviarium, quibus ecclesiæ Hispaniarum ... usæ fuere ex concilii Toletani* IV *decreto illo (ut creditur) quod canon secundus continet*: DE UNO ORDINE &c. *Cum enim hæresis Arianorum non potuisset non ordinem omnem rectum in ecclesiastica disciplina observandum, turbare, varietatemque, erroris sequelam, ubique inducere; nihil magis curandum fuit Catholicis præsulibus, quam sacrum omnem ritum, & cæremonias, tum fidei rectæ conformes, tum universis Gothicæ ditionis, tam in Hispania quam in Gallia provinciis uniformiter observandas præscribere. In quo vix dubitari potest, quin Leander, dum vixit, Arianismi exturbator, muneri suo satisfecerit. Sed cum Isidorianum communiter* F *hucce audiat Missalis & Breviarii Gothici Officium; denegare non possumus Isidoro nostro præcipuum aliquem hujus fabricæ, doctissimæque utque gravissimæ, simul & piissimæ compositionis honorem, & laudem*. Id quod laudatus auctor confirmat ex Guitmundo & Elipando; de quibus dicam paullo post. Deinde ita pergit: *novam condidisse liturgiam:*

116 *Quamquam, ut verum fatear, nollem ex concilii decreto isto .. factum admittere ... ne .. haud exigui laboris & contentionis opus intra sic breve tempus, quod à celebrato concilio usque ad sancti Præsulis intercessit obitum, necessario restringamus. Vero etenim mihi similius est, pridem jam eum, post antiquiorem aliorum operam, incubuisse huic rei conficiendæ, cum concilium celebraretur; sive in usum jam tempore concilii hunc ritum venisse Isidorianum; eo autem direxisse sanctionem suam Toletanos Patres, ut per universam Gothici nominis ditionem, eumdem* ORANDI ORDINEM ATQUE PSALLENDI; (*Breviarium indicatur*) *eumdem in* MISSARUM SOLEMNITATIBUS MODUM (*Missalis significatur liber*) *observari præciperent. Nisi enim jam promulgatus aut in usu esset ritus aliquis approbatus; quo uti deberent sacri homines, frustra fuisset de evitanda diversitate, atque ex ea scandalo, legem dicere*. *An & quousque.*

Dein-

Sec. VII.

A Deinde nonnullis interjectis, quæ difficultatem movent, quo minus confectio hic agitata S. Isidoro tamquam auctori conveniat, mentem suam ita præsenti quæstioni attemperat, ut mediam quamdam sententiæ viam tenens, nec totum illud negotium ipsi arroget, nec totum etiam abroget, sed partim concedat, partim neget; id quod his verbis exprimit:

id dici posse.

117 *Quæ omnia sanè cum judicio excogitata, quantumcumque solidam incepti & absoluti Officii laudem Isidoro nostro denegent; Isidorianum vulgo datum iis libris, & ab ultima antiquitate derivatum nomen, id saltem conficere apud omnes recta ratione utentes debet, ut inter alios huic negotio deditos non ultima Isidori laus habeatur.* Sed præterquamquod illud propriè non disputatur; satis etiam insuper hoc convenit cum dictis meis sub exordium hujus paragraphi, ubi, quid in hoc genere tribuendum S. Isidoro censerem, non obscurè exposui. At plus nonnulli exigunt scriptores, non illi dumtaxat, qui nullam sibi ex antiquitate auctoritatem conciliare possint, sed alii præterea satis antiqui.
B Goitmundus, Aversanus in Italia episcopus, qui floruit seculo XI, & de quo Ughellus inter istius Cathedræ episcopos tom. I Italiæ sacræ, col. 488 novissimæ editionis; Goitmundus, inquam, ille De corporis & sanguinis Christi veritate in Eucharistia lib. 3 (qui habetur in Bibliotheca Patrum editionis Coloniensis, anni 1618, tom. XI) pag. 369 hæc profatur: *In quodam Missali Hispano, quod dicunt sanctum dictasse Isidorum, in hebdomada ante Pascha, in quodam Missa sic inveni* &c. Inter opera Alcuini seu Albini, qui Caroli Magni magister exstitit, ac exeunte seculo VIII claruit, habetur epistola Elipandi Toletani episcopi ad ipsum Alcuinum data; in qua sic dicit col. 917, editionis dictorum operum Parisinæ, quæ anno 1617. typis excusa notatur: *Nam & ipsi canimus in vigilia Paschæ, beato Isidoro dicente: Induit carnem, sed non exuit majestatem: nostram substantiam expetens, sed propriam non relinquens.*

variis rationibus

118 Audisti, quidnam in præsenti controversia pro S. Isidoro dici possit; nunc autem, quænam contra faciant rationes, intellige ex Eminentissimo Cardinale Bona lib. I, cap. XI; ubi postquam retulisset Baronium, nec non librorum, hæc Officia continentium, inscriptionem, quæ assertionem Baronianam confirmat, soletque esse talis: *Officium Gothicum sive mixtum, secundùm regulam S. Isidori, dictum Muzarabes*; statim hæc proponit incommoda, his
C verbis usus: *Mihi autem, ait, ne huic sententiæ statim adhæream, quædam sunt, quæ gravem ingerunt difficultatem: nam primò in Missa Sancti Martini in oratione* Post nomina, *hæc verba leguntur:* Hunc virum, quem ætatis nostræ tempora protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus. *Martinus autem obiit anno Domini* CCCCII, *& primus ex confessoribus paulo post obitum publico cultu cœpit honorari. Ergo multò ante Isidorum hæc Missa scripta fuit. Deinde si Isidorus hujus Officii auctor fuit, cur nec Braulio Cæsaraugustanus, nec Ildefonsus Toletanus, viri sancti & Isidoro familiares, ille in elogio ipsius Isidori; hic in libro De scriptoribus ecclesiasticis, nullam operis adeo excellentis mentionem faciunt?*

in utramque partem

119 *His accedit, quod concilium* IV *Toletanum aliquot hujus Officii ritus canone* XI, *& sequentibus tamquam jam antea usitatos commemorat; & tertium item Toletanum annis* XLIV *ante quartum, can. 2 statuit in singulis ecclesiis Symbolum recitari, priusquam dicatur oratio Dominicalis, qui mos est peculiaris Missæ Mozarabicæ. Ipse quoque Isidorus libro De Scriptoribus ecclesiasticis, Leandri fratris sui, & in Sede Hispalensi antecessoris, scripta recensens, testatur, ipsum in ecclesiasticis Officiis non parvo studio laborasse, & in Sacrificii laudibus atque Psalmis multa dulcisonè composuisse. Joannes Mariana lib.* VI *De rebus Hispaniæ cap.* V, *usum inquit obtinuisse, ut Isidoro ritus Mozarabicus tribuatur, nonnulla tamen Leandrum invenisse.*
E *Quod si Leander dumtaxat invenit, crediderim hoc Officium concilio* III *Toletano, cui Leander interfuit, antiquius esse, & seculo* V *jam in usu fuisse, ut ex Missa Sancti Martini modo ostendimus; sed de primo ejus auctore non constare; ab ipso tamen Leandro illustratum, ab Isidoro auctum, ab aliis progressu temporis amplificatum, nominatim ab Ildefonso, cujus opera Julianus Toletanus in Appendice ad librum ejus de Scriptoribus ecclesiasticis in quatuor partes divisit, & tertiam fuisse ait Missarum, hymnorum atque sermonum.*

prolatis

120 *Ipse item Julianus, qui diem clausit extremum ærâ Hispanicâ* DCCXXVIII, *anno scilicet Christi* DCXC, *scripsisse dicitur, ut in eadem appendice Felix episcopus refert „ librum „ Missarum de toto circulo anni in quatuor partes divisum, in quibus aliquâ vetustatis incuriâ vitiatas ac semipleñas emendavit, atque „ complevit; aliquas verò ex toto composuit. „ Item librum orationum de festivitatibus, quas „ Toletana ecclesia per totum circulum anni est „ solita celebrare, partim stylo sui ingenii de„ promptum, partim etiam insolita antiquitate „ vitiatum, studiosè correctum, in unum con„ gessit, atque Ecclesiæ Dei usibus ob amorem „ reliquit sanctæ religionis „. Petrus quoque Ilerdensis episcopus orationes & Missas edidit eleganti*
F *sermone, diversis solemnitatibus congruentes. Et Salvus abbas Albaildensis monasterii, Missas etiam & orationes atque hymnos composuisse dicitur, plurimam cordis compunctionem legentibus & audientibus tribuentes.*

examinatur;

121 Atque hæc sunt, quæ iste Cardinalis, rerum liturgicarum scientissimus, circa præsentem controversiam congerit argumenta, quæ laudato Nicolao Antonio tam nervosa & solida sunt visa, ut non tantum ea *cum judicio excogitata* candidè, ut vidimus, & apertè profiteatur; sed etiam nihil opponat, quo eorum vim elidat. Hinc illam subjunxit iis clausulam, quâ novam ab Isidoro non esse confectam liturgiam tacitè admittit, prout conficitur ex ejus verbis superius productis. Ad argumentum verò, quod depromit Cardinalis Bona ex additamentis, quæ per viros, S. Isidorum subsecutos, sacræ liturgiæ sint adjecta, satis aptè respondet Antonius, sic dicens: *Quod autem post præscriptum semel ordinem sacramentorum, orandi atque psallendi, nec non & Missarum, & quotidianarum precum per Horas recitandarum ex concilio sanctionem, adhuc sancti doctique antistites formandis orationibus atque Missis vacarent, ... ita interpretari possumus, ut id ipsum, quod nunc solet, eo tempore acciderit. Romana enim hodierna Ecclesia nihil turbato in substantialibus regulis ordine, tandem à Beato* (nunc sancto) *Pio V, sanctissimo Pontifice stabilito, plures Missas Officiaque integra, aut eorum partes, pro diversis ecclesiis, aut pro universo fidelium cœtu, frequenter postquam approbata sunt, vel permittit recitare, vel præcipit.* Ad rationem itaque Eminentissimi Cardinalis ab amplificatoribus liturgiæ Hispanicæ desum-

Sec. VII.

sumptam ita respondet Antonius, sed ad alias non item; ob quas magis ad verum mihi accedere apparet illa sententia, quæ novi liturgici Ordinis confectionem Sancto Isidoro abjudicat.

sed non videtur novam liturgiam Sanctus iste concinnasse.

122 In eadem quoque sententia fuit Eminentissimus Aguirrius; id quod tom.2, pag.143 agens de decretis concilii IV Toletani, scribit; *Ex illis orta fuisse creditur ordinatio illius antiquissimi Missalis, & Breviarii juxta ritum Gotthicum, quod Isidorianum appellari solet, denominatione sumpta à S. Isidoro, qui eidem synodo præfuit, & illud ordinandum curavit meliori forma: licet iam antea illud ipsum fere in* B *aliis & aliis Hispaniæ ecclesiis cum varietate aliqua receptum & vulgatum fuisset à tempore discipulorum S. Jacobi, aut circiter ut latè probat D. Marchio Mondexarensis cap.XXIV*; ubi tamen fatetur, definire se non posse in individuo formam, quam habuerit ista Missa in suis principiis, deficientibus monumentis istorum seculorum, quæ illud evincant. Atque hæc quidem valde conformia sunt sententiæ circa obscuritatem liturgiæ Hispanicæ primis seculis à me superius propositæ. Argumentum, quod supra depromitur ex Elipando, parum aut nihil probat: nam reponi potest, quod ita locutus sit, ut majorem, apponendo nomen S. Isidori, illis verbis auctoritatem sibi conciliaret; sciebat enim nomen illud Alcuino, ad quem scribebat, debere esse venerabile præ reliquis Patribus Toleti cum illo congregatis: & tamen in eadem illa epistola paulio ante sic præmiserat Elipandus: *Iterum testimonia sanctorum Patrum venerabilium Toleto deservientium in Missarum oraculis edita sic dicunt* &c.

quid dicendum ad varias objectiones

123 Hic itaque Missas tribuit Patribus Toletanis, illic S. Isidoro aliquid tribuit, quod canebatur in vigilia Paschæ, non eodem modo locutus. Sed fac sanctum verè ista verba tunc cantanda præscripsisse: an inde extundes no- C vam liturgiam ab illo compositam fuisse? Ad Guitmundum superius objectum respondeo; vix aliquid confici inde posse contra sententiam Cardinalis Bonæ: nam per *το dicunt*, intelligitur quidem quod tunc temporis fama fuerit, quod Missale aliquod S. Isidorus dictasset; sed ne id, quod tunc dicebatur, reipsa antea contigerit, videntur suadere argumenta in contrarium proposita. Adde, quod Guitmundus nimium remotus fuerit à temporibus S. Isidori, quam ut per suum *dicunt* fidem certam facere possit. Vide laudatum comitem Mondexarensem fol.136 verso; ubi observat, hactenus non esse repertum testimonium, invasioni Maurorum in Hispaniam prævium, quo persuaderi securè D possit communis ista opinio, quæ credit S. Isidorum Officii auctorem extitisse; quam sententiam & ipse rejicit fol.138. Jam verò quia argumentum è Missa S. Martini Turonensis depromptum maximè incommodat opinioni contrariæ, addi hic possent nonnulla de tempore, quo Missa ista composita fuerit, uti & de aliis quibusdam circumstantiis; sed cum alibi sese sit oblaturus de illis rebus dicendi locus, lectorem eò remitto; dum interea temporis quædam specimina delibo ex S. Isidoro, unde planum fiat, qualis hoc seculo septimo viguerit Ordo sacrorum mysteriorum, saltem quod ad eorum orationes spectat; & confirmetur sententia, quæ novam liturgiæ pro Hispania confectionem illi Sancto abjudicat.

§. IV.

Orationes in sacrificio Missæ tempore S. Isidori; nonnulla circa liturgiam sacram ex variis Hispaniæ conciliis eruta.

S. Isidorus orationes Missæ

SAnctus Isidorus De Officiis ecclesiasticis lib.1, cap.15 agit de Missa & orationibus, ac definit quot, quales, & quem in finem illæ tunc adhibitæ fuerint. *Prima*, inquit, *oratio ammonitionis est erga populum, ut excitetur ad impetrandum Deum. Secunda invocationis adest, ut clementer suscipiat preces fidelium, oblationemque eorum. Tertia autem effunditur pro offerentibus sive pro defunctis fidelibus, ut per idem sacrificium veniam consequantur. Quarta post hæc infertur pro osculo pacis, ut charitate omnes reconciliati invicem, digni Sacramento corporis & sanguinis Christi consocientur. Quia non recipit dissensionem cujusquam, Christi indivisibile corpus. Quinta infertur illatio in sanctificatione oblationis; in qua etiam ad Dei laudem terrestrium creatura, virtutumque cælestium universitas provocatur, & Osanna in excelsis cantatur: quod Salvatore de genere David nascente, salus mundi usque ad excelsa pervenerit. Porro exhinc sexta succedit confirmatio Sacramenti: ut oblatio, quæ Domino offertur, sanctificata per Spiritum sanctum, corpori Christi & sanguini confirmetur. Harum ultima est oratio, quam Dominus noster orare discipulos suos instituit, dicens: Pater noster, qui es in cælis;*

suo tempore usitatas commemorat.

125 In cujus orationis petitiones postquam breviter esset commentatus S. Isidorus, mox ita concludit: *Hæ sunt itaque septem Sacrificii orationes, commendatæ Apostolicâ evangelicaque doctrinâ: cujus numeri ratio instituta videtur, vel propter septenariam sanctæ Ecclesiæ universitatem, vel propter septiformem gratiæ spiritum, cujus dono ea, quæ offeruntur, sanctificantur.* De symbolo Nicæno sanctus idem Hispalensis Præsul tractat cap.16: *Symbolum*, inquit, *quod tempore Sacrificii populo prædicatur, sanctorum* F *Patrum trecentorum decem & octo collatione apud synodum Nicænam est editum; cujus vera fidei regula tantis doctrinæ mysteriis præcellit, ut de omni parte fidei loquatur, nullaque penè sit hæresis; cui per singula verba vel sententias non respondeat. Omnes enim errorum impietates, perfidiæque blasphemias calcat, & per hoc universis ecclesiis pari confessione à populo proclamatur.*

hodiernus tamen Missæ Mozarabicæ ordo diversus est

126 Capite 17 agit *De Benedictionibus in populo*; sed nihil inde excerpo; quia solam continet analogiam benedictionis à Moyse datæ in antiqua lege. *Diversum esse Mixtarabici Missalis*, inquit Nicolaus Antonius pag.269, *quod idem vulgo cum Isidoriano creditur, Ordinem ab eo, quem libro 1 De eccles. Offic. cap.XV Isidorus servari tempore suo apud universum orbem prodidit. Quod cum Jacobus Pamelius, indicatis iis, in quibus differrent, partibus in Latinis suis liturgiis tom.1 pag.642; tum Joannes Grialius in notis ad istud Isidori testimonium, annotaverunt.* At de Missa Mozarabica suo loco recurret sermo. Sed nunc tempus monet, ut controversiæ satis superque hic agitatæ finis imponatur, & dispiciatur, quidnam per decursum hujus seculi VII in re liturgica gestum fuerit,

127 In

A

Varia alia congeruntur

127 In concilio Toletano v, quod celebratum notatur apud Aguirrium anno Christi 636, canone 1 decernitur, *ut à die Iduum Decembrium Litania triduo usque annua successione peragantur: quod si dies Dominica intercesserit, in sequenti hebdomada celebrentur.* In concilio Toletano vi, quod coactum notatur apud Aguirrium pag. 512, anno Christi 638, can. 2 sancitur, *ut hi dies Litaniarum, qui in synodo præmissa, sunt instituti, eodem in tempore, quo jussi sunt excoli, anno recursu, omni observantiæ habeantur celeberrimi.* Ne verò ordinem his & sequentibus hujus seculi temporibus continuatum interrumpam; prosequar ipsa concilia, postque illa recensebo viros hoc ævo de rebus liturgicis bene meritos. In concilio igitur Toletano vii, anni 646, uti signatur apud Aguirrium; pag. 523, can. 2, *Censemus*, inquiunt Patres, *convenire, ut cum à sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat cujuslibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri ministerium; sit liberum episcopo vel presbytero alteri consecrationem exsequi Officii cœpti . . . Ne tamen quod naturæ languoris causâ consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibi potusve quemlibet minimum sumptum, Missas facere; nullus absque patenti proventu molestiæ, minister vel sacerdos cum cœperit, imperfecta Officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc tentare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* De jejunio sacerdotis antequam Sacrificium offerat, inspici potest notatio Loaisæ apud Aguirrium pag. 526.

B

ex conciliis Hispania.

128 Toletanum viii, anno 653 celebratum, quod habetur apud synodographum sæpius jam assignatum, pag. 540: *In sacris Missarum solemnitatibus concordi voce profitemur, ac dicimus: Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem* &c. Videri in hoc symbolum possunt notæ apud Aguirrium pag. 563. Pag. 545, can. viii. sic cavetur: *Octavæ disceptationis affectu reperimus quosdam divinis Officiis mancipatos tanta nesciente socordia plenos, ut nec in illis probentur instructi competenter ordinibus, qui quotidianos versantur in usus. Proinde solicitè constituitur atque decernitur, ut nullus cujuscumque dignitatis ecclesiasticæ deinceps percipiat gradum, qui non totum psalterium vel canticorum usualium, & hymnorum, sive baptizandi perfectè noverit supplementum* &c. In synodo Toletana ix, habita anno Christi 655, nihil invenio, quod sit nostri instituti, quantum ex titulis eidem præfixis observare potui. Concilium Toletanum x, anno Christi 656 celebratum, & notatum apud Aguirrium à pag. 579, titulo 1 agit *De celebritate festivitatis dominicæ Matris* *; & mox capitulo 1 testatum faciunt Patres suum erga Virginem Matrem religionis ac venerationis affectum planè singularem, qui apud piissimam gentem ad hunc usque diem constantissimè perseverat. Dicto itaque capitulo ita sancitur:

C

* al. Annuntiationis Dominicæ.

Ratio singulari quodam affectu habita in Tolet. 10 circa sanctissimam Virginem.

129 *Si . . Nativitatis & Mortis incarnati . . Verbi dies absque immutatione ita certus habetur, ut absque diversitate in orbe toto terrarum ab omni concorditer Ecclesia celebretur; cur non festivitas gloriosæ matris ejus eadem observantia, uno simul ubique die, similique habeatur honore? Invenitur enim in multis Hispaniæ partibus hujus sanctæ Virginis festum non uno die per omnes annorum circulos agi . . . Qua de re, quoniam die, qua invenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & nunciasse verbis, & indidisse miraculis, eadem festivitas non potest celebrari condignè, cum interdum Quadragesimæ dies vel Paschale festum videtur incumbere . . . Ideo speciali constitutione sancitur, ut ante octavum diem, quo natus est Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus & præclarus. Ex pari enim honore constat, ut sicut Nativitatem Filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita festivitatem Matris tot dierum sequatur sacra solemnitas: nam quod festum est Matris, nisi incarnatio Verbi? Cujus utique ita debet esse solenne, sicut est & ejusdem Nativitas * Verbi. Quod tamen nec sine exemplo decedentis moris, qui per diversas mundi partes dignoscitur observari, videtur institui. In multis namque ecclesiis, à nobis & spatio remotis & terris, hic mos agnoscitur retineri. Proinde ut de cetero quidquid est dubium, sit remotum, solemnitas dominicæ Matris die decimo quinto Kalendarum Januariarum omnino celebretur.*

* al. Nativitatis

Synodus Emeritensis præcipit unum in psallendo modum;

130 Synodus Emeritensis in Lusitania, anno Christi 666, can. 2 decernit, *ut sicut in aliis ecclesiis vespertino tempore post lumen oblatum, priùs dicitur Vespertinum, quam Sonum in diebus festis, ita & à nobis custodiatur in ecclesiis nostris*, inquiunt istius synodi episcopi. In concilio Toletano xi anni 675, apud Aguirrium pag. 664, capitulo iii habentur sequentia: *Placuit huic S. concilio, ut metropolitanæ sedis auctoritate coacti uniuscujusque provinciæ Pontifices, rectoresque ecclesiarum unum eumdemque in psallendo teneant modum, quem in metropolitana sede cognoverint institutum; nec aliqua diversitate cujusque ordinis vel officii à metropolitana se patiantur sede disjungi . . . Abbatibus sanè indultis Officiis, quæ juxta voluntatem sui episcopi regulariter illis impienda sunt, cetera Officia publica, id est, Vesperam* *, *Matutinum, sive Missam, aliter quam in principali ecclesia celebrare non liceat. Quisquis autem horum decretorum violator exstiterit, sex mensibus communione privatus, apud Metropolitanum sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus* &c. Can. xiv. instituitur, *ut, ubi temporis vel loci, sive cleri copia suffragatur, habeat semper quisquis illa canens Deo, atque sacrificans, post se vicini solaminis adjutorem; ut si aliquo casu ille, qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, à tergo semper habeat, qui ejus vicem exsequatur intrepidus.*

B

* al. Vesperas

F

Bracarensis præscribit materiem Eucharistiæ, vasa, habitum sacrificantis;

131 Anno Christi 675 habitum in prædicta Lusitania fuit concilium Bracarense; de quo Aguirrius pag. 675, ubi idem auctor tertium istius nominis illud exstitisse memorat; alibi autem est quartum, prout colligitur ex nota marginali apud laudatum Aguirrium. In illo concilio capitulo 1 obviam itur erroribus circa sacrosanctam Eucharistiam commissis, hoc verborum tenore: *Relatus est in concione nostrorum omnium error manifestus pariter & diversus . . . Quidnam enim in Sacrificiis Domini relati sunt lac pro vino; pro vino botrum offerre; Eucharistiam quoque vino madidam, pro complemento communionis credunt populis porrigendam; &, quod pejus his omnibus est, quidam sacerdotum in vasis Domini epulas sibi apponunt, & manducare in eis præsumunt. Quidam etiam ex sacerdotibus relati sunt, quod ecclesiasticæ consuetudinis ordine prætermisso, Missam sine orariis audeant dicere, & quod in solennitatibus Martyrum reliquias suo collo imponunt ad fastum* &c. Quibus erroribus opponuntur capitula sequentia, quorum titulos huc transcripsisse suffecerit brevitatis causâ. 2. *Ut repul-*

Sec. VII.

repulsis omnibus opinionibus superstitiarum, panis tantùm & vinum aquâ permitum in Sacrificio offeratur. III. *Ne vasa Deo sacrata humanis usibus serviant.* IV. *Ne sacerdos sine oraria Missam audeat celebrare.* VI. *De damnata præsumptione quorumdam &c.*

Toletanum concilium 12 Communionem in Missa præcipit:

132 superfunt huic septimo, quo de sermo est, seculo concilia duo Toletana in rem nostram, videlicet duodecimum ac decimum septimum. Primum anno 681 collectum, can. v apud Aguirrium pag. 685, agit contra sacerdotes, qui toties non communicant, quoties sacrificant. Id quod ex canonis titulo, pag. 681 intelligitur; sic enim sonat: *De quorumdam consuetudine sacerdotum fœdissima, qui oblatis Deo per se Sacrificiis non communicant*; nam, sicut dicit textus canonis, *in uno die, si plurima per se Deo offerunt sacrificia, in omnibus se oblationibus à communicando suspendunt; & in sola tantùm extremi sacrificii oblatione, communionis sanctæ gratiam sumunt.* Rem illustrant notæ apud Aguirrium pag. 692.

Toletanum 17 agit de Missis defunctorum non celebrandis pro vivis; quid de Litaniis?

133 Alterum, quod modo dicebam, erat concilium Toletanum XVII, anno 694 celebratum: cujus canon IV, prout ex titulo ejus constat, est *De sacris ministeriis vel ornamentis ecclesiarum.* Canonis V titulus sic se habet: *De his qui Missam defunctorum pro vivis audent malevolè celebrare.* Titulo autem canonis VI agitur *De diebus Litaniarum per totos duodecim menses celebrandis.* Canones ipsos profert Aguirrius à pag. 755; lectorem, cujus interest eos inspicere, illuc mitto. Nunc quos huc distulimus viros, elucubrationibus liturgicis hoc seculo septimo claros, commemoremus; quibus lux aliqua nova accedet ad ea, quæ hactenus ex conciliis hoc ævo habitis colligere conatus sum. Nam præter notitias, oblatas aliunde opportunitate, circa hujusmodi viros paragrapho superiore subministratas, supersunt aliæ nonnullæ in hoc genere, quas prætermittere non licet.

§ V.

Viri illustres in amplificanda liturgia sacra adjutores; unde Gothica illa nuncupata sit.

C

Conantius ep. Palentinus varia scripsit;

NIcolaus Antonius, cara & exquisita inter auctores Hispanos eruditione clarissimus, lib. 5 Bibliothecæ suæ Hispanæ veteris, scriptores seculi VII illustrans, materiem mihi suggerit satis amplam, dum per decursum ejusdem libri varios recenset viros, qui suam in res liturgicas operam contulere. Cap. 1, pag. 238 occurrit Conantius, Palentinus episcopus, quem sedisse ponit in ista ecclesia ab anno 609 aut 610, usque ad 639 aut sequentem. Ibidem autem in elogio, quod, auctore S. Ildephonso, de illo profert, laudatur, quod fuerit *Ecclesiasticorum Officiorum ordinibus intentus & providus; nam melodias sonis multas noviter edidit. Orationum quoque libellum de omnium decenter conscripsit proprietate psalmorum.* Et nonnullis interjectis, *formavit ergo*, inquit laudatus bibliographus, *ad ecclesiastica Officia, sive hymnos sive alia metrica, aut prosaica, musicisque adaptavit modulis, ut in ecclesia canerentur: utramque enim & poeticam & musicam artem videtur Ildephonsus ei tribuere; uti & Joanni Cæsaraugustano;* de hoc dicens cap. 6; *In ecclesiasticis Officiis quædam eleganter & sono & oratione composuit.* Quæ is ait de Conantio, cap. XI, *Orationum quoque libellum de omnium decenter conscripsit proprietate psalmorum*, Nicolaus Antonius *interpretari*, inquit, *possumus de singulis ad singulos psalmos orationibus ab eo compositis, sive de orationibus ab eo adaptatis in Officio ecclesiastico iis, quæ priùs canerentur ... Nisi orationes non de eo, quod Christianis sonat, intelligamus; sed de quibuscumque compositionibus, aut sermonibus, ad ecclesiastica Officia spectantibus: quæ multa ac prolixa sunt in libris nostris antiqui ritus Isidoriani; uti loquutum nuper observavimus in Joanne Cæsar-augustano.*

D

uti & Eugenius junior ep. Tolet.;

135 Idem clarissimus scriptor inter opera S. Isidori, de quo supra dixi, cap. 4 pag. 267 ponit *Exegesin in Missæ canonem, Parisiis editam per Carolum Guillard* MDXLVIII, *in octavo*; *quam vidimus*, sicut addit, *in bibliotheca Sapientiæ Romanæ.* De Joanne Cæsaraugustano episcopo tractat cap. 5, pag. 275; & modò in antecessum egi de illo. Eugenius junior Toletanus episcopus, uti videre est apud memoratum auctorem pag. 281, scriptorum album exornans, laudatur ibidem ex Ildephonso: *studiorum bonorum vim persequens, cantus pessimis usibus vitiatos melodiæ cognitione correxit: Officiorum omissos ordines curamque discrevit.* Eodem capite, pag. 282 *Missam S. Hippolyti martyris scripsisse etiam dicitur* S. Eugenius Toletanus Præsul, *instante Protasio Tarraconensi metropolitano; ad quem data Epistola* XX *Maii, æra* DCLXXXVI, *hoc est, anno* DCXLVIII, *extare dicitur in Codice Gothico Ms. S. Æmiliani Cucullati, qui hodie ad regiam Scorialensem bibliothecam pertinet.*

E

S. Ildephonsus; cui præter alias Missas

136 Partem quoque non ignobilem S. Ildephonsus archiepiscopus Toletanus sibi jure vendicat in præsenti argumento; de quo Nicolaus Antonius cap. 6, pag. 290 ex Juliano inferiùs laudando notat sequentia: *Partem sanè tertiam Missarum esse voluit, hymnorum atque sermonum*; subditque doctissimus bibliothecæ Hispanæ auctor; *Unde in albo istorum operum collocamus Missas aliquot. Solenne erat tunc temporis Missas confici pro aliquo festo die Christi Domini, Mariæ Deiparæ, aut Sanctorum. Meminit quidem duarum Cixila; nam statim in officio (abbatis) clarens, duas Missas in laudem ipsorum Dominorum (SS. Cosmæ & Damiani martyrum, quibus monasterium dedicatum) quas in festivitate ipsorum psalleret, miro modulationis modo perfecit: quas Missas infra adnotatas habemus, ait.* Ita apud Nicolaum Antonium notatur; quibus subdit vir clarissimus: *item alterius paullo pòst meminit Missæ de S. Leocadia.* At præter Missas istas, sunt aliæ, quæ apud laudatum Antonium S. Ildephonso attribuuntur.

F

attribuitur ea, quæ est

137 Nam *idem*, uti testatur celebratissimus bibliographus, *paulla pòst cujusdam Missæ* DE MARIA VIRGINE, *sive de ejus Annuntiatione meminit*; verba proferens *gravissimi*, ait, *historici, ad quem oportet, veluti ad fontem sæpius recurrere. Superveniente verò die sanctæ & sem. per Virginis Mariæ ante tres dies tribus diebus litanias peregit, & Missam suprascriptam* (fortè *subterscriptam*: *hujus enim*, ut observat idem bibliographus, *non priùs memineras*) *quæ in ejus laude decantaretur, perfecit, quæ est septima.* Hunc verò numerum habueritne

in

A in iis, quæ de beata Virgine, en in omnibus, quas de aliis solemnitatibus formavit, Missis, non satis eum explicuisse, observat laudatus bibliographus; cujus notationem parenthesi satis longa inclusam mox citato textui, ut sua eidem perspicuitas maneret, huc seorsim ab ipso textu conjeci.

de Exspectatione partus:

138 Sic itaque ille habet: *Hic est à Gothis in x concilio Toletano institutus dies B. Mariæ virginis, aliàs Incarnationis Verbi divini in ejus sacro utero* (de quo festo suprà actum est à me) xv *Kal. Januarii in tota Hispania, post tot alios Deiparæ sacros dies, vel nunc celebris sub titulo Exspectationis partûs, aliàs de nuestra Señora de la O, ut vulgus loquitur, propter antiphonas ab hoc die, quarum principium ab ô littera, seu vocandi interjectione concipitur, usui præscriptas.* Hisce nos addamus, quod *Officium Exspectationis partûs à sacra Rituum congregatione jam pridem pro omnibus regnis Hispaniarum recognitum, & approbatum: nunc verò ex indulto S. D. N. Clementis PP. XI ad totum Belgium Hispanicum extensum, atque ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui ad Horas canonicas tenentur, recitandum* præ-B scribatur inter Officia nova sub ritu duplici, *die* XVIII *Decembris.* Unde istius Officii antiquitas & propagatio perspicuè intelligitur.

alia insuper Missa

139 Redeamus jam ad Nicolaum Antonium, ita prosequentem: *Adjungemus ... nos opportunam notitiam libri Ms. ecclesiæ Toletanæ, qui, ut ex ejus indice, quo utimur, apparet, pluteï* XXX *vicesimus nonus est. Breviarii Mozarabis hic partem continet, & ab ea titulum habet. In pagina autem ejus nona moderno charactere hæc habentur, partim Latino, partim vulgari Hispaniæ sermone: Hic liber continet sequentia: nempe* 3, 4, 5, 6, 7 *Missas de B. virgine Maria. Officium Annuntiationis mense Decembri. Mas largo que en el Mozarabe*; hoc est, *longius, quam in Breviario Mixt-arabico. Officium in Assumptione B. Mariæ. Officium in Nativitate Domini. Officium S. Stephani.* Et additur: *No tiene principio, y atras dos hojas suyas estan atras enquadernadas entra la Missa:* QUI NON, *de nuestra Señora.* Hoc est, *principium non habet, ac duo alia ejus folia per errorem ligata fuere inter Missam:* QUI NON *&c.* C *Deiparæ Virginis.* Sequitur ibidem apud Nicolaum Antonium *Officium sancti Joannis Evangelistæ. Officium Circumcisionis Domini. Officium in capite anni. Officium in apparitione Domini, sive Epiphania. Y en medio del hay seis hojas, que son de arriba de la Missa 2 ò 3 de nuestra Señora.* Hoc est, *inque ejus medio sex folia inserta sunt, quæ ad Missam S. Mariæ virginis secundam tertiamve pertinent.*

de B. Virgine, eidem adscripta:

140 Et subdit mox bibliothecæ Hispanæ editor: *Sequitur ad hæc, Latina hæc nota Joannis Bapt. Perezii, olim Bibliothecarii, viri doctissimi ac diligentissimi, quod ex ejus subscriptione manifestum redditur.* " *Hic liber in magno pretio habendus: nam septem Missas de B. Maria, credo esse compositas à D. Ildephonso; primùm ex stylo, deinque quia Cixila archiep. Toletanus in Vita D. Ildephonsi ait, illum edidisse septem Missas de B. Maria. Vocant autem Mozarabes Missas, non totum Officium, sed quædam quasi præambula, sive adhortationes ad celebrandum tale Officium.* Et subscribitur: *Perez.* " Addit Nicolaus Antonius: *Quæ* MISSÆ *nominis acceptio adjungenda est his, quot doctissimus vir Joannes Bona, S. R. E. Card. post alios collegit lib.* 1 *Rerum liturgic. cap.* 2. Idem bibliographus inter opera istius Sancti pag. 291 ponit *Hymnos*; & observat sequentia: *Meminit Cixila, ut vidimus,* CANTICI, *quod Ildephonsus fecerat in Leocadiæ virginis laudem; fortè ejus* (hymni) *qui immissus fuit in Breviarium Gothicum, vulgo dictum Isidorianum.* Sæc. VII.

qui aliquid etiam videtur contulisse veteri Officio ecclesiastico:

141 Ceterùm, celeberimus ac toties suprà à me laudatus auctor pag. 295, ut probet, quod ad Officium, seu libros ecclesiasticos Isidoriani, ut vocant, ritûs, Breviarium scilicet ac Missale; nonnulla contulerit Ildephonsus; inde illud colligi posse statuit, *quod in epistola synodali, quam ad Hispaniarum episcopos Francofordiensis concili, sub Carolo Magno habiti, Patres undique eò collecti pro damnanda hæresi Felicis Urgelitani atque Elipandi Toletani antistitum nuncupavere, allegatis ab eodem Elipando pro se in Libello fidei suæ ad Carolum eumdem Magnum directo, SS. Eugenii, Ildephonsi, atque Juliani testimoniis, sic reponitur:* " *Sequitur in eodem Libello vestro: Item prædecessores nostri Eugenius, Ildephonsus, Julianus, Toletanæ sedis antistites, in suis dogmatibus ita dixerunt in Missa de Cœna Domini* " &c. De dogmatibus istis alio loco inferius tractabitur. E

S. Juliano, ep. Toletano plurimum in re liturgica debetur.

142 Venio ad caput 7 bibliothecæ Hispanæ veteris, ubi celeberrimi suæ ætatis viri, orbique Christiano apprimè noti, Juliani Toletani præsulis scripta recensentur. Acta ipsius apud nos illustrata sunt ad diem VIII Martii; ubi à pag. 785 datur Sancti *Vita, auctore Felice episcopo Toletano, Juliani successore, ex appendice ad librum S. Isidori De scriptoribus ecclesiasticis.* Prædictæ igitur Vitæ auctor enumerans libros ab eo conscriptos, *De Officiis*, ait, *quam plurima dulcissimo sono composuit*, fortè musico, vel saltem prout ego quidem interpretor, ad concinnum liturgiæ ordinem conducente. Utcumque hoc sit, disertissimis verbis postmodum testatur idem biographus, S. Julianum egregiè ad rerum liturgicarum studium incubuisse, dum hæc fatur: *Item librum Missarum de toto circulo anni, in quatuor partes divisum; in quibus aliquot vetustatis incuriâ vitiatas, ac semiplenas emendavit atque complevit; aliquas verò ex toto composuit.* Partem ergo habuit Julianus in integro corpore Missalis Isidoriani, de quo suprà. *Item librum orationum de festivitatibus, quas Toletana ecclesia per totum circulum anni solita est celebrare, partim stylo sui ingenii depromptum; partim etiam insolita antiquitate vitiatum, studiosè correctum, in unum congessit, atque ecclesiæ Dei usibus ob amorem reliquit sanctæ religionis.* F

Liturgia Gothica ac Isidoriana

143 Ex omnibus hisce, quæ de statu, ordine atque incremento veteris liturgiæ Hispanicæ collegi; intelligi facilè potest, cur ea vocari possit Gothica: nam Gothorum in Hispania tempora habemus, sub quibus illa floruit. Et quid vetat, illo potissimùm nomine liturgiam apud Gothos usitatam nuncupare, à tempore concilii Toletani IV; quando novus ex concinniore ordine &c. splendor ipsi accessit? annitente præsertim atque operam commodante non vulgarem S. Isidoro Hispalensi; unde corpus illud liturgicum, Isidori quoque nomen fecit suum: prout eruitur ex suprà dictis; annitente, ut iterum dicam, atque operam commodante non mediocrem S. Isidoro: nam in notis ad concilia celebrata in Hispania citeriore apud Labbeum tom. 9 Concil. col 1198 nimium dicitur, quando ita dicitur:

etymon.

144 *Gothicum Officium dictum est, quod à S. Isidoro Hispalensi, Gothis adhuc in Hispania regnan-*

Sec. VII. *regnantibus, justu Toletanæ synodi anno* DCXXXIII *compositum digestumque sit*. Nimium, inquam, ibi dicitur, si nova Gothici Officii confectio, stricti nominis sit talis, quæ S. Isidoro, tamquam ejusdem auctori, attribuatur; secundùm ea, quæ superiùs circa hanc rem præmissa sunt. Sequitur, ut de statu liturgiæ seculo VIII dicendum esse videatur, ubi novum induturo nomen; pro veteri Hispanica, Gothica vel Isidoriana, nominabitur Mozarabica; datâ isti nominis mutationi causâ ex Arabum invasione, quæ seculo VIII ineunte universam penè, brevissimo tempore, Hispaniam inundavit; subsecutaque est sub idem tempus ineluctabilis & lamentabilis illa catastrophe, quæ illud regnum, Gothorum dominio ex maxima parte subtractum, ab Arabibus invasum, miserrimâ prorsus scenâ in rebus publicis ac privatis; in sacris ac profanis, atque adeo in liturgicis funestavit: sicut proximè dicturus sum; postquam præmisero quæstionem quamdam, cui ansam præbet Mabillonius, de antiquitate veteris liturgiæ Gallicanæ & Hispanicæ inter se comparata.

B

§ VI.

An vetus liturgia Gallica sit antiquior quam Hispanica.

Mabillonius antiquam liturgiam Gallicanam

UTeamque hanc liturgiam insigni antiquitate valere, satis id quidem apud hujusmodi rerum peritos in confesso est. Et sane de veteri Hispana id abunde conficitur ex primis hujus Tractatus nostri paragraphis, in quibus de ipsius genesi ac primordiis dixi. Non quæritur itaque hic de utriusque antiquitate ut sic, sive ibi sistendo; sed quæritur, utra ex ambabus sit antiquior. Mabillonius De liturgia Gallicana lib. I, cap. 4 quæstionem hanc instituit, & rem decidit in favorem liturgiæ Gallicanæ; an satis solidè ac verè, dispiciamus, pedetentim ipsum talia probare conantem secuturi. *An Gallicanus ordo*, inquit num. 4, *Mozarabicum* (dicamus eum hic potius antiquum Hispanum) *præcesserit, eique formam & exemplum præbuerit, hoc loco inquirere juvat. Gallicanum esse antiquiorem, multa persuadent. In primis Prophetiæ lectio Apostolicam præcedebat apud Gallos tempore S. Cæsarii Arelatensis episcopi* (qui floruit seculo VI, & de quo nobis agendum erit ad diem XXVII Augusti) *qui in sermone ad populum habito, ut ab ecclesia, donec sacra peracta essent, non recederet, ita loquitur*. Et productis ejus verbis, inter quæ ille memorat *lectiones, sive Propheticas, sive Apostolicas, sive Evangelicas*, concludit Mabillonius, *Missam præcessisse ternas ejusmodi lectiones*.

C

antiquiorem esse censet

146 Et mox conversa ad illarum auctorem oratione, *vero proximum esse censet, eas ipsas esse, quas in ordinem redegerat sæculo V Musæus presbyter Massiliensis*; qui, sicut addit Mabillonius ex Gennadii capite 79 De viris illustribus; *Hortatu S. Venerii episcopi sui excerpsit ex sacris Scripturis lectiones totius anni, festivis aptas diebus; responsoria etiam psalmorum, & capitula, tempori & lectionibus congruentia. Sed & ad personam S. Eustasii episcopi, successoris prædicti hominis Dei, composuit* SACRAMENTORUM *egregium, & non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate Officiorum & temporum, pro lectionum textu psalmorumque serie & decantatione discretum: sed supplicandi Deo &* CONTESTANDI *beneficiorum ejus, soliditate sui consentaneum*. Et statim Mabillonius *ubi*, inquit, CONTESTANDI *vocabulum respicit ad primævum morem Gallicanum, in quo contestatio in usu erat ad significandam, quam hodie vocamus, Missæ seu Canonis præfationem*.

D

quam veterem Hispanam.

147 Unde infert, Musæum, qui post medium seculum V è vivis excessit, scripsisse librum *Sacramentorum*, quo veteres possim nomine sacræ Eucharistiæ mysteria designarint; ex Gennadio & augustino hanc notionem probans. Hæc sunt argumenta nonnulla ex pluribus aliis, quibus Mabillonius veteris liturgiæ Gallicanæ antiquitatem supra eam, quam habebat vetus Hispana, efferre conatur. Hæc cum præmittat, sistamus hic tantisper, & consideremus quidnam contra responderi queat, ut controversia hic agitata primò expendatur secundùm Mabillonii placita, quæ jam recensuimus; quo facto, alia discuti etiam poterunt, quæ in rem suam agglomerat, argumenta. Sic fiet, ut omnia ordinatiùs ac dilucidiùs decurrantur.

E

Discutiuntur

148 Ex probationibus à Mabillonio hactenus allatis illud ego unicum extundo, quod aliqua apud antiquos Gallos extiterit liturgia, adeo vetusta, ut ad tempora seculi V referri possit; sed nodum hic controversum nondum ista decidunt: neque enim, etiamsi concedamus, aliquem Ordinem liturgicum tum temporis concinnatum fuisse apud Massilienses, aut Arelatenses, inde sequitur, ut vetus Ordo Gallicanæ ecclesiæ Hispanum præcesserit, multo minùs, ut veteri illi Hispano formam & exemplar præbuerit; atque adeo ea lis adhuc sub judice est. Sed voluerit utique vir eruditus suæ priùs liturgiæ stabilire antiquitatem, quàm ad minorem, uti vult, Hispanæ vetustatem probandam progrederetur. Audiamus itaque, quomodo pergat. *Sed & ante Musæum*, inquit pag. 29, *Hilarius Pictavorum sanctissimus antistes librum hymnorum & alium mysteriorum scripsit, auctore Hieronymo in libro de Scriptoribus cap. 100. Hymnus Gloria in excelsis ab eodem auctus & consummatus dicitur in vulgato Alcuino. His duobus merito adnumerandus est Sidonius Arvernorum episcopus, cujus libro de Missis ab eo compositis Gregorius Turonensis præfationem adjunxit*, ex lib. 2 *Historiæ* cap. 22.

F

argumenta ejus,

149 *Et Salvianus Massiliensis presbyter clarissimus homilias episcopis factas multas; Sacramentorum verò, quantas nec recordor, ait Gennadius, composuit. Quo in loco Sacramentorum homiliæ intelliguntur, vel sermones de mysteriis sacris, inter Missarum solennia quondam ex more Gallico recitari solitis; vel orationes seu præfationes ad Missam. Mitto, quod in fine libri sexti Gregorius Turonensis pontifex tradidit de Chilperico rege, qui inter alia opuscula hymnos scripsit sive Missas, quæ nullo ratione suscipi possunt. Tales auctores, id est, Hilarium, Musæum & Sidonium, habuisse videtur Ordo Missæ Gallicanus: quem à Romano diversum exeunte seculo VI fuisse, constat ex epistola Gregorii M. ad Augustinum: qui tertio loco Gregorium interrogavit: Cur, cum una sit fides, diversæ sint ecclesiarum consuetudines, & altera consuetudo Missarum in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum ecclesiis teneatur*. De quibus verbis alia occasione à nobis dictum supe-

A superiùs cap. 1 § 1. *Denique Hilduinus*, uti adjungit Mabillonius, *in epistola Areopagiticis præfixa existimat, Missæ Ordinem more Gallico ab initio receptæ fidei in his partibus obtinuisse ad Caroli M. principatum*. Hactenus Mabillonius coacervavit, quidquid pro antiquitate liturgiæ Gallicanæ veteris potuit.

quibus hoc probare conatur: 150 Cui quidem in hoc genere præ Hispana veteri palmam defert: etenim *consentiunt*, uti habet pag. 30, *Hispanici auctores, qui ejus originem ad Leandrum & Isidorum seculi* VII *episcopos revocant*. Deinde producit Baronium, qui ad annum 633 ejusdem auctorem exstitisse Isidorum sgnoscat. Præterea censet, favere huic sententiæ, quod in titulo Officii Gothici editi dicatur *à S. Isidoro ordinatum*. Huc addit, quod Isidorus ipse in libro de Scriptoribus ecclesiasticis Leandri fratris sui scripta recensens, testimonium det, ipsum *in ecclesiasticis Officiis non parvo studio laborasse, & in* SACRIFICII LAUDIBUS *atque psalmis multa dulcisono composuisse*. Ex Joanne denique Mariana De rebus Hispanicis libro quinto, cap. 5 affert, *usum obtinuisse, ut Isidoro ritus Mozarabicus tribue-* B *retur; sed tamen Leandrum nonnulla invenisse*. Quæ si vera sunt, sequitur planissimè, ut Ordo vetus liturgicus Hispanus, seculo demum septimo originem suam alligare debeat. Verùm non ita rem se habere, conabor planum facere, revocando in memoriam ea, quæ circa hoc argumentum jam à me præmissa sunt.

at nos respondendo ad illa. 151 Imprimis rationes illæ, quas jamjam proferebat Mabillonius, ut persuaderet, Ordinem veterem liturgicum Hispanicum minoris esse antiquitatis, quam Gallicanum, tanti valent apud me, & non pluris, quanti valet fundamentum, cui illæ superstruuntur; ut, hoc ruente, illas quoque corruere necesse sit. Atque ego quidem sic existimo, neque S. Leandrum, neque S. Isidorum verè ac propriè veteris apud Hispanos liturgiæ auctores seu conditores exstitisse; ante quorum tempora ritus quidam fuerint in Hispania, ad divina convenientius cum cæremoniis mysteria, celebranda accomodati: quamquam in obscuro planè lateat, quale quatuor primis æræ Christianæ seculis apud Hispanos viguerit sacri altaris Officium; C ut colligere est ex dictis cap. 1, § 2; viguit tamen aliquod tam ibi, quam in Galliis, aliisque orbis terrarum regionibus, quò tunc temporis veræ fidei lux illata est. Nonnulla item antiquæ apud Hispanos liturgiæ, quantumcumque obscurum sit, qualis ea tunc esset, vestigia designavi § 6. De statu ejusdem seculis quinto, sexto ac septimo egi cap. 2, ac 3: unde intelliges, quid circa SS. Leandrum & Isidorum, ex consensu scriptorum Hispanorum superiùs à Mabillonio productos, tamquam antiquæ liturgiæ Hispanicæ conditores, respondendum sit; quid item ad Baronium; quem modo allegabat Mabillonius; uti & ad plura alia, quæ eodem cap. 3, § 3 præmisi: unde confici putem, vero proximius esse; quod SS. Leander & Isidorus novam liturgiam non confecerint; quamquam tantum in illa augenda, recensenda, excolenda & ordinanda S. Isidorus operæ ac studii conferre potuerit, ut Officium Gothicum verè ab ipso *ordinatum* dici, nihil vetet; adeo ut, quæ suprà ex titulo ejusdem Officii in editis, suæ sententiæ favere Mabillonius censebat, facilè isto modo exponi queant.

nostrasque rationes 152 Pro Officii Gothici Hispanici, ad anteriora quam ad seculi VII tempora extendendi, antiquitate adduxi superius Cardinalem Bonam; Sæc. VII. at reponet Mabillonius pag. 31: *Elipandus Toletanus episcopus in epistola ad Albinum seu Alcuinum, Toletanos sanctos Patres agnoscit Missarum Mozarabicarum auctores; in his Isidorum: signanter verò Eugenium Hildefonsum & Julianum exprimit libellus, quem confutant Patres concilii Francofordiensis apud Alcuinum; quorum nullus seculum* VII *præcedit*. Unde conficit laudatus scriptor, ad seculum V istiusmodi Officiorum auctores non posse revocari. Sed nec Isidorus, nec ulli post illum Patres Toletani condiderunt Officium Hispano-Gothicum. Consule quæ circa S. Isidorum ex Elipando signatum dixi eodem § 3; è quo satis intelligi datur, quidnam illis Patribus in hac materia tribui conveniat.

153 Ad textum à Cardinale Bona ex Missa *in contrarium* S. Martini citatum, & ob quem illud Offi- *proferenda,* cium in usu fuisse crediderit jam tum seculo V, prout in sæpe designato isto paragrapho notatum reperies; item ad illud, quod ibidem habes ab ipso observatum ex concilio Toletano III, cantandum videlicet symbolum, antequam oratio Dominica recitetur; *reponi post*, E ait Mabillonius pag. 31, *hæc verba* NOSTRÆ ÆTATIS *vel ex antiquiori liturgia desumpta fuisse, vel longiùs quam ad unum seculum protrahi posse; & statutum de symboli ante orationem Dominicam recitatione novum fuisse*, ad CORROBORANDAS HOMINUM INVALIDAS MENTES, *ut loquuntur concilii Patres*. At edisserat, amabo, nobis vir eruditissimus, quo loco, quo tempore, qua ex liturgia voces istæ in Hispaniam veterem immigrarint? Quo teste, quibus tabulis, qua auctoritate, qua fide illuc aliunde intrusas esse liquest? Quod si non ostenditur; non est, quod illæ voces tamquam adventitiæ vel apocryphæ traducantur; imo verò, quamdiu nihil affertur tale, quod è pristina possessione illas deturbet; non video equidem, cur illâ privari debeant, quidquid Mabillonio, majorem liturgiæ veteri Gallicanæ præ antiqua Hispanica vetustatem afferre volenti, incommodet, & perspicuè obsint, ne S. Isidorus veteris Officii Hispanico-Gothici conditor primus habeatur, super qua opinione Mabillonius illato majorem antiquitatem potissimùm fundabat. Brunus pag. 284 vocibus sæpe jam allegatis sublestæ fidei notam F non modo nullam inurit, sed laudat Cardinalem Bonam, quod rectè admodum observarit; Missam S. Martini designare tempus antiquius, quam sit S. Isidori. Auctorem certè illum, tametsi nuperum, afferre hæc volui, quis minimè haberi potest suspectus; quod, Gallus cum sit, Hispanæ veteris liturgiæ antiquitati plus æquo tribuat præ studio partium. Atque hæc de primo propositionis disjunctivæ Mabillonianæ membro.

154 Alterum erat, quo dicebat, *vel longiùs* *majorem* *quam ad unum seculum protrahi posse* voces hic controversas. At paullo amplius rem expendamus. Nomen *ætas* tempora significat varia. 1. enim denotat plurium seculorum complexum, uti patet in ætatibus mundi. 2. Durationem unius seculi, seu annorum centum. 3. Interdum triginta annorum spatium. 4. Terminum longissimum vitæ humanæ. 5. Tempus vitæ humanæ in quinque successivos gradus distributæ respondens, & quamlibet partem ejus: de quibus vocis *ætas* significationibus consuli possunt Lexica. Jam verò non intelligo, quo pacto per *nostra ætatis tempora* denotari possit complexum plurium seculorum. Nam, ut res elucidetur exemplo, quisnam de S. Francisco

Sæc. VII.

Paulano jam à ducentis & ampliùs annis mortuo, dicere ausit: *Sanctum hunc nostra ætatis tempora produxerunt?* Etenim tametsi vox *ætas*, vel *ætatis tempora* vi proprii sui significati, indifferens videatur ad extrahendum vel contrahendum temporis spatium; additio tamen pronominis possessivi *nostra*, spatium illud arctat & restringit; & ita quidem, uti mea fert sententia, ut nimis laxè atque adeo minùs propriè ad seculi unius integri intercapedinem extendi, contra verò magis verè ac propriè ad restrictius aliquod temporis intervallum, puta quinquaginta circiter annorum, referri posse videatur: alioqui non erunt *nostræ ætatis*, sed *superioris ætatis tempora*.

illam

155 Sed fac istam expressionem extendi ad annos centum (certè non ultra admodum extendere se debere, consentit jamjam citatus Brunus) jam consequens erit, ut Missa ista de S. Martino exstiterit apud Hispanos sub finem seculi circiter quinti, aut in initiis seculi sexti; quæ vel tunc vel aliquamdiu pòst inserta fuerit reliquo corpori liturgico veteri Hispano, quod in usu ibi erat (qualecumque demùm illud fuerit) tum fortè, vel aliquanto citiùs, quando rex Suevorum etiamnum Arianus, ut sanaretur ejus filius à lepra, ecclesiam castrui jussit in honorem S. Martini, & Turonibus ad se deferri curavit istius Sancti reliquias, in Gallæciam apportatas, quo tempore S. Martinus Bracarensis eòdem advenit, circiter annum 560. Consulesis superiùs assignatum S. Gregorium Turonensem lib. 1 De miraculis S. Martini cap. 11; & lib. 5 Historiæ Francorum cap. 38. Apud Aimoinum Histor. Franc. lib. 3 cap. 39 dicitur *beatus Martinus Galliciensis* seu Bracarensis, *in basilica, quæ prima apud Hispanos in honore S. Martini dedicata est, pontifex ordinatus*. Plura de eo diximus supra. Duo itaque ista argumenta, quæ citatis ex Missa de S. Martino verbis opponebat Mabillonius, non eo usque mihi faciunt satis, ut locum hunc, antiquitati liturgiæ Hispanicæ veteris adeo faventem, extorqueri sibi patiantur Hispani.

B

hic controversiam antiquitatem

C

156 Neque verò satis commodè respondet laudatus scriptor ad rationem aliam, quâ idem Eminentissimus Bona probabat, quod vetus liturgia Hispanica antecessisset tempora S. Isidori, ex recitatione Symboli antè orationem Dominicam juxta præscriptum concilii III Toletani. Nam unde probabit Mabillonius, statutum illud ita novum fuisse in Hispania, ut antea ibidem nullo loco aut tempore Symbolum recitaretur? Repono quippe, quod novum fortasse tunc fuerit, quatenus à concilio nationali extenditur ejus usus per totam Hispaniam, ut illud *voce clara à populo decantetur* (sive, prout ad marginem notatur, *prædicetur*) tum *propter corroborandas hominum* in Hispanis, tunc recentissimè ab hæresi Ariana ad Christi fidem conversorum *invalidas mentes*; tum *pro reverentia sanctissimæ fidei*, sicut addunt Patres; tum denique ut *fides vera manifestum testimonium habeat* &c. Eatenus, inquam, novum fuisse potest; tametsi cum hoc non pugnet, ut ante ista tempora in Hispanis adhibitum fortè sit alio modo, quam ibi in concilio isto sancitur, nimirum non quotidie, sed aliquibus dumtaxat diebus; non à populo, sed à sacerdotibus tantùm.

hactenus non videmus.

157 Et verò apud Orientales simile quid circa symbolum contigisse, ut nimirum primo restrictior, deinde amplior illius esset usus, refert Cardinalis Bona lib. 2, cap. 8 Rerum liturgicarum; ubi Theodori Lectoris librum secundum Collectaneorum citans refert, *Timotheum patriarcham anno* DX *CPoli instituisse, ut symbolum fidei per singulas synaxes diceretur, cum ante semel tantùm in anno diceretur, in magno die Parasceves, cum episcopus catechumenos instruebat*. Et postmodum in eodem capite laudatus Eminentissimus observat, quod hunc ritum postea Hispani primi inter Latinos receperint; Hispanicas ecclesias Gallicanis ac Germanicis postmodum imitatis, prout ibidem prosequitur eruditissimus ille liturgiographus. Verùm incertis hisce conjecturis omissis, an & quomodo recitatio ista symboli in Hispania obtinuerit ante concilium Toletanum III; ponamus eam tunc primùm ab isto concilio introductam fuisse; an ideo enervatur argumentum, quod inde formabat Cardinalis Bona? Non opinor: nam ex facto concilii arguo, quod aliqua ante id tempus liturgia apud Hispanos extiterit. Ecquis enim ita argumentetur: Versus finem seculi VI ex præscripto concilii istius, symbolum fidei liturgiæ Gothico Hispanicæ apponi jussum est: ergo illa liturgia antea non extabat? Tantum quippe abest, ut hoc sequatur, ut sequatur potiùs oppositum: nam pars tantilla, reliquo Ordini liturgico adjecta, supponit potiùs, aliquod totum præextitisse, quam illud faciat. Ergo liturgia vetus Hispanica non est nata & condita sub S. Isidoro, uti volebat Mabillonius: neque proin ex hoc fundamento erui posse videtur major antiquitas liturgiæ veteris Gallicanæ, quam Hispanæ.

D

E

§. VII.

Alia quædam ad dictam antiquitatem pertinentia.

Quod verò Romanus ritus, sicut prosequitus Mabillonius pag. 31, *saltem in provincia Bracarensi*, sub Vigilio fuerit receptus, nihil favet majori antiquitati hic disputatæ: nam tametsi hujus concilii canone seu capitulo 4 sancitur: *ut eodem ordine Missa celebretur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus metropolitanæ ecclesiæ episcopus, ab ipsa Apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum*; quibus adde Vigilii epistolæ ad Profuturum verba; quæ superaddit Mabillonius pag. 32; de qua epistola dixi cap. 2, § 2; nihil tamen quidquam hinc extundere queo, quod controversiam nostram dirimat in favorem veteris ritus Gallicani. Nam respondeo 1. Quod, etsi provincia Bracarensis tunc temporis, id est seculo sexto medio, & tempore, quod inde excurrit, assumpsisset ritum Romanum; nihil derogaretur antiquitati liturgiæ veteris Hispanicæ; neque enim ex eo, quod provincia Bracarensis ritum externum admisisset seculo VI, consequens esset, ritum Hispaniæ proprium domesticum atque internum non extitisse seculo IV aut V: imo verò contra statuo, aliquem in Hispania ante seculum VI in usu fuisse Ordinem sacrum, tametsi ibidem in Bracarensi provincia Romanus seculo isto substitutus esset, ne alioqui Hispania fuerit absque liturgia successivè continuata, usque ad seculum VI; quod dici non potest.

Majori antiquitati isti non favet concilium Bracarense, nec epistola Vigilii

F

159 Quid, quod in hac epistola per ista verba: *Quapropter & ipsius* CANONICÆ PRECIS *textum direximus*, aliud non sit intelligendum, quam

eam confirmat;

A

quam canon sacræ actionis; ipsomet consentiente Mabillonio; ut prorsus non assequar, quid contra totum veterem ritum Hispanum, nedum contra antiquitatem ejus conficere possit, ut in hoc genere palmam tribuat Gallicano. Jam verò idem eruditissimus liturgiographus opinionem suam non confirmat, quando sic dicit: *At cum Toletanis conciliis tertio & quarto Bracarenses episcopi interfuissent, novum ritum in eis præscriptum, Romano (ut credere par est) prætulerunt*. Quidnam à Patribus Toletanis in concilio istius nominis quarto circa res liturgicas sit gestum, explanare conatus sum cap. 3; at sive decretis hujus concilii, quod æquabilem totius œconomiæ liturgicæ consonantiam tanto ursit opere, ad uniformem cum ceteris Hispaniarum ecclesiis in sacris ordinem provincia Bracarensis reducta sit; sive non; quidnam hoc refert? Eadem enim redeunt argumenta, quæ superiùs allegabam, ut ostenderem, liturgiam aliquam apud Hispanos præexstitisse temporibus S. Isidori. Adde, quod ex facto particularis provinciæ, sacro Officio Romano se conformantis, vel non conformantis, nihil concludi possit in hac controversia.

B

uti uto hymni;

160 Addit Mabillonius, *quemadmodum hymnos ex S. Hilario, sive etiam suum* FORTASSE *ritum ex Gallorum imitatione acceperunt Hispani*. At cur ex S. Hilario potiùs, quam ex Ambrosio hymnos suos acceperint Hispani? dicente S. Isidoro De ecclesiasticis Officiis lib. 1, cap. 6: *Hilarius autem Gallus, episcopus Pictaviensis, eloquentiâ conspicuus, hymnorum carmine floruit primus. Post quem Ambrosius Mediolanensis episcopus ... copiosus in hujusmodi carmine claruisse cognoscitur: atque inde hymni ex ejus nomine Ambrosiani vocantur; quia ejus tempore primùm in ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt: cujus celebritatis devotio posthac per totius Occidentis ecclesias observatur*. Cur itaque ipsius hymnorum celebritas ad Hispanas etiam ecclesias non transierit? Sane ex utroque isto doctore hymnos fortasse aliquot migrasse ad Hispanos, suaderi mihi facilè sinam ex canone 13 concilii Toletani IV; qui sic habet: *De hymnis etiam canendis, & Salvatoris & Apostolorum habemus exemplum ... Et quia nonnulli hymni humano studio:. compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi Doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt; quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de Scripturis sanctorum canonum vel Apostolica traditione non existunt*; sed eosdem idcirco à divinis Officiis non esse excludendos, statuit citatus canon, ut videre est cap. 3, § 1, ubi ubi eum dedimus.

C

Sec. vii.

nec Mabillonii conjectura.

161 Quod *suum fortasse ritum*, sicut ajebat Mabillonius, *ex Gallorum imitatione acceperint Hispani*, mera conjectura est; & rotundè negabitur ab iis, qui Ordinem Gallicanum ab Hispano derivant. Et verò fuisse, qui inde eum derivarent, suadetur ex sequentibus. S. Gregorius Turonensis in Vitis Patrum cap. 17, editionis Ruinartianæ col. 1234 dicit: *Lectis igitur lectionibus, quas canon sanxit antiquus*. In quem locum ibidem notantur ista: *Ex hoc loco confutatur eorum sententia, qui asserunt, Ordinem Gallicanum à Mozarabico Hispanorum prodiisse: cum hic dicatur* CANON ANTIQUUS, *priusquam Mozarabicus, à S. Isidoro editus, in lucem prodiisset*. Ubi vides, supponi, quod ante S. Isidorum non exstiterit antiquus canon seu Ordo liturgicus apud Hispanos; atque adeo hic militant contra illud suppositum, quæ supra protuli contra Mabillonium, eodem supposito nixum. Sed ad id, quod ex Gregorio Turonensi circa *canonem antiquum* objicitur, repone verba concilii Toletani IV canone 2: *Hoc enim & antiqui canones decreverunt, ut unaquæque provincia & psallendi & ministrandi parem consuetudinem contineat*. Erant ergo in Hispania antiqui canones ad liturgiam spectantes ante concilium Toletanum IV; ac proinde ex verbis S. Gregorii Turonensis nihil hic evincitur. Factum Cæsarii Arelatensis episcopi, de quo meminit Mabillonius pag. 32, *qui* PER ITALIAM ET HISPANIAM, *homilias sacras distribui curavit*, nihil antiquitatem liturgiæ Hispanæ infra Gallicam deprimit, non magis, quam commemorationes constitutionum in concilio IV Toletano factarum; de quibus agit à pag. 33.

E

ut rem hic controversiam in favorem Gallorum dirimamus.

162 Hisce omnibus ita expositis atque expensis, quibus Mabillonius majorem liturgiæ Gallicanæ quam Hispanæ antiquitatem conciliare conatus est, nihil hactenus videre me fateor satis firmi ac solidi, quo controversia hæc ab ipso agitata, in favorem Gallorum potiùs quam Hispanorum decidatur: neque unum unicum ex illis multis, quibus persuaderi censebat Mabillonius, à Gallis pro sua liturgia majorem antiquitatem stare, satis me convincit, ut ipsi consentiam. Plura, quæ huc spectant, dabuntur inferiùs cap. 10. § 3.

F



Sec. VIII. D

C A P U T IV.

Christiani eorumque liturgia sub Saracenis seculo VIII.

§. I.

Hispaniæ ab Saracenis subjugatæ notitia generica, rerum liturgicarum singularis; quo tempare tragica illa catastrophe acciderit.

Descriptioni hujus tragœdia



Ggredimur fatale atque infelicissimum Hispaniæ nostræ octavum seculum, quo vix ineunte ira divini Numinis ad vindictam sui, atque erratorum Gothico-Hispanæ gentis punitionem, quæ ab antiqua illa morum doctrinæque integritate, tot conciliis ac legibus confirmata, sub Witiza & Roderico, iniquissimis regibus, B *miserrimè præcipitaverat, è vicina Africa accitos Mauros, seu Arabes, Machometi asseclas, nobis intulit, hostes teterrimos; vultumque omnem felicissimi regni, atque Gothici sic ad eum diem florentis imperii, ad exterminationem usque lacrymabiliter defœdavit. Quod hostium Christianæ fidei jugum octavo isto cervicibus suis impositum, multis deinde seculis Hispania tulit, vixque tandem decimo quarto excussit. Nec miraberis, lector, magnæ hujus calamitatis defuisse tempore viros illos doctrinâ olim inter eos, ac toto terrarum orbe inclytos, quorum nomina huic albo inseruntur. Raras igitur scriptorum spicas, quibus magnum ab Austro & Oriente veniens pepercit sidus, ac tritura Sarracenorum non decussit, legere nunc erit nobis opus, ac veluti disciplinæ ignis fere extincti scintillas quasdam historiæ hujus gremio, ne pereant, confovere.*

à Nicolao Antonio notata, 164 Iisdem sanè his verbis, quibus Nicolaus Antonius auspicatur suum librum Bibliothecæ Hispaniæ veteris sextum, scriptores seculorum octavi, noni ac decimi complexum, C videor ego non abs re auspicari posse seculum liturgiæ Hispanicæ antiquæ Gothicæ, seu Isidorianæ, ut vocant, octavum, applicando illa verba, quæ ipse usurpat occasione scriptorum Hispanorum, ad res liturgicas, certa quadam cum proportione in istius auctoris præambulo, quod protuli, adumbratas. In funestissimæ itaque hujus tragœdiæ conspectum nos duxit instituti, quod præ oculis habemus, ratio; cujus lamentabilis catastrophes argumentum brevi ex antiquioribus scriptoribus repræsentare compendio juvat, ut, præmissâ rerum tum temporis gestarum genericâ quadam ideâ, ad ea, quæ in rem nostram aptè conducunt, clariùs, distinctiùs ordinatiusque progrediamur. Auctores hic potissimum sectabimur Isidorum, Pacensem episcopum, rebus, quas scribit, tempore proximum, utpote qui medio seculo octavo sua monumenta litteris mandarit. Alter erit Rodericus Ximenius, archiepiscopus Toletanus, qui floruit seculo XIII.

subjungitur ex Isidoro Pacensi 165 Dolendum maximè, quod laudati istius Isidori Chronicon adeo barbarum, ac mendosum ad posteros pervenerit, ut incidas in locos ubi vix caput vel pedem invenias. Consule Joannem Vasæum in Chronico rerum Hispanicarum cap. 4; Prudentium de Sandoval, Pampilonensem antistitem, ac Chronici Isidoriani editorem, pag. 26; Nicolaum denique Antonium lib. 6, cap. 3; ubi pag. 329 affirmat, quod *auctorem hunc non minùs propria & innata, quam ab exscriptoribus inflicta vulnera miserrimè debilitaverint*. Plura de Isidoro dabit idem Bibliothecæ auctor. Continuatores ejus Sebastianus Salmanticensis, Sampirus Asturicensis, & Pelagius Ovetensis, ex Mss. codici- E bus omnes cum illo conjunctim à Sandovalio editi sunt Pampilone, anno 1615. Quod *soli Hispaniei historici istos admittant tamquam genuinos; alii verò ab Hispanis omnes, istos Isidori continuatores, imo & Isidorum Pacensem suppositionis arguant*, tradit auctor nuperus heterodoxus in Commentario De scriptoribus ecclesiasticis, tom. 1, col. 1794; citans Aubertum Miræum in Bibliotheca eccles. ad cap. 8 cujusdam anonymi De duodecim scriptoribus ecclesiasticis, pag. 105; *à quo hæc*, inquit, *accepimus*. Censuram certè à Miræo non accepit; apud quem nihil lego de Isidoro, ejusque continuatoribus, præter brevem eorum notitiam, inclusâ omni de illis censurâ. Ego sanè Isidorum Pacensem (de illo quippe hic potissimùm agimus) ad auctores apocryphos amandare non ausim. Sic ergo is loquitur pag. 12, à me tamen hic illic correctus, & alicui saltem intelligibiliori sensui restitutus.

166 *In æra* DCCLXIX ... *dum à supranominatis Hispania vastaretur, & nimium non solùm hostili, verùm etiam intestino furore confligeretur, Muza & ipse .... penetrat; atque Toletanam urbem regiam usque inrumpendo, adjacentes regiones pace fraudifica male diverberans, nonnullos seniores nobiles viros, quicumque remanserant, per Oppam, filium Egicæ regis, à Toleto fugam arripientem gladio patibuli jugulat, & per ejus occasionem, cunctos ense detruncat; sicque non solùm ulteriorem Hispaniam, sed etiam citeriorem, usque ultra Cæsaraugustam, antiquissimam & florentissimam civitatem ... depopulatur; civitates decoras igne concremando præcipitat &c. Cordoba in sede dudum patritia (quæ) semper exstitit (&) præ ceteris adjacentibus civitatibus opulentissima; & (quæ) regno Wuisse Gothorum primicivas inferebat delicias, regnum efferum collocant. Quis enim enarrare queat tanta pericula? ... Sed ut in brevi cuncta legenti renotem* flagella, ... quidquid historialiter capta Troja pertulit, quidquid Hierosolyma, prædicta per Prophetarum eloquia bajulavit &c. Omnia & tot (una) Hispania ... tam in honore, quam etiam in dedecore experta est*. Ex his discimus calamitates Hispaniæ generatim. *calamitas Hispana;* F

** fortè renovem*

167 Quo autem loco tunc ibidem fuerit cum divino cultu liturgia sacra, facilè intelliges ex Roderico, archiep. Toletano, graphicè & pa- *qua a Roderico archiep. Tolet.*

A

& patheticè divinarum rerum statum tragicum exponente, lib. 3 De rebus Hispaniæ cap. 22: *Conticuit religio sacerdotum, cessavit frequentia ministrorum, abscessit diligentia prælatorum, periit doctrina fidei, & Sanctarum naia, pater solvitar Orthodoxoram: sanctuaria destruuntur, ecclesiæ dirnuntar; & qua laudabant in cymbalis, provocant in blasphemiis.. solemaia penitus cessaverunt, & ecclesiæ organa in blasphemiam transiverunt: non est, qui jubilet in ecclesiis... defœdat abusia arnamenta... adeo enim pestis invaluit, quod in tota Hispania non remansit civitas cathedralis, quæ non fuerit aut incensa aut diruta. Arabes enim quæ vi non poterant subjugare, falsa fœdere deceperunt, Oppa filio Egicæ Hispalensi episcopo suadente, ut subjecti Arabibus viverent sub tributa; & si fortè Dominus patriam visitaret, fierent subvenientibus in succursum. Et sic fraudibus circumventi reddiderunt oppida & præsidia civitatum. Et isti dicti sunt Mixtiarabes, eò quod mixti Arabibus conviverent; quorum hodie apud nos nomen perseverat & gens.*

circa res sacras magis determinatur. 168 Quod hic dicitur de etymologia Hispanorum sub tributo inter Arabes habitantium, suo loco discutietur, ubere admodum inde subministrandâ materiâ, explanandi statum liturgiæ sacræ sub dominio Saracenorum seu Arabum, simulque inquirendi, unde Mozarabes nomen traxerint. Interea pergit Rodericus: *Et tali fraude Arabes fere omnia occuparunt; & omnibus occupatis, rupto fœdere, thesauros ecclesiarum & divitias incolarum pariter exhauserunt.* Idem Præsul Toletanus cap. 17 præmiserat caulas dissensionis, propter quas miserandæ adeo vastationi Hispania fuit involuta; de quibus videri potest Baronius ad annum Christi 713; quæque noster Brietius in compendium ex eo contraxit. Quæri hic præterea potest, quo determinatè anno lamentabilis illa catastrophe acciderit.

Quo determinato anno 169 Auctores cum exteri cum Hispani in hoc anno pressè figendo ac definiendo non consentiunt; sed lis ista non magni sanè est momenti; cum tota quæstio ventiletur non circa ingens aliquod temporis discrimen, sed circa paucos solummodo annos; quo fit, ut alii præcisum annum anticipent, alii diutius differant.

C

Constat interim, rem gestam esse ineunte seculo VIII. Primò ponam in medio sententias auctorum, qui de illa epocha invasionis Hispanicæ tractarunt. Deinde breviter dispiciam, quænam opinio vero proximior censeri possit videatur. Baronius itaque illud factum illigat anno 713, cum Labbeo; anno autem 714 Joannes Vasæus, Mariana, Aguirreius tom. 3, pag. 67, ne plures commemorem; qui propterea quod non sint antiqui, numerum facere dumtaxat possunt, non fidem; testante excellentissimo comite Mondexarensi in Historiis eccl. parte 2, pag. 30, ruinam Hispaniæ ab historicis Hispanis passim affigi anno 714 prædicto; rectè addens, eos *supponere* potius quam *examinare*, eo anno Saracenos in illam ingressos esse.

illa contigerit, 170 Franciscus de Breganza Antiquitates Hispaniæ propugnatas anno 1719 in lucem dedit; in quarum appendice pag. 555 sic refertur ex Chronico Æmilianensi: *Rodericus regnat annis tribus. Istiac tempore æra* DCCLII (anno Christi 714) *Sarraceni.. Spanias occupant.* At verò quod illud Chronicon diu post istum annum litteris mandatum sit, argumento sunt sequentia: *Regnum Gothorum capiunt; quem* * *adhuc usque en parte possident; & cum eis*

* quod

Christiani die noctuque bella inirunt *, *& quotidie confligunt; sed eis ex toto Spania* * *auferre non possunt.* Dissentit ab isto Chronico aliud Chronicon, extractum ex libro Kalendæ antiquæ, cathedralis Burgensis, apud laudatum Berganzam pag. 561; ubi habentur ista: *Æra* DCCXLIX *intraverunt Hispaniam Sarraceni tempore Roderici, regis Toletani;* quæ æra respondet anno Christi 711. Annales Compostellani, qui extracti notantur ex una copia, asservata in bibliotheca monasterii S. Martini Matriti, loco citato, pag. 562 eidem consonant, quando ita dicunt: *Æra* DCCXLVIIII *intraverunt Hispaniam Sarraceni tempore Roderici, regis Toletani.*

Sec. VIII.
* ineunt
* Spaniam

171 Annales Complutenses, ex variis, ut eorum textui prænotatur, copiis desumpti, ibid. pag. 565 in anno congruunt cum Chronico Æmilianensi jam citato, prout ex eorum verbis constat: *In æra* DCCLII *venerunt Sarraceni in Hispaniam tempore Roderici regis, & praeoccupaverunt eam; sed non totam.* Sed cum pleraque mox producta instrumenta in signando anno, hic controverso, pugnent inter se, neque de eorum merito satis mihi constet; neque operæ pretium sit, illud quanti sit valoris, Chronica ista singulatim excutiendo, determinare; frustra volueris quidquam inde certi extundere. Sunt, qui fatalem illam Hispaniæ cladem seriùs accidisse memorent; quos inter numerandus Franciscus Tarapha, canonicus Barcinonensis, De origine ac rebus gestis regum Hispaniæ; ubi ad an. 710, eam affigit anno Christi 717. Singularis est Sigebertus in Chronico, apud quem illa catastrophe notatur ad annum 720. Pagius denique in Critica historico-chronologica Baroniana adhæret anno 711. *non convenit inter auctores.*

E

172 Proposui hactenus, quam varia apud varios in figendo pressè famosi Hispaniarum interitus anno sit ratio. Sed absit, ut tantilla pauculorum annorum discrepantia ullam injiciat nostro instituto circa res liturgicas prosequendo moram; cum nihil nostrâ intersit, aliquotne annis seriùs aut citius catastrophe ista acciderit. Quæ cum ita sint, aliud nihil faciendum censeo, quam lectori assignare neotericum aliquem auctorem, qui præsentem controversiam diligentissimè proposuit, explanavit, illustravitque. Est is V. Cl. Josephus Perezius, Benedictinus; qui Dissertationibus suis ecclesiasticis, anno 1688 Salmanticæ editis, adjecit Appendicem secundam à pag. 319; quæ est Dissertatio chronologica de supremæ cladis Hispaniæ à Saracenis illatæ anno. *Neotericus scriptor*

F

173 Postquam itaque Vir apprimè eruditus, ex aliis cum antiquioribus tum recentioribus bene multa præmisisset, quæ ad extricandam hanc difficultatem conductura sperabat; suam deinde mentem à pag. 335 exponit, re tota majoris perspicuitatis ergo in varias distributa assertiones: quarum prima dicit, nec ante annum 711, nec post 715 illam cladem contigisse. 2. Non esse improbabile, quod ea in annum 711 inciderit. 3. Minus esse probabile, quod anno 713 acciderit. 4. Improbabile prorsus, quod in annum Christi 714 incurrerit. 5. Ex dictis concludit, Hispaniam anno Christi 712 in Saracenorum potestatem venisse. Quæ omnia pluribus apud laudatum chronographum deducta reperies, ne prætermisso quidem individuo mensis & hebdomadis die, de quibus agit, pag. 343 dicens quò & cur in hoc quam in illud potiùs propendeat. Quæ postrema utcumque se habeant; ex anterioribus certè *pressè istum annum figere conatur.*

Sec.VIII. tè talem se Perezius apprime comprobat, ut in profunda & abstrusa abysso intimos ejusdem scrutatus angulos videatur. Quæ tamen ex laudato auctore recitavi, ita accipi volo, ut, etiamsi ulterius omnium examen chronophilis discutiendum, & ad regulas temporis exigendum relinquam; credam tamen Perezium propius ad verum accedere. Nunc alia me vocant, quæ meo de rebus liturgicis sub Saracenorum tyrannide instituto magis sunt accommodata.

§. II.

Mozarabes, eorumque Officium sacrum; qua lege, & ubi illud exerceri permissum; nominis etymon.

Christiani sub tributo vivunt inter Arabes.

EXhibui superius ideam quamdam genericam de extremis Christianorum in Hispania, sub tyrannica Saracenorum captivitate gementium calamitatibus. Quædam subjicienda nunc sunt, quæ eorum atque adeo rerum sacrarum ac liturgicarum statum magis in particulari explicent. Quæ suprà tangebat Rodericus de tributo, à Christianis, tunc mixtim inter Arabes viventibus, persoluto, pressiùs hic exponenda videntur. Isidorus Pacensis ita refert: *Æra* DCCLIII (quæ si verè in auctore prorsus mendoso sic signari debet, respondet anno Christi 715) *Abdellaziz omnem Hispaniam per annos III sub censurario jugo pacificans* &c. Tributum verò nunc increvisse, nunc decrevisse, docet idem Isidorus his verbis: [illegible] *æra* DCCLIX .... *Ambiza vectigalia Christianis duplicata exagitans, fascibus bonorum apud Hispanias valde triumphat.* Quibus succedunt mitiora; nam *Æra*, inquit, DCCLXIII ... *Sarracenus Jahie nomine, ... acri ingenio Hispaniæ Sarracenos & Mauros pro pacificis rebus olim ablatis exagitat, atque Christianis plura restaurat.* Hæc de tributis, quæ ingentis luctus exigua Christianis eorumque rebus sacris exstitere solatia.

C

Viri præclari qui tunc vixerunt;

175 Nec verò exiguo afflictis rebus solatio fuerint viri præclari, qui tunc in Hispania vivebant, teste Isidoro; quos inter ea, quæ scribit sub æra DCCLVII commemorat: *Per idem tempus Fredericus * Accitanæ sedis episcopus, Urbanus, Toletanæ sedis, urbis regiæ cathedralis veteranus melodicus, atque ejusdem sedis Evantius * archidiaconus nimirum doctrinâ & sapientiâ, sanctitate quoque, & in omni secundùm Scripturas spe, fide & charitate, ad confortandam Ecclesiam Dei, clari habentur.* De epistola Evantii, archidiaconi Toletani, contra eos qui sanguinem animalium immundum esse judicant, & carnem mundam esse dicunt, anno circiter 730, agit Aguirrius tom. 3 pag. 86, ubi hanc epistolam ipsi vendicat. Porro locum hunc Isidori Pacensis expendit Nicolaus Antonius lib. 6, pag. 354. Ex his intelligitur, res sacras & liturgicas calamitosissimis illis temporibus in secrimum in modum obscuratas atque afflictas, non tamen omnino exstinctas fuisse; quandoquidem Christiani, sub tributi pensione inter Arabes vivere permissi, ritus quoque sacros, quam minima poterant novorum suorum dominorum offensione, alicubi exercuerunt.

* al. Frodoarius

* al. Ovantius

Id quod magis fiet perspicuum ex iis, quæ subdo. D

Pelagius fuit Atlas Christianorum:

176 Rodericus lib. 4 De rebus Hispaniæ cap. I, *Deus omnipotens*, ait, *in ira sua misericordiæ non oblitus, Pelagium quasi scintillam modicam in suo conspectu voluit conservare. Hic Pelagius ... fugiens à facie Vitizæ, qui eum voluerat excæcare, .. apud Cantabriam se recepit; sed audiens succubuisse exercitum Christianum, & Arabes quæque desiderabilia invasisse .. Asturiis se donavit, ut saltem in Asturiarum angustiis posset Christiani nominis aliquam scintillam conservare. Sarraceni enim totam Hispaniam occupaverant, gentis Gothicæ fortitudine jam contrita, nec alicubi resistente, exceptis paucis reliquiis, quæ in montanis Asturiarum, & Biscagiæ, Alavæ, Guispuscuæ, Ruchoniæ, & Aragoniæ remanserunt: quas ideo Dominus reservavit, ne lucerna Sanctorum in Hispaniis coram Domino extingueretur.* Ceterum de Pelagio, qui instar Atlantis res Christianorum suis humeris sustentavit, hostesque mirabili victoria fudit non in gladio, sed in nomine Domini, *Dei manu*, ut verbis Roderici utar, *pro suis ... misericorditer dimicante*, agit idem scriptor in citato capite, uti & cap. 2 & 4. Christianis itaque spectabili adeo Domini exercituum protectione triumphantibus erecta spes, revocati animi; ut suspicari merito liceat, novum quemdam, tametsi pro ratione temporis ab anteriore plurimis gradibus minorem, rebus liturgicis usum accessisse in Asturiis. E

quibus quid Toleti,

177 Quin imo in mediis barbaræ captivitatis angustiis, & in ipsa quondam regiæ civitatis sede, quisnam favor ab hostibus indultus fuerit Christianis, & sacris eorum Officiis, accipe ex mox allegato cap. 3; è quo deliбo ista: *Postquam vero urbs regia fuit non irruptione, sed fœdere ab Arabibus occupata, quod tamen fœdus Sarraceni postea irruperunt, clerus & Christiani ejecti cum aliis, qui in Hispaniis servituti barbaricæ mancipati elegerunt degere sub tributo, permissi in lege & ecclesiasticis institutis, & habere pontifices, & evangelicos sacerdotes; apud quos viguit Officium Isidori & Leandri, & viget hodie* (sæculo nimirum decimo tertio, quo Rodericus floruit) *in sex parochiis Toletanis. Igitur qui sic inter Arabes Toleti mansere*, inquit Blasius Ortizius in summi templi Toletani descriptione fol. XCVI verso, *iis sex urbis ecclesiæ, ubi rem divinam facerent, à barbaris permissæ sunt, divorum Marci, Lucæ, Sebastiani, Torquati, Eulaliæ, Justæ nominibus dedicatæ, in quibus ritum illum Isidorianum, qui incolumi florentique civitate in templis omnibus canebatur, captivâ etiam quadringentos ferme annos Mixtarabes illi conservarant. Quo factum est, ut Toletanum jam Officium appellaretur.* Sed de isto cognomento plura dabo ad finem hujus paragraphi. Eugenius de Robles, pastor S. Marci, & sacellanus in sacello Mozarabum sanctæ ecclesiæ Toletanæ, anno 1604 Compendium edidit de Vita & gestis Cardinalis Francisci Ximenez de Cisneros, in quo & de Officio ac Missa Mozarabicis; ubi cap. 21, à pag. 212 tractat de ecclesiis Mozarabicis, quæ Toleti conservatæ fuerunt, in destructione Hispaniæ, & de earum rebus, quas notatu dignas censuit. F

& in civitate Oscensi indultum sit;

178 Franciscus Didacus de Aynsa in opere De rebus memorabilibus &c. civitatis Oscensis lib. 1, cap. 7, pag. 26 singularem locum Christianis ibidem degentibus indultum fuisse ab Arabibus memorat. Textum ejus ex Hispanico sic reddo: *Providentia divina ... elegit .. ad suorum*

A

rum tutelam in civitate Oscensi antiquum templum S. Petri veteris, quod hodiedum durat; in quo congregabantur fideles, ibidem degentes, ut divinis Officiis interessent, & caelestem cibum comederent: persolvendo tamen Mauris pro hac re certo tributo, sicut faciebant Caesaraugustae. Isti Christiani Mozarabes Oscenses vixerunt intra limites parochiae, quae hodie est S. Petri, toto tempore, quo ista civitas subfuit potestati Maurorum: ita ut nunquam in illa civitate defecerint Christiani; & ecclesia S. Petri nullo tempore destructa fuit, nec occupata à Mauris, aedificii, quod hodie videtur, integritate semper conservata. Quae omnia auctor iste fecisset multo credibiliora, si ex fide alicujus antiqui scriptoris ea retulisset. Fateor interim, non esse mihi satis causae, ut negem, alibi fortasse locorum in Hispania, aliquid in hoc genere fuisse indultum Christianis, inter Arabes degentibus, quos Mozarabes saepenumero jam vidisti à me per decursum hujus tractatus vocitari; & quorum etymologiae origo nunc discutienda est.

Unde dicti sint Mozarabes,

B

179 Porro sicut quaestio ista apud scriptores notissima atque agitatissima est, ita alia ab aliis initur via, ut ad veram ac genuinam istius nomenclationis originem perveniant. Excellentissimus comes Mondexarensis in suo opere, quod inscribitur *Praedicatio S. Jacobi in Hispania*, cap. 24 tractans de origine ac progressu Officii Mozarabici, eruditè praesentis quaestionis argumentum explanat à fol. 135; & quia ciusdem clarissimi scriptoris contextus è variis aliis auctoribus, quorum loca distincte allegat ad marginem, depromptus est, videtur mihi operae pretium, totum hic lectoris oculis textum subjicere, ex Hispanico, quo auctor iste scripsit, à me versum; ut planè intelligi possit, quid tenuerint alii, qui ante ipsum scripserunt, & quid ipse tenendum censeat. Incipit ab his Roderici verbis, superiùs à me productis, *Isti dicti sunt Mixti-arabes, eo quod mixti Arabibus convivebant, quorum hodie apud nos nomen perseverat, & genus;* & mox pergens, *Cujus*, inquit, *deductio Latina est communis in omnibus nostris scriptoribus, exceptis Stephano de Garibay lib. 8, cap. 49, & Petro de Alcozer Historiae cap. 44, qui dixerunt, eos illud nomen accepisse in memoriam Muzae Arabis, celebris Maurorum ducis, quando subjugata fuit fuit Hispania. Sed tutiorem originem nobis offert ipsamet lingua Arabica, unde procedit; secundùm id, quod in illa magis versati sentiunt, sicut demonstrabimus.*

C

dixerit excellentissimus comes Mondexarensis,

180 *Arabes enim distinguunt primos suae provinciae habitatores, quos vocant* ARABES ARABICOS; *quod tantumdem est dicere, ac primitivos aut genuinos, consonatque iis, quos* ABORIGINES *Latini,* AUTOCHTHONAS *Graeci dixere, respectu illorum, qui postea per accidens in illa propagarunt, quos nominant* ARABES ARABIZANTES, *& in lingua sua propria* MUSTARABES: *quo denotant, eos origine Arabes non fuisse & natura; prout observant, quotquot moderni sese linguarum Orientalium studio dedicarunt, & inter alios Jacobus Golius, Eduardus Pocockius, Abraham Echellensis, Joannes Henricus Hotingerus, & Samuel Bocart: cujus verba, quia breviora, sufficiet repetere. Dicunt ergo*, inquit, citans Bocarum in Phaleg. lib. 2, cap. 30 *Porro soli Jaktanis posteri pro* ARAB ARABA, *id est, genuinis Arabibus, haberi volunt; alios* ARAB MUSTARABE, *id est, Arabes factos esse pertendunt. Istam eamdem distinctionem eorum scriptores conservarunt manifestam, etiam postquam subjugarunt Africam, secundùm id, quod affirmat Joannes Leo in Descriptione Africae pag. 42, ex edit. Elsevidiana* *, *versatissimus in illius regionis notitiis, ubi educatus est, errorem popularium suorum sequens, donec baptismus ipsum captivum ab eodem liberavit: & sic dixit:*

Sec. VII.

* Elzeviriana, haud dubie.

181 „ *Veteres illi Arabes, qui ante Ismaelitas fuere, ab historiographis Africanis,* „ ARABI ARABA, *hoc est* ARABES ARABICI *vocitari soleat. Qui ab Ismaele genus duxisse* „ *dicuntur,* ARABI MUSTARABA, *id est, Arabes (ut ita loquar) inarabati, vel Arabes* „ *per accidens nominantur, eo quod non sunt* „ *Arabes nativi.* „ *Idem repetit Ludovicus del Marmol Historiae Africae lib. 1, cap. 18, cum testimonio Ibni Alroquiq, per cujus auctoritatem affirmat, quod* „ *Africani vocent Arabicos tribus modis. Eos, qui propagarunt in Arabia* „ *ante Ismaëlem, vocant* ARAB ARUB, *quia* „ *sunt descendentes Arub; & istos dicunt esse* „ *nativos Arabes. Illos, qui sunt Ismaëlis,* „ *vocant* ARAB MISTARABA, *quod vult dicere* „ *Arabes Arabicos: quia illos inquiunt non* „ *esse natos Arabes, sed quod sumpserint linguam Arabicam. Et eos, qui transierunt propagaturi in Africa, vocant* ARAB MASTAGEMA, „ *quod vult dicere Arabes Barbariscos.* „

Arabum duplex distinguendo genus

E

182 *Eamdem itaque ob rationem Christianis, qui manserunt, ut viverent in Hispania inter Mauros, dum eos obligassent ad linguâ suâ loquendum, sequendos mores suos, ac leges politicas, nomen dedere Mustarabum ipsimet Mauri, qui in ipsos dominabantur, ad significandum, quod non essent Arabes naturâ, tametsi accidentaliter arabizarent; id est, loquerentur, mores, leges, & indumenta Arabum sectarentur. Unde modica cum variatione nomen Mozarabum, quo de loquimur, corruptum est.* Ac post pauculo, quae hic addit Mondexarensis ex aliis auctoribus inter quos est Alfonsus Ortizius, citatisque ex dicti Missalis dedicatoria his ejus verbis, *Ut opinor, dicti sunt Mozarabes, hoc est inter Arabes degentes;* laudatus Mondexarensis concludit: *Atque illud est verum meâ sententiâ nomen, propter quod Mozarabicum dictum sit Officium Gothicum, quo utebantur Christiani nostri, qui vivebant dominio Arabum subjecti.*

unde dictum etymon provat:

F

183 Sententiam hanc exponit, & amplectitur Pagius ad annum 714, num. 7, pag. 181, quando citatis à se Roderici verbis subdit ista, *Eduardus Pocockius Anglus, linguarum Orientalium, praesertimque Arabicae peritissimus, vestigiis Abulpharagii inhaerendo, docet nos in Specimine historiae Arabum, Arabas, qui ab Ismaële genus ducunt, dictos fuisse, Most Arabas seu insititios, eo quod non essent ex primis Arabiae incolis oriundi, nec genuini Arabes. Hoc modo omnes externae stirpis, gentis, & religionis inter Arabas viventes, vocati sunt ab ipsis Mostarabes. Verùm Hispani litteram* T *de hac voce tollentes, Hispano-Arabas appellarunt Mos Arabes. Pari modo urbs à Mauris vocata Astigia vel Estija, efferunt Hispani Ecija; Saragosta, Saragoça pronuntiant, & multas Arabum voces, quas linguae intruserunt, corrupere. At nonnulli eruditi opinati sunt, Rodericum, seu & Hispanos eodem praesule vetustiores, cum linguam Arabicam ignorarent, syllabam* Mus *à voce Latina* MIXTOS *corruptam existimasse. Verùm hanc conjecturam linguae Arabicae periti sugillant, licet eam admiserit Mariana lib. 6 De rebus Hispaniae cap. ultimo.*

cui suffragatur Pagius:

184 Et verò etymon Mozarabum, ab illa origine deductum, mihi videtur magis ad verum

hinc alia quaedam nomenclationes

Sec. VII.

rum accedere, quam illud, quod tradit Rodericus; nam, uti rectè notat illustrissimus Petrus de Marca in Marca Hispanica libro 3, cap. 1 *Dicti .. Christiani Mozarabes, non eò, quod essent misti Arabibus, ut Rodericus Toletanus observavit, posterisque persuasit: nam huic originationi ipsa scriptura constans ratio refragatur, quæ Muzarabes illos perpetuo vocat non autem Mistarabes.* Perperam item ad indignandum Mozarabum etymon recurri videtur ad Muzam Arabem. Nonnullos eò recurrere, dicebat superius comes Mondexarensis; quibus adde laudatum illustrissimum de Marca, ibidem sic prosequentem: *Muzæ Arabis beneficio hanc libertatem consecuti, ejus se nominis patrocinio contra sequentium principum impotentiam tuebantur, ac deditionis suæ conditionas eâ nomenclaturâ explicabant.* Sed respondet Pagius loco citato, num. 8: *Hæc etymologia ob eamdem, qua præcedens, rationem reijcienda.* Blasius Ortizius in Descriptione summi templi Toletani fol. xcvi verso, *fabulam* & *commentum* vocat Mozarabum appellationem à Muza petitam: *commentum*, inquam; quod utique *nullo quidem*, uti addit, *testimonio dumtaxat idoneo nititur.*

B

Videntur non sufficere.

185 Hæc tamen etymologiæ radix tamquam probabilior adoptatur apud Labbeum tom. 9 Conciliorum, col. 1198; sed nulla, quæ majorem hac in re probabilitatem suadeat, ratio additur. Quid memorem aliam quamdam singularem sæpe dictæ nomenclationis rationem apud Franciscum Diacum de Aynsa De rebus Oscensibus lib. 1, cap. 7, ubi hæc scribit: *Ut dicit Blancus in suis Commentariis, Muza in Arabico vult dicere Christianum; sicque dicunt Muzarabes aut Mozarabes, tamquam si dicamur, Christiani mixti Arabibus*; voluerit, ni fallor, dicere *Christiano-Arabes*. Sed de vocis *Muza* significatione, quæ *Christianum* velit dicere, ipsi viderint. Hoc sanè, si verum sit, mirari equidem non satis possum, varios viros, quos modo dedi, linguæ Arabicæ peritiâ apprime instructos, adeo fuisse hebetes & linguæ peregrinos, ut non adbibuerint istam vocem, quæ facili negotio radicem, de qua quæritur, è tenebris eruere potuisset. At nunc de etymo Mozarabici Officii satis superque dixi. Subdere juverit, cur illud vocetur *Toletanum*, & *mixtum*.

C

Unde officium Mozarabicum sit vocatum Toletanum & mixtum.

186 Sive autem *Toletanum* dixeris illud Officium, quia in celeberrimo illo concilio Toletano IV magnum adeo splendorem acceperit ex iis, quæ ibi sancita sunt, ut Toletanum nomen indefecerit suum; sive quia illud Officium in Toletanæ urbis ecclesiis ex indulto Arabum Christianis concesso frequentatum fuerit per quatuor fere secula, quibus sub eorum dominio ibidem perseveraverit; sive quia per dictum concilium in toto Hispaniæ regno ad uniformitatem revocatum fuit, sive inquam ex caussis hisce simul omnibus, sive ex earum singulis hoc etymon derivaris; nihil magnopere refragabor. Consuli interim potest Garibayus lib. 11 Compend. histor. Hisp., & notatio apud Labbeum paullo antè citatum. Origo autem, cur illud Officium nominetur *mixtum*, videtur referenda ad posteriora tempora, teste Cardinale Bona lib. 1 cap. 11 in fine, ubi hæc scribit: *Confessionem more Romano, & alias orationes ante Introitum, sicut & Antiphonam Salve Regina in fine addidit Officio Gothico Franciscus Ximenius*, Cardinalis, & Ecclesiæ Toletanæ archiepiscopus, suo post loco laudandus. *Addidit etiam Officia quædam Sanctorum, & alia festa recentioris ævi; atque adeo propter hæc quæ adjecit, Missale mixtum nuncupavit.* Non video tamen cur illud cognomentum ad anteriora secula reduci non queat: ac dici quod quia Missali Isidoriano, ut vocant, varia subinde à variis episcopis sacræ liturgiæ studiosis intermixa adjectaque sunt, ideo à memorato Cardinale Ximenio editum fuerit hoc titulo: *Missale mixtum secundum regulam B. Isidori*; cui Missali ita piè mixto, hoc seculo octavo errores ab hæreticis benè multos alicubi impiè admixtos fuisse, mox intelliges.

D

§. III.

An & quousque liturgiæ Mozarabicæ exemlaria, Felicis Urgelitani & Elipandi Toletani erroribus corrupta.

Felix & Elipandus ex depravati Mozarabici Officii locis

QUemadmodum Officium Mozarabicum sub initia, sicut dictum est, hujus octavi seculi maximam fecit jacturam, usu pene funditus abolito rerum sacrarum per invasionem gentis barbaræ; sic etiam in primævo suo splendore & antiqua integritate multa damna tulit, exeunte eodem isto seculo, inter medias exterorum hostium procellas, à duobus Hispaniæ episcopis, Elipando videlicet & Felice, quorum hic Urgelitanæ; ille Toletanæ cathedræ præsidebat. Quamquam enim Missale Mozarabicum à viris sanctis & doctis erat concinnè ordinatum, recognitum & approbatum, inventi tamen sub finem seculi octavi in aliquibus ejusdem exemplaribus fuere errores; sive illi per inadvertentiam eò irrepserint; sive per fraudulentiam & malitiam quorumdam episcoporum Hispaniæ, qui tuebantur hæresim adoptivæ filiationis Jesu Christi, eodem fuerint intrusi. Cardinalis Bona libro 1, cap. 11, num. 2 *Quamvis*, inquit, *hoc Officium à viris sanctis & orthodoxis compositum fuerit, Hispaniâ tamen ab infidelibus devastatâ, ita erroribus refertum est, ut Elipandus, Toletanus episcopus, ex ipsis Officiis depravatis plura acceperit testimonia ad suam heresim adstruendam; ut constat ex Albino Flacco, libro adversus eumdem Elipandum.* Novæ itaque hujus sectæ primipili Felix & Elipandus, pluribus Patrum textibus fœdè corruptis, & in sui erroris sensum detortis abutebantur. Porro de hæresi Felicis & Elipandi, Christum Dei Filium adoptivum blasphemè appellantibus, plura congerit Nicolaus Antonius lib. 6. cap. 2, post Baronium ad annum 783, 792, & 794.

F

Suos errores fulcire satagunt; sed condemnantur.

178 Huc spectat, quod ad tuendum suum errorem allegaverint orationes ex Missali Hispanico, in quo voces *adoptivus* & *adoptio* applicantur Jesu Christo; adduntque, orationes illas dictas atque adeo approbatas fuisse à S. Eugenio, S. Ildephonso, & S. Juliano, qui omnes tres Toletanæ sedis antistites exstiterant. Hæresim hanc anno 794 condemnavit concilium Francofordiense, ejusdemque episcopi in epistola synodica ad Hispaniæ præsules missa, ut illos ab errore suo revocarent, objectionem è Missali isto depromptam, his verbis referunt apud Labbeum tom. 7, col. 1034; apud Aguirrium verò tom. 3, pag. 105: *Sequitur in eodem libello vestro: Item prædecessores nostri Eugenius, Hildephonsus, Julianus, Toletanæ sedis antistites, in suis dogmatibus ita dixerunt in Missa de Cœna domini*: QUI PER ADOPTIVI HOMINIS

MINIS

A MINES PASSIONEM DUM SUO NON INDULSIT CORPORI. *Item in Missa de Ascensione Domini:* HOMO SALVATOR NOSTER POST ADOPTIONEM CARNIS, SEDEM] REPETIVIT DEITATIS. *Et cetera, quæ ex parentum vestrorum dictis posuistis* Concilii Patres huic objectioni opponunt textus Evangelii & S. Pauli Apostoli, ubi Jesus Christus appellatur verus ac proprius Filius Dei Patris. Et mox subdunt ista:

à concilio Francofordiensi.

189 *Melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Hildephonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solemniis, quales universalis & sancta Dei non habet Ecclesia; nec vos illis exaudiri putamus. Et si Hildephonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, noster verò Gregorius Pontifex Romanæ sedis, & clarissimus toto orbe doctor, in suis orationibus semper eum unigenitum nominare non dubitavit; in orationes enim* &c.

Alcuinus arguit Felicis malevolam pertinaciam,

190 Alcuinus lib.7 contra Felicem Urgelitanum episcopum col.895 editionis suprà designatæ ita loquitur: *Post testimonia igitur sanctorum Patrum, quæ multa quidem, & quædam etiam verè posuisti, sed omnimodis Catholicis, non hæreticis faventia, prosulet quoque Hispaniarum inducis: quos tu orthodoxos dicis, in his, quæ posuisti, orationibus indubitanter hæretici esse dignoscuntur. Nisi forte & eorum dicta (sicut & in ceteris solebas) depravares; scilicet, ut* B *quod illi bene dixerunt, tu in adjumentum erroris tui mutare, & alterum pro altero mittere ausus sis. Adferunt enim quidam ex illis Patribus, ubi tu dixisti vel* ADOPTIONEM, *vel* ADOPTIVI HOMINIS, *eos dixisse pro* ADSUMPTIONEM, *& pro* ADOPTIVI ADSUMPTI: *& in hoc quoque tua malivola arguitur pertinacia. Si enim in tua sententia, quasi in veritate confideres, nequaquam ea, quæ ab aliis bene dicta sunt, in pravum sensum mutares. Veritas enim ubicumque est, semetipsam defendit.*

& veritatem orthodoxam confirmat.

191 Et sic concludit: *Sed sive mutata, sive, ut ab eis sunt dicta, hæc eadem testimonia à te sint posita, non magnopere curandum est. Nos enim Romana plus auctoritate, quam Hispana veritate adsertionis & fidei nostræ fulciri desideramus, licet nec illa reprobemus. In his tamen, quæ Catholicè dicuntur, unusquisque in hoc se refutandum sciat, in quo ab universali dissentit Ecclesia. Romana igitur Ecclesia, quæ à Catholicis & rectè credentibus sequenda esse probatur, se per verum Filium Dei & in Missarum solemniis, & in ceteris quoque omnibus scriptis suis, vel in epistolis fateri solet eum, qui pro nostra* C *salute homo fieri dignatus est, & crucis subire tormentum*, &c. Hæc Alcuinus contra impium dogma pro Patrum orthodoxia, & sacrorum codicum liturgicorum catholica integritate; fortiùs haud dubie locuturus, & affirmatiùs, omissis *fortè*, & *sive mutata* &c., necnon *adferunt quidam* &c., si codices ipsos inspicere per se potuisset; de qua re mox plura dicam: nam dum Pagius ad annum 783, num.9 dicit: *Hanc hæresim Elipandus & Felix hauserunt ex malè intellectis Missæ S. Isidori orationibus*: adeo non faciunt satis, ut nec nihil ibi dicat, nec omnia. Sed jam ad Elipandum redeamus.

Elipandum oppugnat; & suspecta reddit exemplaria

192 Alcuinus anno Christi 800; teste Pagio ad istum annum num.18, opus suum, quatuor in libros divisum, adversus Elipandum absolvit; cujus ad objectionem è Missali Hispano obtrusam digressus à col.953, *Dum tuæ*, inquit, *infidelitati, ò venerande frater, ex aliis ecclesiarum Christi Doctoribus testes defecerunt, subito Toletanos, ut ais, venerabiles Patres protulisti, & illorum in Missarum solemniis orationes in auxilium tuæ sectæ adsumpsisti. Dicis, in Cœna Domini hujusmodi haberi orationem in eorum Sacramentis: Qui per adoptivi hominis passionem, dum suo non indulget corpori nostro demum, id est iterum, non pepercit. Cujus petitionis verba sibi omnino non cohærent; & videtur à quibusdam corruptoribus pro* ADSUMPTI HOMINIS, ADOPTIVI *positum esse; quodque sequitur: Nostro demum, id est, iterum, non pepercit: sensu videlicet caret, nec satis lucet, quid his verbis significari voluit, qui hæc verba ad deprecandum Deum composuit .... In Præfatione verò ubi dicis: Et Jesu Christo Filio tuo, domino nostro, qui pietati tuæ per adoptivi hominis passionem: & fortè ibi in antiquioribus exemplariis* ADSUMPTI HOMINIS, *positum fuit; sed corruptum postea.* Eandemque, quam urget, perurgere ita corruptionem pergit: D

à quibus hæresim suam is tuebatur,

193 *Quid est verò, quod sequitur: Cum non venieris è cælo, exhibueris è triumpho? Obscurè dictum est: si tamen sensus in his verbis dignus inveniri poterit .... Quod ait in Missa S. Sperati martyris, adoptivi, inquit, hominis non horruisti vestimentum sumere carnis; inconveniens dictio est, adoptivi hominis vestimentum carnis.* Et mox circa Patres ista regerit: *Insuper & vestros Patres & progenitores in Christo, quos ad vestra usque tempora Ecclesia Dei recepit; hæreticos efficere studetis. Quod quam impium sit & inhonestum, nemo penè doctus vel indoctus ignorat: quorum plurima ad nos pervenerant scripta, Catholica fide veneranda, & summis Doctoribus sanctæ Dei Ecclesiæ convenientia. Quiescite, viri fratres, quiescite, & nolite vestri blasphemiam erroris Patribus imputare vestris ... Beati itaque Isidori clarissimi Doctoris* E *non solum Hispaniæ, verùm etiam cunctarum Latinæ eloquentiæ ecclesiarum perplurima legebamus opuscula, & in magna habemus veneratione; in quibus nusquam de Redemptoris nostri humanitate adoptionis nomen exaratum invenimus. Sed & Juvenci presbyteri atque optimi scholastici .. carmina evangelicæ historiæ prospeximus .., Juliani quoque Pomerii Prognostica ... considerravimus; nec ibi aliquid hujus vestræ invenimus sectæ depictum. Venerabiliumque Patrum in Toleto synodales ad nos pervenerunt sanctiones, in quorum literis nihil novi, vel antiquis, contrarium Patribus; sed omnia Catholico stylo perscripta agnovimus.*

tamquam corrupta, malè explicata, vel mutata,

194 Denique pessimam adversariorum suorum fidem incusans, depravationem sacræ etiam liturgiæ credibilem & verosimilem reddit ex eo, quod alias notasse se indicat Alcuinus, Doctorum catholicorum sententias perversè detortas, vel perfidè immutatas fuisse à novæ F istius hæreseos sectatoribus. Ita quippe subjungit: *Ideo magis æstimandum est, juniores quoslibet hujus novæ infidelitatis catenis colligatos, ad perditionem sui ipsorum, dicta sanctorum corrumpere doctorum ... & omnibus acceptabilium catholicas sententias vel perverso interpretari sensu, vel perfida vos immutare temeritate agnovimus, veluti in aliquibus probavimus locis* &c. Hactenus Alcuinus; qui ingeniosis atque maturis observationibus valebat plurimum, ut ex Missali Hispano dissiparet obductas atra perversissimi dogmatis caligine nubes, expressiones, inquam, omnes, quæ favere poterant errori, Christum Dei Filium adoptivum blasphemè deblateranti.

Referuntur ex Baronio nonnulla

195 Baronius ad annum suprà citatum 794 postquam egisset de conatu Elipandi, quo studuit suam hæresim propagare, ubi & de subdolis

Sec. VIII.

dolis eius urtibus ac fraudibus, ostendit, quod suos decessores calumniosè tradat errores fuisse consortes, ac S. Ildephonsum injustè proscindat. Verba Eminentissimi viri, quoniam ad rem præsentem maximè faciunt, huc transcribenda censeo. Sic itaque se habent: *Ut autem ipsa veritas clarius elucescat, hæc sibi reddenda putamus, quæ idem perfidus Elipandus in suo*
A *libello in Gallias misso de iisdem est mentitus prædecessoribus. Reperiuntur enim ista repetita in litteris à Patribus ex Synodo ad eum redditis, his verbis: Sequitur in eodem libello vestro*; de quibus suprà. *Hæc suo inseruit Elipandus libello fides, non quod ista acceperis ex eorum, quos nominas, scriptis; sed quod scripta ea in Missali Toletanæ ecclesiæ (ut ait) in sacris oblationibus recitari solerent; sed an fideliter, vel, ut in aliis, fraudulenter, quod non adesset præ manibus, qui esset codex inspiciendus, ex quo (ut in aliis) idem Elipandus impostura convinci posset, Patres hæc tunc respondere:*

pro integritate liturgiæ Mozarabicæ;

196 *Hæc ex parentum vestrorum dictis protulistis, ut manifestum sit, quales habeatis parentes, ut notum sit omnibus, unde vos traditi sitis in manus infidelium. Quia hominem Christum verum Dei Patris Filium esse negastis, vobis defensor esse noluit, sed tradidit vos in manus inimicorum suorum, qui dominentur vestri, qui eum recipere noluerunt.*
B Deinde recitatis iis, quæ superius contra S. Ildephonsum dicta produximus, subdit Baronius: *Hæc Patres, quod scilicet, ut ille perfidus asserebat, putarent, ea Ildefonso auctore in sacris Missalibus verè legi.* Sed sanctum hunc Doctorem à calumnia vindicat Baronius, testimoniis ejus adversus errores Elipandi prolatis, prout ad dictum annum videri potest. Ceterùm quod ad errores, ab impio illo jactatos, sacræque liturgiæ imputatos, spectat: statuenda videntur D circa illos sequentia. 1. Planè inducor, ut credam, novæ illius sectæ asseclas, obvia quæque in suæ pestiferæ doctrinæ defensionem arripientes, in Missale Mozarabicum sacrilegè grassatos fuisse, atque ex sacræ liturgiæ à se facta depravatione subsidium sibi quæsivisse: quo factum sit, ut sensim sine sensu varii textus sacri ejusdem liturgiæ subdolè coacti sint aliud enuntiare, quam & enuntiare debebant, & antea enuntiarant; idque referri posse videtur ad tempora subsecuta annum circiter 736, quo Theodiscus, natione Græcus, homo impostor, successorque S. Isidori pseudo-episcopus hæreticus (qui & depositus transiit in Mahometanam impietatem) primus in Hispania asseruit, Christum Dei Filium esse adoptivum Dei Patris omnipotentia, sicut Baronius ad dictum annum 794 refert.

cujus exemplaria alicubi corrupta, sed postmodum abolita vel correcta sint.

197 Secundò. Neutiquam persuadeo mihi, hæreticorum licentiam eò usque in libros liturgicos grassatam fuisse, ut pleraque nedum omnia promiscuè exemplaria depravarint. 3. Porrò suspicor, nonnullos dumtaxat codices in tractibus Hispaniæ magis ab hæretica lue infectis, sortem illam subivisse. 4. Pono denique tamquam indubitatum, illos codices sacros, qui jam fuerant corrupti, postmodum vel abolitos, vel correctos, ac primævæ integritati restitutos fuisse, simul atque sæpe dicta hæresis ita desiit, ut vel nullos amplius habuerit sectatores; vel fortè paucissimos, eosque occultos; pro E qua re Brunus pag. 292 allegat factum anno 918 Ordonii, regis Legionis, & Sisenandi, episcopi Compostellani; de quo postmodum loquar; nunc, relicto octavo seculo, ad nonum perrecturus.

C A P U T V.

Monumenta quædam circa ritum Mozarabicum seculis IX & X ad posteros transmissa.

§. I.

Quid actum sit de Mozarabibus in Urbe Cordubensi.

Usus liturgiæ Mozarabicæ perseveravit in Hispania, tum Toleti,



Seculum Christi IX, quod præ manibus habemus, sterilem rerum liturgicarum pandit myricam; ubi videlicet vix invenias, quo lectorem pascas. Apud Cardinalem Bona lib. I,
C cap. 11, num. 5 occurrit epistola Caroli Calvi imperatoris ad Clerum Ravennatem, è qua producitur sequens fragmentum: *Usque ad tempora abavi nostri Pipini, Gallicanæ ecclesiæ aliter, quam Romana vel Mediolanensis ecclesia, divina celebrabant officia, sicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ ecclesiæ ad nos venientes secundum morem ipsius ecclesiæ, coram nobis sacra Officia celebrarunt. Celebrata etiam sunt coram nobis Missarum Officia more Hierosolymitano ... & more Constantinopolitano ..; sed nos sequendum ducimus Romanam Ecclesiam in Missarum celebratione.* Unde colligitur, jussu Caroli Calvi imperatoris accersitos fuisse sacerdotes, qui coram se ritu Mozarabico rem divinam peragerent; adeoque istam liturgiam seculo IX, non ita tempore Arabum afflictam, ab Elipandi hæresi corruptam, ut quasi prorsus extincta vel intermortua fuerit: imò verò in Hispania perseverasse, non obscurè perspicimus; idque ulterius confirmabitur ex sequentibus.

tum Cordubæ præsertim.

199 Ambrosius Morales Hispaniæ illustratæ, seu in corpore Hispanorum scriptorum tomo 4, Vitæ S. Eulogii presbyteri & martyris Cordubensis anno 859, à se editæ & illustratæ, notitias varias præmittit pag. 220 hoc titulo: *Qui F status Christianæ religionis Cordubæ sub Arabum imperio D. Eulogii tempore fuerit.* Ex illis itaque notitiis juverit eas deligere, quæ prodesse possint & ad supplendam hujus seculi penuriam litterariam, & ad explanandas res Mozarabum Cordubensium, quando de Toletanis suprà dictum est satis. Hæc igitur inde delibo: *Occupatâ ab Saracenis Hispaniâ, multis de causis barbari victores Christianis pepercerunt. Illudque eos in primis commovit, quod magnas lateque diffusas Hispaniæ provincias accolis ipsi implere non poterant. Ut igitur essent, qui agros colerent, consueta mercimonia exercerent, & tributa*

Sec. IX.

A

ta principi persolverent; Christianos in Hispania quoscumque potuerunt, conservavere. Relictus iis fuit religionis cultus, templa multis intacta permanserunt; libereque permissum, ut Christiano ritu eadem frequentarent. Corduba verò major Christianorum numerus relictus, majorem etiam religionis cultum retinuit.

quò summa rei Christianæ fuit ab Arabibus revocata, celebratis ibidem conciliis.

200 In universum namque ea civitas multis modis ab Mauris jam inde fuit nobilitata. Sedes regni totius, quæ Hispali paucis annis constiterat (referentibus, inquit, Rasi & Ruderico Toletano antistite in Arabum Historia) per Abdalaziim, Musæ in Hispaniæ administratione successorem, eò fuit translata .... Et quoniam Cordubam cum imperii Arabici domicilio & sede ibidem constituta, summa omnia Hispaniæ jura tam sacra quam profana immigrarunt; Christianæ religionis dignitas atque potestas, quæcumque fuerunt, eò etiam ex tota provincia sese transtulerunt. Non quod Toletana ecclesia, ut fuit olim, & nunc quoque est, eo tempore totius Hispaniæ primas esse desierit ... Non quod Metropolitanum suum Hispalensem Cordubensis ecclesia non agnosceret; sed quia tyranni, cum omnia possent, & ad sese omnia revocarent, eò convenire ad concilium reliquos antistites cogebant, ibique de quibuscumque vellent rebus & consultare, & statuere volebant. Indicio sunt * duo concilia Cordubæ per illa tempora congregata. Alterum, cujus D. Eulogius meminit, ab omnibus Hispaniæ metropolitanis cum subditis episcopis celebratum. Alterum, cujus in Sampsonis abbatis Cordubensis, de quo suo loco dicemus, Apologetico mentio fit.

B

* sunt

Templa ibidem ac Monasteria.

201 Templorum deinde Morales, quæ extiterint tam intra quam extrà urbem, catalogum contexit, uti & quorumdam monasteriorum; inter quæ pag. 221 ponit Tabanense cœnobium, ipso D. Eulogii tempore constructum in urbi vicinis montibus. Item Pelemellariense monasterium sancti Salvatoris: & ipsum etiam eodem tempore, iisdem in montibus conditum, cujus etiam hodie ruinæ visuntur. Exhibito itaque templorum catalogo, alia recenset Morales, è quibus de florente miserrimis istis temporibus rerum sacrarum fortuna edocemur, quæque ideam suggerunt, quidnam circa liturgiam Cordubensibus Christianis fuerit vel à barbaris dominis indultum. In his, inquit, atque aliis multis templis, quæ nominare D. Eulogius non potuit, prætorquam quod sacra fierent, docendi quoque cura & erudiendi quam plurimos, consuetudo perseverabat. Id docet multis locis D. Eulogius, & in ejusdem Vita Alvarus: ubi etiam apparet, non vulgarem illum doctrinæ cultum, sed supra captivitatis & miseriarum, in quibus degebant fideles, tempora præcellentem. Jam verò quod non solum divinæ liturgiæ exercitium, idque satis liberum Mozarabibus indultum barbari voluerint, sed veterem quoque ejusdem consuetudinem, ordinem, ritum ac cæremonias summa cum conniventia toleraverint, argumento sunt plurima alia externa indulta, quæ Christianis tum temporis licuit habere. Quæ omnia deduci possunt ex doctissimo Ambrosio Morale, qui sic pergit:

C

& plura alia Christianis indulta.

202 Ipsa templa etiam intra urbem suas turres, anea sua cymbala habuere, quibus Dei plebem assiduè convocabant. Et durat adhuc Cordubæ exiguum unum, ab illis usque temporibus, ut suo loco referemus, conservatum. Sacerdotes, monachi, sacræ virgines peculiari veste, legitimoque cultu amicti, detonsi etiam in publico conspiciebantur. Quæ omnia ex divo Eulogio, atque aliis duobus ejusdem seculi scriptoribus sunt manifesta. Neque sine pretio tamen, & recentibus semper exactionibus, ut idem sanctus Martyr, & alii tradunt, concessa fuerunt. Unum illud tantummodo mortis etiam interminatione fuerat Christianis vetitum, ne pseudoprophetam eorum Mahometum maledictis incesserent, aut legi suæ cum probro detraherent. Hoc uno fideles Christi abstinerent, Arabum templa non intrarent, tributa persolverent; tuti, & pene liberi poterant permanere. Nam & comitum dignitas semper Cordubæ inter Mozarabes perseverabat; ut ex Samsone abbate, & Cypriani Cordubensis Epigrammatibus, per hæc ipsa tempora scriptis, constat: & quod in divo Eulogio legimus, publico exceptorum munere iidem fungebantur Christiani, atque inter tirones regios, de quibus suo loco dicemus, regiis annonis, ut ipsis sancti Martyris verbis utar, vescebantur. Et Samson abbas, cum de Servando comite initio libri secundi agit, apertè comitatum Cordubensem nominat; ut intelligere debeamus, Gothorum more Comitem Cordubæ Mozarabibus Christianis datum, qui eis præesset, jus inter eos diceret, & controversias aliquas leviores, neque ad publicam regis majestatem, fiscumve regium pertinentes, decideret.

D

Permissa item Cordubæ hierarchia ecclesiastica dignitas, uti & usus librorum.

203 Et verò hierarchiæ etiam ecclesiasticæ munera tum in usu fuisse, habemus è laudato scriptore, dum hæc subdit: Inter sacerdotes etiam præter abbates, qui.. templis præerant, archidiaconi, atque archipresbyteri nomen & dignitas perdurabat. Cyprianus enim in illorum suorum Epigrammatum titulis archipresbyterum sedis Cordubensis se appellat... Illud etiam scitu dignum, in templis etiam nostrorum publicas Cordubæ bibliothecas fuisse ... Unam scrinile etiam insignem, quam in S. Acisceli templo Adulphus comes reposuerit, idem Cyprianus archipresbyter longo epigrammate celebravit. Alterius etiam meminit, quam ipse Saturnino archidiacono magna ex parte perscripsit. Sed in prospera adeo ac præter captivitatis barbaræ conditionem feliciter succedentibus eventibus, quædam intermixta fuere, quæ Christianos fortunæ suæ memores redderent, & quàm duram barbaris dominis servirent servitutem.

E

quamquam rebus adeo florentibus.

204 Sed enim, inquit Morales, cum hæc ita sint, Christianorum tamen contactum, referente divo Eulogio, tamquam in ipso contaminarentur, Saraceni prorsus devitabant; & ab illorum pueris nostri indigna multa in publico patiebantur. Tributa verò gravissima fuisse, idem sanctus Martyr ingemiscit, & illud imprimit, quod singulis mensibus solvebatur. Novis etiam tributis Christiani Mozarabes onerabantur: adeo ut de oblationibus omnium ecclesiarum partem solvere, novo tributo excogitato, cogerentur. Quod Samson de Servando Christianorum Cordubæ Comite, sed nefario homine loquens, his verbis deplorat &c.; hoc inde malo consecuto, ut venale sacerdotium sustinentes ipsæ basilicæ, non more solito dignos recipere, & indignos queant sacerdotes repellere &c. Hæc autem, sicut subdit Morales, sex octove annis post divi Eulogii martyrium facta fuisse, suo loco, plenius de Samsone agentes demonstrabimus. In Chronologica autem ratione pag. 371 apud laudatum sæpius auctorem invenies Christianorum Cordubensium post regnum Ordonii primi, & Alfonsi cognomento Magni (quorum hic illius filius, anno Domini 862 regnare cœpisse, ibidem signatur; iste verò pag. 370 ponitur tunc obiisse) pluribus descriptam dispersionem ac lugubrem ruinam.

F

permixtæ fuerint calamitates.

205 Non tanta tamen fuit ecclesiæ Cordubensis hoc tempore dispersio, quin integra, tem-

Sæc. x. *pluſque & viris optimè conſtituta perduraret*, ut ibidem dicitur pag. 372; pro qua re affertur *in primis concilium multorum epiſcoporum Corduba paulò poſt divum Eulogium occiſum, congregatum, circa annum nimirum Domini octingenteſimum ſexageſimum tertium, cujus in Samſonis abbatis Cordubenſis libro Apologetico ſecundo fit mentio. Docent hoc ipſum præterea alia multa, quæ idem auctor eo opere commemorat... Sed enim multum diuque etiam poſt divum Eulogium Cordubæ templa, ſacræ Deo Virgines, & magnus religionis cultus vigebat. In templo namque divi Andreæ (quod ſemper ab ſequentium temporum Chriſtianis Moſarabibus retentum fuiſſe conſtat) introrſum in ſeptemptrionali pariete lapis eſt centum viginti ferme poſt D. Eulogium annis, ſacræ Virginis & Deo dicatæ tumulo impoſitus*; uti ex litteris ibidem inſcriptis exhibet Morales in ſua Chronologia, eadem pag. 372, cujus ego verbis hic uſus ſum; additque ſequentia: *Lapis autem extrorſum in cimeterio eidem parieti inſertus, ſatis apertè docet, idem templum ducentis poſt has Virgines annis,*
B *Chriſtianorum ſub Arabibus ſemper fuiſſe*, ex epitaphio, quod tranſcribit idem chronologus. Videri etiam poſſunt, quæ de hoc ipſo tumulo ibidem obſervat. Quæ omnia abunde indicant, quo loco fuerint hoc ſeculo nono res Mozarabum in civitate Cordubenſi. De decimo iſta accipe.

§. II.

Officii Mozarabici integritas ſeculo x comprobata.

Pro integritate liturgiæ Mozarabicæ AD comprobandum ſacræ liturgiæ Mozarabicæ per Hiſpaniam hoc decimo ſeculo uſitatæ integritatem, extat apud Cardinalem Aguirrium tom. 3, pag. 174 documentum ſequens ſub hoc titulo: *Era* CMLXII. *De officio Hiſpanæ eccleſiæ, Romæ laudato & confirmato. Ex Ms. eccleſiæ Toletanæ*. Documentum autem ipſum his verbis conſtat: *Regnante Carolo Francorum rege, ac patritio Romæ, & Ordonio rege in Legione civitate, Joannes Papa Romanam &*
C *Apoſtolicam ſedem tenebat. Siſenandus verò* * Irienſi *Ilienſi * ſedi, retinenti corpus B. Jacobi Apoſtoli, præſidebat; quo tempore Zanellus presbyter reverentiſſimus & prudentiſſimus à præfato Papa Joanne ad Hiſpanias eſt miſſus, ut ſtatum eccleſiæ religionis, ejuſdem regionis perquireret, & quo ritu miniſterium Miſſarum celebrarent, diligenter perquireret, & comperta fideliter Apoſtolicæ Sedi referret. Quod injunctum ſibi officium præfatus Zanellus presbyter ſolerter complevit, & Hiſpanias veniens, omnem Ordinem eccleſiaſtici officii, & regulam conſecrationis corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti perſpicaciter perſcrutatus requiſivit.*

affertur teſtimonium: 207 *Canones & omnes libros Sacramentorum perlegit. Quæ cuncta Catholica fide munita inveniens, exultavit, & domino Papæ Joanni, & omni conventui Romanæ Eccleſiæ, ut invenerat, retulit. Officium Hiſpaniæ eccleſiæ laudaverunt & roboraverunt. Et hoc ſolum placuit addere, ut more Apoſtolicæ eccleſiæ celebrarent ſecreta Miſſæ. Ergo hoc auctoritate manſit ratum & laudabile Officium Hiſpanæ eccleſiæ, uſque ad tempus domini Alexandri ſecundi Papæ*; de quo inferius dicetur loco ſuo. Quandoquidem verò illud inſtrumentum maximè conducit ad propoſitum meum, & nonnulla in eo continentur, quæ materiem ſuggerunt ulterioris obſervationis, proximè exponam omnia, quibus hoc inſtrumentum dilucidari poſſe cenſeo.

208 Temporis imprimis, quo res iſto documento contenta acciderit, habenda ratio eſt. cujus ratio temporis *Æra* CMLXII, eidem prænotata, concurrit cum anno Chriſti 924; pro qua niſi ſcribi debeat æra CMLVI, ut reſpondeat anno Chriſti 918; D
vel ad ſummum æra CMLVIII, ut conſonet anno æræ vulgaris 920; non cohærebit ratio temporis cum iis, quæ mox ex Ambroſio Morale, ac Baronio referam. Aguirrius ſanè vel non ſatis advertit ad æram CMLXII, quam dicto inſtrumento præmittit; vel non ſatis curavit combinationem ejus cum tempore, quo reſpexit, dum protulit documentum illud: nam collocat illud poſt teſtamentum, quod anno Chriſti 915 illigat; & ante privilegium, quod innectit anno 919: unde conſequens eſt, ut non voluerit in medio iſto inter annum 915 & 919 inſtrumento reſpicere ad annum 924, per æram CMLXII deſignatum, ſed ad annum priorem, fortè 918, cum Baronio. Æram certè CMLXII dictæ legationi præfixam non invenio; apud Moralem lib. 12, cap. 19 (de quo loco ſtatim plura dicentur) ut ab aliquo fortaſſe poſtmodum imperitè adjecta fuerit, vel corrupta.

209 Nam ut nihil dicam de Ordonio II; expenditur, cujus mortem tametſi Morales lib. 15, fol. 208 verſo, innectit anno 924; fatetur tamen exactam de anno mortis certitudinem non extare, E
rem aliunde conficiendam cenſens; ut videre eſt loco citato, & fol. 210; Mariana autem De rebus Hiſpaniæ lib. 8, cap. 2 illam affigit anno 923; Pagius denique eamdem refert anno 924; ſed addit, *quot annis ipſe & duo proximiores regnarint, in tantis hiſtoriæ Hiſpanicæ tenebris ab hoc anno uſque ad annum* CML, *quo Ordonius III regnum iniit, detegi non poſſe*: ut nihil, inquam, dicam de anno mortis Ordonii II; æra enimvero 962 componi nequit cum morte Siſenandi, Irienſis epiſcopi, ſecundum ea, quæ ex Baronio paullo poſt circa illam narrabuntur: quæ ut ſubſiſtant, ad aliam æram recurrendum erit. Qua emendatione temporis adhibita, relucentes in producto legationis documento alii characteres chronologici aptè inter ſe cohærere dignoſcuntur.

210 Vivebant quippe tunc Carolus Simplex, & alia eidem ſubſtituenda probatur, Francorum rex; Ordonius item ſecundus, Legionis rex; denique Joannes PP. X, ac Siſenandus ſecundus, Irienſis epiſcopus. Ambroſius F
Morales Chronici generalis Hiſpaniæ lib. 12, cap. 19 dictum inſtrumentum producit Hiſpanicè redditum, ex iſto libro antiquo conciliorum, qui è Monaſterio S. Æmiliani ad Scorialenſe tranſiit; & de quo ſuperius mentio facta eſt: ſed idem auctor homonymiâ perſonarum deceptus, miſerrimè impegit in errores temporum; nam perſonas nominibus iſtis deſignatas, videlicet Siſenandum, Ordonium, Carolum, Joannem PP., illigat ſeculo nono; quo utique iſte Siſenandus I, Ordonius I, Carolus Calvus, & Joannes PP. VIII vixerint. Sed libro 15, cap. 47, fol. 198 inter alia, quæ narrat ad annum 920, commiſſum errorem rectè emendat, poſtea re conſiderata, clarè intellexiſſe ſe ſignificans, quod illa acciderint tempore Ordonii II, & Siſenandi II, nec non Joannis Papæ X: & ſic cum dicto inſtrumento, tam perſonis in eo memoratis accommodatur & reſtituitur ratio temporis, de qua hic quæritur; adeo ut nihil incommodare videam rationem chronologicam iſti exemplari, quo minus eidem fides & haberi poſſit & debeat.

suffragante Baronio ex Ambrosio Morale;

211 Baronius ad annum 918 & rem gestam de qua hic agimus, illigat, & eam paullo aliter in quibusdam, quæ eidem acciderint, narrat ex Ambrosii Moralis Chron. Hisp. lib. 15, cap. 47 jam à me designatis. *Annus*, inquit, *Redemptoris* CMXVIII.. *inchoatur, quo legatio missa est à sancto episcopo Sisenando, & ab Ordonio rege Legionensi ad Joannem X Romanum Pontificem: qui ea facta est legatione Joannes, aliter Joannellus appellatus reperitur. Hæc omnia ex veteri historia Compostellanorum episcoporum, in qua licet certus annus legationis hujus non habeatur expressus; tamen ex eo quod ibi asseritur, eumdem legatum annum integrum Romæ fuisse detentum, & paullo post ipsum Sisenandum ex hac vita migrasse confectum Stuio, anno Redemptoris* CMXX; *atque hoc anno potius quam alio aliquo eam contigisse legationem, possumus opinari*. Quænam verò res isti legationi ansam dederit, ibidem sic prosequitur laudatus Annalium ecclesiasticorum conditor:

A

Baronio item dicti testimonii textum

212 *Quod autem ad legationem à Sisenando missam pertinet, eam præcessisse occasionem, eadem Compostellana Acta docent, quod Joannes PP., ut qui ex pluribus delictis conscientiâ sauciatus, animi dolore langaesceret, inter alia salutis suæ remedia, illud excogitavit, ut nomine suo legatum mitteret Compostellam ad venerandum corpus Jacobi Apostoli. Cum & litteras dedit ad dictum ejusdem loci episcopum S. Sisenandum, ut juges preces pro se funderet apud eumdem sanctum Apostolum, ut propitius sibi esset in hac vita, & in hora obitus sui. Qua prævia occasione, idem episcopus ad Joannem Pontificem, eumdem, quem diximus, Joannem presbyterum legavit, cui & Ordonius rex cum pretiosis muneribus apud ipsum Papam litteras dedit. Legatus ubi Romam pervenit, dignè exceptus est ab eodem Pontifice, atque honorificè habitus, retentusque (ut dictum est) anno integro Romæ, sed non otiosè. Siquidem occasione Missalis Mozarabici, quod tunc erat usui in pluribus Hispaniarum ecclesiis, magna oborta est controversia: nam cum Sisenandus in pervestigandis Romanæ Ecclesiæ sacris ritibus totus intentus, eos invenisset in multis planè diversos ab iis, qui in eodem codice continerentur, ex illis hos emendandi in iis, qui gravioris videntur esse momenti, ab eodem Pontifice facultatem accepit:*

B

C

Sæc. X.

explanante.

213 *Cujus etiam explendi muneris gratiâ idem Apostolicæ sedis legatus ab eodem Papa decernitur. Qui multos ab Urbe receptos secum deferens libros, rediit in Hispaniam, & simul conferens, quamvis multa rita diverso, in nulla tamen ea discrepare invenit à Catholica veritate. Quamobrem ad eumdem Pontificem rediens, visa ac cognita retulit in synodo, tunc coram eodem Pontifice congregata. Cui visum est, omissis reliquis ut levioris momenti, ut Romano ritu sacratiora illa potissimùm verba, quibus ipsum divinitus institutum Sacrificium incruentum perficitur, proferrentur, quæ aliquibus additis vel mutatis, ita in dicto Missali scripta essent, videlicet:* HOC EST CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS TRADETUR: & : HIC EST CALIX NOVI TESTAMENTI IN MEO SANGUINE, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. *Sic igitur tunc ea controversia definita, quæ tamen multos post annos (ut suo loco dicetur) repetita;* suo item apud nos loco commemoranda.

D

Hoc sec. 10 Salvus abb. Albeldensis quædam liturgica scripsit.

214 Atque hæc quidem, etiamsi ambitu satis longo narrata à Baronio, integrè huc transcribenda judicavi; nec judicii factive pœnitet, cum mirificè illustrent instrumentum suprà ex Aguirrio prolatum, quod breve quidem, sed obscurum est, eo saltem, quod plura rerum adjuncta vel involvat vel omittat, quæ ex narratione Baronii dilucidè intelliguntur. Quibus demum corollarii loco addi potest, quod hoc seculo decimo (quemadmodum antea ob aliis factitatum vidimus) Salvus abbas Albeldensis ad rem liturgicam amplificandam animum appulerit, teste Nicolao Antonio sæpius citato, Bibl. veteris Hisp. tom. 1, pag. 381, num. 354; ubi de operibus istius Salvi agens, *hymni, orationes, versus, & Missa*, inquit, *sequuntur magna styli dulcedine & efficacia ad concitandos ad compunctionem legentium animos; quorum nihil ad nos*, uti addit, *pervenit*. Sed nunc inspiciendum exhibeo seculum XI.

E

C A P U T VI.

Variæ Officii Mozarabici vicissitudines seculo XI.

F

§. I.

Quid in nonnullis locis circa illud sit actum; decreta abrogatio in Aragonia; aprobatio ejusdem ab Alexandro Papa II facta.



Eculum hoc undecimum exordior à conventu episcoporum apud monasterium Rivi-pullense, in quo basilica ejusdem monasterii quartò dedicata est, ut videre est apud Aguirrium pag. 201. Actorum prædictæ dedicationis instrumentum his signis chronologicis prænotatur: *Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi* MXXXII, *ord millesima* LXX, *indictione* XV, XVIII *Kalendarum Februariarum*. In ejusdem deinde instrumenti decursu concessum legitur fuisse privilegium isti monasterio in materia liturgica: de quo notantur ista apud eumdem auctorem pag. 202: *Concedimus quoque & firmamus prædicto monasterio, juxta constitutionem Domni Papæ Benedicti, sicut ipse eidem cœnobio per auctoritatem beati Petri Apostoli & suam firmavit, ut si festivitas Hypapanti Domini, quam Purificationem S. Mariæ dicimus, post Septuagesimam evenerit, habeant in perpetuum licentiam habitatores ipsius cœnobii, Alleluja, & Gloria in excelsis Deo solenniter decantare*. Benedictus PP., qui hic indetermi-

Privilegium monasterio Rivipullensi in materia liturgica concessum:

natè

Sec. XI.

natè nominatur, fuit hujus nominis octavus, secundum id, quod eadem pag. 201 exprimitur.

A

Concilium Coyacense

216 Concilium Coyacense, in diœcesi Ovetensi celebratum, tempore Ferdinandi I, regis Castellæ, cognomento Magni, anno Christi 1050, sicut habetur apud Aguirrium (cui præiverat Baronius, ad istum annum) varia præscribit, quibus liturgici Officii apparatui consulitur. Sunt autem ista: *Tertio autem titulo statuimus, . . ut ecclesiæ . . . sint integra, & non diversa, cum presbyteris, & diaconis, & cum totius anni circuli libris, cum ornamentis ecclesiasticis; ita ut non sacrificent cum calice ligneo vel fictili. Vestes autem presbyteri sint in sacrificio amitus*, alba, cingulum, stola, casula, manipulus. Vestes diaconi amitus, alba, cingulum, stola, dalmatica, manipulus*. Altaris verò ara tota sit lapidea, & ab Episcopis consecrata. Hostia sit ex frumento*, sana & integra. Vinum sit mundum, & aqua munda, itaut inter vinum, hostiam, & aquam Trinitas sit significata. Altare sit honestè indutum, & desuper lineum indumentum mundum. Subtus calicem & desuper, corporale lineum mundum, & integrum . . . Quinto autem titulo decrevimus, ut archidiaconi tales clericos constitutis quatuor temporibus ad ordines ducant, qui perfectè totum psalterium, hymnos, & cantica, epistolas, orationes, & Evangelia sciant.* Hæc apud Aguirrium, à quo & varias lectiones mutuatus sum.

* *Ms. Tol. amictum*

* *Ms. Tol. amictum, albam, stolam, dalmaticam, manipulum.*

* *Ms. Tol. ex frum. electo.*

B

ac Compostellanum consulunt decoro Officii divini.

217 In concilio Compostellano sub Ferdinando rege Legionis & Gallæciæ anno Christi 1056 (non autem 1031, ut contra Tamayum Aguirrius pag. 218 evincit) nonnulla lego, ad decorum sacræ liturgiæ ordinem perquam accomodata. Sic itaque statuitur canone 1: *Sacrificia ipsi episcopi, & omnes presbyteri omni die offerant Deo . . . & qui non potuerit per se offerre . . . omnibus diebus audiat. Psalmos qui potuerit plus recitare, recitet; qui non plus, quinquaginta die omni persolvant, & omnibus Horis, primâ, tertiâ, sextâ, Vespertinis & Completoriis, medium noctis nocturnis & Matutinis omni die persolvat . . Ita etiam & ad omnes Missas, dum dixerit diaconus: Inter vos pacem tradite; omnibus intra ecclesiam stantibus pacis osculum sibi invicem tribuatur, & per omnes communiones majores Nativitatis Domini, Pascha, & Pentecostes, quisquis de quo habuerit, munera offerat.* Et can. 2: *Subdiaconus annos XVIII habeat, diaconus XXV, presbyter XXX; & ipsi, qui totum Psalterium, cantica, & hymnos, salisparsionem, baptisterium, insufflationem, & condemnationem, & Horas, & ipsum cantare de festis unius justi, unius confessoris, unius virginis; de virginibus, de defunctis, & omnia Responsoria perfectè sciant.*

C

An in concilio Jaccensi?

218 Varias hactenus ritus Mozarabici à seculo præsertim octavo vicissitudines vidimus; sed hoc seculo undecimo longè omnium præteritarum maxima superest, quâ ejusdem Officii abrogatio primò in Aragonia tentata, deinde per varias successivè Hispaniarum provincias executioni mandata fuit. Res gesta quomodo contigerit, quibus ad hoc exequendum machinis opus fuerit, & quanto labore, ordine jam expediam. Concilium Jaccense in Aragonia celebratum signatur apud Aguirrium pag. 228, anno Christi 1063 (juxta alios autem 1060) tempore nimirum Ramiri I. Aragoniæ regis, & Sanctii, filii ejus; uti liquet ex donationis instrumento, quod ibidem profertur, & sic incipit: *Sub Christi nomine . . Ranimirus rex gloriosus, & Sanctius, filius ejus, omnibus divinæ legis ac Christianæ religionis &c.* In fine autem notatur *facta charta donationis anno millesimo sexagesimo tertio, Dominica Nativitatis, erâ millesimâ centesimâ primâ, indictione decimatertia.* Quod verò in prædicto concilio aliquid actum fuerit circa res ecclesiasticas, ex isto instrumento planè constat; an verò circa Ordinem liturgicum aliquid sit decretum, determinate, & in individuo, ex ejusdem instrumenti verbis confici haud potest: sic enim in illo habetur:

D

aliquid contra ritum Mozarabicum sit statutum?

219 *Volumus notum fieri dilectioni vestræ, quoniam ob restaurandum sanctæ matris Ecclesiæ statum nostris in partibus, nostrâ majorumque nostrorum negligentiâ penè corruptum, synodum novem episcoporum congregari fecimus, in loco à priscis olim Jaccæ nominato; in quo synodali conventu, præsentibus atque consentientibus cunctis nostri principatus primatibus atque magnatibus, pleraque sanctorum canonum instituta episcoporum judicio restituimus & confirmamus.* Nec plus discimus ex vocibus Aragonum, qui post ejusdem instrumenti subscriptiones, à rege, filio ejus, aliisque factas, sic induuntur locuti: *Gratias Christo cælesti, ac benignissimo ac serenissimo Ranimiro Principi, qui curam adhibuit ad restaurationem sanctæ matris Ecclesiæ.* Status itaque ecclesiasticus ibi fuit restauratus; id quod valde vagum est, & nimis latè patens, quam ut inde elicias, liturgiam Mozarabicam ibi tunc abrogatam fuisse.

E

Id quidem censet Surita;

220 Surita Annalium Aragonensium lib. 1, cap. 18, ex litteris Apostolicis Gregorii Papæ VII ad regem Ramirum datis, colligit *quantum* quidem ait se *intelligere posse*) *quod admiserit regulas & institutiones canonicas, quæ antiquitus introductæ erant à sancta matre Ecclesia, in celebratione Officiorum divinorum, & reliquerit Breviarium Gothicum, ejusque ceremonias, quæ observata erant in Hispania jam inde à tempore Gothorum.* Ex quibus verbis conficio, in celebratione Missarum admissum quidem esse Romanum morem; sed usum Breviarii Gothici relictum; quem tamen etiam abrogatum indicat alibi. Idem quippe auctor in Indicibus rerum ab Aragoniæ regibus gestarum, ad annum 1060, ita scribit: *Data sacerdotibus lex, ne quo alio more, quam Romano precarentur: neque Gothica, utpote peregrina piacula, exsolverentur.* De qua re consuli etiam possunt Baronius ad annum 1060, Labbeus Conciliorum tom. 9, col. 1112, & Pagius ad eumdem annum, num. 2.

F

sed ex antiquioribus monumentis id non constat.

221 An autem revera sub isto rege in dicto concilio latum fuerit decretum de abroganda veteri lege liturgica Gothica seu Mozarabica, ejusque loco substituenda Romana; & si latum, an tunc continuò exsecutioni mandatum, ex antiquioribus monumentis id certo nondum comperi. Et verò sunt nonnulla, quæ contra subitam adeo abrogationem faciunt; videlicet innata quædam hominibus tenacitas animorum, ægerrimè avelli se sinentium ab ritibus sacris, quos à teneris imbiberunt. Neque scio, quod tunc intervenerit Romani Pontificis mandatum, aut quod missus hac de causa tunc fuerit ipsius legatus. Quidquid sit, si non jam tunc, certè paucis saltem pòst annis mutationem illam apud Aragones inductam fuisse, conficitur ex iis, quæ inferiùs suo tempore de monachis Pinnatensibus docebo. Dispiciendum interea, quidnam in aliis Hispaniarum provinciis circa liturgiam sacram fuerit actum,

222 Ma-

liturgia Mozarabica

A

222 Manuscriptum Toletanum, cujus fragmentum produximus num. 206, sic pergit: *Quo Alexandro PP. sedem apostolica ara TLXIII obtinente, & domino Ferdinando rege Hispaniæ regiane imperante, qui Cardinalis, Hugo Candidus vocatus, à præfata Papa Alexandro missus Hispaniam venit, Officium ecclesiæ ejus à suprà nominato Joanne PP. laudatum vel roboratum evertere voluit; sed Apostolica auctoritate munitum & confirmatum inveniens, intactum, ut invenit, reliquit. Cui Cardinali succedentes quidam Cardinales alii, hoc idem facere laboraverunt; sed nullo modo facere potuerunt. Pro qua re Hispaniarum episcopi vehementer irati, consilio inito, tres episcopos Romam miserunt, scilicet Munionem Calagurritanum, & Eximinum Aucensem, & Fortunium Alavensem. Hi ergo cum libris Officiorum Hispaniarum ecclesiarum se Domino PP. Alexandro in generali concilio præsentaverunt: attulerunt, id est, librum Ordinum, & librum Missorum, & librum Orationum, & librum Antiphonarum.*

Romæ ob Alexandro Papa examinatur & approbatur.

223 *Quos libros Dominus Papa, & omne concilium suscipiens, diligenter perscrutantes, & sagaci studio perquirentes, bene Catholicos, & omni hæretica pravitate mundos invenerunt: & ne quis amplius officium Hispanæ ecclesiæ inquietare vel damnare vel mutare præsumeret, Apostolica auctoritate prohibuerunt, & etiam interdixerunt: & data benedictione super præfatos episcopos, cum lætitia ad propria redierunt. Ex libris, quos portaverunt ad Romam, unus fuit Ordinum majoris, Albaidensis cœnobii, ubi continentur baptismus & sepultura, tenuit Papa Alexandrus, & fuit bene laudatum. Alium librum Orationum de monasterio Iraze: & tenuit abbas S. Benedicti, & fuit bene laudatum. Et librum Missale fuit de S. Gemma, & librum Antiphonarum de Iraze ita diviserunt, decem & novem diebus tenuerunt, & cuncti laudaverunt.* Hactenus documentum Toletanum, graphicè ac distinctè omnia & singula describens; quibus lectis & expensis, quis in animum non induxerit, Officium illud à suprema Ecclesiæ Catholicæ auctoritate ad perpetuitatem temporis approbatum, roboratum ac stabilitum deinde semper permansisse? Sed longè aliter res evenit; quod priusquam ostendam, elucidanda sunt paucula, quæ in allato documento occurrunt.

B

C

cujus rei gestæ instrumentum elucidatur.

224 Primò, æra ibi sumitur non pro Hispanica, sed pro Christiana vulgari: atque hinc saltem Aguirrius à pag. 232, contra Cossartium contendit, æram ita sumptam, non esse novam, & sine exemplo. Littera autem ista T numerum denotat millesimum. Si quis alia super hac re exempla desideret, inveniet illa in instrumentis apud Aguirrium pag. 196, & 215; item apud Moralem sub finem tomi 3 Chronic. general Hisp., fol. 330 verso. 2. Alexander PP. II ab anno 1061, usque ad 1073 annum Christi sedit. 3. Satis cohæret, hosce episcopos Hispanos Mantuam profectos, etiam Romæ fuisse. 4. Scimus, ritualia Gothica examinata & approbata fuisse in concilio Mantuano: à Romano autem id factum, nescimus; per quod istius documenti auctor nihil aliud fortè significare voluit, quam quod Romæ aliqua ad examinandos ritus Hispanorum, deputata fuerit Cardinalium congregatio. 5. Ne porro Toletanum illud exemplar, quia non eodem tempore omnia, quæ in eo continentur, scripta videantur, suspectæ sit fidei; Chronici general. Hispan. lib. 22, fol. 120 verso ita de eo disserit Ambrosius Morales; cujus textum ex Hispanico Latinè sic reddo: *Dubitare aliquis poterit, cum elapsi sint sexaginta anni & amplius, ex quo scriptum fuerit illud originale conciliorum* (de quo supra dixi) *unde ego*, inquit, *ista extraxi; quomodo ibi habeatur memoria illius rei, quæ contigit tempore regis Ferdinandi I, & anni millesimi quinquagesimi noni. Facile respondetur ad illud, quod, scripta prima memoria, quando totus liber scriptus fuit; postmodum reliquum eidem memoriæ adjectum sit, quando contigit; ut totum, quod eò attinebat, ibidem conjunctum extaret.* Jam verò quæ dicebam paullo ante de concilio Mantuano, & Hispanis præsulibus eò profectis, magis lucescent ex proximo paragrapho; in quo rei gestæ seriem exponam.

SEC. XI.

D

§. II.

Ritus Gothicus seu Mozarabicus à concilio Mantuano probatus; acta contra eum in conventu Barcinonensi & in Aragonia.

E

ANNO Christi 1064 concilium Mantuæ celebratum occasione schismatis Honorii II, qui se nominabat, adversus Alexandrum PP. II, apud Labbeum tom. 9, col. 1179 signatur: ad quem annum Baronius scribit ista: *Venerunt quoque Mantuam ad dictum concilium episcopi tres, pro reliquis legatione fungentes. Fuerunt hi Manio* [a] *Calaguritanus, Eximius* [b] *Aucensis, & Fortunius Alavensis, deferentes libros Gothicos Ritualis ipsi Alexandro Pontifici ac universo concilio: à quibus cogniti, inventi sunt orthodoxi.* Unde suspicio formari potest, aliquid istis temporibus contra Gothicos ritus vel motum fuisse vel movendum: nisi fortè ad sistendos dicto concilio sacros codices rituales Hispanis stimulus fuerit recens in Aragonia adoptatæ Romanæ liturgiæ exemplum (si verè, juxta dicta, jam nunc ea de re lex lata, & executioni mandata fuerat) ut maturè se præmunirent, ne talis alibi casus contra suam liturgiam incideret. Incidit is enimvero, & hoc ipso eodem anno 1064, saltem secundùm Eminentissimos Baronium & Aguirrium, in concilio Barcinonensi, seu potiùs comitiis, teste Baronio ad istum annum, qui rem exponit his verbis:

Libri rituales Gothici in concilio Mantuano probantur.

[a] Munio
[b] al. Eximinus

F

226 *Episcopi Hispani, qui Mantuano concilio interfuerunt, reversi in Hispanias, duxerunt secum ab Alexandro PP. decretum legatum à latere Hugonem Cardinalem; cujus auctoritate Barcinone concilium congregatum est: in quo leges Gothicas, quibus Catalauni utebantur, penitus idem legatus Apostolicus abrogavit, novasque sanxit, quibus hactenus populus utitur. Ut autem & Gothici ritus, adhiberi in sacris soliti, abrogarentur, ab illis obtinere non potuit; nec cogere voluit, cum eidem in concilio Mantuano cogniti fuissent esse Catholici.* Eadem ex Baronio deprompta Conciliis suis inseruit Aguirrius pag. 232: quæ alio modo narrat Mariana De rebus Hispaniæ lib. 9,

An Barcinonem profecto

Sec. XI.

A lib.9, cap. 5 in fine: *Per hac tempora*, inquit ad annum 1060 (*nam de anno scriptores variant, nec certi quid constitui potest*) *Hugo à Pontifice Romano in Hispaniam legatus, Barcinone in episcoporum & procerum Conventu Raymundi Barcinonensis comitis voluntate, Gothicas leges, quibus antea utebantur Catalauni abrogavit ... Hunc esse Hugonem illum Cardinalem puta, cognomento Candidum, qui anno hujus seculi sexagesimo quarto ad principes Hispaniæ est Româ legatus, cum duo summum pontificatum gererent .. Alexander & Honorius*: qui legatus omnem ad abrogandas Gothicas precationes conatum adhibuit, sed nullo successu: nam *missi contra Montuam .. episcopi tres* (de quibus supra) *Gothicos libros, quos secum detulere, Pontifici &* B *Patribus probarunt quasi orthodoxos, nullaque vitiatos parte.*

Hugone Candido Cardinale, in concilio Barcinonensi,

227 Morales lib. 12, cap. 19, Roblesius Vitæ Cardinalis Ximenii cap. 23, pag. 264, & noster Oldoinus in nova additione ad gesta Alexandri PP. II, apud Ciaconium tom. 1, col. 835 circa nomen & cognomen Hugonis Candidi inter se consentiunt; qui in concilio Auscensi, anno 1068, vocatur etiam *Albus*, ut videre est apud Harduinum nostrum, Conciliorum tom. 6, part. 1, col. 1157. Ad illud concilium Barcinonense quod attinet; apud Labbeum tom. 9, col. 1197 agitur de conciliis celebratis in Hispania citeriore: ad annum, prout ibidem notatur 1068 (quo Gothicos sacrorum ritus abrogatos, tamquam probabilius ibidem videri dicitur) Barcinonense concilium scribitur celebratum: primò quia Hugo idem, de quo jamjam loquebar, isto anno concilium Tolosanum & Auscense, in vicinis utique Hispaniæ locis, celebrarit. Deinde quia Sanctius Ranimirus Aragonum rex, in privilegio abbatiæ Leirensis apud Sandovalium in episcoporum Pamplonensium notitia dicit fol. 41 verso, C *sexto regni mei anno ... XIV Kal. Madii concilium in Legerensi ecclesia celebravi .. Contigit autem .. Hugonem .. Candidum Cardinalem presbyterum illi interesse.*

anno regis Ranimiri sexto;

228 Sed ego annum sextum regni Sanctii Ranimiri pressè sumptum combino cum anno æræ vulgaris 1069: nam, ut ostendit Pagius ad annum 1063 ex inscriptione, quam ex nostro Moreto profert, anno 1063 *obiit* VIII *Idus Maii* Ranimirus seu Ramirus pater ejus, cui Sanctius successit; qui cum dicat, illud se concilium celebrasse XIV *Kal. Madii*, id est mense Aprili; non invenio hanc rem contigisse anno 1068, cum regni ejus sextus tantùm currere cœperit mense Majo proximè sequente; nisi forte ita locutus fuerit Sanctius per anticipationem, ut, quia proximè aberat annus regni sui sextus, propediem inchoandum pro inchoato posuerit. Mea hæc temporis ratio confirmari potest ex nota chronologica, donationi Sanctii, episcopi Jaccensis, inserta: de qua dicam inferiùs. Verùm tam parvi momenti res obiter hic sit tacta. Addo tamen, me solius privilegii Leirensis chronologicis notis neutiquam fidere: de qua re consuli potest citatus modo Sandovalius fol. 38 verso; & Brizius Martinezius paulo post citandus, lib. 3, cap. 17 illud privilegium Sanctio Ramirezio abjudicat; & inventionem antiquorum temporum esse contendit. Ad concilium seu comitia Barcinonensia redeamus. Loco itaque citato apud Labbeum non expungitur illud ex albo conciliorum, sed dumtaxat removetur ab anno 1064, ad 1068; ubi dicitur: *Carbonellus in Chronico,* D *& Marsinezius in Historia S. Joannis, aliique anno id tribuunt* MLXXI, *nixi antiquis illorum temporum monumentis, quæ consignata sunt vel anno* MLXXI *cum intravit lex Romana in S. Joannem* XI *Kal. Aprilis, secundâ septimanâ Quadragesimæ, feriâ tertiâ: vel ærâ* MCIX (quæ concurrit cum anno Christi 1071) *anno nono regni Sanctii Ranimiren, prima verò ingressionis Romani Officii in S. Joanne.* Et illa conciliando satis verosimiliter ibid. col. 1198 ita proponuntur:

sacra liturgia abrogata fuerit,

229 *Ut in Hispaniam Hugo Candidus anno* MLXVIII *venerit, in Aragonia finitimisque regionibus de mutandis sacrorum cæremoniis habuerit concilia; sed res, quamvis eodem anno decreta, perfecta tamen nisi anno* MLXXI *non fuerit, propter populi antiquis suis ritibus addicti pertinaciam; quem in ea re cogere invitum sacri magistratus noluerunt, sed sensim persuadere. Unde & factum, ut irritum tamdiu fuerit eadem de re decretum concilii Jaccensis, anni* MLX. *Eadem causa fuit, cur sacros ritus ut mutarent Castellani, vix adduci, ac nisi vi quadam patuerint* E (sicut perspicuum fiet, ubi ad ista tempora pervenimus.) Quod verò ibidem subjungitur: *Ad eos .. Hugo non penetravit, sive id mandatum illi non fuerat, sive tempestivum nondum esse duxit*, omnino pugnat cum Ms. Toletano, cujus verba recitavi paragrapho præcedente; juxta quod adventus alter Hugonis Candidi Cardinalis in Hispaniam ponendus est anno 1063; qui non excludit alterum anno apud Labbeum 1068.

& quo anno

230 Pagius isti adventui ultimo suffragatur, ad eumdem annum 1068 dicens, quod anno 1064 de Hugonis Candidi presbyteri Cardinalis in Hispaniam ab Alexandro II delegati retulerat adventu, tum ob alia, tum ut divinorum Officiorum ritus ex Romana formula constitueret; id anno 1068 factum fuisse; perperamque ad annum 1064 retrahi, ostendi ait ex concilio Auscensi in Novempopulania celebrati, F præside eodem Hugone Candido Cardinale legato. Auctor itaque ille, quæ ad annum 1064 de concilio Barcinone ab isto legato indicto (cui interfuerint episcopi & abbates principatûs Barcinonensis, & in quo, prout ex Diago refert, communi consensu Officium Gothicum repudiarint) constituerat, facta esse neutiquam negat, sed in annum 1068 differt; contra ac facit illustrissimus vir Petrus de Marca, qui lib. 4 Marcæ Hispanicæ, col. 457 expungendum illud concilium in tomis conciliorum censet; & verò præmiserat, errare eos vehementer, qui Gothicarum legum abrogationem, seu potius additionem, ut vocat, ad veterem legis codicem decretam putant in concilio ecclesiastico; cum nulla illic ecclesiasticæ auctoritatis fiat mentio. Scriptores rerum Hispanicarum & alios quosdam, tradentes huic conventui præfuisse Hugonem Candidum Cardinalem, sedis Apostolicæ tunc in istis regionibus legatum, eumque penitus abrogasse leges Gothicas, novasque sancivisse, insignis falsitatis arguit; factum id dicens sola principum auctoritate, cum consilio tamen magnatum & judicum provinciæ.

Id sit factum inquiritur.

231 Jam verò sive illud concilium Barcinonense cum Baronio innectas anno 1064; sive ex observatione apud Labbeum differas ad annum 1068; in quo etiam consentit Franciscus Diago Historiæ comitum Barcinonensium lib. 2, cap. 59: (ubi etiam tradit, quod Cardinalis, qui erat Barcinone, quando ibidem facta est mutatio legum, fuerit Hugo Candidus, omnes affir-

affirmare scriptores) sive denique cum solo & unico illustrissimo de Marca contra omnes, quos citavi auctores, ex sua possessione deturbes, atque è conciliorum albo expungas (sed ut non expungas, conductura sunt illa, quæ dabuntur sub finem præsentis paragraphi) A verisimile admodum aliunde mihi apparet, aliquid circiter ista tempora in favorem Officii Romani contra Gothicum fuisse actitatum in comitatu Barcinonensi, Aragoniæ contermino: in quo id tunc accidisse in comperto est, prout ex dictis constat, & ex dicendis confirmabitur, Hugone Candido Cardinale ob istum finem illuc delegato.

Officium Romanum

232 In historia fundationis & antiquitatum S. Joannis Pinnatensis, quinque libris vulgata ab istius monasterii abbate Joanne Bris Martinez, lib. 3, cap. 15 profertur bulla Alexandri PP. II, ad Aquilinum ejusdem monasterii abbatem, ejusque successores directa; in qua hæc dicuntur: *Accepimus in parte Hispaniæ, Catholicæ fidei unitatem à sua plenitudine declinasse, & penè omnes ab ecclesiastica disciplina, & divinorum cultu interiorum * oberrasse. Itaque . . ad correctionem ecclesiarum Dei, filium nostrum Hugonem Candidum, & Cardinalem presbyterum, in partes illas misimus, qui . . . Christianæ fidei robur & integritatem ibi restauravit* B *. . . & confusos ritus divinorum obsequiorum, ad regulam canonicam & ordinem reformavit*. In fine signatur, *Datum Laterani* XV *Kalendas Novembris . . . anno undecimo pontificatus Domini Alexandri II Papæ, anno scilicet Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo primo, indictione nona*.

* *fortè mysteriorum*

Gothico in Aragonia suffectum,

233 Laudatus abbas ibidem cap. 16 adventum istius legati, atque adeo legum Gothicarum mutationem anno 1701 affigens, dicit, quod se fundet in duobus domus suæ privilegiis, quæ expressis verbis illud dicant, præterquam quod in antiqua illius historia id clarè admodum haberi scribat. Verba autem quæ profert, sunt ista: *Et tunc intravit lex Romana in S. Joannem de la Penya, undecimo Calendas Aprilis, secundâ septimanâ Quadragesimæ, feriâ tertiâ, anno Domini millesimo septuagesimo primo, & deinde fuit servata lex Romana*. In altero autem privilegio ponitur *Facta donationis & confirmationis pagina, erâ* MC *nonâ, anno nona regni ejusdem gloriosi principis Sanctii Ranimirez; primo verò ingressionis Romani Officii in S. Joanne*. Ambo autem privilegia esse episcopi D. Sanctii Jaccensis, indicat citatus auctor, & observat, annum nonum regni Sanctii, Aragoniæ regis, respondere anno isti 1071; ut qui post mortem patris cœperit ab octavo die Maii, anni 63 regnare.

An, & quomodo

234 Cum itaque de Romani Officii apud Aragones propagatione tam certis ex documentis constet, persuaderi mihi non ægre patior, aliquid hujusmodi in comitatu Barcinonensi sub ista tempora effectum fuisse. De qua re audire juvat Pagium in Critica Baroniana C ad annum 1064, à numero 7, ubi sic loquitur: *Videns Legatus* (Romanus Hugo Cardinalis) *hunc principem* (Raymundum Berengarii) *ad ea, quæ Alexander II optabat, valde propensum, de Officio Gothico, in eo principatu abrogando cogitavit. Ejus conatum promovit Adalmodis, Raymundi uxor, in Francia nata (ubi Officium Romanum, Gallicanum dictum, in usu erat) femina ingentis animi, & cujus res præclarè gestæ in monumentis Hispanicis sæpe occurrunt. Legatus itaque concilium Barcinone indixit, cui interfuere episcopi & abbates principatus Barcinonensis, & in qua, ut refert Diagus laudatus, communi consensu Officium Gothicum repudiarunt . . . Sed concilium, uti jam insinuavimus, anno* MLXVIII *celebratum* Sæc. XI. D

in concilio Barcinonensi

235 *Antequam ei finis imponeretur, subdit Diagus cap. 58, Raymundus comes conventum procerum . . . convocavit, ut in eo de legibus Gothicis, quod jam factum fuerat de legibus ecclesiasticis in concilio, fieret. Huic adfuere Hugo legatus, & magnates numero* XXI, *quorum consilio & assensu codex legum, vulgo vocatus, Usatici Barcinonenses, quo etiamnum utuntur Catalani, à Principe conditus est; ut liquet etiam ex ejus præfatione, in qua legitur „ Hæc sunt Usaria de curialibus usibus, „ quos constituerunt tenere in eorum patria „ omni tempore domnus Raymundus Barchinonensis vetus comes, & Adelmodis ejus con„ jux, assensione & acclamatione illorum ter„ ræ magnatum, videlicet Pontii, vicecomitis Gerundæ „ aliorumque ibidem nominatorum*.

abrogari jussum fit Gothicum.

236 *Inter quos cum nullus episcopus compareat, Baluzius lib. 4 Marcæ Hisp. ad annum* MLXVIII, *rectè concludit, Gothicarum legum abrogationem, seu potius additionem ad veterem legis codicem, factam non esse in concilio ecclesiastico; deceptumque Baronium, aliosque qui eam attribuant Hugoni legato, cum id factum fuerit principis auctoritate. Fallitur tamen vir doctissimus in eo, quod ait, concilium Barcinonense ex Conciliorum collectione delendum esse; cum, teste Diago laudato, omnes scriptores Catalani ejus mentionem fecerint*. E

§. III.

S. Gregorius PP. VII ritum Mozarabicum abolere conatur in regnis Castellæ ac Legionis, aliisque Hispaniæ locis.

S. Gregorius PP. VII valde cordi habuit, abrogationem Officii Mozarabici.

ALexandro PP. II, quem sedulo egisse vidimus, ut liturgiæ Gothicæ in provincia Aragonica, necnon in ducatu Barcinonensi abolitæ, substitueretur Romana, vitâ functo successit S. Gregorius VII, antea dictus Ildebrandus, anno Christi 1073; cujus Acta die XXV Maii apud nos illustrata sunt. Is, vestigiis decessoris sui pressè insistens, rem eamdem unicè cordi habuit in regnis Castellæ, ac Legionis, diligentiâ, quantâ poterat maximâ, obnixè intentus, ut, quod ardentissimis desiderabat votis, ad optatum finem perduceret. Studium illud suum, ulterius promovendi illud negotium, non obscurè subindicat, quando non ignarus, quam feliciter illud in Aragonia antea successisset, inter alia ad Sancium Aragoniæ regem sic scribit in epistola *data Romæ* XIII *Kal. Aprilis, indictione* XII (id est, anno Christi 1074) quæ habetur apud Labbeum Conciliorum tom. 10, col. 52, & apud Aguirrium tom. 3, pag. 247: *In hoc autem quod sub ditione tua Romani Ordinis Officium fieri studio & jussionibus tuis asseris, Romanæ Ecclesiæ te filium, ac eam concordiam & eamdem amicitiam te nobiscum habere, quam olim reges Hispaniæ cum Romanis Pontificibus habebant, cognosceris. Esto itaque constans, & fiduciam firmam habeas, & quod cœpisti perficias:* F

SEC. XI.

A

quia in domino Jesu Christo confidimus, quia beatus Petrus Apostolus, quem dominus Jesus Christus, rex gloriæ, principem super regna mundi constituit, cui te fideiem exhibes, te ad honorem desiderii tui adducet, ipse te victorem de adversariis tuis efficiet.

super quo argumento

238 Ita scribebat sanctissimus ille Pontifex, sui propositi tenacissimus, ut quæ decessores ejus rectè cœpeeant, illud ipse in aliis quoque Hispaniæ regnis perficeret, nihil vigilantiæ pastoralis in se desiderori passus, quod eò conducere posse judicaret. Quid enim, & quantum, & quo studio non egit? Testis est epistola illa, quæ legitur apud Baronium ad annum 1074, Labbeum tom. 10, col. 53; & Aguirrium tom. 3, pag. 248, hoc titulo pranotata: *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, Alphonso & Sancia regibus Hispaniæ à paribus, & episcopis in ditione sua constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.* Sequitur ipsa epistola: *Cum beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos à Petro & Paulo apostolis directos fuisse, qui destructâ idololatriâ christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt* &c. (ut retulimus cap. I §. I) *quantam concordiam cum Romana urbe Hispaniam in religione & ordine divini officii habuisse satis patet: sed postquam vesania Priscillianistarum diu pollutum, & perfidia Arianorum depravatum, & à Romano ritu separatum, irruentibus priùs Gothis, ac demum invadentibus Sarracenis, regnum Hispaniæ fuit, non solum religio est minuta, verùm etiam mundanæ sunt opes labefactatæ.*

B

citatur epistola ejus: ad Alphonsum & Sancium data.

239 *Quapropter ut filios carissimos vos adhortor & moneo, ut vos sicut bonæ soboles; etsi post diuturnas scissuras, demum tamen ut matrem revera vestram Romanam Ecclesiam recognoscatis, in qua & nos fratres reperiatis, Romanæ Ecclesiæ Ordinem & Officium recipiatis, non Toletanæ, vel cujuslibet aliæ, sed istius, quæ à Petro & Paulo supra firmam petram per Christum fundata est, & sanguine consecrata; cui portæ inferi, id est linguæ hæreticorum, numquam prævalere potuerunt, sicut cetera regna Occidentis, & Septentrionis, teneatis. Unde enim non dubitatis, vos suscepisse religionis exordium, restat etiam, ut inde recipiatis in ecclesiastico Ordine divinum Officium: quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa episcopum vos docet epistola, quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant, quod Toletanum & Bracarense demonstrant concilia; quod etiam episcopi vestri ad nos nuper venientes juxta constitutionem concilii per scripta sua facere promiserunt, & in manu nostra firmaverunt ... Data Romæ XIV Kalendas Aprilis, indictione duodecima*; id est die XVIII Martii, anno 1074.

C

Quis sit

240 Dirigitur dicta S. Gregorii episcopi ad Alphonsum, istius nominis sextum, Ferdinandi Magni filium, Legionis & Castellæ regem, pluribus postea à nobis memorandum. At verò difficultas est in isto Sancio. Baronius ad dictum annum vult, Sancium hunc fuisse Alphonsi fratrem. Sed contra est, quod ex documentis apud Pagium, ad annum 1072, obitus ejus innectendus eidem isti anno 1072 comprobetur: quibus addas licet sequentia ex Sandovalii historia regum Castellæ ac Legionis fol. 34 verso; ubi in carta donationis, quam fecit Ximenus, nobilis Navarrus, dicitur, *Facta carta era MCX, IX Kalend. Decembris, anno in quo fraudulenter lancea percussus à quodam milite Sancius rex Castellanorum occubuit*; anno utique 1072. Et fol. 37 mentio fit chartæ, in qua Alphonsus rex indulget favorem Lezenio cuidam &c., & eidem apponitur: *Facta carta apud Legionem anno tertio, in quarto mense post obitum Sancii regis in Zamora, & in Castro major fuit tradita ad roborandum sub era MCXIII, regnante Adefonso jam dicto imperatore in Castello*, & sic reperisse se ait Sandovalius loco citato, istius anni privilegia à Januario usque ad Octobrem; è quibus constet, quod viveret & regnaret Sancius; & eodem anno ac mense Novembri & Decembri, invenisse se scribit regem in Castella & Legione Alphonsum. Unde probatur, anno 1072 è vita excessisse Sancium, atque adeo Gregorium VII anno 1074 ad illum scribere non potuisse.

D

rex ille Sancius,

241 Sandovalius fol. 30, dum censet hanc epistolam fuisse directam ad duos istos reges, & quidem, uti ex voce *à paribus* confici censet, simul regnantes, variis se intricat conjecturis; sed nullo successu; quandoquidem inscriptio epistolæ ita intellecta, chronologicè componi non potest. Quærendus igitur est Sancius alius. An Sancius rex Aragoniæ, qui tunc vivebat, & qui ab epistolarum Gregorianarum compilatore seu collectore, aut alio nescio quo expressus legitur apud Labbeum, Harduinum, Aguirrium? At quo pacto id suaderi queat, planè non concipio: nam cum jam ostenderim ex epistola ejusdem S. Gregorii PP. VII, eodem anno, & pridie istius diei notata, quo notatur alia ad duos istos reges Hispaniarum, significare illum Pontificem, quod ritus Romanus jam admissus esset in Aragonia; quomodo concipi potest, ut ad eumdem Aragoniæ regem, eodem anno, eodem fere die, de eodem ritu admittendo literas dederit? Quomodo hortari potuit Sancium Aragoniæ regem, *ut reciperet in ecclesiastico ordine divinum Officium*; qui in epistola responsoria, à Gregorio ad se missa laudatus, quod jam hoc fieri jussisset, & ad constantiam excitatur. Sed nodum circa regem Sancium, hactenus implexè involutum, solvit Pagius ad annum 1074, num. 10, ubi de regibus in inscriptione epistolæ Gregorianæ nominatis disserens, sic concludit:

E

ad quem epistola illa directa fuit, inquiritur.

242 *Hi ergo*, inquit, *reges alii non sunt, quam Alphonsus VI, Castellæ & Legionis rex, & Sanctius IV, Navarræ, & Najaræ rex, Garzeis & de Penalen cognominatus*; Sandovalium incusans, *qui in Vita Sanctii Samora, ob hæc verba à PARIBUS, duos fratres intelligit, Sanctium nempe Samoram & Alphonsum VI*; rectèque addit Pagius, quod hæc difficultas virum in Historia Hispanica adeo exercitatum irretire non debuerit; *si enim*, uti bene observat, *ibi sermo esset de duobus fratribus; Gregorius VII Sancium, utpote majorem natu, primo loco nominasset, non verò Alphonsum. Hæc itaque epistola male ad Sanctium Alphonsi fratrem jam à biennio demortuum à Sandovallio refertur.* Videri etiam potest laudatus Pagius ibid. num. 12, ubi agit de tribus Hispaniæ regibus, nomine Sanctiis, inter se non confundendis, dicitque, Sanctium istum, ad quem scripserit Gregorius, regno Navarræ præfuisse usque ad annum 1076. Porro scribere *à paribus* apud inferioris seculi scriptores significat epistolas generales, quæ uno exemplo, paucis mutatis, ad diversos mittuntur; teste Cangio, qui plura dabit in Glossario mediæ & infimæ latinitatis ad vocem *Appar*.

F

Alia ejusdem Pontificis epistola

243 Quod autem S. Gregorius VII effectum videre desiderabat in Castella, Legione & Navar-

Navarra, omni deinde conato arsit in aliis Hispaniarum tractibus, uti perspicuum est ex pathetica & ardore Apostolico plena ejus epistola, ad Simeonem Hispanorum episcopum *data Romæ mense Maii, indictione decimaquarta*, anno videlicet Christi 1076: sic enim scribit: *His itaque fulta præsidiis Romana te cupit scire Ecclesia, quod filios, quos Christo nutrit, non diversis uberibus, nec diverso cupit alere lacte, ut secundùm Apostolum sint unum, & non sint in eis schismata: alioquin non mater, sed scissio vocaretur. Quapropter notum sit tibi, cunctisque Christi fidelibus, super quibus consuluisti, quod decreta, quæ à nobis imo à Romana constat Ecclesia prolata sive confirmata, in peragendis à vobis ejusdem Ecclesiæ Officiis, inconvulsa volumus permanere, nec eis acquiescere, qui luporum morsibus & veneficiorum molimine vos inficere desiderant. Nec dubitamus, quod, secundùm Apostolum, intrent in vos lupi graves, lupi rapaces, non parcentes; quibus resistendum fortiter est in fide.*

ad Simeonem Hispaniarum episcopum;

244 *Ideoque, dilectissime frater, certa, & usque ad sanguinis effusionem, si opportunum fuerit, desuda. Indignum enim & pro ridiculo potest haberi, quod seculares homines, pro tam vili pretio, tamquo Deo odibili commercio, seipsos periculo ultroneos exhibeant, & fidelis quisque, irruentibus cedat hostibus terga. Non enim ab eis poterit acquiri virtus qui facilè corruunt, quo trahuntur. Quod autem filii mortis dicunt, se à nobis litteras accepisse, sciatis per omnia falsum esse. Procura ergo, ut Romanus Ordo per totam Hispaniam & Galliciam, & ubicumque poteris, in omnibus rectius teneatur. Data &c.*, sicut supra præmisimus. Simeon verò ille, ad quem dirigitur hæc epistola, quisnam sit, non ex eadem facilè intelligi potest; scimus quidem ex inscriptione epistolæ, mitti eam *Simeoni Hispanorum episcopo*; sed quo pacto inde characteres individuos extundes?

de quo nonnulla observantur.

245 Hunc tamen Simeonem indicari à S. Gregorio planè suspicor, de quo scribit Pagius ad annum 1074 in hæc verba: *Ocensis episcopus hoc tempore erat Scemeno, dictus etiam Simeon, cujus varia Acta exhibet Sandovallius in Regibus Castellæ & Leonis. Cum autem civitas Oca appellata, à Saracenis seculo VIII eversa fuisset, ejusque episcopus certam sedem non haberet, se episcopum Castellæ quandoque appellabat, quo nomine Scemeno subscriptus reperitur in Testamento Pelagii, episcopi Legionensis. Urraca & Elvira Ferdinandi M. Filiæ quamdam ecclesiam civitati Burgensi vicinam Scemenoni episcopo dedêre, ad innovandam sedem episcopalem, quæ priùs apud Aucensem urbem noscitur fuisse constructa, & à Saracenis destructa, era MCXII, currenti scilicet Christi anno. Oceam, Auceam etiam dictam, videre est tom. 5 Conciliorum editionis Labbeanæ, pag. 892; ubi uterque episcopatus in notis Garciæ Loyasæ egregiè explicatur. Alphonsus VI anno sequenti Aucensem episcopatum in urbem Burgensem transtulit, sanxitque, ut in Castella omnibus aliis honorabilior esset; & Urbanus II eum exemit à jurisdictione metropolitæ Tarraconensis, & immediatè sedi Romanæ subjecit.* Ita Pagius. Translatio porro illa episcopatus Aucensis seu Ocensis, teste Sandovalio citato, fol. 44 verso, *anno* quidem *sequente*, non tamen juxta ipsum anno proximè sequente contigit; quia exprimit ibidem annum 1078; & fol. 45 translationem istam anno 1095 confirmatam fuisse ab Urbano II; immediatam autem sedi Apostolicæ subjectionem anno 1097 ab eodem Pontifice factam memorat. At nunc ad anteriores annos redire necesse, ut inspiciantur reliqua, quæ patravit S. Gregorius PP. VII, ut abolito veteri Officio Hispanico Romanum substitueret.

Sec. XI.

§. IV.

S. Gregorii PP. VII, concilii Burgensis, & Alphonsi VI gesta pro abrogatione Officii Mozarabici; res duello commissa non dirempta fertur.

Strenuissimè laborasse S. Gregor. PP. VII pro Ordine Romano apud Hispanos, ex epistolis ad Alfonsum

Quantum sanctissimus Pontifex cordi habuerit, ut liturgiæ Romanæ Ordo per Hispaniam propagaretur, constat ex iis, quæ aliis suis epistolis interere super hac re voluit: nam ad Alphonsum Castellæ regem, prout videre est apud Labbeum tom. 10, col. 030, & apud Aguirrium tom. 3, à pag. 253, ita scribit: *Excellentiam vestram paterna charitate monemus, ut quod à legatis nostris de religione fidei & ecclesiastici Ordinis accepistis, & adhuc, Deo auctore, accepturi estis, firmiter teneatis ... Et quidem de vobis bene speramus: quoniam relatione dilecti filii nostri Richardi Cardinalis presbyteri sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quem nunc secundò ad vos mittimus, bonam voluntatem vos habere intelleximus ... Commendamus vobis hunc dilectum filium nostrum, quem, sicut suprà diximus, nunc secundò ad vos mittimus, ut cum sicut nos audiatis, & in omnibus sibi favorem exhibeatis, quatenus non fiat inanis cursus & labor illius apud vos, sed pro commissa sibi legatione, ea quæ de ecclesiasticis causis tractanda invenerit, efficaciter exsequi .. valeat ... Data Romæ decimo octavo Kalendas Novembris, indictione tertia.*

Castellæ regem datis probatur.

247 In alia item ad eumdem Alphonsum Castellæ regem epistola apud Labbeum col. 276, apud Aguirrium verò pag. 256 S. Gregorius sic fatur: *Noverit excellentia tua, dilectissime, illud unum admodum nobis, imo clementiæ divinæ placere, quod in ecclesiis regni tui, matris omnium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari effeceris. Denique in illo, quem hactenus tenuisse videmini, sicut suggerentibus religiosis viris didicimus, quædam contra Catholicam fidem inserta esse patulò convincuntur.* In fine hujus epistolæ non opponitur nota temporis; apud Labbeum verò, Aguirrium & Harduinum illigatur anno 1080; sed observa, ad librum nonum Registri Gregorii PP. VII (ubi ista epistola ponitur secundo loco) cum desint indictiones, vix certò posse annum designari. De depravatione ac erroribus Officio Gothico imputatis tractavimus superius cap. 4, §. 3; de comprobata ejusdem integritate cap. 5, §. 0; cap. 6, §. 1 & 2: quò lectorem mittimus; ut mirum prorsus videri debeat, in prædicta epistola à Sanctissimo Pontifice objici Alphonso; *quædam contra Catholicam fidem* isti Officio *inserta esse, patulo convincuntur*. Durum primo fronte, fateor, de liturgia Hispanica judicium.

Ubi locus aliquis mitigatur.

248 Illud tamen sequentibus modis mitigari posse censeo. 1. Loqui sese ostendit disertè Pontifex non ex propria scientia, sed ex aliorum relatione, dicens, *sicut suggerentibus religiosis viris didicimus*. 2. Viri illi religiosi fortè inspe-

Sec. xi. inspexerunt codicem aliquem antea depravatum & nondum correctum, è quo S. Gregorium informarint. 3. Fieri etiam fortasse potuit,
A ut viri illi solâ famâ acceperint, nonnullos contra fidem errores contineri in istis codicibus; certum namque ex dictis videtur, quod Pontifex non inspexerit; incertum, an ipsimet accusatores inspexerint codices Officii Gothici, cum nullus determinatè designetur error, qui in illis contineatur. 4. Si exemplaribus liturgiæ Gothicæ *quædam contra Catholicam fidem inserta* fuisse, & *patalo* quidem *convinci* vis; qui factum est, ut nulla hujusmodi errorum mentio ad nos transmissa fuerit à concilio Burgensi, quod præside Richardo presbytero Cardinale, ac Gregorii VII in Hispania legato, pro Officio Romano contra Gothicos ritus convocatum scribitur, quodque eos in regno Castellæ sua auctoritate abrogari fecit, ac Romanum ipsis Ordinem substitui? Porrò de concilio isto subdo sequentia.

Concilium Burgense 249 Sandovalius inter historicos Hispaniæ, quos collegit & edidit, habet *breve Compendium seu Pelagii Ovetensis episcopi Historiam ex codice Gotthico, qui Oveti servatur, & ab ipso Pelagio creditur descripta*, uti fert titulus eidem Compendio apud ipsum prænotatus. In
B dicta itaque collectione pag. 76 Pelagius sic fatur: *Tunc Adephonsus rex velociter Romam nuntios misit ad Papam Aldebrandum (qui erat) cognomento septimus Gregorius. Ideo hoc fecit, quia Romanum mysterium habere voluit in omni regno. Memoratus itaque Papa Cardinalem suum Richardum* *, *abbatem Massiliensem*
* Richardum *in Hispania transmisit, qui apud Burgensem urbem concilium celebravit. Confirmavit itaque Romanum mysterium in omne regnum regis Adefonsi æra* MCXXIII, quæ respondet anno Christi 1085. Atque hæc quidem habemus ex Pelagio, qui tunc vivebat.

quando 250 Mariana De rebus Hispaniæ lib. 9, cap. 11 legationem istam uti & concilium memorat; quod anno 1076 agitatum esse refert. Sed ratio ista temporis non cohæret cum æra, quam ex editione Pelagii apud Sandovalium produxi: neque etiam consentit cum editione Labbeana conciliorum; ubi tom. 10 in Appendice col. 1815 textus Marianæ, mox à me designatus, circa hoc concilium est transcriptus; sed in figendo anno, quo celebratum sit, ab ipso
C discedítur: nam ibidem res gesta invectitur anno 1080; contrà quam ex editione Pelagii vidimus, quæ serius rem differebat. Videmus itaque, quod annus apud Labbeum nec cum Pelagio Ovetensi, nec cum Mariana conveniat. Cur autem iste substitutus sit ibi annus ab utroque alio diversus, rationem dat noster Gabriel Cossartius in notis, à dicta col. 1815, ubi observat sequentia: *Ricardus Monachus S. Victoris Massiliensis, presbyter Cardinalis ab Alexandro II creatus, à Gregorio VII in Hispaniam legatus mittitur anno* MLXXVIII, *ut scribit Gregorius ipse epist. 11, lib. 5 Abbas Massiliensis constituitur anno* MLXXIX *in locum Bernardi fratris Cardinalis; ut ex ejusdem epist. 7, lib. 7 discimus. Qui stare igitur potest, quod ait Mariana, missum in Hispaniam à Pontifice Ricardum, abbatem Massiliensem anno* MLXXVI?

celebratum. 251 *Altera in Hispaniam legatione functum eumdem esse anno* MLXXIX *docet epistola 6 lib. 7; qua hortatur Alfonsum regem Gregorius, ut illum, qua de hic agitur, sacrorum mutationem instituat: ex quo apparet, non ante annum illum* MLXXIX *Burgense hac de re concilium à Richardo habitum esse. Quando igitur celebratam dicemus? Si Pelagium Ovetensem consulimus, augetur difficultas. Æram enim ille* MCXXIII
D *assignat, quæ cum anno Christi* MLXXXV *congruit. At serius profecto; cum anno* MLXXX *scribat Gregorius epistolam tertiam libri octavi; cujus ipso initio significat, id perfectum esse* (quandoquidem Gregorius regis Alphonsi obedientiam ibi laudat ex relatione Richardi.) *Anno igitur* MLXXX *habitam hanc synodum crediderim, atque apud Pelagium Ovetensem, errorem in numeros, librarii vitio, irrepsisse: scriptum nimirum* MCXXIII, *pro* MCXVIII; *qui annus æra Hispanica respondet anno Christi* MLXXX. *Marianam verò, qui annum Christi assignat* MLXXVI, *legebat sine dubio, æra* MCXIV. Hæc Cossartius; quæ sufficiunt ad instructionem lectoris circa annum, quo synodus Burgensis celebrata sit.

252 Quod verò Gregorius VII & Alphonsus mutuam operam navarint, ut Officio Gothico Hispanico Romanum subrogaretur, abunde intelligitur ex legatis, teste Pelagio Ovetensi, hac super re Romam ab Alphonso missis, sicut jam diximus: cujus autem hortatu id factum fuerit, discimus ex Roderico Toletano De rebus Hispaniæ lib. 6, cap. 25, ubi hæc narrat: *Et quia adhuc littera Gotthica, & translatio Psalterii, & Officium Missæ institutum ab Isidoro & Leandro pontificibus, quod cum translatione & littera dicitur Toletanum, per totam Hispaniam servabantur, ad instantiam uxoris suæ reginæ Constantiæ, quæ erat de partibus Galliarum, misit Romam ad Gregorium Papam VII, ut in Hispaniis, amisso Toletano, Romanum seu Gallicanum Officium servaretur*. Constantiam hanc Burgundicam fuisse, Roberti I ducis Burgundiæ Filiam, anno 1084 Alphonso, Castellæ ac Legionis regi nuptam, lego apud Andream Chesnium lib. 3 Historiæ regum, ducum & comitum Burgundiæ, Gallicè conscripta, pag. 272. — *Alphonsus VI.*
E

253 Idem Alphonsus rex Toletum Saracenis eripuit die XXV Maii, anno 1085, prout videre est apud Pagium, ad annum Christi 1088, num. 5; ubi & diem & annum prædictos isti expeditioni vendicat; in quos incidit S. Gregorii PP. VII obitus; quem sanctissimum Pontificem strenuissimè laborasse vidimus pro liturgia Romana per Hispaniam extendenda contra Gothicam, auctoritatem suam interponente Alphonso rege; qui negotium illud fortissimis animis promovere perrexit, & extrema, donec ad optatissimum sibi finem perduceretur, tentare non destitit. Hæc autem quo modo illis temporibus gesta sint, mox intelliges. Capta ab Alphonso Toletana urbe, suas eo curas convertit, ut religio Christiana ibidem restitueretur; de cujus restauratione agit Pagius ad annum 1088, num. 6; ubi ex Roderici lib. 6, cap. 24, quæ mense Decembri post expugnationem Toleti ad restituendam religionem Christianam, ab Alphonso rege gesta sint, recenset. — *Toleto capto,*
F

254 Concilium item Toletanum, seu comitia potius, in quibus rex Alphonsus ecclesiam Toletanam à Saracenorum tyrannide liberatam amplissimè dotavit, & Bernardus abbas S. Facundi in novum præsulem electus est, exhibet Aguirrius pag. 287 ex Mariana De rebus Hispaniæ lib. 9, cap. 17. Bertoldus Constantiensis, qui Hermanni Contracti Chronicon continuavit, atque hisce temporibus vixit, ad annum 1090 regis Alphonsi in restaurandis re- — *res Christianas ibidem sedulo promovet;*

bu

bus Christianis studium sic obiter attingit: *Dominus Papa Urbanus generalem synodum . . . in Tolosana civitate . . . collegit . . . In qua synodo . . . legatis pro restauranda Christianitate, in Toletana Civitate, rege Hispanorum supplicante, destinatur.* Porro de rebus, quæ à memorato superiùs Bernardo, qui, teste Roderico Toletano, isti concilio interfuit, gestæ sunt, consule eumdem Rodericum De rebus Hispaniæ lib. 6. cap. 26: quas Pagius innectit anno Christi 1090.

ac mutationem Officii antiqui Hispanici duello committit.

255 Ibidem verò mirabiles duas pro Officio Romano in Hispaniam introducendo probationes ex Roderico narrat. Eodem itaque cap. 26 sequentia habet Rodericus: *Ante revocationem* (Richardi, quem legationem privatum, & ab Urbano Pontifice revocatum dixerat) *clerus & populus totius Hispaniæ turbatur, eo quod Gallicanum Officium suscipere à legato & principe cogebantur, & statuto die, rege, primate, legato, cleri & populi maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatum, clero, militia & populo firmiter resistentibus, ne Officium mutaretur, rege à regina suasa contrarium minis & terroribus intonante. Ad hoc ultimò res pervenit, militari pertinacia decernente, ut hæc dissensio duelli certamine sedaretur. Cumque duo milites fuissent electi, unus à rege, qui pro Officio Gallicano; alter à militia & populis, qui pro Toletano pariter decertarent, miles regis illico victus fuit, populis exultantibus, quod victor erat miles Officii Toletani. Sed rex adeo fuit à regina Constantia stimulatus, quod à proposito non discessit, duellum indicans jus non esse. Miles autem qui pugnaverat pro Officio Toletano, fuit de domo Matantiæ prope Pisoricam, cujus hodie genus extat.* Hæc Rodericus de probatione Officii Gallicani seu Romani, ac Gothici per monomachiam sumpta.

Novantur varia

256 Præcesserat Chronicon S. Maxentii, vulgo dictum Malleacense, apud Labbeum tom. 2. Bibliothecæ Ms. librorum à pag. 190 editum, cujus collector, si tamen unus dumtaxat fuit, centum ante Rodericum circiter annis floruit, cum Chronicon suum perduxerit ad annum 1134; præcesserat, inquam, chronographus ille; nam postquam egisset de monasteriis anno 1069 castrui cœptis, subnectit sequentia: *His diebus Hildefonsus, rex Hispaniarum, duxerat filiam Guidonis comitis, ducis Aquitanorum, quam habuit de Mateode uxore supradicta* (de qua egerat ad annum 1058) *Pro qua re exstitit causa & contentio de lege Romana. Quam legem Romanam voluit introducere in Hispaniam, & Toletanam mutare. Et ideo fuit factum bellum inter duos milites, & falsitate fuit victus miles ex parte Francorum.* Eminentissimus Bona, ac Brunus non viderint sine dubio hoc testimonium; cum Rodericum tamquam unicum hujus rei testem citent. Res porro hæc gesta, quæ à duobus istis scriptoribus narratur, observationibus nonnullis elucidari debet, quibus utriusque textus difficultates expendantur, & paullo attentius inspectæ ad æquam judicii trutinam exigantur. Et circa textum quidem Roderici hæc subjicio.

circa hujus historiæ

257 Si vera his narrat, res illa contigerit non serius anno 1091: nam significat probationi per ignem factæ post duellum (de quo dicam mox) interfuisse legatum superius memoratum: qui *die* III *Nonas Octobris*, *anno* XXXIII *regni Philippi regis* Francorum (id est 1091) in appendice ad Marcam Hispanicam col. 1189 notatus, non amplius gavisus fuerit isto titulo; cum ibidem paullo ante col. 1192 vocetur *Ricardus Cardinalis, qui est abba S. Victoris Massiliensis*, omisso utique legati titulo. Mariana lib. 9, cap. 18 de decretorio isto conflictu agens, militem victorem appellat *Joannem Ruizium*. Non moror hic personatum Julianum, qui in Chronico à pag. 126 ineptias more suo venditat, pugnatum esse somnians *sub judicibus Petro Gomesano Barroso, Petro Alvaro Muniosio Adefonsi, Petro Juliano de domo Toletanorum equitum Muzarabum . . Vicit Joannes Roderici: quem ego Julianus peccator archipresbyter obviis ulnis & lachrymabundus excepi, acclamantibus universis Muzarabibus: Vicit Christus, & Sacrum Officium Isidorianum. Adjuvat Christus precibus SS. Muzarabum.*

adjuncta,

258 Regis Alphonsi conjux, nomine Constantiæ, auctore Roderico, anno Christi 1090, ad quem præsens factum referri dixi à Pagio, concinnè convenit: nam apud Berganzam in Appendice sectione 1, pag. 450 profertur donatio ab Alphonso VI facta; cui inseritur nota temporis, videlicet *era millesima centesima vigesima octava* (idest anno Christi 1090) *regnante rex* * *Aldefonso in Toletu* &c.; post quem isti instrumento *Constantia quoque* adscribitur, *divinâ gratiâ regina, quæ hanc*, inquit, *cartam fieri præcepi, legendo audivi, manu mea roboravi*. Burgundicam fuisse, jam dictum est: qualem quoque illam indicat Fragmentum ex veteri exemplari Floriacensi apud Franciscum Chesnium inter Historiæ Francorum Scriptores tom. 4, pag. 89, ubi sic habetur: *Hic* (de Alphonso VI sermo est) *filiam Roberti ducis Burgundionum duxit in uxorem, nomine Constantiam*. Fragmentum hoc conscriptum fuisse ab auctore hujus temporis, quo de agimus, id indicio est, quod sistat in anno 1110. De ista Constantia agit laudatus superiùs Andreas Chelsius in Historia genealogica Ducum Burgundiæ Gallicè edita pag. 13; necnon inter probationes ad eamdem Historiam pag. 18. Auctor Chronici Malleacensis nec exprimit nomen Constantiæ, nec eamdem originem denotat, quam citati signant scriptores. De uxoribus dicti regis Alphonsi tractant Pelagius Ovetensis pag. 77; Baronius ad annum 1080, & Sandovalius in Historia regum Castellæ & Legionis à fol. 105.

* rege

& auctoritatem.

259 Dicebam superiùs de Roderico Toletano, qui sæpe dictam monomachiam recenset, *si vera is narrat*: nam sunt viri eruditi, quibus veritas hujus rei non probatur. Eminentissimus certè Cardinalis Bona lib. 1, cap. XI. *Utrumque*, inquit, *eventum pugnæ & ignis* (de eventu ignis mox agetur) *Rodericus archiepisc. Toletanus refert lib. VI De rebus Hisp. cap. XXVI, testis unicus & singularis; qui illi non interfuit, nec potuit interesse . . . Alii recentiores ipsum Rodericum sequuti sunt, penes quem hujus fabulæ vel historiæ fides sit.* Brunus item pag. 296 de utraque pugnæ & ignis probatione agens, satis indicat, debilem sese hisce rebus habere fidem, quando subjungit, hujusmodi probationes, dum ab auctore contemporaneo ac fide digno referuntur, molestiam creare posse; sed illas non inveniri nisi in Roderico Toletano, quia audita dumtaxat referat, nullo citato auctore. Ego interea, quandoquidem rem satis aliunde miram, duobus tamen illis Roderici & Malleacensis chronographi testimoniis fulciri video, neque argumenta in contrarium afferre possum satis urgentia, ut omnem satis solidè huic facto fidem

detra-

Sæc. XI.

A detraham; historiam hanc in medio relinquo, & eruditorum judicio permitto; qui eam tamquam historicè veram admittere poterunt, si duobus illis auctoribus standum esse censuerint. At verò mirum prorsus mihi apparet, quod Pelagius Ovetensis, auctor adeo synchronus, ut dicto duello, si verè contigit, vel interfuerit, vel saltem interesse potuerit, neutiquam de illo meminerit, quod sciam; quod argumentum tametsi negativum, maxime etiam officit historiæ, quæ vult, Officium Mozarabicum per ignem fuisse approbatum: de qua re mox dicam. Quo autem loco habenda sit monomachia ad sedanda jurgia, disces ex Baronio, ad annum 659.

§. V.

Officium Mozarabicum igne probatum: deinde abolitum in regno Castellæ, Legionis &c.; in locis quibusdam particularibus retentum.

Liturgia Mozarabica, teste Roderico per ignem probata;

HAud dubium est, quin felix monomachiæ successus, prout his saltem refertur, à summis, & infimis inter Hispanos, pro divino nutu & signo evidenti approbationis veterum rituum faustis acclamationibus exceptus, & pro manifesto ostento cæli habitus fuerit, atque ad obstinatissimam antiquis moribus mordicus adhærendi, novosque neutiquam admittendi voluntatem, ut satis res ipsa loquitur, instigarit. B Pergebat interim obniti Alphonsus; certus ab incepto non desistere, donec quod suasu & anisu uxoris suæ instantissimè quidem, sed frustra tamen pertentarat, satis etiam fortasse sponte sua eò propensus, ad finem perduceret. Visum itaque ipsi fuit, alia extrema adhibere; & rem committere probationi ignis, priscis istis seculis adeo usitatæ; quo tandem ultimo ac decretorio tentamine vel contra vel secundùm antiquam liturgiam lis tota decideretur. Antiquissimus, imo inter antiquos unicus, quod sciam, qui rem gestam narret, est Rodericus archiepiscopus Toletanus, qui post duellum hæc subdit: C *Cumque super hoc magna seditio in populo oriretur, demum placuit, ut liber Officii Toletani, & liber Officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur. Et indicto omnibus jejunio à primate & legato, & clero, & oratione ab omnibus devotè peracto, igne consumitur liber Officii Gallicani; & prosilit super omnes flammas incendii, cunctis videntibus & Dominum laudantibus, liber Officii Toletani illæsus omnino (&) à combustione incendii alienus.* Ita ille paucia & graphicè; an tam vere?

de quo mirum est, non meminisse Pelagium Ovetensem, nec Lucam Tudensem:

261 Mirum accidit, rem in paucis adeo memorabilem à solo, quod sciam, Roderico tradi; neque invenire me quidquam apud Pelagium Ovetensem, qui tum vivebat, quando controversia ista ferbuit, & fortè tum Toleti affuit; adesse certè potuit. Historiam ille suam cum morte Alfonsi concludit; indicat sepulturæ ipsius se interfuisse; uti & miraculo, octo dies ante Alphonsi mortem in urbe Legionensi in ecclesia S. Isidori, manantibus aquâ lapidibus, patrato; *videntibus cunctis civibus nobilibus quam ignobilibus, unà cum episcopis, videlicet Pelagius Ovetensis .. & hoc fuit factum tribus diebus*, quos designat. *In quarto autem die, qui erat Dominica*, instituta solenni supplicatione ex ecclesia S. Mariæ ad altare D S. Isidori, & dein *peracto sermone ab Episcopo Ovetensi, & peracta Missa, accesserunt Episcopi ad lapidem, ubi erat aqua, & ipsi Episcopi biberunt ex ea, & multi alii homines.* Sic ille totus est in describendo isto miraculo & adjunctis ejus. Quomodo ergo præterire voluit aut potuit aliud miraculum adeo insolitatum, de quo hic agimus? Cujus etiam ne vel verbo quidem meminisse novi Lucam Tudensem, Roderico synchronum.

ac proin non caret aliqua formidine de subjecta fide.

262 Hæc sunt, fateor, quæ formidinem mihi injiciunt, ne vel non contigerit illud factum, vel non ita saltem contigerit, prout Rodericus illud contigisse refert. Eruntque haud dubiè ex illis, qui hæc legerint, qui pro securiore rei adeo paradoxæ assensu momenta credibilitatis majora requirant, quàm solam unius Roderici auctoritatem, satis alioqui etiam remoti à tempore, quo eventus ille accidere debuerit. Durum interim est, auctori adeo de historia Hispanica bene merito, quamquam suis quoque nævis non careat, apertam falsitatis notam hic inurere, quasi ex suo ipse cerebro novum quoddam effinxisset ac produxisset commentum. At sive historiam istam ex prævio alio scriptore hauserit, sive ex sola apud posteros didita fama audierit; non est mihi promptum, plus pro illa dicere, quam nunc dictum est, nihil habenti, quo eam ex monumentis, satis ad rem antiquis & accommodatis, confirmare vel infirmare possim. Totum itaque, quantum quantum est, hoc prodigium stat & cadit sola & unica auctoritate Roderici Toletani. Nicolaus Antonius pluries jam à me laudatus, adeo de istius rei gestæ veritate bene existimavit, ut operosè eam defendendam susceperit: quam autem id opportunitate contigerit, mox intelliges. E

Nicolaus Antonius

263 Quod Eminentissimus Cardinalis Bona debilem huic facto fidem adhibuerit, liquet ex ejus verbis, quæ dedi paragrapho proximè antegresso. Contra quem pro veritate rei, prout narratur à Roderico, stetit V. Cl. Nicolaus Antonius, uti liquet ex ejus epistola, hoc super argumento ad sapientissimum Joannem Bonam, tunc temporis sacrorum purpuratorum Ecclesiæ Principum collegio nondum adlectum, data; cujus apographum debemus amplissimo viro ac reverendo admodum domino Adriano de Coninck, propinquo Nicolaii Antonii consanguineo; qui illam epistolam Ms. F unà cum pluribus aliis ejusdem auctoris schediis ineditis, Matriti nobiscum communicavit humanissimè. Illam itaque subdo:

data ad Joannem Bonam

264 *Non ita est, ut excidit heri & audientibus tibi, pater reverendissime; fidei lubrica id esse, quod tempore ritus Romani à nobis accipiendi, & præ Isidoriano habendi, contigisse in memoriam ego tecum de re ipsa conferens revocavi. Perduellam quippe regis Alphonsi VI Castellæ, seu potius Constantiæ reginæ, quæ in Galliis nata, communi jam apud suos Romano Officio favebat, cum tota fere regna controversiam fuisse ad unum unum examinis discrimen, quod illius ætatis mos ferebat, Rodericus Toletanus præsul, Hispanicarum rerum historicus eximius, sesqui seculo tantùm eo tempore, quo res gesta narratur, inferior, veluti rem notissimam in commentaria retulit. Gerebatur nempe hæc res circa annum* MLXXXV *redempti orbis, floruitque Rodericus sub Ferdinando rege III Sancto,*

circa

circa annum MCCXLIII, quo historiam suam absolvit. Perductam, inquam, negotium fuit in duelli periculum ante alia, ex Roderici verbis: Ad hoc ultimò res pervenit, &c., quæ habes superius. A

epistola

265 Sed neque id examen valuit, uti subjungit Nicolaus Antonius, ut ab incepto suo rex desisteret; magnaque seditione in malitia & populo orta, regis pervicaciæ obnitentibus; demum placuit, ut liber Officii Toletani, &c. quæ ex Roderico item jam permissa sunt. Hæc tam perspicuè, inquit, dicta sunt pro Toletano Officio, ut nulla tergiversatione perviceris, aliter gestam rem esse, nisi omnem historico fidem abrogaveris. Nec temere venit hæc lectio in typorum lucem. Sancius Nebricensis, Antonii Grammatici celeberrimi filius, ita edidit primus Granatæ anno MDXLV ex manuscriptis, ut par est credere, bonæ notæ. Hisque omnino (se) conformant duo alii hujus historiæ codices, qui asservantur manu exarati in bibliothecis Toletanis cathedralis Ecclesiæ, ac monasterii Franciscanorum S. Joannis, Regum nuncupati; simillimaque vel narratio exstat in veteri exemplo Historiæ, quam generalem nostrates homines vulgo appellant, Alphonsi sapientis, Castellæ regis X jussu & auspiciis formatæ. Hunc librum Matriti vidimus apud D. Gasparem Ibañez de Segovia, Acropolitanum marchionem, eruditionis & ingenii admodum locupletem, qui quidem veteri forma scriptus, quamvis acephalus, eumdem ipsam historiam continet, paucis demptis, quæ sub nomine Historiæ generalis, uti jam diximus, Floriani Docampii, regis chronographi diligentiâ ante centum annos in lucem primùm edita est. B

hanc per ignem

266 Ruditatem excusabis ævi illius, quo barbaris quam barbariei exstirpandæ studebant magis Majores nostri. Transcribit Historiæ auctor apertissimè Rodericum Episcopum his verbis: E quemose y el libro Frances, è finiò y el Toledano sano. Hoc est: Exustus ibi fuit liber Gallicus, remansitque ibi Toletanus illæsus. Nec dubitare nos sinunt de Roderici mente, ea quæ sequuntur: „ Sed cum rex esset magnanimus, „ & suæ voluntatis pertinax executor, nec „ miraculo territus, nec supplicatione suasus vo„ luit inclinari; sed mortis supplicia & direm„ ptionem * minitans resistentibus, præcepit, „ ut Gallicanum Officium in omnibus regni sui „ finibus servaretur. „ Miraculum igitur si quod contigit, veterem Hispanorum ritum, quem ignis non offendit, qui ignis Gallicanum, hoc est Romanum consumpserat, haud temere abrogari debere, satis indicavit. Quod cum ita scriptum ab archiepiscopo, eoque unico rei gestæ auctore sic idoneo & gravi, sequenter legerint, quid in mentem iis venerit, nondum video, ut factum aliter totoque cælo, ut dici solet, diversum referreat. C

* deceptionem

liturgia Mozarabica

267 Historia scilicet generalis Alphonsi regis X tempore scripta, de qua nuper meminimus, in utroque libro rem contigisse miram, alio tamen & alio modo disertè docet. Hispana verba interserenda sunt, quæ factum continent: Aquellos dos libros fueron puestos en la foguera, y el libro del Oficio Frances quexabase con el fuego, que se queria apegar à el, y diò entonces un salto sobre todas las llamas, y salliose de la foguera, veyendole todos, e alabaron a Dios por aquel milagro tan grande, que ay quisiera mostrar: e el libro del Officio Toledano finiò en la foguera sin todo daño, de guisa, que en ninguna cosa non le tanxò el fuego, nin le fizo mal ninguno. Manifestissimè ante oculos auctoris fuit, cum hæc scribere, Roderici Toletani Chronicon: nihil ex illius verbis relationeque prætermittit. At manifestissimè etiam textum Rodericianæ orationis aut corruptum aut male interpunctum is offendit, aut nimis indiligenter expensum, eo modo, quo minus debuit, interpretatus est. Extra flammas saltum illæsi omnino libri Rodericus Toletano non obscurè tribuit: siquidem Gallicanum igne consumptum disertè præmiserat. Neque alteri priùs debebantur adstantium conceptæ erga Deum laudes, quam miraculo intemerati ab igne, cum remansisset in medio igne, codicis. Sæc. xi. D

268 Quis enim asbestinum linum, quod, ut Plinius dicere amat lib. 9 (imo 19) cap. 1 assuescit vivere ardendo, intervenisse hic sanus dixeris? Vulgarem vitis codicem æde sacra aliqua petitum, non medicamine ullo indumentove munitum, experimento expositum fuisse, cum rei ipsius gravitas, tum ævi illius hominum sinceritas persuadet. Saltare autem rem igni suppositam, humiditate, quæ intus latet, ne calori cedat, expellente, quotidiana fere res est, admirationisque prorsus indigna. Et animadvertis tu ipse jam, ac perinde vides stupidam horum Roderici verborum interpretationem: Igne consumitur liber officii Gallicani. Quæ ille sic reddidit: E el libro Frances quexabase con el fuego, que se queria pegar a el; id est: Liber Gallicus stridebat ab insinuante se ad eum igne. Quasi non quidem flammis devoratæ, atque in favillas & cineres abeuntis, sed incendium adhuc timentis, strideque id ipsum testantis, rei consumptionem Latinè significatam iis verbis crediderit. Et tamen quia vulgaris & vernacula hæc fuit Historia, inficere valuit vitio suo posteriores alias. Chronicon apud nos creditum D. Joannis Emmanuelis, Ferdinandi Sancti, ut credo, nepotis, quod adhuc it per manus curiosorum ineditum, & quasi epitome est generalis illius Historiæ, ita habet: E saltò el del Officio Frances fuera del fuego, o finiò el del Officio Toledano muy quedo, que non llegò el fuego a el. probationem E

269 Simillimè concepta sunt noviorum, qui res nostras illustraverunt, monumenta; Joannis Mariana lib. IX, cap. XVIII; Prudentii Sandovalis in Vita Alphonsi regis VI; Gundisalvi Argote de Molina lib. 2 Nobilitatis Baticæ cap. XXXVI; Petri de Alcocer Historiæ urbis Toletanæ lib. I, cap. LXVIII. Quorum utroque librorum incolumi remanente, persuasum populo Hispano fuisse (ait Mariana) utramque precandi rationem Superis placere, atque eo temperamento rem compositam, ut in antiquis Toletanæ urbis, ubi curia tunc regia fuit, ecclesiis veteri precandi formâ retentâ, in aliis ex Romano ritu res divina procuraretur. Hæc habui ad manum, de quibus Te, vir eruditissime, tamquam de domesticis admonerem. Scis enim in talibus testimonio etiam eorum, qui aliàs fide indigni sunt, adhiberi fidem.. Expende Tu, & mei esto memor, cum eo munere ad Deum preces effuderis.. Vale. Ex hoc palatio Excellentissimorum Hispaniæ legatorum domo nunc habitationis nostræ, die III Februarii MDCLXVI. Ita Vir eruditissimus probationem Officii Gothici ac Romani, satis alioqui incredibilem & paradoxam, stabiliendam atque explanandam censuit; sed quæ affert, rem hic controversam fortiùs evincerent, si non in sola Roderici auctoritate fundarentur. revera contigisse, nititur probare. F

270 Sic itaque juxta istum auctorem tandem aliquando post tot ac tantos conatus successit Romanus precandi ritus in locum Gothici,

sed omnis pro hac re auctoritas fundatur in solo Roderico Toletano.

ci, per Castellæ ac Legionis regna, ac ceteras, quæ Alphonso VI parebant, ditionea; atque ita anno circiter 1091 secundùm dicta superiora, res tota finem habuit, dicente eodem Roderico: *Et tunc cunctis flentibus & dolentibus inolevit proverbium: Quo volunt reges, vadunt leges. Et ex tunc Gallicanum Officium tam in psalterio quam in aliis numquam ante susceptum, fuit in Hispaniis observatum: Licet*, inquit, *in aliquibus monasteriis fuerit aliquanto tempore custoditum: & etiam translatio psalterii in plurimis ecclesiis cathedralibus & monasteriis, adhuc hodie recitatur*. Itaque in ecclesiis cathedralibus & monasteriis istis, ut colligo ex Roderici verbis, non Missa antiqua Gothica tempore Roderici recitabatur; nam de hac silet, & loquitur de solo *psalterio*. Et re vera eò deventum fuit hoc seculo xi, ut vel ipse antiquus Gothicorum characterum usus fuerit abolitus; de quo nunc agendum.

A

§. VI.

Aboliti in Concilio Legionensi characteres Gothici; indultum ob Alfonso VI Mozarabibus in abrogatione sui Officii temperamentum.

In hoc concilio prater abrogationem Gothicarum litterarum,

Concilium illud *Legionense, preside Renerio S. R. E. Cardinale, & per Hispanias legato, una cum Bernardo Toletano primate, anno Adelfonsi regis* xxviii, *æra Hispanica* mcxxix, *Christi* mxci, signatur in Labbeana collectione Conciliorum tom. 10., col.482; quod Rodericus Toletanus De rebus Hispanicis lib. 6, cap. 30 aperuit his verbis: *Interfuit etiam Renerius legatus, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Ibidemque* (in Legionensi videlicet civitate Hispaniæ antiquissima) *celebrato concilio cum Bernardo Toletano primate, multa de Officiis ecclesiæ statuerunt, & etiam* * *de cetero omnes scriptores, omissâ litterâ Toletanâ, quam Gulfilas Gotthorum episcopus adinvenit, Gallicis litteris uterentur*. Ita Rodericus brevissimè; cujus synchronus Lucas Tudensis diaconus in Chronico mundi (quod tomo 4 Hispaniæ illustratæ editum est) pag. 101 paullo pluribus de isto concilio tractat, ita memorans: *In prædicta verò synodo almi sacerdotes de fide catholica colloquentes statuerunt, ut secundùm regulam B. Isidori, Hispalensis archiepiscopi, ecclesiastica Officia in Hispania regerentur. Statuerunt etiam ut scriptores de cetero Gallicam litteram scriberent, & prætermitterent Toletanam in Officiis ecclesiasticis, ut nulla esset divisio inter ministros Ecclesiæ Dei*.

B

* ut & jam

C

aliqua alia gesta referuntur

272 Eamdem quoque synodum anno prædicto 1091 illigat Mariana lib. 9, cap. 18, cum mutationibus litterarum Gothicarum; uti & Aguirrius tomo 3, pag. 298; qui in suis notis *Regulam*, inquit, *S. Isidori* de Officiis Ecclesiasticis, *ad cujus præscriptum ea administrari cautum fuit in hoc concilio, non aliam censemus, quam epistolam illam celebrem ejusdem S. Isidori Hispalensis ad Laudefredum episcopum Cordubensem; quippe in ea sanctus Doctor de omnibus & singulis officiis ecclesiasticis agit, & proprias uniuscujusque functiones exponit. Quarum disciplina & exsecutio cum jam obliterata esset aut neglecta aliquibus retro seculis in Hispania, propter irruptionem Sarracenorum, & bella assidua cum iis, in hoc concilio instaurata fuit*. Quæ postquam laudatus Cardinalis exposuisset circa ea, quæ in isto synodo de Divinis Officiis statuta sunt; mox de mutatione litterarum ista subjicit: *Praterea quod in eo decretum dicitur, ut scriptores de cetero Gallicam litteram scriberent, & prætermitterent Toletanam in Officiis ecclesiasticis; ut loquitur Lucas Tudensis, non ita accipiendum existimo, quasi nomine aut re littera Toletanæ intelligatur Officium divinum Gotthicum, & per litteram Gallicam significetur Officium divinum Romanum, quo Galli utebantur*.

D

273 *Quippe ea commutatio divini Officii Gotthici in Romanum jam fuerat decreta in concilio Burgensi anni* mlxxxv, *vel, ut aliis placet*, mlxxx, *& exsecutioni mandata in regnis Castellæ ac Legionis. Mutatio itaque primum statuta in hoc concilio Legionensi non fuit penes Officium divinum; sed solum quod litteras sive characteres; qui eousque erant Toletani, sive proprii Moz-arabum. Verum ab hoc tempore derelicti fuerunt in Officiis ecclesiastici & mutati in Gallicanos, communes fere tunc in Ecclesia. Hoc enim indicat Tudensis ipse postremis illis verbis: Ut nulla esset divisio inter ministros Ecclesiæ Dei. Hæc enim causalis omnino extra rem esset, nisi eousque in aliis regionibus libri Officiorum divinorum in choris ecclesiarum usitati, & Missalia qualibet ac Breviaria scripta essent Gotthici* * *literis; quorum exemplaria aliquot Bernardum ex concilio Tolosano paulò antè celebrato, in Hispaniam attulisse, videtur valdè probabile*.

& exponuntur;

E

* lege Gallicis

274 *Conjecturam*, ait, *nostram firmat eruditissimus vir Joannes Mabillon in tractatu aureo De re diplomatica lib.* v, *ad tabellam* xlv, *ubi sic ait: Per id tempus* (nempe Alphonsi IX, anno mclvi) *Europæi fere omnes Gallicanæ scripturæ genus, propriâ abjectâ, susceperant; nempe Angli per Willelmum Conquastorem loco Saxonicæ: Itali & Germani per imperatores stirpis Carolinæ pro Longobardica & Teutonica: Hispani pro Gotthica per Bernardum Toletanum episcopum ex monacho Gallo cœnobii Cluniacensis. Nam habito apud Legionem concilio per Renerium S. R. E. Cardinalem, ac legatum &c.* Paucula quæ circa mutationem litterarum adduntur apud Aguirrium ac Mabillonium, quæque ex Roderici Toletani lib. 6, cap. 30 desumpta sunt; ex ejusdem scriptoris textu superius citato facilè intelligi possunt; ut non sit opus ea denuo hic transcribere. Fuit itaque decretum, uti rectè observat Aguirrius, in concilio Legionensi non de ritu aut Officio ecclesiastico Mozarabico abrogando, sed de abroganda Mozarabica seu Gotthica scriptura, quâ Officia ecclesiastica exprimi à tot jam seculis consueverant in Hispania; re eousque perducta sub hac synodo, ut, sicut in ipsa liturgiæ substantia jam Hispani se conformarant Gallis seu Romanis; ita vel circa ipsos scriptos liturgiæ apices ab illis, uti & à reliquis Europæ nationibus penè omnibus amplius non dissiderent. Porro de characteribus antiquitus in Hispania usitatis nonnulla congerit laudatus Mabillonius loco citato, quò lectorem curiosum mittimus. De Ulfila paulo ante memorato satis dixi in antecessum cap. 2, § 2, ut supervacaneum foret, plura superaddere.

unde intelligitur solos, in eodem abrogatos Gothicos characteres.

F

275 Con-

A *Quanam Mozarabibus sint indulta.*

275 Causâ itaque liturgicâ cum regio imperio tum decretis ecclesiasticis ita in favorem Gallicanæ seu Romanæ decisâ; quis fuerit Mozarabicæ status, & quidnam ex illa postmodum permanserit reliquum, quod abrogatum non fuerit, sed ad sequentia usque tempora propagatum, docet nominatus suprà Ortizius fol.cxix verso his verbis: *Porro cum in urbe* (Toletana) *nuper recepta inter varias basilicarum, fanorum, aliumque sacrarum dedicationes, parochiales imprimis (quas dicunt) ecclesia regionatim constituerentur, ad quas populus eoi divinæ causâ potissimùm convenirent, suique cuivis limites per vicos domosque circumquaque præfinirentur; solis illis sex ecclesiis* (de quibus superiùs dictum est) *fines quidem nulli præstituti sunt; sed cui enique Mozarabes, illorumque posteri, ubiubi illos intra extrave urbem in agro Toletano morari contingeret, pro parochianis assignati. Quibus etiam immunitates datæ, privilegiaque irrogata minimè vulgaria. Hi igitur primùm, horumque deinde posteri suam quisque ecclesiam, sacraque gentilitia frequentabant: & interim quidem dum frequens posteritas illa fuit, sacra perinde ipsa in ecclesiis illis assidua celebriaque fuere.*

B

Rejectis ʃ° circa ea figmentis obstruuntur.

276 Sublestæ prorsus fidei sunt, quæ obtrudit pseudo-Julianus in Chronico pag. 128, dum sub Gelasio PP. II, qui sedere cœpit anno 1099, electos fuisse somniat, *qui irent Romam, Petrum Alvari, & Didacum Sanctii, filios Sanctii pincernæ Adephonsi imperatoris; cui cum assideret*, ait, *in humero dextro, vestita veste Venetica, palumba alba, dictus est Palumbanus, vulgo Palomeque, qui fuit caput illustrissimæ gentis. Abeuntibus illis Romam, interventione Joannis Cardinalis factum est, ut Papa censeerat, ut remaneret Missale Mazarabum vel Gothicum.. in septem ecclesiis Toleti, in aliis Romanum... Et reædificatæ sunt ibidem ædes Ecclesiæ, quæ erant tempore Gothorum.* Sex porro Toleti Muzarabum ecclesias perseverasse, ex certioribus habemus documentis, quam sint fabulæ istius personati chronographi; nimirum ex Roderico Toletano, qui lib. 4, cap. 1 testatur, Officium Mozarabicum viguisse suo tempore in sex parochiis Toletanis; de qua re aliàs dixi cap.4, §. 2. Itaque sive Alphonsus VI ita in suis regnis extinguere voluerit veterem ritum Gothicum seu Mozarabicum, & subrogare ipsi Romanum, ut, interposito quodam temperamento, exacerbatos haud dubie suorum subditorum præsertim Toletanorum animos, antiquorum utique rituum tenacissimos, nonnihil mitigaret; sive ut venerandæ Officii Mozarabici antiquitati aliquo etiamnum usque deferendum censeret: sacerdotes certè Mozarabes Toleti tum sub isto Alphonso rege, tum sub aliis ejusdem successoribus perseverasse, discimus ex variis instrumentis; quæ huic rei fidem concilient. E

Sec. XI.

CAPUT VII.

Privilegia Mozarabibus indulta seculis XII. XIII, XIV, XV; Eugenii PP. III contra eos epistola.

§. I.

Diploma Alphonsi VI, regis Castellæ ac Legionis; jubentur ab Eugenio PP. III obedire Archiepiscopo Toletano, & ritui Romano se conformare; alia privilegia illis concessa,



Extat Alphonsi VI diploma, in favorem Mozarabum latum; quod sic sonat: *Ego Ildefonsus Dei gratiâ, Toleti imperii rex, & sub Christi nomine magnificus triumphator, unà jugiter cum dilectissima uxore mea Elisabeth regina: A todos Mozarabes de Toledo, tam cavalleros* *, *quam pedones* *, *pacem in Christo, atque perpetuam salutem. Cum præteritis temporibus fuerint factas in Toleto multas prasquisitiones* * *super cortes* *, *& hæreditates; sic de prassuria* * *quo modo, & de compacto. Et cum tollerent inde ad illos, qui magis habebant, & darent, ad eos, quod nihil habebant, aut quod paucum habebant; nunc ego jam quæro impostea fiant ad istam causam, & nolo, ut amplius fiat. Ideo autem in mense Martio mandavi à domino Joanne Alcadi, qui præpositus imperii civitatis & juridicus judex erat, ut cum alguacil don Petro, & aliis decem ex melioribus civitatis, inter Mozarabos & Castellanos, ipsemet cum ais exquireret & æquaret; & cortes & exposetas hæreditates inter totos* * *illos, & ut quod ipse faceret, inconcussum semper & stabile permaneat* *: *quod secundùm meum imperium consultum fuit atque completum.*

C *Alphonsus VI condit hoc diploma*

* equites
* pedites
* an. perquisitiones?
* villas &c.
* molestia
* id est omnes
* permaneret

278 *Tunc ego à supradictis præsquisitoribus jugata, & eorum principalius inclinatus facio hanc cartam firmitatis ad totos ipsos Mozarabos de Toleto cavalleros, & pedones, ut firmitatem hanc semper, quantas cortes & hæreditates, sive vineas ac terras hodie in suo jure retinent, & pro nulla exquisitione non podant* * *inde quidquam, nec pro nullo rege subsequente, sive cabet medina, aut comite, vel principe militiæ, de quanto hodie pertinet, dare; & pro meo judicum vendicaverunt, atque in sempiternum; & do eis libertatem, ut quod fuerit inter eos pedes, ei* * *voluerit, & posse habuerit, ut milites, & vendendi, dandi vel possidendi, seu de possessiona sua, quoties voluerit, faciendi, liberam in Dei nomine habeat potestatem: & si inter eos fuerit ortum aliquod negotium de aliquo indicio* * *secundùm sententiam in libro judicum antiquitus constitutus discatiata, & de quanta calumnia fecerint, quantum* * *solummodo persolvant, sicut in carta Castellanorum resonat; excepto de furto, & de morte Judæi, vel Mauri, & de omni calumnia, talem eis mando habere consuetudinem, qualem & Castellani in Toleta commorantibus; & si voluerint vineas, aut alias arbores plantare, aut restaurare, illi qui fuerint pedites, decimam*

in favorem Mozarabum

F

* an. possint, Hisp. puedan?
* an. si?
* judicio.
* tantum

iade port ionem solummodo ad regale palatium persolvant.

279 *Hoc autem facio pru remedio animu meu, & parentum meorum: & ut vos omnes, quos in hac urbe semper amavi, & dilexi, seu de alienis terris ad plantandum adduxi, semper habeam fideles & oratores; ideoque absolvo vos ab omni fiste* pristina subreptionis, & præscripta libertati trado, ut ab hodierna die & deinceps, nec vos, nec filii, aut heredes vestri ab hac præscripta regula recedatis*, & in isto fora semper permaneotis ævo perempni, & per sæcula cuncta. Amen. Si quis tamen, quod fieri minimè credo, aut ego, aut aliquis homo de propinquis meis, vel extraneis, contra hoc meum factum ad irrumpendi venerit; quisquis illé fuerit, qui talia commiserit, sit excommunicatum, & Christiana fidei libertate separatum, & cum Datan & Abiron, quos terra vivos absorbit, quia mandatis Dei rebelles extiterunt, & cum Juda, Dei traditore, qui laqueo se suspendit, & sic vitam cum visceribus fudit in profundo inferni æternas pœnas luiraturus, demergantur: & hoc meum factum in cunctis plenam obtineat firmitatem. Facta autem hæc stabilitatis carta sub hera millesima sentesima trigesima aona, & nato die decimotertio Kalendas Aprilis.*

pro remedio animæ suæ &c.

* an. fuco.

* recedatis

B

280 *Hoc autem non volo prætermittere* quando mando, ut plantor vendat ad plantorem, & vicinus ad vicinum; sed non quæro ut aliquis de ipsos plantores vendant cortes, aut hæreditates à nullo comite vel potestate. Ego Ildephonsus Dei gratiâ, totius Hispaniæ imperator, quod feci conf. Elisabeth regina, quod domino meo fieri placuit conf. Raymundus, totius Galiciæ comes, regisque ger. conf. Uraca, imperatoris filia Raymundique comes uxor, conf. Kenricus Portugallensis & Colibriensis provinciæ comes, conf. Terasia, regis filia, & Henricl comitis uxor, conf. Hernandus, Toletana sedis archiepiscopus, conf. Joannes Toletanor. principalis judex atque præpositus, conf. Petrus Alvariz & medic. conf. Michael Adiz princeps Toletanæ militiæ, conf. Petrus Asuriz, comes, conf. Ferdandus Muñoz, majordomus regis, conf. Garci Alvariz, armiger regis, conf. Gomez Martinez, conf. Gutier Bermudez, conf. Joannes Ramirez conf. Gonçalo Stephanus, conf. Didago Alvariz conf. Pelagio Petriz, conf. Rodrigo Petriz, conf. Gutier Fernandez, conf. Garri Ximenez, conf. Garci Bermudez, conf. Gonzalo Ansuiriz, conf. Petrus Suariz, conf. Rodericus Ordonnez, conf. Sancio Aznariz, conf. Johane Didacus, conf. Petro Didacus, conf. Pelagio Gaidesteiz conf. Pelagius Erigis, cognomento Botaaurius, quod notavi, conf.*

cui ipse cum sua uxore, atque alii subscribit.

* prætermittere

C

281 Vides, lector, in contextu hujus regii diplomatis multos contineri barbarismos; ut de Hispanicismis hic illic intermixtis nihil dicam: unde fit, ut non vitiosa dumtaxat, sed obscura prorsus reddatur oratio. Ceterùm *ruditatem excusabis ævi illius, quo barbaris, quam barbarici extirpanda studebant magis majores nostri*, inquit in sua epistola jam à me prolata Nicolaus Antonius Hispanus; id quod hic voleas in lingua Latina, quamquam alia de causa id suprà usurparit iste auctor. Omnem textus barbariem non emendo; paucula ad marginem annotasse contentus: de aliis viderint illi, ad quos omnium vocum in isto diplomate contentorum explanatio propius pertinere videbitur. Illarum sane illustratio nihil facit ad statum ritus Mozarabici; cujus causâ hoc & sequentia diplomata referuntur ex superabundanti, ut ita loquor, ac proin satis fuerit lectori, genericam saltem ex istis instrumentis sibi ideam formare circa ea, quæ Mozarabibus olim indulta fuere à regibus Hispaniæ. Pergamus itaque ad alia, quæ hoc seculo XII gesta sunt.

Illud hic cur non explanetur.

D

282 Concilium Pussclense, celebratum prope Palentiam apud oppidum Husillos dictum, circa annum Christi 1104, notatur apud Aguirrium pag. 317; ubi inter alia, quæ ex Sandovalio producit, *quædam circa officium divinum tractata*, refert; an vero illa Officium Mozarabicum spectent, nescio. Ad rem nostram certissime facit epistola Eugenii PP. III, qui sedit ab anno Christi 1145 ad 1153, legenda apud Labbeum tom. 10, col. 1099, directa *ad clerum & populum Toletanum*, uti ibi inscribitur, hoc titulo, *ut Muzarabes Toletano archiepiscopo pareant, & in ceremoniis ab eo non dissentiant*: quam epistolam etiam exhibet Aguirrius pag. 362, & sic habet: *Inobedientiæ crimen quam grave, quantaque animadversione plectendum, creator omnium Dominus primi hominis inobedientiam puniendo, monstravit; & genus hominum in valle lacrymarum positum experitur. Significatum bene est, quod quidam, qui Muzarabes nuncupantur, venerabili fratri nostro archiepiscopo Toletano obedientiam denegantes, ecclesias de manu laicorum recipiant: & in sacramentis Missarum, & aliis divinis Officiis, tonsura quoque clericali & vestimentis; suam antiquam consuetudinem sub sequentes, ab Apostolica sede diversa sentire præsumant.*

Eugenius PP. III jubet, ut Mozarabes obediant

E

283 *Quia igitur apostolica sedi tanta est a Domino collata potestas, ut quam* pro sanis dogmatibus, fidelium moribus, dominico tempore scripsit*, hodie teneatur acceptam; & quam* illa repulit, habeatur inefficax habeatur: quanto magis quæ ob reverentiam Catholicæ fidei in sacramentis Missarum, & aliis divinis officiis instituisse dignoscitur, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorsus reverenter assumi? Universitati vestra per præsentia scripta mandamus, quatenus eos districtius moneatis, ut in sacramentis Missarum, & aliis divinis Officiis, à Catholica Ecclesia dissentire de cætero non præsumant; & memorato fratri nostro obedientiam debitam exhibeates, si in ipsius provincia remanere voluerit, ejus monita & præcepta reverenter suscipiant & observent.* Dies & annus, quibus data fuit hæc epistola, desiderantur. Interim ex ea liquet, Romanam sedem hoc etiam seculo XII, prout anteriore eam fecisse vidimus operam dedisse, ut liturgiæ Mozarabicæ ministri, quos in sex Toletanis ecclesiis remansisse diximus, suo quosque antiquo Officio ecclesiastico vacantes Romanis sese ritibus conformarent, non secus atque aliæ ecclesiæ per Castellæ, legionis, aliasque Hispaniarum ditiones extensæ.

archiepiscopo Toletano, & Romanis ritibus se conforment.

* quod

* præscripsit.

* quod

F

284 Ad præsens seculum XII spectat privilegium, Mozarabibus concessum; quod ita sonat: *Quoniam ea, quæ à regibus & terrarum principibus instituuntur, semper firmantur, nec* temporum diuturnitate oblivioni tradantur: Idcirco ego Ildefonsus Dei gratia rex Castellæ, & Toleti, una cum uxore mea Alienor regina, quia vos promptissimos, & fideles in servitiis meis inveni, facio cartam libertatis, absolutionis & stabilitatis vobis toti Toletano concilio, præsenti & futuro, in perpetuum valiturum. Dono & concedo omnibus Toleti militibus ex totius termini, sive præsentibus*

Privilegium Mozarabibus datum

* ne

&

A *& futuris, quod de omnibus hæreditatibus, quas habent in Toleto, unt in aliquo parte termini sui, vel de cetero habuerit* *, *nullum decimam, nec forum aliquod regi, vel domino terræ, nec alicui alii unquam persolvant : & quicumque de manibus eorum hæreditates ipsorum excolunt, de fructibus inde perceptis nullam decimam tribuunt; sed prædicti milites cum omnibus hæreditatibus suis liberi, & immunes ab omni regali, alioque gravamine & exactione per secula cuncta permaneant; & cetero de ornamento privilegii*. Desideratur nota temporis.

* habuerint

ab Alphonso Castellano

285 Verùm ad quæ circiter tempora illud instrumentum pertineat, colligere licet ex aliis Alphonsi & uxoris ejus Alienoris nomine notatis, ab anno 1173, usque ad 1213, prout videre est apud Bergauam in Appendice sect. 5, à pag. 461, In Chronologia S. Ferdinandi, regis Castellæ & Legionis, quæ per annos dominicæ Incarnationis extenditur apud nos tom. VII Maii, à pag. 294, ita dicitur: MCLXX *Alfonsus Castellanus annos XV natus uxorem ducit Alienoram, filiam Henrici II, regis Angliæ & Alienoræ, ex Guillelmo ultimo Aquitaniæ duce natæ*. Porro per dictum privilegium videtur tolli onus illud solvendæ decimæ partis, in superiore Alphonsi VI diplomate Mozarabibus B impositum his verbis: *Talem eis mando habere consuetudinem &c.*; atque adeo videtur hoc privilegium extendi ad Mozarabes. Certè illud inter alia eis indulta continetur: atque ideo & illud ego hic produxi; post quod sequitur aliud privilegium hujus tenoris:

Una cum alio quod ab eodem rege latum fuit.

286 *Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Ildefonsus Dei gratia, rex Castellæ & Toleti, vidi privilegium illud, quod rex Ildefonsus proavus meus felicis memoriæ, olim Toletanis civibus fecerat, in quo continebatur, quod quicumque morarentur in Toleto, ibidem in civitate & militia faciendo secundùm forum Toleti, essent excusati, & absoluti ab omni alia pecto* *, *& facendera in toto regno suo. Ego itaque prædictus rex Aldephonsus, volens prædecessorum meorum facta rata esse, & firma, unà cum uxore mea Alienore, regina, & cum filio meo Ferrando, facio cartam libertatis, & absolutionis vobis, toti concilio Toletano, præsenti & futuro, mandans firmiter ac præcipiens, quod quicumque in Toleto morati fuerint, ibidemque in civitate & militia secundùm forum Toleti fe-* C *cerint de hæreditatibus suis, quas in toto regno meo habuerint, nullam faciant postam, vel facenderam, seu pectum aliquod, scilicet pro vicinitate & facendu, atque militia Toleti, sint excusati in omnibus aliis villis regni mei: & reliquo de ornamento*.

* solutione

287 Interseratur collectioni istorum diplomatum digressio paeva intercalaris, quæ ad præsens seculum non spectat, & habetur apud Honoratum à S. Maria, Carmelitam excalceatum, operis Gallici supra citati de regulis & usu critices tom. 3, lib. 5, dissertat. 3, pag. 208: ubi refert, quod versus annum 1172 Jacob Almansor; rex Marocanus, duxerit Mozarabes ex Hispania, ut suæ personæ custodiendæ præessent, quod ecclesiam eis ædificari jusserit; quod vivere eis permiserit in sua religione; Missæque & Officio divino interesse more suo. Quæ ex laudati scriptoris fide hic damus; cum nullum citet auctorem. Nunc iterum diplomata resumamus.

Favores à rege Marocano Mozarabibus concessi.

§. II.

Alia quædam ab regibus Alphonso Castellano, & S. Ferdinando indulta Mozarabibus privilegia.

Præsentibus & futuris notum sit ac manifestum, quod ego Aldefonsus Dei gratiâ, rex Castellæ & Toleti, una cum uxore mea Alienore regina, & cum filio meo Ferrando, libero animo, & voluntate spontanea facio cartam donationis, concessionis & stabilitatis, vobis universo concilio Toletano præsenti & futuro, perenniter duraturam. Dono itaque vobis, & concedo illum mesonem * *in Toleto, ubi venditur triticum, ut eum habeatis in perpetuum, & accipiatis semper omnes mediduras* *, *atque directuras* *, *quæ in eodem mesone evenerint, de omni tritico, quod ibidem venderetur, ita quod quantum accipiatis de illis mediduris & directuris, expendatis in illis, quæ necessaria fuerint cura* * *commune utilitate totius concilii Toletani: & quod inde superfuerit de mediduris illis, & directuris, deductis prædictis expensis, detis & expendatis in opere murorum de Toleto. ideo tamen hoc duximus vobis concedendum, quod dominus archiepiscopus, & canonici ecclesiæ Toletanæ sedis percipiant semper decimam de omnibus illis mediduris, & directuris, quæ evenerint in illo prædicto mesone: & cetera de ornamentis*. E

Charta donationis Alphonsi Castellani in favorem Mozarabum.

* domus est vel taberna.

* mensuras.

* an. jura, Hisp. derechos.

* circa communem.

289 *Per præsens scriptum notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Aldefonsus Dei gratiâ, rex Castellæ & Toleti, unà cum uxore mea Alienore regina, & cum filiis meis Ferrando & Henrico, concedo & confirmo concilio Toletano (sic proavus meus rex Aldefonsus bonæ memoriæ) quod omnes villæ, quæ sunt in termino Toleti, & aldeæ, sive sint meæ, sive de aposhaca meu, sive domini archiepiscopi Toletani, sive ecclesiæ sanctæ Mariæ, sive Solva-Torræ, sive hospitalis, sive ordinis de villis* * *sive militis, sive cujusque hominis, facenderam faciant in civitate Toleti; sic faciant cives hujus civitatis. Tamen excipimus ab hac generalitate illescas, quæ fuit propria hæreditas imperatoris, & Vimos, & Ocaniam, & Moltubam* * *cum suo termino, qui nunquam hoc fecit ille ruptam de villis domini archiepiscopi, & aldeis ecclesiæ sanctæ Mariæ. Mandamus igitur, quod postam & facenderam (quam suprà diximus) illos debere facere cum civibus Toletanis, faciant eam non per manum eorum, sed per manum hominis domini archiepiscopi, qui colligat, & det eam alcaldibus Toleti*. F

& archiepiscopi

* Ms. Ucles

* Ms. Montalvam

290 *Non enim volumus, quod alcaldes vel cives Toletani habeant aliquam potestatem vel aliquam præeminentiam super homines archiepiscopi, & ecclesiæ sanctæ Mariæ: & cum ista pecta, quam faciant civibus Toletanis, sint liberi & immunes ab omni pecta, & facendera regis. Et si ego vel filius meus, aut aliquis de genere meo voluerit aliam pectam, vel aliam facenderam habere de hominibus supradictis domini archiepiscopi, & ecclesiæ sanctæ Mariæ, non teneantur aliquam pectam, vel facenderam facere cum civibus Toletanis: & cetera spectantia ad ornamentum privilegii*.

Toletani.

Sec. XIII. Aliud privilegium

291 *Per præsens scriptum sit notum omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Aldefonsus Dei gratiâ rex Castellæ & Toleti, unà cum uxore mea Alienore regina, & cum filiis meis Ferranda, & Henrico, attendens damnum civitatis Toletanæ, & detrimentum, quodquod inde eveniebat terræ, statui cum bonis hominibus de Toleto, quod nullus homo de Toleto, sive vir sive mulier possit dare vel vendere hæreditatem suam alicui ordini, excepto, si voluerit eam dare vel vendere sanctæ Mariæ de Toleto, quia est sedes civitatis; sed de suo mobili det quantum voluerit, secundùm suum forum**: *& orda, qui eam acceperit datam vel venditam, amittat eam; & qui eam vendiderit, amittat morbidas, & habeant eos consanguinei sui propinquiores. Ego tamen cum concilio condonavi domino Gunsalvo Perez de Turrecremata, & suis cognatis Petro Armillez de Portugal, & Sancha Perez de Fonte Almerir, quod hæreditatem suam, & mobile conferant cui suæ fecerit voluntati: illud scilicet quod hodie habeat; condonavi, inquam, illud eis, & filiis suis, & suis nepotibus.*

* legem vel consuetudinem

B

cum confirmatione suprascriptorum a S. Ferdinando facta.

292 *Concedimus etiam quod illud, quod domna Luna ante istam institutionem concessit Burgensi monasterio sanctæ Mariæ Regalis, cum suis directaris, valeat. Miles autem de alia parte, qui hæreditatem habeat in Toleto, vel habuerit, faciat ibi in civitate cum suis vicinis; alioquin amittat illam, & conferat illam rex cuicumque voluerit, qui pro ea faciat in civitate: & cetera de ornamento privilegii. Suprascripta igitur privilegia, & omnia, quæ in eisdem continentur, ego rex Ferrandus, superius nominatus, vobis concedo, corroboro, & confirmo; nec non statuo observari irrevocabiliter in ævum. Si quis verò hanc meæ concessionis paginam infringere, seu in aliquo diminuere præsumpserit, iram Dei omnipotentis plenariè incurrat, & cum Juda Domini proditore pœnas sustineat infernales, & regi parti mille auros in choto** *persolvat; quodque præsumpserit, effectu careat, & damnum quod vobis super hoc intulerit, restituat duplicatum. Facta carta apud Matritum vigesima primo die Januarii, era millesima, ducentesima sexagesima, anno regis quinta. Et ego rex Ferrandus supradictus hanc cartam, quam fieri jussi, manu ipsa roboro & confirmo.*

* an. quoto?

C

Idem sanctus rex confirmat privilegia

293 *Ego Ferdinandus Dei gratia, rex Castellæ & Toleti, cupiens progenitorum meorum vestigiis inhærere, & eos in meis actibus, prout potero, imitari; volensque libertates, & laudabiles consuetudines confirmare, quas ipsi suis fidelibus contulere, una cum uxore mea doña Beatrice regina, & cum filio meo Alfonso, ex assensu & beneplacito domina Berengariæ reginæ, genitricis meæ, facio cartam concessionis, robarationis, confirmationis & stabilitatis vobis concilio Toletano, militibus, civibus tam Mostarabis, quam Castellanis, seu Francis, præsentibus & futuris perpetuo valituram. Concedo itaque vobis & confirmo totum quantum in istis subscriptis privilegiis, quæ à nostris progenitoribus vestri prædecessores impetrarunt de vestra libertate, & quo modo continetur: tenorem quarum transcribi feci verba ad verbum sub una pagina in hunc modum: Sub imperio almæ & individuæ Trinitatis, Patris videlicet, & Filii, & Spiritus sancti, unius quidem omnipotentis Dei, hoc pactum, renovatum, & fœdus firmissimum jussit renovare & confirmare venerabilis rex Adelfonsus, Raimundi filius ad omnes cives Toletanos, Castellanos, Mostarabes, Francos propter fidelitatem, & æqualitatem illorum, & illos privilegias, quos dederat illis avus suus Adefonsus rex (det illi Deus optimam requiem) melioravit & confirmavit per amorem Dei, & remissionem omnium peccatorum suorum.*

D

294 *Sic verò & omnia judicia eorum, secundùm librum judicum, sint judicata coram decem ex nobilissimis & sapientissimis eorum, qui sedeant semper cum judice civitatis ad examinanda judicia populorum, & ut præcedant omnes in testimoniis in universo regno illius. Similiter & omnes clerici, qui nocte & die pro se, & omnibus Christianis omnipotentem Deum exorant, habeant absolutas suas hæreditates in reddendis decimis. Sic verò dedit libertatem militibus à portatico de cavallis & mulis in civitate Toleto. Et si quis captivus Christianus exierit in captivo Mauro, non det portaticum, & quantum dederit rex militibus Toleti de muneribus, sive proficiis, sit divisum inter illos, scilicet Castellanos & Gallecos & Mocaraves, quomodo fuerint in una uni ab aliis, & quod ideo sint pignorati tam milites, quam ceteri cives Toletani in universo regno illius: quod si aliquis ausus fuerit unum ex illis in omnibus regionibus suis pignorare, duplet pignora illa, & solvat regi sexaginta solidos: adhuc autem & militer illorum non faciant ananbdam, nisi uno fossato in anno: & qui remanserit ab illo fossato sine veridica excusatione, solvat regi decem solidos: & qui ex illis obierit, & equum aut loricam, aut aliquas armas regis tenuerit, hæreditant omnia filii sui, sive sui propinqui; & remaneant cum matre sua honorati & liberi in honore patris illorum, donec valeant equitare.*

alias

295 *Nam etsi solam uxorem relinqueret, sit honorata in honore mariti sui. Sic quoque & qui inter civitatis, aut foras in villis in solaribus suis commoraverit, & contentiones & jurgia inter illas eciderit; omnes calumniæ ipsorum sint suorum: si quis verò ex illis in Francia aut in Castella, sive ad Gallitiam, seu quacumque terra ire voluerit, relinquat cavallerum in doma sua, qui pro ea serviat infra tantum, & vadat cum Dei benedictione. Et quicumque cum uxore sua ad suas hæreditates ultra Serram ire voluerit, relinquat cavallerum in domo sua, & vadat in Octobrio, & veniat in primo Madio. Sed si ad hoc tamen non venerit & veridicam excusationem non habuerit, solvat regi sexaginta solidos. Si verò uxorem non levaverit, non relinquat cum ea cavallerum. Tamen ad hoc placitum veniat: similiter & agricolæ & vinearum cultores reddant de tritico, & ordeo, ac vinearum partibus decimam partem regi, non plus; & sint electi ad scribendam decimam hanc homines fideles, Dominique amicos mercedem regis accipientes, & quod sint adducti in tempore triturarum mensium ad horrea regis, & in tempore vindemiarum, ad torcularia ejus, & accepta de eis cum veridica & æquali mensura videntibus duobus vel tribus de filibus** *civitatis: & ii, qui hanc decimam regi solvunt, non sit super eos aliquod servitium, ad faciendum super bestias illorum.*

concessa;

F

* Ms. fidelibus

296 *Non servant** *nec susatoria, nec vigilia in civitate, nec in castello; sed sint honorati & liberi, & ab omnibus faceribus imperatis: & quisquis ex illis equitam** *voluerit in quibusdam temporibus, equitet, & intret in mores militum: nam & quicumque habuerit hæreditatem juxta flumen de fluminibus Toleti, & in ipso flumine mo-*

quæ hic

* forte serveant

* Ms. equitare

ley-

A lendinum, aut vaceat, sive pisquerам ædificare quæsierit, faciet sine ullo timore: nec non & habeant ipsi, & filii sui, & hæredes eorum omnes hæreditates suas fixas & stabiles in perpetuum: & quod vendant & emant unum ab alteris, & donent ad quem quæsierint, & unusque faciat in sua hæreditate secundum suam voluntatem. Sic vero avus suus (det illi Deus requiem) abstulit aliquam hæreditatem uni eorum per iram aut per injustitiam, absque culpa palatina, quod in ea sit reversus: & item qui hæreditates in quacumque terra imperii illius habuerit, jussit, ut saiones non intrent in eas, nec majorinos, sed sint in pace per amorem populationis illius in Toleto: nam & cum Dei adjutorio de quantis civitatibus Maurorum, ut habeant fiduciam accipere, ut & illi, qui de ipsis civitatibus fuerint, ibunt recuperare hæreditates suas, & quod vendicent eas de Toleto cum moratoribus Toleti: sic quoque & illi, qui ultra Serram sunt, si aliquod judicium habeat, cum aliquo Toletano, quod veniat ad medianetum in Calatalifa, ibi se judicent sanctorum patrum obedire, & implere præcepta.

B
singulatim

297 Jussit (amplificet Deus regnum ipsius) ut nullus Judæus, nullus nuper renatus habet mandamentum super ullum Christianum in Toleto nec in suo tristorio. De cætero vero si aliquis homo acciderit in homicidium, aut in aliquem laborem absque sua voluntate, & probatum fuerit per veridicas testimonias si fidei jusserem non habuerit, non feratur alicubi extra Toletum, sed tantùm in Toletano carcere trudatur S. de Alfada, & non solvat nisi quintam partem calumniæ, non plus. Quod si aliquis aliquem hominem occiderit intra Toletum aut foras, infra quinque milliarios in circuitu ejus, morte turpissima lapidibus moriatur. Qui verò de occisione Christiani, vel Mauri, sive Judæi per suspicionem accusatus fuerit, nec fuerint super eum veridicas fidelesque testimonias, judicet eum per librum judicum. Si quis ergo cum aliquo fruto * probatus fuerit, totam calumniam secundùm librum judicum solvat. Sic vero & si peccato impediente aliquis homo cogitaverit aliquam traditionem in civitate aut in castello, & discoopertum fuerit per fidelissimas testimonias, ipse solus pateat malum, aut exilium: si verò fugerit, & inventus non fuerit, portionem suam de toto suo habere regi accipiant, & remaneat uxor sua cum filiis suis in portione sua intra civitatis, & foras sine ullo impedimento.

* Ms. furto

C
enumerantur.

298 Hoc judicium dedit nobilissimus rex Alfonsus Raymundi, die, qua hoc privilegium confirmavit, & jussit, ut nullus pausaterus descendat in una ex domibus Toletanorum intus civitatis, nec in villis suis. Et si mulier ex mulieribus eorum vidua fuerit, aut virgo; non sit data ad maritum invitus, nec per se, neque per aliquam potentem personam. Similiter & nullus erit ausus rapere mulierem de mulieribus eorum, mala si fuerit, aut bona, nec in civitate, nec in via, nec in villa. Et qui unam ex illis rapuerit, morte moriatur in loco. Sic etiam honorem Christianorum confirmavit, ut Maurus & Judæus si habuerit judicium cum Christiano, quod ad judicem Christianorum veniat ad judicium, & quod nulla arma, nec ullum cavallum de sella exeant de Toleto ad trans Maurorum. Et placuit ei, ut civitas Toleti non esset præstamo, nec sit in ea dominator, præter eum, neque vir, neque femina, & in tempore ætatis succurrat Toletum defendere ab hominibus volentibus eam opprimere, sive sint Christiani, sive Mauri: & jussit, ut nulla persona habeat hæreditatem in Toleto, nisi qui moravit in ea cum filiis suis, & uxore sua, & fabricatis muris constet semper de commodis & utilitatibus Toleti. Sic antea erat in tempore avi sui Adefonsi regis (sit ei beata requies.) Si aliquis Castellanus ad suum forum ire voluerit, vadat. Insuper hoc totum exaltet Dominus imperium suum: dimisit illis omnia peccata, quæ accidere de occisione Judæorum, & de rebus illorum, & de totis pesquisitionibus * tam majoribus, quam minoribus: & cætera, quæ spectant ad ornamenta privilegii.

Sec. XIII.
D

* in Ms. perquisitionibus

§. III.

Diplomata Alphonsi Sapientis.

Duo diplomata

INter privilegia Mozarabibus concessa referuntur variæ aliæ immunitates, seu indultorum à variis hactenus Hispaniæ regibus obtentorum confirmationes; quæ ex lingua Hispanica sic sonant: Notum sit omnibus hominibus, qui cartam hanc viderint, quomodo ego D. Alfonsus, Dei gratiá rex Castellæ, Toleti, Legionis, Galeciæ, Hispalis, Cordubæ, Murcia, & Giennæ, quando veni Toletum, ut facerem ibi meas cortes, venerunt ad me equites, & boni homines concilii Toletani, & monstrarunt mihi sua privilegia bonorum fororum, & favorum & immunitatum, quæ ipsis rex D. Alfonsus, & rex D. Alfonsus Raymundus, ac rex D. Alfonsus meus proavus fecere, & confirmata sunt à rege Ferdinando meo Patre; ac petierunt à me favorem, ut ego illa ipsis concederem ac confirmarem: & privilegia erant facta hoc modo: Ut facta regum ac principum memoria, quæ digna sunt, assequantur. Vacat. Et sequitur: Ego Ferdinandus Dei gratia, rex Castellæ & Toleti, cupiens progenitorum meorum vestigiis inhærere, & eos in meis actibus, prout potero, imitari &c., quæ proximè jam dedimus. Tum sequebatur aliud privilegium hoc exordio: Quoniam ea quæ a regibus, & terrarum principibus instituuntur &c. Tum illud: Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Ildefonsus &c. Item: Præsentibus & futuris notum sit ac manifestum. Et aliud: Per præsens scriptum notum sit omnibus &c. Illud denique cujus, initium est: Per præsens scriptum sit notum omnibus &c. quæ ordine temporis nos suprà pleniùs produximus.

E

F
ab Alphonso Sapiente data

300 Quibus privilegiis omnibus ita exhibitis ac recensitis, subduntur sequentia, quæ ex Hispanico ita sonant: Et ego supradictus rex Alfonsus regnans unà cum regina D. Violante, mea uxore, & cum mea filia infante D. Berengaria, in Castella, in Toleto, in Legione, in Gallecia, in Hispali, in Corduba, in Murcia, in Glenna, in Biatia, in Vallisoleto, & in Algarbia; Propter affinitatem, quam mecum habent Toletani, majorem quàm omnes homines alii meorum regnorum, & quia sapientis est, illis benefacere, & favere, atque illos promovere; concedo privilegia suprà dicta & confirmo, & mando, ut nemo audeat contraire isti meo privilegio in ulla re: & qui hoc fecerit, iram Dei incurrat, & cum Juda traditore descendat in fundum inferni, atque insuper solvant mihi quotam supradictam, & illis totum damnum duplicatum. Facta charta in Toleto, per mandatum regis; duobus diebus elapsis mensis Martii, æra millesima ducentesima nonage-

sima

Sæc. XI. *sima primo* (quæ concurrit cum æræ vulgaris anno 1253) *D. Alphonsus de Molina conf. D. Federicus conf D. Gutierre conf. D. Manuel conf. D. Philippus electus Hispalensis conf. D. Sancius electus Toletanus conf. D. Joannes archiepiscopus S. Jacobi conf. D. Abaddillo Abennocer rex granatæ, vassallus regis, conf. D. Mahomat Abenmahomat rex Murciæ, regis vassallus, conf.*

301 Et sequuntur plura nomina eorum, qui dictam chartam confirmarunt, & additur in fine: *Albar Garcia de Fromesta eam scripsit anno secundo, quo rex D. Alfonsus regnavit*, Alphonsus utique cognomento Sapiens, S. Ferdinandi regis Castellæ & Legionis filius, qui anno 1252 mortuo patri successit; vita functus anno 1284, secundùm Chronologiam Ferdinandeam loco citato, pag. 296; ubi etiam notantur hæc: MCCXLV *Alfonsus Sancti primogenitus, uxorem ducit Violantem, filiam Jacobi Aragonii, Vallisoleti mense Novembri*. Schema genealogicum regum Castellæ ac Legionis, quatenus ad S. Ferdinandi historiam, atque adeo ad reges superius in diplomate Alphonsi Sapientis designatos pertinet, habes apud nos die XXX Maii pag. 293. *Prædicta verò privilegia*, sicut subjungitur ad calcem diplomatis Alphonsi Sapientis, quod ultimo loco mox recitavi, *latinè* * *scripta, desumpta fuerunt ex veris originalibus, mihi notario infrascripto traditis & consignatis per dominum Alfonsum Fernandez à Castro, scribam regalem, locum scribæ majoris concilii Toletani tenentem, anno à nativitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, die verò decimo nona mensis Aprilis.*

data

A

B

* Ms. latiniter

302 *Suntque verò realiter & fideliter transcripta, & per me correcta, ut in originalibus reperi; & hoc Toleti, anno, mense, & die, quibus suprà; præsentibus ad eorum correctionem dominis doctoribus Ildephonso à Narbona, & Eugenio à Narbona, clerico presbytero, Toletanis testibus ad præmissa vocatis specialiter, atque rogatis. Et quia ego Ludovicus Trevinus, presbyter, notarius Apostolicus Toletanus, in archivo Romanæ curiæ descriptus, sanctique Officii inquisitionis negotiis assignatus, præmissis interfui; ideo hoc transsumptum, propria & aliena manu descriptum, transcripsi, desumique feci, rogatus & requisitus, in testimonium veritatis. Ludovicus Trevinus notarius Apostolicus*. Post hæc mox sequitur aliud laudati Alphonsi Sapientis diploma, ex Hispanico idiomate Latinè translatum:

C

Ex Hispanico

303 *Sicut reges tenentur facere justitiam, & debent dare malum illis, qui illud fecerint, & ipsis propter illud inferre pœnam, secundùm meritum; sic tenentur dare bonam compensationem bonis, qui legitimè sibi servierunt. Et ideo Nos D. Alphonsus Dei gratiâ rex Castellæ, Toleti, Legionis, Galeciæ, Hispalis, Cordubæ, Murciæ, & Giennæ, unà cum regina D. Violante, uxore meo; & cum nostro filio infante D. Ferdinando primo & herede, & cum nostro filio infante D. Sancio, cognoscendo quomodo equites, ac nobiles nobilis civitatis Toletanæ, servierint semper illis, qui sunt ex genere nostro, in propagando & custodiendo illis Toletum; & jussis parendo & obediendo in rebus omnibus, ac Nobis, & antequam regnaremus, & postquam regnamus; & fecerunt id, quod Nos mandavimus & æqui boniqua consuluimus: & propter natura indolem, quam eos potissimum habere cognosco; quia nati sumus in Toleto: ut illis favorem faciam & gratiam: propter omnes istas causas supradictas damus & concedimus in perpetuum, ut omnes equites, & dominæ, & scutiferi nobiles, omnesque qui ex illis descenderint, qui sunt, & qui fuerint habitatores in nobili civitate Toletana, sint liberi à moneta in perpetuum; ut eam non dent. Atque etiam illis damus, & illis concedimus, ut hereditates, quas habent vel habuerint in Toleto, aut in ejus termino, ita in quantitate pensionis tributariæ annotentur, sicut annotantur hereditates, quas equites nobiles habent in Castella.*

D

translata

304 *Et prohibemus, ut nemo audeat illas capere in illo consuetudine* * *per vim; neque injuriam aut malum inferat. Et si aliquis hoc fecerit; mandamus, ut illud solvat, sicut illud solvunt equitibus nobilibus in Castello. Et similiter, ut fiat favor & gratia equitibus Mozarabibus Toletanis, qui directè descendunt à Mozarabum genere, quod gladio cinxerunt illi, qui ex genere meo sunt, vel divites eorum viri honorati, qui pro tempore fuerunt; aut similiter nos vel nostri viri divites faceremus aut fecerimus; vel quos nostri generis reges, qui venerint, ipsi post nos, aut viri eorum divites imposterum fecerint; illis, qui hac linea directè descenderint, concedimus, ut habeant eamdem istam liberationem à moneta, quam concedimus istis aliis equitibus supradictis. Et mandamus ac prohibemus firmiter, ut nemo audeat contraire isti nostro privilegio istius nostræ donationis, neque illud infringat, neque diminuat in ulla re. Et quisquis illud fecerit, incurret nostram iram, & solvere debebit in quantitate decem mille Maravedisos, & illis totum damnum duplicatum. Atque ut ista liberatio, & ista gratia supradicta sit firma & stabilis in perpetuum, mandamus muniri istud nostrum privilegium sigillo nostro aureo. Facta charta in Toleto, de mandato regis, die dominica vigesima sexto die elapsa mensis Januarii, æra millesima ducentesimo nonagesima septima* (id est, anno æræ vulgaris 1259.)

* ita Hispanicum conducho vertendum censui.

E

305 *Et nos rex supradictus D. Alfonsus, unà regnans cum regina D. Violante, mea uxore, & cum nostro filio infante D. Ferdinando primo, & harede; & cum nostro filio infante D. Sancio, in Castella, in Toleto, in Legione, in Galecia, in Hispali, in Corduba, in Murcia, in Gienno &c. istud Privilegium illis concedimus & illis confirmamus. D. Sancius, electus Toletanus, cancellarius major regis, conf. D. Alphonsus de Molina, conf.* Et sequebatur catalogus bene longus aliarum personarum, quæ prædictam chartam confirmarunt. Quam *Garcius Martinez de Segovia* se *scripsisse* testatur *anno septimo, quo rex D. Alfonsus regnavit.*

producuntur.

F

§. IV.

Aliorum Regum Hispaniæ diplomata sæculi XIV & XV, *quibus Mozarabum privilegia confirmantur.*

Petrus Crudelis.

PEtrus cognomento Crudelis, anno 1350 Alphonsum XI patrem in regnis Castellæ ac Legionis subsecutus, diploma quoque in favorem Mozarabum condidit; quod ex Hispanico Latinum facio: *Sciant omnes, qui hanc chartam viderint, quomodo Ego D. Petrus, Dei gratiâ rex Castellæ, Toleti, Legionis, Galleciæ, Hispalis, Cordubæ, Murciæ, Giennæ, Algorbiæ, Algezira, & dominus Moliua, vidi unam privilegium*

regis

A

regis D. Alfonsi, qui vicit Toletum, litterâ Gothicâ scriptum in pergameno coriaceo, factum hoc modo: " *Ego Ildefonsus Dei gratiâ*, *Toleti* ,, *imperii rex, & sub Christi nomine magnificus triumphator, unà jugiter cum dilectissima* ,, *uxore mea Elisabeth regina: A todos Mozarabes de Toleto, tam cavalleros, quam pe-* ,, *dones* ,, *&c. Et nunc equites ac nobiles, & homines boni, communitatis Toletanæ, miserunt, qui à me peterent gratiam, ut æqui boniqua consulerem, illis confirmare istud privilegium, & permisi, ut mandaretur conservari. Et Ego supradictus rex D. Petrus, ad faciendum ipsis favorem & gratiam; & quia est mea voluntas, ut (subsistant) favores & gratiæ, quas ipsis fecerunt reges, è quibus ego provenio, permisi, ut illæ conservarentur, & promoverentur, propter multa servitia, & bona, quæ illi semper fecerunt supradictis regibus, & mihi; quæque mihi faciunt quotidie.*

Alphonsi VI diploma confirmat;

307 *Ratum habeo, & confirmo illis dictum privilegium, & mando, ut illis valeat, & illis observetur in omni bono, & completè in perpetuum, secundùm quod in illo continetur. Et*

B

prohibeo firmiter, ne aliquis aut aliqui audeant contraire illis, aut eo contra illud progredi, ut illud infringant, aut diminuant in aliqua re ex illis, quæ in illo continentur ullo modo. Et quicumque vel qualescumque, qui id fecerint, incurrent meam iram, & præterea mihi solvent, dobuatque in pœnam mille maravedisos istius monetæ, quæ nunc est in usu; atque Toletanis supradictis, aut qui eorum vocem habuerit, omnia damna & præjudicia, quæ inde receperint, duplicata; & præterea illos aut illum, qui fuerint, conveniam propter illud. Atque ut istud sit firmum & stabile, mandavi illis inde dari istam chartam, sigillatam nostro sigillo plumbeo. Data in cortibus Vallisoletanis, die vigesima quinta Octobris, aerâ millesimâ trecentesimâ octogesimâ nonâ (anno Christi 1351) *Ego Joannes Gonçalez illam scribi curavi. De mandato Regis. Ruy Fernandez Vargas. Joannes Gonçalez.*

uti & faciunt alii reges;

308 Henricus II antecessorum regum vestigiis inhærens, dicta Mozarabum privilegia confirmat: nam Joannes I, ejus filius, testatus, se vidisse privilegium, à suo patre Henrico datum; qui ubi protulisset privilegium

C

Alphonsi VI (in quo tamen hic, pro *decimo tertio Kalendas Aprilis*, notatur *decimo tertio Idus Aprilis*) sæpius jam supra memoratum, habuit illud ratum ac confirmavit per chartam, quæ signatur *Data in curtibus Toletanis*, die xx *Septembris*, *aerâ millesimâ quadringentesimâ nonâ*. Quæ omnia prædictus rex Joannes refert & confirmat similiter in sua charta, *Data in valde nobili civitate Burgensi*, *die* xxx *Septembris*, *aerâ millesimâ quadringentesimâ decima septimâ*, anno Christi 1379; atque inserta sunt collectioni privilegiorum Mozarabum, de qua dicam inferius.

quos inter Ferdinandus & Elisabeth

309 Ferdinandus & Elisabeth regia sua auctoritate sæpe nominata Mozarabum privilegia amplissimo diplomate corroborare & promovere etiam voluere; è quo, omissis Regis ac Reginæ titulis, qui privilegium condunt, atque nominibus ministrorum justitiæ, ad quos illud inspiciendum dirigitur, & qui ibidem exprimuntur, prætermissis, excerpo sequentia, quæ immunitates Mozarabum magis determinatè, distinctè atque in individuo commemorant. Sic itaque illud privilegium ex Hispanico Latinè reddo: *D. Ferdinandus & D. Elisabeth, Dei gratiâ rex & regina Castellæ Legionis &c. conciliis &c. Salus & gratia.*

majorum fu... rum

310 *Sciatis, quod clerici, pastores & beneficiati ecclesiarum Mozarabum dictæ civitatis Toletanæ, nobis fecerint relationem per suam petitionem, dicendo: Quod illustres reges gloriosæ memoriæ, nostri antecessores, ex valde magna devotione, quam habuerunt erga dictas ecclesias, & Officium Mozarabicum, illas decoraverint & honoraverint, uti & pastores ac beneficiatos atque parochianos earum, valde magnis privilegiis, libertatibus & exemptionibus; quas hac usque dicunt, sibi fuisse conservatas; & specialiter, quod nemo eorum, qui erant, & sunt parochiani dictarum ecclesiarum Mozarabicarum, aut quarum umque ex illis, solveret exactiones, vel monetas; neque immatriculati essent in ulla ex civitatibus, villis, aut locis istorum nostrorum regnorum & dominiorum, ubicumque vixerint & habitaverint, ita ut omnes decimæ horum parochianorum talium (posito quod viverent in dicta civitate Toletana) dispersæ & diffusæ per quamlibet parochiarum Castellanarum, aut extra illam, redirent &*

E

redeant ad ecclesias aut ecclesiam Mozarabicam, cujas fuerit iste talis parochianus.

vestigiis

311 *Et dicunt, quod nunc in aliquibus dictarum villarum aut locorum, istorum nostrorum regnorum, malitiosè & indebitè, atque ut inferatur eis omne malum & damnum, patiantur molestiam, & immatriculati fiat; quodque dictarum exactionum & monetarum (præfecti) petant à dictis parochianis; ut sibi solvant dictas exactiones & monetas: ac similiter dicunt, quod justitiæ administri dictarum villarum & locorum, eos ad illud cogant: quod esse dicunt, contra tenorem ac formam dictorum privilegiorum; (&) ex quo dicunt resultare magnum detrimentum divini cultus, & servitii sui; dictumque Officium Mozarabicum magnam pati diminutionem: quia dicunt, quod servi, & administratores, adimendo sibi decimas, quibus se sustentant, essent compulsi ad illud relinquendum. Et dicunt, quod, quia dictos parochianos jubent solvere dictas exactiones & monetas, eosque ideo fatigant viis diversis; dicti parochiani desinant dare decimas dictis ecclesiis Mozarabibus; & dent illas aliis parochiis territoriorum, ubi vivunt: in quo dicunt, si hoc ita transiret, quod ipsi afficerentur magno gravamine, & damno.*

presse

312 *Hinc nobis supplicabant, & petebant pro gratia circa illud, cum remedio justitiæ, ut mandassemus ipsis provideri, mandando ipsis dari nostram chartam, ut in omnibus dicta privilegia ita*

F

data & concessa in dictis ecclesiis Mozarabicis per dictus reges, nostros antecessores, sibi essent conservata & adimpleta; & quemadmodum fuisset nostra gratia. Et Nos ratum illud habuimus: quia vobis omnibus, & singulis mandamus, ut videntes dicta privilegia (de quibus supra fit mentio) & observetis, & adimpleatis; & faciatis observari & adimpleri in toto & per totum, secundùm quod in illis continetur, sic, & secundùm quod hac usque ipsis fuerunt usitata, & observata: neque contra eorum tenorem & formam eatis, aut transeatis, neque consentiatis iri aut transiri in ullo tempore, aut ullo modo: neque (vos) faciatis neque alii faciant deinceps (aliquid) ullo modo, sub pœna nostræ gratiæ, & decem millium Maravedisorum pro nostra camera, unicuique vestrûm, qui contrariam fecerit; & præterea mandamus illi, qui vobis istam chartam monstraverit, ut vos citet, ut compareatis ante nos in nostra aula, ubicumque nos fuerimus, à die quo vos citaverit usque ad quindecim dies

pri-

Sec. xiv, et xv.

primos sequentes, sub dicta pœna; sub quo mandamus cuilibet notario publico, qui ad hoc vocatus fuerit, ut inde det illi, qui vobis eam monstraverit, testimonium suo signo munitum, ut nos sciamus, quomodo adimpleatur nostrum mandatum.

insstans.

313 *Data in nobili civitate Toletana die tertia mensis Augusti, anno nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo octogesimo. Ego Rex. Ego Regina. Ego Vidacus de Santander, secretarius Regis, & Reginæ, dominorum nostrorum, illam feci scribi de suo mandato.* Alia, quæ ad Mozarabum privilegia attinent, suis quæque temporibus innexa postmodum designabuntur. Ex instrumentis interea tot jam prolatis, ac toties repetitis liquidissime conficitur, plures Catholicos Hispaniarum reges in id semper solicitè incubuisse, ut liturgiæ Mozarabicæ cultus ac propagatio sarta tecta conservaretur, indulgendo gratiosissimè singularia prorsus privilegia, exemptiones atque immunitates ejusdem liturgiæ clericis, beneficiatis, administrisque facellanis; nec non iis omnibus, qui sunt è communitatis Mozarabicæ gremio; omnibus hisce regiis favoribus ac gratiis in eum finem

B

directis, ut ne antiquissima ista liturgia, ejusdemque cultores tam sacri quam profani, aliquid dispendii, aut damni paterentur. Atque id distinctissimè & patentissimè liquet ex postremo illo Ferdinandi atque Elisabethæ privilegio, prout illud expendenti ad oculum patebit.

Mozarabes pene collapsi

314 Verùm quemadmodum humana quæque & sacra & profana, in primis suis exordiis sanctissimè instituta, atque ad perpetuitatem temporis legibus firmissimis temperata, ordinata & stabilita, lapsu ætatis paulatim languere solent, & tandem penitus deficere & interire, eam

D

dem fortasse sortem subiisset dicta liturgia, nec non sacerdotes ac reliqui ad ejusdem continuationem deputati, nisi efficacissimis remediis isti rei prospectum fuisset exeunte decimo quinto seculo, & ineunte decimo sexto: audiamus Blasium Ortizium fol. centesimo ita loquentem: *Postea verò quam hominum illorum soboles (ut res mortalium sunt) imminui indies atque deficere cœpisset; simul & eorum ritus ecclesiasticus sensim labi, concidereque apparebat, ac vulgaris sacrorum consuetudo in eorum etiam ecclesias paulatim irrepere, adeo quidem ut memoria nostra non nisi paucis quibusdam statis festisque diebus, eo ritu in illis sacrificaretur: ita cum ritus totus in occasum jam proclivis, propediemque inter suros videretur, Franciscus Ximenez archiepiscopus* (Toletanus) *ut erat vir ille fervens admodum religionis cultor, priscarumque ceremoniarum studiosissimus, illius instaurandi curam, cogitationemque suscepit.*

restauravit Franciscus Ximenius.

315 Celebratissimus itaque Præsul iste, Hispanici, quod sapientissime moderabatur, regni immortale decus, omnique virtutum genere excultissimus; & quo majorem vix vidit umquam Hispania, quæsitura fortasse diu huic parem; collapsam Mozarabicam liturgiam, non

E

secus atque sepultam jam sub cineribus Phœnicem, novæ vitæ redonavit, erexit, ornavitque, non Hispaniæ dumtaxat universæ, sed exteris quoque nationibus ob insignes, quos eidem affudit, splendores, longè spectatissimam. Nihil porro huc attinet, longiora tanti Viri elogia coacervare. Hoc unum facit ad propositum meum, si ostendero, quot, quantisque meritorum titulis Mozarabicum Officium, & administros ejus reddiderit sibi obstrictos. Quæ, quemadmodum gesta sint, dabo capite proximo; statum rerum Mozarabicarum seculi xvi ac xvii nobis exhibituro.

CAPUT VIII.

Officium Mozarabicum ineunte seculo xvi mirificè illustratum; confirmatio privilegiorum sec. xvii; status rerum Mozarabicarum hodiernus.

§. I.

C

F

Eminentissimus Franciscus Ximenius Cisnerius ejusdem restaurator; Breviarium ac Missale excusa; fundationes, facellum.



ALvarus Gomecius sub finem libri secundi, qui est in laudatissimis ejus lucubrationibus De rebus gestis memorati jam, ac sæpius deinceps memorandi Francisci Ximenii, occasione eorum voluminum, antiquam illam orandi rationem continentium, ita loquitur; rebus utique Ximenio gestis, de quibus scribit, satis vicinus; cum floruerit medio seculo decimo sexto, anno 1580 è vita ereptus *Igitur*, inquit, *cum ad ea volumina Ximenius venisset; de re toto.. edoctus, indignum esse & grave judicavit, sanctissimas priscorum Hispanorum cæremonias, à viris præclaris institutas, & miraculorum testimoniis comprobatas, in tantam desuetudinem venisse, ut jamjam interitura esse viderentur; cæpit rem altius consi*derare, *& , ut erat priscarum cæremoniarum studiosissimus, Mozarabum ritus instaurandi curam suscepit: adhibitisque viris, quotquot exstabant, ejus rei peritis, primùm libros omnes, quibus sacra illo continerentur, Gotthicis characteribus conscriptos, in vulgaris litteraturæ formam redigendos, impressoriisque formis excudendos curavit.*

Ximenius antiquos Hispanorum ritus restaurat,

ac Mozarabes sodales instituit.

317 *Quibus non sine magna impensa in exempla innumera vulgatis, ad extremam templi* (Toletani metropolitani) *partem, Occidentem versus, in ædicula, quæ Corporis Christi dicebatur, sacellum eleganti structura ædificavit: in quo tredecim sacerdotum collegium, adjunctis tribus ministris, instituit, quos Mozarabes sodales appellavit. Hoc collegium idoneis proventibus annuis instructum sub capituli Toletani patrocinio constituit. Ipsis porro sacerdotibus perpetuis horum sa-*

cro-

A

erorum curationem demandavit, ut eo ritu singulis diebus sacrificare, horariasque preces continere, solenne esset. Ad quos & sex Mozarabum ecclesiarum sacerdotia pertinere voluit: qua quoties vacua esse contingeret, ipsi optare possent sacerdotes, quibus illa archiepiscopus conferret; aliasque leges addidit ... Sic ergo sacra illa per Ximenium restituta, & ab interitu vindicata sunt: in cujus restitutionis memoriam, cenotaphium reparatori in medio sacello honorificè erectum cernitur, impendente desuper coccineo galero, Cardinalitii honoris insigni.

Libri eorum liturgici summo in pretio habiti;

318 Ità ibi fere cum Blasio Ortizio cap. 41, laudatus Alvarus Gomecius, qui excusus legitur in Hispania illustrata, typis Francofurtensibus anno 1603, tom. 1, pag. 927; ac lib. 3, pag. 979 sic pergit: *Officii Mozarabum libri tunc per illum in pubblicum dati, ut res omnes usu consumuntur, nunc ita ferme jam exhausti sunt, ut volumen, quod Missale vocant, me, inquit, vidente, triginta aureis Toleti constiterit: (nam ab omnibus doctis & piis hominibus, quibus hujus Officii notitia est, tam Missale quam Breviarium certatim expetitur;) ipseque adeo Paulus III, Pontifex Maximus, missis Toletum legatis ab Ecclesia* (Toletana) *Officium hoc petierit, & Gothicæ pietatis monumentum in bibliotheca Vaticana asservari jusserit. Opus profecto utrumque, sive rerum gestarum per antiquos patres & Martyras, non vulgares historias quispiam consideret, magno in pretio & veneratione habendum. Utinam aliquis exoriatur, actorum Ximenii æmulus, qui sacra hæc Mozarabum volumina evulget rursus!*

B

de quibus pretium

319 Enimvero quod summo hodieque in pretio sint Toleti, illud argumento est, quod, dum ibidem anno 1722 essemus; dicta volumina inspiciendi copia tandem nobis facta est ex favore & gratia R. A. D. Manuelis Alfonsi Vinader, in jure canonico licentiati, ac pastoris ecclesiæ SS. Justæ & Ruffinæ Toleti, nec non sacelli Mozarabum Corporis Christi sacellani; qui dictos libros humanissimè nobis ad tempus commodavit. Cum itaque exemplaria ista ob singularem penuriam ac raritatem non ab omnibus perinde palæophilis, quibus monumenta hujusmodi sunt in pretio, inspici possint; non abs re fuerit, aliquam de illis notitiam suppeditare. Missale in folio excusum, & satis crassum hoc titulo notatur: *Missale mixtum secundum regulam B. Isidori, dictum Mozarabes.* Præmittitur huic titulo in eadem pagina imago Deiparæ excusa, sanctum Ildefonsum ante pedes suos prostratum casulâ induentis; obitque circùm ista inscriptio: *Induam eum vestimento salutis. Sacerdotes ejus induam salutari.* Supernè eminet crux, metropoliticum insigne, cum galero Cardinalitio, floccis utrimque seu nodis pendentibus. Porro per dictam imaginem exprimuntur, ut audivi, insignia ecclesiæ Toletanæ.

C

varia

320 In pagina versa sequitur in litteris rubris *Ad reverendissimum in Christo patrem, ac Dominum,* D. *præstantissimum Franciscum Ximenem, archiepiscopum Toletanum, Alfonsi Ortiz, divini & humani juris doctoris & canonici Toletani præfatio,* his verbis expressa: *Immortales tibi, antistes celeberrime, referant gratias seculi nostri homines oportet, cum vetera, & quasi obsoleta nostræ religionis arcana tanto studio renovare institueris, ut incipiant nostrates majorum suorum monumenta incultis characteribus hactenus obstrusa, ingenii tui igniculo respicere ac propius intueri. Beatissimi Isidori nostri ecclesiastica Officia, quæ in urbe regia Toletana, cui Tu prees archiepiscopus, quondam Maurorum irruptione cunctis absorptis simul cum Christianis, ceu captiva superfuerant, nostra ætate propriis sumptibus restaurare ac in lucem promere decreveras.*

subministrantur

321 *Ac non immerito quidem ac tam illustria fidei nostræ mysteria abdita jam penitus interirent, quæque adeo situ & vetustate fuerant exesa, & errorum caligine respersa, ut vix callidus lector congruas sententias multorum laborum indagine rimari potuerit. Quam profecto durissimam provinciam mihi servorum tuorum minimo mandare non dubitasti, quatenus summa cum diligentia Missarum imprimis solemnia recenserem, ac vigili lucubratione, quæ à vero characterum dimissa jam diu fuerant, styli non mutato ductu reficerem, servatoque verborum dignitate antiquorum majestatem custodirem: cum quæ præ se antiquitatem ferebant, intacta esse jusseras. Et tandem sic actum est: nam dispersis in ordinem redactis, vitiis abrasis, dubiisque enucleata veritate lustratis, & ea abolita multa resarciens, tuo jussu, ut valui, omnia illustravi.*

hisce locis

E

322 *Unde conflatus liber iste fuit, præbentibus ad id opem mihi venerabilibus presbyteris, ejusdem Officii peritioribus, Antonio Roderico, Alfonso Martino, ac Hieronymo Guterio, beatarum Justæ, & Eulaliæ, ac B. Lucæ Evangelistæ ecclesiarum rectoribus; quorum basilicæ inter pressuras Christianorum Toleti fluctuaverant, cum Hispania penè omnis Arabum inundatione tabesceret. Quo fit, ut habitantibus Christianis Toleti inter Arabes, ejus urbis imperio potitos, nomen Mozarabes inductum huc usque permanserit, ut opinor dicti sunt Mozarabes; hoc est inter Arabes degentes. Ut autem ecclesiastica eorum Officia memoratu digna neminem de cetero laterent, litteris Latinis, explosis Gothicis, imprimenda nobili viro Melchiori Garricio Novariensi tribuisti; cujus opera & impensis ars impressoria in ea urbe valde illustrata est.* Tum conversa ad lectorem & Ximenium oratione, dicti Missalis præfationem concludit: quod fuit *impressum in regali civitate Toleti, jussu* laudati archiepiscopi, *impensis nobilis Melchioris Gorricii Novariensis, per magistrum Petrum Hagembach Alemanum, anno salutis nostræ* MD; *die verò* IX *mensis Januarii.*

notitia.

F

323 Breviarum autem in folio pergameno excusum fuit; ad cujus calcem notatur perfectum & amendatum per eundem Alfonsum Ortitium; ac Toleti impressum (jussu, impensis nec non opera concurrentibus eorumdem, qui supra notantur in Missali) anno 1502 die XXV mensis Octobris. Præfatiuncula, quæ illi præfigitur, & ad eumdem Ximenium ab Alfonso Ortitio dirigitur, pandit res in eo contentas, & earum ordinem. Nam *imprimis Dominicalia atque Quadragesimalia Officia ordine priora se offerunt; subsequuntur psalterium cum Defunctorum celebri officio, atque Commune; postremoque Sanctorum Legenda occurrentes;* prout ibidem dicitur. Eugenius de Robles in Compendio Vitæ & gestorum Cardinalis Francisci Ximenii Cisneri &c. cap. 22 agens de fundatione unici & singularis sacelli Corporis Christi, varia congerit à pag. 236, quibus eò spectantia magis distinctè & individuo illustrari possint. Nam ubi de impressione Missalis & Breviarii dixisset, Alfonsum Ortizium, uti mox vidimus, in hac re adjutum fuisse à tribus pastoribus propriis Mozarabibus, videlicet Antonio Rodriquez, pastore S. Justæ, Alphonso Martinez de Yepes, pastore S. Eulaliæ, & Hierony-

Sæc. XVI.

ronymo Guitierrez, pastore S. Lucæ; quos instructos in cæremoniis & antiquo modo recitandi & cantandi, secundùm istum ordinem Mozarabicum, fuisse memorat;

Varia item recensentur

324 Pag. 237 ait de reditibus, qui cum facultate Apostolica applicati sunt ex beneficiis, quæ vacabant, ad sustentationem sacellanorum Mozarabum, quæ ibidem nominatim exprimit; quæque ob mutationem temporum dici nequeant, sufficere ad congruam sustentationem eorum, qui capellaniis inserviunt; curtorum adeo redituum causam refundens in mortem prœmaturam laudati Cardinalis fundatoris; nam attentis principiis, animo, quem gerebat, fuissent illæ ex præbendis melius dotatis, quam inveniantur dotatæ in tota Hispania, uti Roblesius censet: qui circa sacellum sequentia prosequitur, unde liquidò constet, Eminentissimum istum fundatorem nullis pepercisse sumptibus, ut suis circa locum novum sacelli Mozarabibus prospiceret.

de sacello Mozarabum.

325 Inceperunt in initio sacellani, teste Roblesio pag. 238, recitare illud Officium in sacello, quod est intra claustrum ecclesiæ Toletanæ juxta illud, quod fundavit archiepiscopus D. Petrus Tenorio; unde postea transierunt ad sacellum, ubi in præsentia resident, vocatum antiquitus Corpus Christi. Erat intra illud, sacellum aliud; in quod ecclesiæ Toletanæ canonici convocabant suas congregationes seu capitula; sed laudatus Mozarabum fundator ex duobus istis sacellis unum fecit, cum antiquo titulo Corporis Christi, datis capitulo dictæ ecclesiæ quatuor millibus florenorum aureorum, in compensationem loci: quod capitulum istius unici ac singularis operis patronum reliquit, imposito ei onere reparandi ædificium, necessaria subministrandi ornamenta, aliaque ad usum sacelli accommodata; uti ex Roblesio discimus. Quibus adjungi ex ipso potest à pag. 240, quod sæpe memoratus fundator alia quatuor millia florenorum aureorum dederit, ad redimenda quindenia (ut loquar cum Roblesio, qui voce *quindenios* utitur) quæ ad suam Sanctitatem singulis quindenis annis pertinebant ex beneficiis; quæ applicata sunt ad congruam sustentationem ministrorum ac sacellanorum sæpe dicti sacelli; cujus partem exteriorem, & interiorem, altare &c. pluribus singillatim repræsentat Roblesius à pag. 241.

B

C

& eorum fundatione.

326 Quo autem fundationes, ab Eminentissimo Ximenio in gratiam Officii Mozarabici, ejusque sacellanos ac ministros factæ, magis confirmentur, juverit producere publicum super hac re ejusdem Cardinalis instrumentum, ex archivo Mozarabum nobiscum Toleti communicatum, juxta copiam autentica fide munitam per Franciscum Tellez, notarium publicum. Quænam autem in prædicto instrumento transacta sint, intellige.

§. II.

Authenticum instrumentum Cardinalis Ximenii, & Capituli Toletani, circa bona Mozarabum fundationi annectenda.

*Frater Franciscus Ximenez, miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli S. Balbinæ, presbyter Cardinalis, Hispaniæ vulgariter nuncupatus, sanctæque Toletanæ Ecclesiæ archiepiscopus, Hispaniarum primas, ac regnorum Castellæ major cancellarius &c. Universis & singulis præsentes litteras, sive præsens publicum instrumentum inspecturis; illis præsertim, quorum interest, interierit, aut interesse (poterit) quosque infrascriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem & sinceram in domino caritatem. Cura * ecclesiarum & piorum locorum statum salubriter dirigendum, cultumque divinum ad laudem & gloriam omnipotentis Dei augendum, juxta pastoralis officii nostri debitam considerationem, extendentes intuitum, in his ei libenter assistimus, per quæ animarum occurritur periculis & personarum commoditatibus providetur; quemadmodum ecclesiarum ipsarum piorumque locorum necessitas exigit, causæ suadent rationabiles, catholici populi devotio & incrementum exposcat *; quatenus ecclesiarum earum & piorum locorum status non mutetur seu in melius reformetur, & devotioni & saluti divinoque cultui consulatur, prout, rerum & temporum & locorum circumstantiis pensatis, id noverimus in Domino salubriter expedire.*

D

Eminentissimus ille ex affectu erga divinum cultum,

* Circa

*an exposcunt?

E

& Officium Mozarabum, quod vult restaurare,

328 *Cum itaque nos antiquissimum & magnæ devotionis quoddam divinum Officium, Mozarave nuncupatum, quod in aliquibus Ecclesiis Toletanæ civitatis ab antiquo celebrabatur; & jam temporum longitudine, & hominum negligentia atque malitia diminutum, & prope oblivioni traditum erat, cupientes illud in pristinum statum ad gloriam & laudem omnipotentis Dei redigere & reformare, futurisque temporibus propter populi devotionem perpetuum facere; in quadam capella in claustro nostræ prædictæ ecclesiæ Toletanæ sita, tredecim amovibiles ad nutum archiepiscopi Toletani, pro tempore, existentis, capellanos auctoritate nostra ordinaria instituerimus, qui dictum officium juxta antiquam ordinationem debitè celebrarent, ac unum eorum cappellanum majorem seu abbatem deputaverimus, qui aliis præesset, dictamque capellam regeret & gubernaret: ac de bonis, à Deo nobis collatis, quosdam annuos redditus eidem capellæ ejusque capellanis donaverimus, applicaverimus & appropriaverimus, ut in institutione dictæ capellæ, & instrumento desuper confecto plenius continetur:*

F

reditus ad sustentationem ministrorum ejus auget

* attendentes

329 *Nunc vero attendens * ad dictorum capellanorum sustentationem plures redditus esse necessarios, eorumque necessitatibus providendum & consulendum esse considerantes, easque possessiones & decimas quasdam territorii de Alamin, videlicet terras de Alamin, quæ dicuntur de Palatio, & mediam decimam, quæ valgo dicitur del Ganado estrangero de Alamin, y de la De Hesa Barcienca, nostræ mensæ archiepiscopali pertinentes, diu & per multum temporis à quibusdam dominis secularibus detentas & usurpatas, nunc de novo ex potestate illorum eduxerimus, dictæque nostræ mensæ restituerimus; utile & opportunum videbatur, si prædictas terras & possessiones ac decimas de Alamin, & de Palatio, & de Barcienca, sicut præmittitur, eductas, & restitutas, aut alienatas, ac in alienam interim devenirent potestatem & dominium, eidem capellæ & capellanis Mozaraves concederemus, donaremus, & applicaremus. Nos igitur dictæ capellæ Mozaraves & capellanorum ejusdem necessitatibus divinique Officii Mozaraves ministerio providere volentes, ac redituum penuria & necessariorum inopia*

A

pla diminueretur, & detrimentum aliquod pateretur; de consensu speciali & expresso capituli nostra præfatæ sanctæ ecclesiæ Toletanæ, ut in instrumento desuper confecto, & nobis præstito coram notaria, & testibus plenius continetur, cujus consensus tenor sequitur & est talis:

cum consensu capituli Toletani:

330 *In Dei nomine. Amen. Universis & singulis, præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum inspecturis, visuris, lecturis pariter & audituris notum esse volumus per præsentes, quod nos Decanus & capitulum almæ ecclesiæ Toletanæ, videlicet Alphonsus Yañes cantor, Carolus de Mendoza abbas sanctæ Leocadiæ, Joannes de Tamayo vicarius, Joannes Alvarez, Nicolaus Ortiz, Petrus Fernandez de Tepes, Ludovicus de Leon, Ægidius de Rojas, Alphonsus de Toro, Joannes Lopes de Leon, Rodericus Tenorio, Joannes Sanchez de Castro, Blasius Cavallero, Joannes Nuñez de Herrera, Lucas de las Peñas ac Joannes Ruiz bachalarius, omnes canonici præbendati, capitulariter congregati, & ad infrascriptum negotium per scedulam ante diem, ut moris est, evocati dicimus; quod cum reverendissimus in Christo pater & dominus frater Franciscus Ximenes, miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis Hispaniæ, archiepiscopus Toletanus, dominus & prælatus noster dignissimus, providè considerans, quod Officium Mozarabe, quod ex antiquissima prædecessorum suorum institutione in certis parochialibus ecclesiis istius civitatis solitum erat decantari, in dies in præceps iret, capellam quamdam in hac alma ecclesia Toletana, in qua certi capellani singulis diebus omnes Horas canonicas tam diurnas quam nocturnas, juxta ritum & consuetudinem dictorum Mozarabum, prout ad præsens dicitur, quotidie decantarent, instituerit; cujus quidem capellæ & capellaniarum administrationem post obitum dicti reverendissimi domini Cardinalis, ut accepimus, nobis & successoribus nostris, perpetuis futuris temporibus relinquere intendit.*

B

quod, certis tamen sub conditionibus

331 *Et quia nobis dictis Decano & capitulo pertinet & spectat, ratione nostrorum vestuariorum certa pars decimarum territorii de Alamin, quod est in districtu archipresbyteratus Descalona istius diœcesis Toletanæ, & nostræ intentionis existit, illum pro capellanis dictæ capellæ Mozarabum donare, dum tamen illius administratio supradicta nobis & successoribus nostris prædictis perpetuò relinquatur: Ideirco nos dicti Decanus & capitulum tenore præsentium pro nobis & successoribus ipsis, prævia inter nos capitulari consideratione prehabita, idque in Dei omnipotentis servitium, & hujus almæ ecclesiæ decorem cedere comperto, omnibus melioribus modo, via, jure, causa & forma, quibus melius de jure potuimus, & debuimus, ac possumus & debemus, dictæ parti decimarum de Alamin, nobis, ut præmittitur, ratione nostrorum vestuariorum pertinenti & spectanti, in favorem dictæ capellæ Mozarabum & capellanorum ejusdem, qui nunc sunt, & pro tempore erunt, purè, liberè & simpliciter cedendum duximus, & renuntiandum, prout ex nunc etiam cedimus & renuntiamus, ad hoc videlicet ut perpetuò uniatur, annectatur & incorporetur dictæ capellæ & capellanis prædictis; ac cum * lege & conditione, quod dictus reverendissimus dominus Cardinalis statuat, quod post obitum suum dictorum capellæ & capellanorum administratio & omnimoda dispositio nobis & successoribus nostris prædictis plenariè relinquantur.*

C

** an hac tamen*

332 *Et, si necesse est, ex nunc etiam nominamus & deputamus personam seu personas, quam & quas dictus reverendissimus dominus Cardinalis duxerit nominandum & deputandum ad hoc, ut tam dicti reverendissimi domini Cardinalis, quam nostri & successorum nostrorum prædictorum nomine, possint supplicare sanctissimo Domino nostro Papæ pro approbatione & confirmatione nostrarum prædictarum cessionum & renuntiationum; & promittimus, & nos obligamus per nos & prædictos successores, nulla umquam tempore, quavis occasione vel causa, contra præmissa seu aliquid ex eis fore umquam venturos, sub hypotheca & obligatione omnium bonorum nostræ mensæ capitularis mobilium & immobilium, spiritualium & temporalium, præsentium & futurorum: & insuper potiori pro cautela, nostro & ipsorum successorum nostrorum nomine juramus ad sacros ordines, quos recepimus, & ad sancta Dei Evangelia, nos ratam, gratam, atque firmam perpetuò habituros dictam nostram cessionem & renuntiationem:*

Sec. XVI. bona cedit in istum finem,

333 *Et quod hujusmodi nostri solemnis juramenti nulla umquam tempore relaxationem petemus à præfato sanctissimo Domino nostro Papa, seu à quovis alio prælato, vel judice, ad id potestatem habente: & casu quo, motu proprio nobis vel successoribus ipsis à supradictis dominis concedatur, illo nullatenus utemur. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum manu dictorum nostrorum subscriptos seu subscriptum exinde fieri & per secretarium nostrum notarium publicum infrascriptum subscribi & registrari mandavimus, sigilloque nostro capitulari à tergo jussimus & fecimus communiri*

firmissima voluntate se obligant

E

334 *Data & acta fuerunt hæc Toleti intra almam ecclesiam Toletanam in nostro capitulo, sub anno à nativitate Domini millesimo quingentesimo octavo, die septima mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Julii divinâ providentiâ Papæ secundi anno quinto; præsentibus ibidem venerabilibus viris Dominis Francisco Fernandez portionario Toletano, & Petro Barria Nuevo, & Alvaro Calderon civibus Toletanis, testibus ad præmissa vocatis, specialiter atque rogatis. R. Tenorio. L. De Leon canonicus. Et ego Ferdinandus Alphonsus, publicus apostolica auctoritate notarius, almæ ecclesiæ Toletanæ secretarius, præmissis omnibus & singulis una cum prænominatis testibus interfui, & signum nomenque meum solita & consueta in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum hic apposui, rogatus & requisitus. Ferdinandus Alphonsus Apostolicus notarius.*

ad rei executionem.

F

335 *Prædictas terras & possessiones ac decimas videlicet de Alamin & de Palacio, & de Barcienca nostræ Toletanæ diœcesis, nostræ mensæ archiepiscopali, ut præmittitur, pertinentes cum omnibus juribus & pertinentiis suis à prædicta nostra mensa archiepiscopali auctoritate nostra ordinaria, vel, ut melius potuimus & debuimus; divisimus, dimembravimus, & separavimus, ac ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc tenore præsentium dividimus, dimembramus, & separamus, easdemque possessiones & decimas de Alamin, & de Palacio & de Barcienca, per nos, ut præmittitur, divisas, dimembratas & separatas, de consensu & voluntate spontanea dicti nostri capituli Toletani, præfatæ capellæ & capellanis Mozarabes, sicut prædictæ nostræ mensæ pertinebant, & pertinent, & pertinere possunt, donavimus, concessimus, applicavimus, perpetuoque ap-*

Illa itaque bona

Sec. XVI.

appropriavimus, ac ex nunc prout ex tunc, & ex nunc prout ex nunc donamus, concedimus, applicamus, perpetuoque appropriamus per præsentes.

dictus Eminentissimus in ... Mozarabibus applicat.

336 *Itaque liceat præfato capellano majori, cæterisque capellanis dictæ capellæ Mozaraves dictarum terrarum possessionum & decimarum de Alamin, & de Palacio & Barcienca corporalem possessionem per se suumve procuratorem apprehendere, earumque fructus & redditus & proventus percipere, & in suum dictæque capellæ usum & utilitatem propria auctoritate liberè liciteque convertere, nullius alterius superioris super hoc licentia minimè requisita; contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam compescent. In quorum fidem præsentes litteras manu nostra subscriptas, & nostro sigillo munitas coram notario publico Apostolico nostro secretario, & testibus infrascriptis concessimus, fierique jussimus, & publicare datas Toleti anno Domini millesimo quingentesimo octavo, mensis Octobris die primo. Franciscus Cardinalis S. B.* Mandato reverendissimi domini mei Cardinalis, Georgius Vasacaldo secretarius. Reta Didacus de Bañares.* Suum illis accessit robur & plena firmitas ex consensu & approbatione Sedis Apostolicæ; cujus ecce diploma.

B

* id est sanctæ Balbinæ

§. III.

Consensus Sedis Apostolicæ circa bona prædicta, Mozarabum fundationi annectenda. Alia ejusdem Sedis bulla, unde, à quo, qua fide transcripta.

Julius PP. II

337 *Julius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos cura pastoralis Officii, nobis licet immeritis ab alto commissi, ut ad illa nostræ considerationis aciem convertamus, per quæ in singulis ecclesiis & locis cultus divinus ad laudem & gloriam omnipotentis Dei augeri possit; & his, quæ propterea providè processisse noscuntur, ut firma, perpetua, & illibata persistant, cum a nobis petitur Apostolici muniminis præsidium, propensius impartimur. Sanè pro parte dilecti filii nostri Francisci, tituli S. Balbinæ presbyteri Cardinalis, qui ecclesiæ Toletanæ ex concessione & dispensatione Apostolica præesse dignoscitur, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod aliàs ipse de propria salute recogitans, & cupiens terrena in cælestia, & transitoria in æterna felice commercio commutare; providè considerans, quod Officium divinum Mozarabe nuncupatum, quod in aliquibus ecclesiis & locis civitatis & diœcesis Toletanæ celebrabatur, antiquissimum & magnæ devotionis erat, crescente hominum malitia, plurimum fuerat diminutum;*

C

...le Mozarabum fundationi obsecundans.

338 *Fervore devotionis accensus, Officium prædictum in certis ecclesiis dictæ civitatis, in quibus celebrabatur, auctoritate ordinaria confirmavit & in statum pristinum restituit, necnon pro majori divini cultus augmento & populi devotione Officium prædictum in quadam capella, sita in claustro ecclesiæ Toletanæ, dicta auctoritate instituit, ac tredecim perpetuos seu amovibiles ad nutum Archiepiscopi Toletani & pro tempore existentis capellanos, qui dictum Officium juxta antiquam ordinationem debitè celebrare tenerentur, & unus eorum capellanus major, seu abbas nuncupatus & aliis præesset, & dictam capellam regeret & gubernaret, deputavit, ac de bonis à Deo sibi collatis eidem capellæ pro sustentatione dictorum capellanorum annuos redditus trecentorum ducatorum auri de camera, ac etiam nonnullas decimas, exceptis possessionibus & prædiis, del Palacio nuncupatis, in territorio del Alamin consistentibus, provenientes, ad mensam suam archiepiscopalem pertinentibus, & quæ olim per nonnullos temporales dominos occupatæ fuerant, & illas dictus Franciscus Cardinalis recuperaverat, & quas ab eadem mensa de consensu dictorum filiorum Decani & capituli dictæ ecclesiæ, ab illis separaverat, de simili consensu, auctoritate ordinaria concessit, & donavit, ac perpetuo applicavit, & appropriavit, prout in litteris dicti Francisci Cardinalis desuper confectis dicitur pleniùs contineri.*

D

339 *Quare pro parte dicti Francisci Cardinalis nobis fuit humiliter supplicatum, ut institutioni, deputationi, separationi, divisioni, donationi, concessioni, applicationi & appropriationi prædictis, pro eorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, aliasque desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ex debito pastoralis Officii divini cultus augmentum sinceris exoptamus affectibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, deputationem, separationem, divisionem, donationem, concessionem, applicationem, & appropriationem prædictas, &, prout illas concernunt, omnia & singula in dictis litteris contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, omnesque & singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsitan intervenerint, in eisdem supplemus. Et nihilominus venerabili fratri nostro archiepiscopo Hispalensi, & dilectis filiis abbati monasterii sancti Bernardi extra muros Toletanos, ac Officiali Toletano per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant per se vel alium seu alios pro tempore existentem rectorem & capellanos prædictos institutione, deputatione, concessione, donatione, separatione, applicatione & appropriatione prædictis pacificè frui & gaudere, non permittentes, illos desuper indebitè molestari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.*

ut bona ei ab Eminentissimo Cisnerio applicentur.

E

F

340 *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac dictæ ecclesiæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis & statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac bea-*

approbat;

to-

A

torum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octavo, duodecimo Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno quinto. Franciscus De Vega.

ac proinde restaurationem Mozarabum confirmat.

341 Instrumentum illud ex archivo capellæ Mozarabum Toleti acceptum ac transcriptum juxta copiam, manu Francisci Tellez, notarii publici authenticè munitam, perspicuè declarat, quod sancta Sedes Apostolica confirmando supradictam Mozarabum fundationem, eamque uti & ejusdem auctorem laudando, plenissimè consenserit, & efficaciter voluerit, ut antiquus ille Mozarabum ritus Toleti tam in capella intra ecclesiam Toletanam, quam in aliis quibusdam ejusdem urbis extra dictam capellam locis sacris restauraretur, continuaretur ac fundaretur. Quæ adeo diserta atque expressa Apostolicæ Sedis approbatio obstruere debet omnium ora, ut nemo post illam, contra restauratum Officii Mozarabici usum, ejusque ministrorum fundationem vel hiscere valeat.

Alterius diplomatis Apostolici authentia

342 Mox tibi aliam dabo Sedis Apostolicæ bullam: ubi testimonium, quod de ejus authentica ac fideli transcriptione, ad calcem ejusdem, idiomate Hispanico appositum, prius hic præmisero. Sic sonat: *Ego D. Petrus Caminus Velascus, commissarius sancti Officii Inquisitionis, beneficiatus proprius ecclesiæ parochialis Mozarabicæ D. sancti Sebastiani, hujus civitatis Toletanæ, de mandato & commissione illustrissimorum Dominorum Decani ac capituli sanctæ ecclesiæ Primatialis Hispaniarum, extraxi istam bullam ex originali, quæ asservatur in archivo capellæ Mozarabicæ, quæ mihi tradita est à dominis ejusdem capellanis, die decima octava Julii, hujus anni, scriptaque habetur in pergameno, sigillata sigillo plumbeo, pendente è duobus funiculis, sicut est stylus Curiæ Romanæ: cujus data est eadem, quæ in ista copia ac transumpto refertur; quod bene ac fideliter extractum est, atque in omnibus correspondet cum suo originali; quod reddidi relato archivo. De quibus omnibus ut constet, ubi & quomodo convenerit, testor & subscribo Toleti, die XXI mensis Julii MDCCXXIV. Petrus Caminus Velascus.*

B

§. IV.

Alia ista Sedis Apostolicæ bulla hic datur

C

Julius PP. II

Julius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quæ beneficiorum ecclesiasticorum omnium, præsertim metropolitanorum, ecclesiarum ac personarum, illa pro tempore obtinentium, commoditatibus consulatur; & iis, quæ propterea facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuò & illibata persistant, libenter, cum à nobis petitur, Apostolici muniminis adjicimus firmitatem. Dudum siquidem omnia præstimonia, præstimoniales portiones, aut simplicia ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcumque nostrorum & Apostolicæ Sedis notariorum, & apud Sedem prædictam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super illis à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

344 *Et deinde uno seu una in de Orgaz, & alio seu alia in de Palomeros, ac reliquo seu reliqua in de Tebra; & alio seu alia in da Venturada, necnon reliquo seu reliqua in de Sirvela, quas seu quæ quondam Petrus Ardones; necnon alio seu alia in sancti Romani, oppidorum Toletanæ diœcesis parochialibus ecclesiis, præstimoniis seu præstimonialibus portionibus aut simplicibus beneficiis, quod seu quam quondam Afonsus de Villafesba Clerici, illius seu illarum ultimi possessores, dum viverent, respectivè obtinebant; per Petri, qui apud Sedem prædictam, apud Sedem eamdem & Alfonsi prædictorum, qui extra Romanam Curiam dies clauserunt extremos, respectivè obitus vacantibus;*

Sec. XI. varia beneficia ecclesiastica,

345 *Nos de Orgaz, & de Palomeros, ac de Tebra, necnon & de Venturada, ac de Sirvela Didaco de Briones sub quarto Idus Januarii Pontificatus nostri anno nono; de sancti Romani verò præstimoniis seu præstimonialibus portionibus aut beneficiis prædictis, ut præfertur, respectivè vacantibus, & antea dispositioni reservatis Apostolicæ, Joanni Avari, clerico Calagurritanæ & Asturicensis diœces. dilectis filiis, sub quarto decimo Calend. Februar. dat. ejusdem Pontificatus nostri anno decimo provideri concessum* *.

quæ à Cardinale Ximenio

** an. concessimus?*

346 *Cum autem Didacus, qui, ut asseritur, dilecti filii nostri Francisci, tituli sanctæ Balbinæ presbyteri Cardinalis familiaris continuus commensalis existit, & Johannes præfatus, concessionibus gratiarum hujusmodi, litteris Apostolicis super eis non confectis, hodie in manibus nostris sponte & libere cesserint, nosque cessiones ipsas duxerimus admittendas; ac prædicta adhuc, ut præfertur, necnon aliud seu alia præstimonia seu præstimoniales portiones aut simplicia in parochiali ecclesia sanctæ Leocadiæ Toletana per liberam resignationem dilecti filii Johannis de Frias clerici, de illo seu illa, quod seu quam tunc obtinebat, prædilectum filium Alfonsum Garsia de Rincon, abbatem de Compludo, in ecclesia Asturicensi procuratorem suum ad hoc specialiter ab eo constitutum, in eisdem manibus sponte factam & per nos admissam, apud Sedem prædictam vacare noscantur ad præsens, nullusque de illis præter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis:*

E

in gratiam

347 *Et sicut præfatus Franciscus Cardinalis nobis nuper exponi fecit, ipse dudum antea cupiens decorem & venustatem capellaniæ de los Muzarabes in ecclesia Toletana, in eaque divinum cultum augeri, pro illius uberiori dote ac ornamentorum reparatione & manutentione, necnon illius capellanorum decenti sustentatione, præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi ordinaria auctoritate perpetuo univit, annexuit, & incorporavit: ita quod, cedentibus vel decedentibus tunc illas seu illa obtinentibus, liceret eisdem capellanis illorum seu illarum corporalem possessionem per semel* * *aliam seu alios propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuò retinere, illorumque seu illarum fructus, redditus & proventus in suos ac dictæ capellaniæ usus ac dictorum capellanorum sustentationem & ornamentorum reparationem convertere; cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, prout in quibusdam litteris dicti Francisci Cardinalis suo sigillo munitis, desuper confectis, dicitur pleniùs contineri;*

Officii Mozarabici.

F

** an se vel?*

348 *Cum autem de juribus unionis, annexionis, & incorporationis prædictarum à nonnullis hæsitetur, præfatus Franciscus Cardinalis nobis humiliter supplicari fecit, ut unioni, annexioni, & incorporationi prædictis, pro illarum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adji-*

fuerant applicata,

jicere, ac pro potiori cautela præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi eidem capellaniæ de novo perpetuo unire, annectere, & incorporare, aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

349 *Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundùm communem extimationem * etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interesset; & idem in confirmationibus unionum jam factarum observari voluimus, ac dicta capellaniæ fructuum, reddituum, ac proventuum verum annuum valorem, præsentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, unionem, annexionem & incorporationem prædictas, ac prout illas concernunt omnia & singula, in dictis litteris contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus.*

auctoritate

* estimationem vel custumationem

Apostolica

350 *Et nihilominus pro potiori cautela præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi, quorum seu quarum insimul fructus, redditus, & proventus certam ducatorum auri de camera secundùm communem extimationem, valorem annuum, ut dictus Frontisius Cardinalis asserit, non excedunt, sive præmissis sive aliis quibusvis modis, aut ex aliorum quorumcumque personis seu sancta Leocadia per similem Johannis de Frias, ac de Orgaz & de Palomeros ac de Yebra, & de Ventanada, necnon de Sircela per Petri; sancti Romani præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi per Alfonsi prædictorum vel quorumvis aliorum liberas resignationes, de illis in dicta Curia vel extra eam etiam coram notario publico & testibus sponte factas, vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum vel earum collatio, juxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ac præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi dispositioni Apostolicæ specialiter vel alias generaliter reservata seu reservanta existant.*

351 *Et super eis inter .... cujus statum præsentibus habere volumus pro expresso, pendeat indecisa; dummodo eorum vel earum dispositio ad nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, præfatæ capellaniæ dote, ac capellanorum sustentatione, necnon ornamentorum reparatione hujusmodi, auctoritate Apostolica tenore præsentium de novo perpetuo unimus, annectimus & incorporamus: ita quod liceat præfatis capellanis per se vel alium seu alios præstimoniorum seu præstimonialium portionum aut beneficiorum, juriumque & pertinentiarum prædictorum corporalem possessionem continuare, seu illam de novo propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere; illorumque seu illarum fructus, redditus & proventus in suos ac capellæ & præstimoniorum seu præstimonialium portionum aut beneficiorum prædictorum usus & utilitatem, ac dictorum ornamentorum separationem convertere, cujusvis licentia super hoc minimè requisita: non obstantibus priori voluntate nostra prædicta ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII, prædecessoris nostri, & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque;*

confirmat?

352 *Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de præstimoniis seu præstimonialibus portionibus aut hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictæ Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum: quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcumque ad præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi volumus non extendi;*

non obstantibus

353 *Sed nullum per hoc eis quoad assecutionem præstimoniorum seu præstimonialium portionum aut beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit mentio specialis in nostris litteris. Proviso quod propter unionem & annexionem prædictas, præstimonia seu præstimoniales portiones aut beneficia hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum vel earum congruè supportentur onera consueta. Et insuper, prout est, irritum decernimus & inane, si secus super his à quoquo quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attemptari.*

quibuscumque,

354 *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit; indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo duodecimo, duodecimo Kalend. Februarii, pontificatus nostri anno decimo C. P. Delius. P. Lombertus. C. Balbus.* Hactenus prædicta Julii PP. II bulla; cujus apographum huc transmisit Matrito P. Josephus Cassani, nostræ Societatis sacerdos, tam de nobis, quam de opere nostro de Actis Sanctorum pluribus titulis longè meritissimus.

& irritis declaratis, quæ quis contra fecerit.

§. V.

Fundationes in favorem ritus Mozarabici Salmanticæ & Vallisoleti; privilegia ab Hispaniarum regibus & tandem à Carolo II confirmata; status rerum Mozarabicarum Toleti hodiernus.

Salmanticæ ex fundatione dicuntur.

ARdentissimum Ximenii in promovendis liturgicis rebus Mozarabicis studium, aliis quoque incitamento fuit, ut suam etiam, quà propagarentur, symbolam conferrent. Quid etenim circa præsens argumentum Salmanticæ sit gestum, discimus ex apographo Hispanico, quod laudatus P. Josephus Cassani Matrito ad me Cæsaraugustæ degentem direxit die xvi Aprilis anno 1722; inde enim habemus, quod 21 Septembris anno 1517 reverendus Dominus Petrus Ymperial, Canonicus Salmanticensis, privisor, & officia-

A

officialis, ac vicarius generalis iſtius epiſcopatus, pro admodum magnifico domino D. Franciſco de Bobadilla, epiſcopo Salmanticenſi confirmaverit fundationem, quam egregius & nobilis dominus doctor Rodericus Maldonado de Talavera, incola dictæ civitatis, & conſiliarius ſuarum Celſitudinum, dominus villarum de Babilafuente & Avedillo, fecit in ſua capella ſancti Salvatoris; quodque inter alia capitula dictæ fundationis habeatur unum fol. 236 de Officio & de Miſſa Mozarabica; ubi leguntur ſequentia; quæ ex Hiſpanico ſic reddo:

plures per annum Miſſa Mozarabica.

356 *Item . . ego habeo devotionem, ut in dicto meo ſacello, quolibet menſe, & in aliis feſtis (prout per me, & per dicti ſacelli patronum fuerit ordinatum) dicatur una Miſſa Officii Mozarabici, quod dicitur in ſancta eccleſia civitatis Toletanæ, in capella, quam reverendiſſimus dominus Cardinalis D. Fr. Franciſcus de Ximenez de Ziſneros, archiepiſcopus Toletanus inſtituit, atque ordinavit ac dotavit; mandavitque, ut dicta Miſſa Mozarabica & alia Officia in dicta capella mea dicantur, atque illa ſit auctioris ſtipendii, quam aliæ Miſſæ & Officia, quæ debent dici; ſecundum quod in iſta inſtitutione continetur. Et patronus & capellanus major ordinent, quomodo dicatur, & quomodo factum ſit ſatis capellanis, qui illam dixerint, ex reditu annuo dicti ſacelli, & fabricæ: unde adimpleri debent aliæ res, ad dictum ſacellum attinentes.* Concordare hæc cum clauſula originali fundationis, quæ aſſervatur in archivo iſtius eccleſiæ,

B

fidem facit infraſcriptus; & addit ad ejus complementum dici ſingulis menſibus in ſacello doctoris Talavera Miſſas Officii Mozarabici, de quibus diſponit, & in aliquibus feſtivitatibus anni, per aliquem ex capellanis, cui commendatæ ſunt: qui jam eſt D. Joannes Antonius Eler. De quibus ut conſtet, hæc ſignat in civitate Salmanticenſi die VIII menſis Aprilis, anno 1722 D. Petrus de la Puente, archiviſta.

Valliſoleti

357 Ex iis porro, quæ in Hiſpania de liturgia Mozarabica didiceram, cupido me inceſſit, inquirendi in illud argumentum Valliſoleti: nec vano ſucceſſu. Nam P. Joſephus Caſſani Cæſarauguſtam die XXV Aprilis anni 1722 miſit mihi humaniſſimas & officioſiſſimas litteras noſtri patris Lupi de Figueroa; quibus ſignificavit die XV ejuſdem menſis & anni, ſe, poſt conatus omnes non ſegniter impenſos, nihil quidquam ad præſens propoſitum nanciſci potuiſſe, quam inſtrumentum unicum, ad me tunc ab ipſo directum; in quo Franciſcus de Zurbano, ibidem notarius publicus & apoſtolicus fidem facit, à D. Emmanuele Martinez, ni fallor, de Zamora, presbytero ſacellano majore ſacelli majoris parœciæ S. Mariæ

C

Magdalenæ, dictæ civitatis, coram ſe exhibitum eſſe librum, certas conſtitutiones continentem, quæ pertinent ad dictam eccleſiam & ſacellum majus, fundatum ab illuſtriſſimo ac reverendiſſimo domino Petro Gaſca, epiſcopo Seguntino, in dicta civitate, die VII Novembris anni 1567, vi bullæ Pii IV, Romæ anno 1564 datæ, die XIV Octobris, pontificatus ſui anno quinto:

talis Miſſa fundatur,

358 In qua inſtituit ſacellanos tredecim, & unum quidem cum titulo ſacellani majoris, ad celebranda divina Officia Horarum canonicarum & Miſſarum. Inter quas conſtitutiones fol. 20 verſo, & 21 habetur capitulum tenoris ſequentis: *Capitulum decimum nonum de Miſſa Mozarabica. Item in quantum officium Mozarabicum fuit antiquitus multæ devotionis & uſus in Hiſpania, & tempore tantæ perſecutionis infidelium; recitabaturque quando Chriſtiani erant in afflictione, petentes à Deo Domino noſtro miſericordiam, & Chriſtianæ religionis reſtaurationem: & quia non eſt æquum, ut Officium adeo devotum in Hiſpania per deſuetudinem oblivioni detur (Unde reverendiſſimus dominus Cardinalis D. Fr. Franciſcus Ximenez, archiepiſcopus Toletanus bonæ memoriæ, mandavit, ut in ſuo ſacello, quod fundavit, & fecit in eccleſia metropolitana Toletana, diceretur in perpetuum quotidie Miſſa iſtius Officii;)*

Sec. XVI.

ſæpius per annum facienda.

359 *Idcirco ordinamus, & mandamus, atque voluntas noſtra eſt, ut in perpetuum in duabus feriis ſextis cujuſque menſis dicatur in qualibet, una Miſſa dicti Officii Mozarabici in dicto noſtro ſacello, per dictos ſacellanos tredecim, in tono, ſecundùm & quo modo dicitur in dicto ſacello dicti domini Cardinalis; atque ab una Miſſa ad aliam interjiciantur dies quindecim, non occurrente tali feria ſexta feſto de præcepto, quod impediat. Et in tali caſu permittimus, ut anteponatur aut poſtponatur in aliam, in qua non ſit feſtum de præcepto: excepto, ſi contigerit in feriam ſextam incidere aliquem ex diebus, in quibus dicenda ſunt anniverſaria pro Majeſtatibus D. Caroli, ac regis Philippi do-*

E

minorum noſtrorum; aut aliquod ex feſtis, in quo ſupra à nobis ordinatum eſt, ut dicatur Matutinum: quia in tali caſu volumus, ut ceſſet pro iſta hebdomade dicta Miſſa Mozarabica. Horum, quæ ex Hiſpanico tranſtuli, veritas confirmatur hoc teſtimonio, quod ex Hiſpanico item verto: *Tota relatio conſtat ex dicto libro, ad quem me remitto: atque ut etiam conſtet, ubi convenit, do præſens ſcriptum, quod ſigno ac firmo Valliſoleti die 2 menſis Aprilis anni MDCCXXII. In teſtimonium veritatis. Franciſcus de Zurbano.*

Locum unicum ritus Mozarabico non rectè aſſignat Mabillonius,

360 Ex dictis circa loca ritui Mozarabico deſignata in urbe Toletana, Salmaticenſi ac Valliſoletana, liquet, quod nimium arctarit eum Mabillonius, dum Liturgiæ Gallicanæ lib. 1, cap. 2, pag. 13 unico illum includens loco, affirmat *Mozarabicum hunc ritum* IN UNICA *Toletanæ eccleſiæ ædicula ſacra nunc obſervari.* Sed poſtea pag. 392 meliora doctus, ex Cardinale Bona libro de divina pſalmodia, cap. 18 refert, *hoc Officium adhuc vi-*

F

gere ac ſervari Toleti in quinque (imo in ſex) *parœciis & in ſacello Franciſci Ximenez Cardinalis; itemque Salmanticæ in ſacello doctoris Talabricenſis, quod eſt in clauſtro majoris eccleſiæ.* Interea ex his omnibus omnino perſpicuum fit, res Mozarabicas à temporibus Eminentiſſimi Ximenii, reſuſcitatoris, fundatoris ac patroni earum planè ſingularis, novam induiſſe quodammodo majeſtatem, atque ad mirificum ſplendorem Toleti præſertim fuiſſe evectas.

Privilegia Mozarabum a regina Joanna, Carolo V,

361 Qui poſtquam anno 1517 è vita migraſſet, eo in ſtatu ſuos ſacellanos Mozarabes reliquit, ut Sereniſſimi Hiſpaniarum reges in ſuam eorum negotia, privilegia inquam, veluti clientelam admiſiſſe videantur. Etenim regina Joanna, & Carolus V, filius ejus, regum anteceſſorum ſuorum privilegia, eiſdem conceſſa, benignè confirmarunt, uti conſtat ex charta, ſuper hac re confecta, ac privilegiorum Mozarabum collectioni inſerta, quæ notatur *data in civitate Barcinonenſi die* XXIV *menſis Martii, anno nativitatis noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti* MDXIX. Privile-

Sec. XVI. vilegia generatim omnia &c. ab Henrico II in gratiam civitatis Toletanæ confirmata, atque antea à regibus ejus antecessoribus impetrata; ac postmodum denuo à Ioanne II roborata, Philippus II etiam confirmavit; uti habemus ex ejusdem regis charta, dictæ privilegiorum collectioni inserta, & data *Matriti die IX mensis Augusti, anni* MDLXIV. Altera item Philippi II confirmationis charta ibidem intexitur, *data in urbe Matritensi die XXV mensis Januarii, anno nativitatis Domini nostri Jesu Christi* MDLXVI, *regni ejus undecimo*.

et Carolo II confirmantur. 362 Denique Carolus II privilegia omnia & exemptiones, quibus gaudent Mozarabes, quæque à regibus antecessoribus concessa eis sunt, atque collectioni privilegiorum inclusa, ad supplicationem eorum sacellani majoris & aliorum sacellanorum sacelli corporis Christi, valere voluit & observari in omnibus & per omnia, sicut in illis & eorum singulis continetur; ita quidem & tam complete prout valuerunt ipsis & observata fuerunt tempore Philippi III & IV, ac tempore etiam suo huc usque; non obstante, quod non fuerint confirmata per istos reges; quem defectum dicit se supplere; districtè prohibens, ne quis dictis chartis privilegiorum & confirmationum, vel suæ chartæ privilegii aut confirmationis contraveniat, sub pœnis in eadem charta contentis; quæ signatur *Data in urbe Matritensi, die XV mensis Januari, anno nativitatis Domini nostri Jesu Christi* MDCXCIX, *& trigesimo quarto regni* ejus.

Unde ea privilegia sint extracta. 363 Sed quandoquidem favores, privilegia atque immunitates à tot & à tam variis Hispaniarum monarchis, incipiendo ab Alphonso VI, in gratiam Mozarabum concessa adeo frequenter nunc memoravi; locus præsens jam exigit, ut fidem meam circa dicta privilegia liberem, assignando, unde illa extraxerim. Anno Domini 1700 Toleti typis datus est liber hoc titulo, qui ex Hispanico sic sonat: *Confirmatio privilegiorum & exemptionum, quibus gaudent equites Mozarabes nobilis admodum civitatis Toletanæ, per majestatem regis, domini nostri, D. Caroli II, ad instantiam sacellani majoris, & sacellanorum sacelli, Mozarabici, Corporis Christi dictæ civitatis, Matriti XV Januarii* MDCXCIX. In isto itaque libro continentur, & indidem à me variis locis superius desumpta sunt privilegia illa Mozarabum; quæ alio tamen ordine dantur in dicto libro, seu privilegiorum collectione, quam à me data sunt. Librum porro hunc in særario sacelli Mozarabum die XXVI Januarii, anno 1722 Toleti mihi perhumaniter dedit R. A. D. Eugenius de las Infantas, pastor ecclesiæ parochialis Mozarabum S. Marci, & sacellanus sacelli Mozarabici, quod dicitur corpus Christi, sepius nunc memorati.

Varia professiones. 364 Hisce coronidis loco attexenda censeo paucula, quæ hodiernum capellanorum, sex Toletanis ecclesiis inservientium numerum spectant. Igitur juxta ea, quæ laudatus dominus Eugenius de las Infantas scripto mihi tradidit, atque in cujus fide ea refero; parœciæ, quæ hodie ibidem existunt, sunt sex Mozarabicæ; eædem illæ, quæ antiquis temporibus exstitere: nimirum S. Marci, S. Eulaliæ, SS. Justæ ac Ruffinæ, S. Lucæ, S. Sebastiani & S. Torquati. In dictis sex parœciis sunt quatuordecim titulares; nimirum sex pastores, & octo beneficiati: hoc modo & forma: in S. Marci pastor ac beneficiatus; in S. Eulaliæ pastor; in SS. Justæ ac Ruffinæ pastor & duo beneficiati; in S. Lucæ pastor, & duo beneficiati; in S. Sebastiani pastor item & duo beneficiati; in S. Torquati, pastor & unus beneficiatus. In dictis parœciis Officium Mozarabicum dumtaxat dicitur die titularis Sancti; assistentibus omnibus titularibus. Et quamvis historici dicant, fuisse septem ecclesias tempore captivitatis, addentes aliam, quæ vocata fuerit *S. Maria Alficen*; ista hodiedum non subsistit; ac fertur, esse una ex sacellis conventûs Carmelitarum calceatorum.

365 Sacellani autem sacelli Corporis Christi, dictus singulis recitant totum Officium Mozarabicum: nempe Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, nec non Missam; post meridiem Vesperas, Completorium; & postea dicuntur Matutinum & Laudes. Ad hæc, laudatus D. Eugenius in citato scripto tradit, beneficiis curatis ac ministerialibus parœciarum Mozarabicarum providere dictos curatos & beneficiatos, corumque collationem dari ab ordinario: & dicta provisio, quam faciunt dicti curati ac beneficiati, adeo antiqua ipsi est, ut ad tempus captivitatis illam referat. Et quamquam in aliquibus occasionibus controversa fuerit, opponente se ordinario; semper manu tenuisse illos istam possessionem, memorat; & postremo litem à dignitate archiepiscopali motam fuisse, atque pependisse Romæ apud Rotam; ac pertres decisiones conformes expeditas fuisse executoriales in favorem dictorum pastorum & beneficiatorum; declarando, pertinere ad ipsos provisionem relatorum beneficiorum. Et hæc quidem de hodierno Mozarabum statu hactenus; quæ retuli ex laudati D. Eugenii de las Infantas instructione Hispanica, scripto mihi tradita in bibliotheca ecclesiæ metropolitanæ Toletanæ, die XXIV mensis Januarii anno 1722; in cujus fide hæc dicta sunto. *circa statum Mozarabum hodiernum.*

APPENDIX PRIMA.

Personæ illustres, quæ Missam Mozarabicam Toleti suâ præsentiâ honorarunt usque ad annum MDCCXXIII.

Eugenius Roblesius suprà citatus exhibet cap. 36 præsules, principes ac reges, qui Officium Mozarabicum, ædemque ei sacra suâ præsentiâ honorarunt; quæ ex ipso mutuata apud Cardinalem Aguirrium Latinè dantur tomo 3, pag. 270. Ego exemplum utriusque secuturus, viros etiam illos hinc non excludam, textum apud Aguirrium transcribens: *Canitur in hac adicula Missa singulis diebus Dominicis: in sex vero ecclesiis Mozarabibus, quæ illæsæ in eversione Hispaniæ perdurarunt, canitur missa die advocationis Sanctorum, quibus dicatæ fuerunt. Canitur etiam Missa, quoties princeps aliquis aut potens accedit ad hanc adiculam, illiûs audiendæ gratiâ. Præterea nemo, cujusque sit conditionis, Toletum appellit, quia ad eam audiendam accedat, quasi ad rem insolitam, quæ plerumque pietatem & admirationem ingenerat auditorum.* *Viros illos*

367 *Auctoritatem autem non modicam adjecerunt huic Officio accedentes ad hanc capellam ad Sacrum audiendum, penè omnes Præsules Toletani,* *partim ex Roblesio.*

A *letani, præcipuè verò archiepiscopus Alfonsus à Fonseca & Azevedo; illustrissimi Cardinales Joannes Tavera, & Martinus Siliceus; quos imitatus est hac in re reverendissimus Bartholomæus à Carranca & Miranda, Ordinis S. Dominici; nec non illustrissimus Cardinalis Gaspar à Quiroga. Et quamvis illustrissimus Dominus archidux & Cardinalis Albertus Austriacus, dum Toleti esset archiepiscopus, & reverendissimus Garsias à Loaisa suos antecessores non sint imitati (hic quidem ob mortem immaturam; ille verò quod se abdicarit archiepiscopatu: qua de causa nemo sedentem præsulem hic vidit) illustrissimus tamen Cardinalis Albertus, parum adhuc provecta ætate, Officio huic interfuit; sæpissime verò archiepiscopus Garsias, dum canonicus esset, Sacrificium istud frequentavit: imo omnino persuasum habeo, eum insignis hujus capellæ disquisitorem fuisse. Is tandem de numero episcoporum, qui insigne istud Officium præsentiâ decorarunt, fuit illustrissimus Dominus Bernardus de Sandoval & Rojas, archiepiscopus Toletanus, & Cardinalis S. Anastasiæ, qui nunc sedem* B *Toletanam obtinet; cujusque tuitionem capellani, curiones, & ad beneficia ecclesiastica hujus Officii promoti, sibi pollicentur.*

recenset Aguirrius; 368 *Præterea præsentiâ suâ hanc sacram ædiculam, Officiumque Muzarabicum illustrarunt, vestigia antiquorum Hispaniæ regum secuti, Carolus V imperator, ejusque filius Philippus II, & cum his illustrissima regina Anna; quorum duo quidem parentes fuere Philippi III, nunc Hispaniarum regis; tertius vero avus ejus fuit. Hic verò cum consorte thori illustrissima regina Margareta Officio huic auctoritatem addidit, decusque præbuit, audito Missæ sacrificio juxta hunc ritum in regia capella palatii Toletani.* Atque illas quidem personas dignitate spectabiles recensuit Aguirrius ex Roblesio usque ad annum 1604, quo ejus liber typis editus in lucem prodiit. Neque porro acquievi in isto catalogo ad illum usque annum perducto; sed in posteriora tempora eumdem pertexere cupiens, nihil habui antiquius, quam ut denuo recurrerem ad officiosissimum P. Josephum Cassani, atque interpositâ ipsius operâ, nancisci possem alias personas illustres, qui post eas, quas exhibuerat Aguirrius, suâ præsentiâ cohonestarunt sacellum & Officium Mozarabicum.

C 369 Voto meo respondit eventus: nam prædictus Pater rem illam adeo diligenter curavit, ut ad continuandam istius catalogi prosecutionem induxerit admodum reverendum atque amplissimum virum D. Petrum Caminum Velascum, commissarium sancti Officii &c. supra memoratum, atque catalogum istum ad me direxerit; quem accepi Matrito, die xiv Februarii, anno 1725. Et laudatus quidem Caminus superavit exspectationem meam, plus præstando, quam ego desideraveram; petito quippe catalogo subtexuit alterum virorum illustrium virtute ac litteris, quos habuit congregatio pastorum ac beneficiatorum Muzarabum, & sacellum Corporis Christi; subditque ad catalogi utriusque finem, unde extracta sint, quæ refert, ut dicam infra suo loco. Mozarabicos igitur ritus suâ præsentiâ dignati sunt, teste syllabo Hispanico (hoc misso; ex quo ista subdo:)

partim aliunde supplentur.

Sunt hi Cardinales & archiepiscopi, 370 *Cardinales, & archiepiscopi. D. Balthasar de Moscoso & Sandoval. D. Paschalis de Aragonia. D. Ludovicus Emmanuel Portocarrero. Isti tres eminentissimi Cardinales archiepiscopi Toletani honorarunt suis personis sacellum Mozarabicum, & auctoritatem conciliaverunt Officio Gothico, audienda ejus Missam semper; quam voluerunt sibi celebrari in sacello sui palatii archiepiscopalis Toletani, imitando devotionem, quam ergà istud Officium sanctum habuere decessores sui. Etiam honoravit istud sacellum suâ præsentiâ Excellentissimus Dominus archiepiscopus Toletanus D. Didacus de Astorga & Cespedes; qui hodie tenet Primatialem istam sedem;* & non ita pridem sacro purpuratorum Patrum numero adlectus est. Sec. XVI.

371 *Reges & Principes. Reges Catholici Hispaniæ dederunt semper exempla religionis* *reges* *ac pietatis, earumque specimina manifestarunt ergà istud sanctum Officium Mozarabicum; quod in singulari æstimatione & pretio habuerunt; nunc suam ibi sistendo personam, ad videndos ritus ejus ac cæremonias; vel nunc mandando, ut in suis regiis sacellis sibi celebraretur omni cum solennitate sacrosanctum Missæ sacrificium. Ita id exsecuti fuere imperator Carolus V; filius ejus Philippus II, duabus vicibus, quibus fuit in isto sacello, & una cum sua conjuge regina D. Anna Austriaca; ac Philippus III, nepos ejus cum sua conjuge, regina D. Margarita; & Philippus IV, qui (etiamsi in libris de* E *Acuerdos, ut vocant) & archivo istius sacelli non inveniatur notitia de ipsius ad eam adventu) sine dubio auctoritatem conciliavit isti Officio, honoravitque regiâ suâ præsentiâ sacellum Mozarabicum aliquibus, ex pluribus vicibus, quibus tam publice quam privatim venit visitatum Dominam nostram de Sacraria. Porro devotionem istorum Catholicorum regum imitati quoque sunt sequentes:* quos inter ex Actis capitularibus sacelli Mozarabum fol. 85 de Maria Anna sic dicitur:

372 *D. Maria Anna Austriaca, regina gubernatrix Hispaniæ, Philippi IV conjux, &* *ac principes;* *Caroli II mater, postquam abdicasset hujus monarchiæ gubernationem, & Toletum secessisset; Officio isti sancto Mozarabico auctoritatem impertiit, audienda unam Missam cantatam, quæ die sexta Julii anni* MDCLXXVIII *dicebatur in sua regio sacello* (palatii, quod vocatur) *Alcassar; & ministrarunt duæ communitates pastorum & beneficiatorum, ac capellani Mozarabes; quos honoravit ista die, mittendo regium suum comitatum & rhedas, ut conducerentur ad suum palatium.* F

373 *D. Carolus II, Hispaniæ rex, & con-* *qui* *jux ejus regina D. Maria Anna Neoburgica honorarunt suâ regiâ præsentiâ sacellum istud die prima Novembris, anno* MDCXCVII; *& die sequente ipsis cantata fuit Missa Mozarabica in regio sacello sui palatii;* ex dictis Actis fol. 115; *adjuvante per se dicto D. Rege sacerdotem, vestes induentem: qua re manifestavit religionem suam ac pietatem; nec non postmodum suam regiam magnificentiam, in sacellanum honorarium assumendo capellanum; qui cantavit Missam, atque confirmando privilegia, & immunitates parœcianis Mozarabibus concessa à rege D. Alfonso VI, & amplificata ab regibus ejus successoribus &c.*

374 *Nostri Catholici reges,* uti pergit Caminus, *Domini Philippus V, & D. Elisabeth* *hic sigillatim* *Farnesia etiam honorarunt, & auctoritate roborarunt regiâ suâ præsentiâ istud sacellum & Officium Mozarabicum: quando die* XVIII *Maii, anni elapsi* MDCCXXXIII, *qua venerunt, ut viserent Dominam nostram de Sacraria, fuerunt in isto sacello, & in illo audierunt Missam cantatam; cui ministrarunt ambæ Muzarabum communitates.* Ad marginem verò, *In*

hac Missa, quæ eorum Regibus, Principibusque nostris celebrata est, ego, inquit auctor, *jussu congregationis meæ, munus subdiaconi exercui.*

375 *Interfuerunt quoque isto die dictæ Missæ* *enumerantur.* *Serenissimi Principes Asturiarum, Domini nostri, D. Ludovicus Borbonius, & conjux D. Ludovica Aurelianensis, hodiedum Reges Hispaniarum Catholici;* (sed ille vix heu! rex Hispanicis terris ostensus, & præmatura morte fuit sublatus) *& cum illis magna pars magnatum. Fuit namque actus iste unus ex illis, qui majorem habuere plausum ob majestatem & gravitatem, quæ pluribus seculis Toletum vidit; & de qua re fit descriptio accurata in narratione, quæ in lucem publicam data est, de festivis gaudiis, quibus imperialis ista civitas Toletana suas Majestates & Celsitudines excepit. Qua re syllabo huic finem impono, omittens enumerare multos principes, & dominos Hispanos atque alienigenas; qui devotione aut desiderio videndi & admirandi tam antiquas & venerabiles cæremonias, impulsi venerunt, & veniunt quotidie ad famosam istum toto orbe capellam Mozarabicam: quia neque Roblesius neque Eminentissimus Aguirrius illud etiam in suis syllabis exsequuntur.*

APPENDIX ALTERA.

Viri virtute ac litteris illustres, quos congregatio pastorum ac beneficiatorum Mozarabum Toletana habuit.

§. I.

Eorum catalogus usque ad initia seculi XVII.

Dantur elogia LAudatus suprà Petrus Caminus, hujus itidem catalogi auctor, ex Hispanico Latine redditus, in hanc sententiam præfatur: *Si sola præsentia unius aut plurium horarum, quibus Præsules, Reges ac Principes sancto isti Officio Gothico interfuere, auctoritatem ei conciliare potuerit; atque ea de causa petuntur nomina eorum, ut locum habeant in historia; quanto magis rationi congruum est, ut perpetuitati in illa commendentur nomina virorum, qui jam virtute ac doctrina insignes, illud sanctum Officium & sacellum Mozarabicum illustrarunt, suos exercendo ritus & cæremonias per multos annos, tamquam individui ambarum communitatum sodales, quæ hodieque nominum eorum memoriâ gloriantur? Idcirco itaque æquum mihi apparuit, ad continuandum syllabum antecedentem, ponere brevem catalogum illorum; quem in finem utar auctoribus & chartis, ad marginem à me citatis. Itaque sit,* ex Eugenio Robles. Tract. de Offic. Gothic. pag. 261,

Ildefonsi Martinez, 377 *Primò, Ildefonsus* (apud Roblesium vocatur *Alfonsus*) *Martinez, pastor ecclesiæ parœcialis Mozarabicæ S. Eulaliæ Toleti, sacellanus honorarius regum Catholicorum Elisabeth ac Ferdinandi, vir verè pius, tamque doctus in ritu Gothico, ut eminentissimus venerabilis Cardinalis Cisnerius illum nominaverit primum sacellanum majorem sui sacelli Muzarabici; ac de mandato ejus adjuverit canonicum Alfonsum Ortizium, ut ex littera Gothica in Latinam traduceret Missale & Breviarium Mozarabicum;* qua de re dixi superius ex Præfatione Ortizii, in Missale Mosarabicum; quamque auctor noster ad marginem sui catalogi hujus citat.

Antonii Rodriguez, 378 *Secundò. Antonius Rodriguez, pastor ecclesiæ parœcialis Mozarabicæ SS. Justæ & Ruffinæ, in ritibus ac cæremoniis Officii Gothici versatus: quam ob causam nominavit illum eminentissimus Cardinalis Cisnerius, ut adesset & auxilium præberet canonico Ortizio &c.* prout videre est in citata modo Præfatione.

Hieronymi Gutierrez, 379 *Tertiò. Hieronymus Gutierrez, pastor ecclesiæ parœcialis Mozarabicæ S. Lucæ, propter suam in Officio Gothico intelligentiam etiam nominatus ad idem opus traductionis & additionum. Tres isti insignes viri (quorum patriam rescire non potui, tametsi omnem ob diligentiam adhibui) floruerunt versùs annum Christi* MDII, *& jacent sepulti in parœciis, quarum fuerunt pastores. De illis mentionem facit doctor Pisa (Historiæ Toletanæ part. 2.) atque ista hic eis debetur memoria, propterea quod illustrarunt Officium sanctum Mozarabicum traductione & additionibus, quæ fecerunt.*

Gasparis Manso, 380 *Quartò. Gaspar Manso, pastor ecclesiæ parœcialis S. Lucæ, vir perspectæ virtutis (Robles. Tract. de Offic. Gothic. cap,* XXI, *pag. 215 & 216) & devotissimus miraculosæ imaginis Mariæ sanctissimæ; quæ cum titulo Spei colitur in dicta ecclesia, à temporibus S. Ildefonsi. Sancta ista singularem ejus affectum præmiavit, concedendo, ut fuerit oculatus testis prodigii, quo in humana forma descenderint quatuor angelici spiritus, ad cantandum illi, tamquam reginæ suæ, Salve; quod contigit versùs annum Christi* MCDXC: *& paullo post è vita excessit venerabilis iste pastor, qui jacet sepultus in dicta ecclesia.* Adscribit ad marginem præsentis catalogi auctor D. Caminus: *Exstat præterea in eadem ecclesia S. Lucæ tabula quædam antiqua, in qua hujus miraculi historia depicta est, & in ea visitur præfati rectoris ad vivum expressa imago.* Pergamus cum eo.

Didaci de la Salve, 381 *Quintò. Didacus de la Salve, natus Toleti, ejusdem ecclesiæ S. Lucæ beneficiatus, probatæ vitæ sacerdos. Proprium ejus cognomen erat Hernandez. Assumpsit cognomen de la Salve propter patrem suum; qui ita se vocari voluit; quia fuit primus, qui meruit videre spiritus angelicos; & qui instituit, ut singulis Sabbatis descenderet musica istius primatialis ecclesiæ, illud Salve Dominæ nostræ cantatura; quod hodiedum observatur in memoriam prodigii, quod retulimus num. 4; cujus devotionem hereditavit filius, qui istius miraculosæ imaginis amator devotissimus, vitam suam impendit totam, ut illi serviret, nolens transire ad beneficium Mozarabicum majoris reditus annui, ut ne sejungeret se à visu Dominæ istius, quæ singulari cum prodigio manifestavit, quod gratus sibi fuisset affectus hujus venerabilis sacerdotis. Postquam igitur versùs annum* MCDXCIX *obiisset, & testamentarii ejus emissent duodecim faces, ad ejus sepulturam, honores, nec non Officium ecclesiæ, quod anno à defuncti morte elapso fit; illæque incensæ usui fuissent in hoc, atque in tribus Missis cantatis; quas, ut moris est, pro ejus anima celebravit capitulum pastorum ac benefi-*

A *neficiatorum Mozarabum & Latinorum hujusce civitatis; compertum fuit, quod duodecim dictæ faces idem habuerint pondus, quod habebant, dum ex officina ceraria extractæ fuerunt. Sepeliri se jussit in sua ecclesia S. Lucæ; ubi jacet, expectans universalem resurrectionem.*

Mancii de Villafane,

382 *Sexto. D. Mancius de Villafañe, natus Toleti, pastor ecclesiæ paræcialis S. Marci; cujus amplissimo beneficio renuntiavit sponte. Fuit capellanus major capellæ Mozarabicæ; sanguine ac pietate illustris; prout publicum illud faciunt copiosa monumenta, atque opera pia, quæ dotata reliquit in dicto sacello: cujus sacellani in memorem grati animi tesseram munificentiæ ejus, posuerunt ipsius effigiem in ejusdem sacrario. Dedit quoque pastorum ac beneficiatorum Latinorum & Mozarabum istius civitatis capitulo ditissimam crucem argenteam auro obductam, quæ gravitatem habet quingentorum ducatis nummorum argenteorum, & pro vexillo servit in omnibus eorum functionibus publicis. Ad instantiam ejus confirmavit Philippus III, Hispaniæ rex, privilegia,* id quod B ego non satis combino cum dictis num. 362) *quæ D. Alfonsus VI rex, ejusque successores concesserunt Mozarabibus parœcianis seu parœciarum Mozarabicarum istius civitatis* (Notat Caminus ad marginem, *extare hanc privilegiorum confirmationem in archiv. capel. Muzarab.*) *Jacet sepultus in claustro præcipuo sanctæ ecclesiæ Primatialis; & in lapida ejus legitur hæc brevis inscriptio:*

Post tenebras spero lucem.
Licentiatus Mancius de Villafañe
Muzarab. Sacellanus major, et
Rector ecclesiæ sancti Marci.
obiit
Die 2 Junii anno Dom. mdcxv.

. . . . :

Francisci de Pisa; cujus opera

383 *Septimò. Franciscus de Pisa, natus Toleti, Facultatum theologiæ ac philosophiæ in hujus civitatis universitate decanus, juris utriusque doctor, ecclesiæ paræcialis S. Lucæ pastor (antea fuerat beneficiatus S. Sebastiani) & sacellanus major sacelli Mozarabici; vir ad omnes lucis splendores venerabilis; & doctissimum hujus veritatis testimonium sunt opera ejus; quæ quia copiosa sunt & docta, celebrem illum reddidere in orbe terrarum universo. Illorum mihi visum est instituere narrationem exactam: atque hunc in finem illa dividam in quinque classes... Theologica. In* I *&* III *partem D. Thomæ. In Magistrum Sententiarum. Quotlibeta theologica. Notationes in Cantic.* C *Cantic. In Isaiam. In Epistol. D. Pauli ad Galat. Methodus intelligendi divinas Scripturas. Assertio de immaculata Conceptione Virginis Mariæ.*

in lucem edita

384 *Canonica. Summa casuum conscientiæ. Epitome summæ casuum tribus tomis divisa. Philosophica. Commentarii in libros Aristotelis de anima. In libros de cælo & mundo; Ethica & Methaphysica. De locis Dialecticis. Questiones in caput* VIII *Peribermeniarum. Ecclesiastica. Manuale ad Sacramenta Ecclesiæ ministranda. De sacris ritibus & cæremoniis. Tabula de Officio Gothico Muzarabico;* Hispanicè; uti & sequentes: *Duo tomi Sermonum super Evangelia totius anni. Duo tomi de instructione ad vitam spiritualem. Summa exercitiorum spiritualium. Exercitia septimanæ sanctæ. Historica. Historia Toletana, duobus tomis. Historia tertii Ordinis S. Francisci. Historia vitæ, martyrii, & translationum S. Leocadiæ. Additiones ad Historiam Toletanam Petri de Alcozer. Summarium ceremoniarum & favorum spiritualium.* Sed Nicolaus Antonius in Bibliotheca Scriptorum Hispaniæ, qui post annum 1500 floruere, pag. 351, refert, quod *posteriorem* Historiæ Toletanæ partem, *ecclesiasticis rebus destinatam, occupatus aliis, non perfecerit.* Subjungit Caminus:

recensentur.

385 *Ista sunt opera, quæ scripsit ille insignis vir, fulgor & splendor patriæ suæ Toletanæ, quæ illum venerata est ut sapientiæ oraculum; admirataque est tamquam perfectum exemplar maximè æquabilis, & religiosæ vitæ, quam duxit in ista civitate spatio annorum octoginta trium, sine alicujus reprehensione, & cum exemplo omnium suorum civium; quorum humeris delatis fuis die transitus sui ad sepulcrum: quod, memoriam ejus honorans & merita, decreto suo singulari illustrissimum capitulum istius sanctæ ecclesiæ Primatialis ipsi designavit: ubi jacet ad ingressum capellæ Mozarabicæ, hac cum inscriptione:* Hic jacet Franciscus Pisa, S. theologiæ, et liberalium artium in accademia Toletana decanus, juris pontificii doctor, et Muzarabum sacellanus major. Obiit die III Decembris anno ætatis suæ lxxxiii Domini vero mdcxvi. Qui legis, si sapis, vive sicut iste, moriturus. E

ubi & Alphonsi de Villegas.

386 *Octavò. Alfonsus de Villegas, natus Toleti, magister in sacra theologia & Scriptura, beneficiatus proprius ecclesiæ parochialis Muzarabicæ S. Marci, & sacellanus istius sacelli, bene cognitus ob suam doctrinam. Scripsit ac composuit magnum & doctum opus, Florem Sanctorum, aut Vitas Sanctorum veteris & novi Testamenti, quod circumfertur excusum tomis sex.* (Citatur ad marginem, ejus *Introductio ad Vitam S. Romani, & Vita S. Isidori archiep. Hispal.*) *Jacet sepultus in ecclesia parœciali S. Romani; ubi fuit baptizatus die* XXIX *Octobris, anni* MDXXXIII, *& cantavit primam Missam. Humari se jussit in sepulcro parentum suorum, quod in dicta ecclesia proprium habent; relicto suis testamentariis mandato, ut ne supernotascant illi inscriptionem ullam; prout factum est. Fuit nomen ejus (estque hodiedum) in veneratione Toleti ob notam ejus virtutem & charitatem, quâ resplenduit mirificè, exercendo illam in omni piorum operum genere septuaginta duorum annorum spatio; & famosum in omni Europa doctis & piis ejus scriptis, quæ cum applausu magni fiunt à nationibus omnibus, & auctoribus exteris, qui eum citant singulari cum æstimatione doctrinæ ejus.* Lucubrationibus ipsius jam dictis aliæ nonnullæ superaddi possunt ex Nicolao Antonio paullo superius designato, pag. 43. F

§. II.

Reliquorum virorum illustrium series pertexta usque ad annum MDCCVI.

Hos inter locum habent Josephus de Valdiviesso,

N*onò. Josephus de Valdiviesso, natus Toleti, magister in philosophia, pastor ecclesiæ paræcialis S. Torquati, sacellanus honorarius serenissimi Infantis Cardinalis, & sacelli Mozarabici: insignis poeta Hispanus; cujus abundans æstrum sese semper occupavit cum admiratione Hispaniæ, in argumentis sacris; & in particulari, in dulcissimo poemate, quod in octavo rhythmo composuit, de vita & morte gloriosi patriar-*

SEC. XVII. *cha S. Josephi; quod adeo æstimatum est inter doctos; prout palam faciunt repetitæ impressiones, quæ de illo factæ sunt. Floruit versus annum Christi* MDCXXXII. *Jacet in urbe Matritensi.* Ex Nicolao Antonio, paulo ante allegato, pag. 626 explico illud *octavo rhythmo* (quod ex Hispanico exemplari, ubi est *octava rhitma*, sic reddidi) hoc est *eo carminis modulo, quem à singulis octo versibus invicem respondentibus*, OCTAVAS, *sive octava rima tam nostri, quam Itali vocare amant*, inquit laudatus Nicolaus Antonius; è quo varia quædam alia, quæ memoratus Josephus conscripserit, intelligi possunt.

Eugenius de Robles.

388 *Decimò. Eugenius de Robles, natus Toleti, magister in philosophia, & capellanus Mozarabicus, vir satis doctus, scripsit Epitomen Vitæ eminentissimi venerabilis Cardinalis Cisnerii, & Tractatum de Officio Gothico Mozarabico, quæ excusa sunt Toleti, anno* MDCIV. *Ex libris præsentiarum capellæ Mozarabicæ obiisse videtur anno sequente* MDCV: *cum in ista anno non inveniantur ejus subscriptiones, inter illas,* B *quæ reliquorum sunt capellanorum.* Sed hoc inde non sequitur, si vera sunt, quæ de ipso refert Nicolaus Antonius pag. 276: nam *tandem*, inquit, *professus fuit religiosæ vitæ institutum inter Clericos regulares minores*; ibidem etiam præmittens, quod *ad S. Marcum parochus* etiam fuerit. Sequamur iterum Caminum.

389 *Undecimò* denique ac postremò. *D. Emmanuel de Messa, natus Toleti, pastor Ecclesiæ parœcialis Mozarabicæ S. Eulaliæ (quem ego,* D *inquit, novi.) Fuit sacerdos compositæ vitæ, quam impendit semper in operibus pietatis, & specialiter in augmenta cultus divini; quare in re omnes suos reditus annuos consumpsit. Illis reædificavit suam ecclesiam S. Eulaliæ, quæ à multis jam annis ruinam minitabatur; eamque adornavit supellectile & ornamentis tanta cum liberalitate, ut hodiedum sit una ex instructioribus parœciis Mozarabibus ac Latinis hujus civitatis. Cum idcirco, tum quia fuit fundator venerabilis confraternitatis sacerdotum, cujus titulus est magister noster Jesus Christus, qui in sua miraculosa imagine Nazareni venerationem habet in ista ecclesia S. Eulaliæ, dignus est venerabilis iste pastor memoria hac. Obiit anno* MDCCVI; *& se humari mandavit in sua ecclesia: ubi jacet usque ad universalem resurrectionem.*

Emmanuel de Messa.

390 Addit sub finem V. Cl. Caminus Velascus, relata tam in syllabo antecedente, quam in hoc catalago desumpta esse ex auctoribus, qui citantur (citabantur certè in Ms. ad nos misso) ad marginem: atque ex instrumentis & chartis archivi capellæ Corporis Christi Mozarabicæ; quæ de mandato Illustrissimi Capituli sanctæ ecclesiæ Primatialis, patroni dictæ capellæ, sibi patuisse refert ad istum finem, die XX mensis Junii 1724. E

CAPUT IX.

Officii Mozarabici, ac singularum ejus partium notitia.

§. I.

Quædam generatim prænotata; Horæ Canonicæ.



Hoc ita hactenus de origine, progressu, variisque liturgiæ Mozarabicæ vicissitudinibus historico-chronologicè deductis, nunc ad ea veniamus, quæ ad ipsius argumentum, ordinem, modum ac cæremonias potissimum spectant, dando specialem totius dictæ liturgiæ notitiam, partesque ejusdem singulas explanando atque illustrando. Quædam itaque priùs generatim prænotemus. Inseruit ea Eminentissimus Aguirrius tomo 3 Collectionis maximæ Conciliorum omnium Hispaniæ & novi Orbis, à pag. 261, excerpta & in Latinum sermonem conversa ex Hispanico libro de Vita & gestis Francisci Ximenii S. R. E. Cardinalis, auctore Eugenio Roblesio superiùs laudato.

Ex Hispanico Roblesii, apud Aguirrium Latine edito. C

Horarum principium.

392 *Inter alia notatu digna, & ab Officio Latino discrepantia habet istud officium Mozarabicum vel Isidorianum vel Gotthicum, quædam, quorum usus generalis est in omnibus tum majoribus tum minoribus Horis, sicut sunt initia, in quibus semper habetur Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison; Pater noster, & Ave Maria secretò: & protinus: In nomine domini nostri Jesu Christi lumen cum pace. Respondetur autem: Deo gratias. Quod quidem convenit cum eo, quod dicitur: Deus in adjutorium meum intende, in Latino vel Gregoriano Officio, excepto Completorio, quod aliter incipit: ut suo loco videbimus. In fine verò precum semper apponitur: In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace. Responsum autem est: Deo gratias. Quod congruit cum his Latini Officii verbis: Benedicamus Domino.*

Illic etiam dicitur: Per omnia semper secula seculorum; & Dominus sit semper vobiscum, & F *Gloria & honor Patri, & Filio &c., ubicumque in Romano Officio se profert occasio dicendi, Gloria Patri, & Filio.*

Nec secus Responsa titulorum Prophetiis vel Epistolis inscriptorum, proferunt Deo gratias, pariterque dicitur Amen in fine; sicut etiam respondetur Amen sub fine cujuslibet orationis totius Officii; quomodocumque illa desinat. Neque tamen auditur aut legitur oremus, ante ullam orationem.

393 *Horis autem absolutis adjicitur Pater noster alta voce; singulisque postulatis additur, Amen: nisi cum profertur hæc petitio: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Respondetur enim huic: Quia Deus es; & ultima, quæ dicitur, sed libera nos à malo: moxque eodem tenore consequenter hæc pia verba proferuntur: Liberati à malo, confirmati semper in bono &c. Quibus Deo necessitates fidelium peculiariter commendantur: pronuntiaturque istud itidem in Vespertinis precibus, Laudibus, & Missa: in cæteris autem precibus suo loco dicitur: A malo nos libera, & in tuo timore, & opere bono nos confirma &c.* His

De oratione Dominica.

A

De Benedictione. His peractis, qui sacra peragit, vel Diaconus, jubet his qui adsunt, ut humilitatem exhibeant cum his verbis: Humiliate vos benedictioni; Dominus sit semper vobiscum. Confestim verò sacerdos benedictionem impertit, atque pronuntiat tres petitiones continenter; quarum cuilibet respondetur: Amen. Eo modo, & cum hac benedictione preces omnes absolvuntur, exceptis Matutinis, quæ uno spiritu cum Laudibus dicuntur, imo commiscentur, & pro una eademque re censentur.

Divisio Officii. 394 Distribuuntur Officia in Dominica, quæ vocantur ab Officio Latino Dominica, & in ferias, & festa: horum autem postremorum quædam nomen suscipiunt solemnitatis sex trabearum vel pluvialium, eaque sunt quasi duplicia: alia vocantur quatuor pluvialium, suntque velut semiduplicia; alia duorum pluvialium, novem lectionum: suntque quasi simplicia. Et juxta Breviarii canonem, cum decantatur Officium Sancti cujuspiam, nulla fit in Sacro vel precibus Vespertinis commemoratio alterius; cujus festum vel celebratum antea fuerit, vel sit postea celebrandum. Notandum tamen est in precibus Vespertinis, quod, si contingat debere dici quidpiam de Sancto, cujus commemoratio minus sit

B

solemnis aliâ, quæ præcedenti die facta est, dicuntur Vespertinæ preces de insigniori, cum oratione & Laude unica minùs solemnis: illud autem veluti commemoratio quædam est.

De Vespertinis precibus. Quid Laus, & Sonus. 395 Nunc ad singularia magis descendamus, quæ habentur apud laudatum Aguirriam, ex Roblesio Latinè reddita, sub hoc titulo: De Horis tum majoribus tum minoribus hujus sancti Officii; & sic sonant: Officium Mozarabicum cujuscumque Dominicæ, feriæ vel festi, incipit à precibus Vespertinis, in quibus numquam dicitur ullus psalmus: suntque hæ preces totius hujus Officii brevissimæ, diciturque in iis communiter Laus, Sonus, Antiphona; dein alia Laus. Postrema verò duæ dicuntur cum Gloria & honor Patri: sub finem autem cujuslibet dicitur: Dominus sit semper vobiscum, exceptâ ultimâ; quia è vestigio sequitur Hymnus. Laudes, Soni, & Antiphonæ hoc in Officio conveniunt cum Responsis Officii Romani.

Quid Supplicatio. Deinde profertur Hymnus, & eo absoluto Supplicatio: quæ nihil aliud est, quam parænesis sacerdotis ad populum, quâ eum adhortatur, ut à Deo petat, quod expedit, ut eum colat.

C

Huic autem respondetur: Præsta omnipotens, æterne Deus. Mox dicitur oratio, quæ à tribus Kyrie eleison inchoatur, absolviturque cum tribus orationibus Dominicis, & Benedictione, ut jam generatim perstrinximus.

Laus loco Magnificat. 396 Succedit superioribus Laus una, quæ eumdem locum obtinet, quem in Officio Latino possidet Magnificat: dumque ille cantatur, thuribulo accepto sacerdos templum odore perfundit: eâ verò decantatâ, dicitur oratio, cum Vespertinis precibus finis imponitur.

Commemoratio. His absolutis, suffragiorum communium loco, quibus utitur Officium Romanum, dicitur alia Laus, aliaque oratio. Verùm hæc commemoratio non fit in festis sex aut quatuor trabearum, neque in Octavis.

Nota. Quædam festivitates peculiares & Dominicæ plerumque in Vespertinis precibus plures prædictis Laudes habent, & orationes; ut suis locis videbitur. Notandum verò est, orationes tantùm & Laudes in precibus Vespertinis, Matutinis, & laudibus reperiri; dicique ante quamlibet orationem in Matutinis & Laudibus, Dominus sit semper vobiscum. In Vesperis autem dicitur oratio sine præviis hisce verbis; Dominus sit semper vobiscum.

Ex editis apud Aguirrium.

De Completorio. 397 Completorium autem inchoatur à psalmo: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine &c.; moxque dicuntur tria Alleluia singulis anni temporibus, exceptâ Quadragesimâ: substituitur enim in eorum locum: Laus tibi, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ. Confestim sequitur alius psalmus, iteraturque ter Alleluia. Deinde dicitur alius cum Hymno & Versu; consequenterque dicitur psalmus: Qui habitat in adjutorio Altissimi &c. Huic succedit & alius psalmus, & alter Hymnus, ita ut quinque illic psalmi dicantur, interserunturque duo Hymni; hinc dicitur Versus, Supplicatio, Capitulum, Pater noster, & Benedictio: sicque Completorium absolvitur. Post hæc dicitur Versus & oratio pro commemoratione; exceptis solemnitatibus sex aut quatuor trabearum, aut Octavis; ut jam monuimus, agentes de precibus Vespertinis. Sub finem autem Completorii attexitur Salve, Versus, & oratio ad Virginem Deiparam, quæ incipit, Virgo Israel &c. In Sabbatis, præcipuisque diebus festis, & Quadragesima quædam peculiaria dicuntur in Completorio, ut in Breviario videre est.

E

De precibus Matutinis. 398 Matutinæ preces hujus Officii breves sunt admodum, & exordium sumunt ab oratione Dominica, & Angelica salutatione: quibus additur Antiphona: Ave Regina cælorum, cum ejus Versu, & oratione beatæ Virginis; quâ absolutâ sacerdos ait: In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace, ut jam scripsimus. Deinde attexitur Antiphona, & psalmus Miserere: hinc tres apponuntur Antiphonæ cum Responso uno: quamlibet autem sua comitatur oratio.

Monendus est autem lector, dici post singulas orationes Matutinarum precum & Vespertinarum, itidemque Laudum, & sancti Missæ sacrificii; dici, inquam: Per misericordiam tuam Deus, qui es benedictus, & vivis & omnia regis in secula seculorum. Quibus respondetur. Amen. Et ista conveniunt cum his, quæ posita sunt ad calcem orationum Officii Romani, scilicet: Per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum. Tandem Matutinæ preces communiter absolvuntur cum ultimo Responso, sive sit post illud oratio, sive non sit.

Veruntamen in Dominicis per annum; Dominicis item Adventûs, & Quadragesimæ incipiunt Matutinæ preces ab Hymno: Æterne rerum conditor, loco primæ Antiphonæ; statimque sequitur oratio: post quam dicuntur tres psalmi, singuli cum suis Antiphonis; hisque tres Antiphonæ succedunt cum Responso & orationibus, uti à nobis antè dictum fuit.

F

De Dominicis post Pascha. 399 Dominicis autem diebus, qui inter Christi Resurrectionem, & Pentecosten habentur, sequuntur Muzarabes commune Officium festivitatum totius anni: eo tamen excepto, quod loco Miserere, dicitur psalmus: Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me. Idemque in festis Inventionis, Exaltationis, & Triumphi sanctæ Crucis, Ascensionisque, & aliis solemnioribus observatur.

De Laudibus. 400 His peractis sequuntur Laudes cum Antiphona, quam præcedit: Dominus sit semper vobiscum; eamque sequitur Canticum quodpiam veteris aut novi Testamenti. Die verò D. Magdalenæ duo Cantica dicuntur. Peculiare autem admodum est, quod in Officio Muzarabico, totius anni decursu nullibi audiuntur hæc duo

Can-

Ex editis apud Aguirrium.

Cantica, Magnificat, & Benedictus Dominus Deus Israel; nisi hoc in loco. Dicitur autem Magnificat in solis beatæ Virginis Officiis, & nocte Nativitatis Domini nostri. Benedictus autem solummodo in festo S. Joannis Baptistæ.

Absoluto Cantico, recitataque Antiphona, & dicto Dominus sit semper vobiscum, dicitur alia Antiphona ante psalmum, Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum: qui quidem strictim summatimque complectitur psalmum: Benedicite omnia opera Domini Domino, idemque sonat, si sensum penitus intuemur. Ad hæc dicitur Sonus, & alia Antiphona ante psalmum Laudate Dominum de cælis; quo decantato legitur prophetia quædam, quam sequitur Hymnus, Supplicatio, Capitulum, Pater noster, Laus, & Benedictio: sicque finis Laudibus imponitur. Succedit his Laus quædam, & oratio loco suffragiorum, ut in Vespertinis precibus, & Completorio: idque tantum fieri solet in festis duorum pluvialium, aut novem lectionum: quæ simpliciùm appellationem sortiuntur.

De Aurora.

401 *Officium istud Muz-arabicum superat Romanum una precum specie, quæ vocatur Aurora. Illæ autem preces dicuntur ante Primam, & in aliis anni feriis, adeoque paucæ sunt, cum singuli dies Sanctis quibusdam addicantur, ut, exceptâ Vigiliâ Nativitatis Dominicæ, & Regum, dieque Cinerum, rarò per annum in Muz-arabes utuntur.*

B

Hæ vero preces habent cum Antiphona quatuor psalmos, Laudem unam, Hymnum unum, Versumque unum: finiuntur autem oratione Dominica absque Capitulo, & cum precibus quibusdam.

De Prima.

402 *Initio Primæ dicitur Antiphona, & Dominus sit semper vobiscum: statimque dicuntur septem psalmi, iteraturque Antiphona, quam sequitur Responsum unum cum Prophetia, unaque Epistola, & Laude, quam comitatur Hymnus cum suo Versu; moxque dicitur: Te Deum laudamus, Gloria, & Credo.*

Id autem observatur, quod diebus Dominicis Adventûs, & Quadragesimæ, quoties non dicitur in Sacro Gloria, non recitatur in Prima Te Deum Laudamus, aut, Gloria, diciturque tantùm symbolum Apostolorum; cui succedunt Supplicatio, Pater noster, & benedictio, cum quibus absolvitur Prima. Prima autem eo modo se habet totius anni decursu. Notandum tamen est, Responsa mutari, ut exigit festum, quod colitur, aut Sanctus, cujus memoria celebratur. Sunt & aliæ festivitates, quæ in minoribus precibus Hymnos habere proprios consueverunt, sicuti Resurrectio, quæ in Prima Responsum, & Hymnum proprium; deinde dies festi, Dominici, & feriæ sua specialia Capitula, peculiaresque suas benedictiones habentes.

C

Tertia, Sexta, Nona.

403 *Tertia incipit, ut Prima, cum Antiphona, habetque quatuor psalmos, variaque Responsa, ut in Prima diximus. His additur Prophetia, una Epistola, Lauuma, & unus Hymnus, quem sequuntur clamores, quibus petitur à Deo, ut non juxta scelera pœnas infligat; illicoque dicitur Supplicatio, Capitulum, Pater noster & Benedictio. Sicque regulariter Tertiæ finis imponitur. Sexta & Nona eodem modo, quo Tertia, recitantur, solumque in eo differunt, quod alii psalmi, & Hymni aliaque capitula hic habentur. Verum quoad psalmorum ordinem & numerum, semper idem, quod in Tertia diximus, observatur.*

D

De DD. Cypriano & Martino.

Celebratur etiam solenne jejunium tribus diebus ante festum Epiphaniæ juxta istud Officium: iis verò diebus plurimum differunt Tertia, Sexta, & Nona: quia peculiares Prophetiæ, Antiphona, psalmi, Orationes, precesque dicuntur, & alia specialiter hisce diebus aptata, ut in Breviario patet. Celebratur item solenne jejunium cum Officio divino particulari, mense Septembris, tribus ante D. Cypriani festum diebus, pariterque mense Novembris tribus ante D. Martini solennia diebus, uti videre est in Breviario post Dominicas Pentecostes.

De Adventu.

404 *De quibusdam notatu dignis, quæ peculiaria sunt Officio Muz-arabico,* subduntur apud Aguirrium pag. 264 sequentia: *Notandum generaliter est, celebrari in hoc Officio Gotthico Muzarabico sex dies Dominicos Adventûs Domini nostri, cum in Officio Latino quatuor tantummodo celebrentur.*

De Dominica ante Quadragesimam.

Ante Quadragesimam nulla fit mentio Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ; quamvis illic habeatur peculiare Officium Dominicæ, quæ præcedit Quadragesimam. In eo autem id animadversione dignum occurrit, quod legitur Evangelium Divitis avari, & mendici Lazari, ad damnandum vulgi morem, quod eo tempore quasi altissimus gurges, voracissimè sese explet, adeo ut ventri, non aliis rebus natus esse videatur. Appositè autem inseritur Breviario Sermo S. Isidori, qui hoc Officium ampliavit, pro Bacchanalium, seu Martis die, cui dies Cinerum immediatè succedit. Demum hoc in Officio unâ Adventûs Dominicâ memoria S. Joannis Baptistæ celebratur. Ea autem est, quæ festum Nativitatis ejus antecedit; mirumque profectò & notatu dignum est, neminem è Beatorum choro (Christum excipio) ne ipsam quidem Virginem Deiparam, Adventu gaudere, præter S. Joannem Baptistam. Et hæc sufficiant quoad Officium, & Breviarium Muz-arabicum. Sequuntur apud Aguirrium idea Missæ Mozarabicæ, ejusque cæremoniæ; at de istis rebus nos inferiùs agemus. Hæc interea nunc præmittimus.

E

De S. Joanne Baptista.

§. II.

Missæ Dominicarum Quadragesimæ, feriarum Quadragesimæ, Vigiliarum totius anni, ac pro Defunctis. Quædam speciatim notatu digna circa Missam Mozarabicam. Orationes pro Eminentissimo Mozarabum Fundatore. Sancti.

F

Incipit Missa a prophetia.

Aguirrius à pag. 267, ex Roblesii Hispanico à pag. 296, de Duminicis Quadragesimæ imprimis ita fatur: *Sacrificia Dominicarum Quadragesimæ immediatè incipiunt post absolutam confessionem generalem à prophetia; illicque penè semper leguntur duo vaticinia, vel plura; eaque sequitur Psallendum.* Deinde *immediatè sacerdos genu flexo supra gradus altaris recitat quasdam preces, calicem præ manibus habens cum vino, & aqua, & hostia supra patenam collocata.* Deinde *absolutis precibus recitat sacerdos orationem, cujus initium est: Exaudi orationem nostram Domine &c. Recitatis superioribus, dicitur Epistola & Evan-*

Preces aliæ.

A

Evangelium cum laude. Hinc ante sacrificium & ablutionem, sacerdos genu flexo ad altare, recitat alias preces, quæ incipiunt: Pœnitentes orate. Quibus dictis, peragitur Sacrificium, & continuatur Missa . . . Antiphona ad confractionem panis; & responsum seu exhortatio, quæ vocatur Ad accedentes, in his Quadragesimæ Missis varietatem patiuntur.

Loco Benedicamus Domino.

Sic loco Benedicamus Domino, quod dicitur in Missis Quadragesimalibus Officii Gregoriani, effertur in Muz-arabico: In nomine Domini nostri Jesu Christi perficiamus cum pace.

Prima Dominica Quadragesimæ;

406 *Ab hac regula generali Dominicarum Quadragesimæ excipitur prima Dominica, in qua dicitur, Introibo, & Gloria cum oratione, sicut in ceteris festivitatibus totius anni. Nec dicuntur preces: Pœnitentes orate. In reliquis verò observatur ordo præfatus ceterarum Quadragesimæ Dominicarum.*

ejusdem feriæ;

Feriæ Quadragesimæ eumdem modum Officii servant, quem Dominicæ, excepto, quod absolutis vaticiniis, loco precum & Psallendi, dicitur Tractus, efformatus ad similitudinem eorum, quæ in Officio Romano post Epistolam dicuntur: desumiturque penè semper ex aliquo vaticinio Hieremiæ, vel alicujus alterius prophetæ. Deinde sequitur Epistola cum reliquis, ut dictum est in Dominicis Quadragesimæ.

B

Vigiliæ totius anni.

Jam verò de Vigiliis totius anni præscribuntur sequentia: *Differunt tantùm Vigiliarum Missæ à ceteris totius anni Sacris in eo, quod introitu carent, privaque oratione & Gloria: initiumque sumunt à prophetia. In ceteris verò communem totius anni Ordinem sequuntur, ut notavimus.*

Introitus Missæ pro Defunctis.

407 Missæ pro defunctis ista sunt propria: *Absoluta confessione in Missa, quæ pro defunctis celebratur, constitutus sacerdos in medio altaris ait: Erigite vos. Dominus sit semper vobiscum; statimque consequenter dicit Officium vel Introitum, incipiens ab his verbis: Tu es portio mea, Alleluia, in terra viventium, Alleluia. Tempore Quadragesimæ dicitur aliud Officium, vel alius Introitus, carens Alleluia.*

Non dicitur Hagios.

Notate, non dici in Missa pro Defunctis, Hagios, Hagios, ad dicendam orationem, quam vocant Aliam; verùm sacerdotem, dicentem Oremus, recitare supplicationem, Ecclesiam Catholicam &c.

Kyrie eleison.

C

Hoc in Officio priusquam dicatur prima oratio, vocata Missa, & Dominus sit semper vobiscum, quod eam præcedit, dici Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Illatio vel Præfatio.

Ante Præfationem vel Illationem non dicitur in hoc Officio defunctorum invocatio sanctissimæ Trinitatis, incipiens: Gratia Dei Patris omnipotentis &c. Nec etiam dicitur: Introibo ad altare Dei mei. Dumque absolvuntur hæc verba: Quia tu es vera pax nostra, cum quibus finis quartæ orationi, quam Ad pacem vocamus, imponitur, consequenter dicitur: Aures ad Dominum. Et cum hoc versu Præfatio vel Illatio inchoatur. Ad confractionem panis dici solet hoc responsum: Requiem æternam det eis Dominus, lux perpetua luceat tibi, & repleatur splendoribus anima tua, & ossa tua revivificant de loco suo. Variatur autem tam hoc responsum, quam aliud, quod vocatur Ad accedentes, in quibusdam Missis, quæ pro defunctis dicuntur, ut patet in Missali.

Requiescant in pace.

408 *Neque verò dicitur Requiescant in pace, in his Missis, sed in ejus locum, Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei sine fine requiescant in pace; respondeturque: Deo gratias.*

Ex editis apud Aguirrium.

Missæ peculiares.

Sunt in hoc Officio Missæ peculiares pro defunctis, juxta gradum, quem hac in vita possederunt, veluti pro episcopo, sacerdote, diacono, subdiacono vel seculari. Est etiam Missa pro infantibus baptismo regeneratis, qui ex hac vita cum innocentia baptismatis excesserunt, inscribiturque, Missa parvulorum defunctorum. In eorum autem memoriam offertur Sacrificium, quo petitur à Deo in peculiaribus hujus Missæ orationibus, ut, quemadmodum pueri isti per ejus ingentem misericordiam, innocentium puerorum Bethlehem consortio gaudent; ita nos frui possimus in cælo consortio utrorumque puerorum, peccatorum nostrorum in hac vita veniam obtinendo. Sic etiam petitur venia pro fidelibus defunctis adultis.

Missa parvulorum.

Occasione fidelium Defunctorum refertur commemoratio Mozarabum fundatoris.

409 Ecce hic tibi tanquam intercalare interfero perpetuum Mozarabum sacellanorum Toletanorum mnemosynon, debitæque erga Eminentissimum fundatorem ac restauratorem suum Franciscum Ximenium, supra quam dici possit, de se meritum, memoriæ ac grati animi monumentum; quo teste Roblesio pag. 344, peractâ Missa diebus singulis (excipe Dominicos, ac festos observari præceptos) recitatur pro ipsius animæ refrigerio secundùm ordinem Officii Mozarabici, sequens Responsorium. *Scio Domine quia nihil in terra sine causa. P. quia homo nascitur ad laborem; & avis ad volandum. ℣. Ego vero deprecabor Dominum, & ad eum ponam eloquium meum. P. quia homo nascitur ad laborem, & avis ad volandum. Oremus: Pium & exaudibilem Dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus, ut spiritum & animam famuli (Francisci Cardinalis Pontificis) in locum lucis inter agmina Beatorum propitius collocare dignetur. Resp. Præsta æterne omnipotens Deus. Kyrie. Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster* totum secretò Oratio: *Tibi, Domine, commendamus animam* &c. ut in Officio Romano (nisi quod ibi legatur *humanæ*, hic autem *mundanæ conversationis.*) *Resp. Amen. Dominus sit semper vobiscum. Resp. Et cum &c. In nomine* Domini *nostri Jesu Christi anima ejus, & omnes animæ fidelium defunctorum per misericordiam* Dei, *sine fine requiescant in pace. Resp. Amen.*

E

Martyres Hispani.

F

410 Proximum, ut revertamur eò, unde tantisper digressi sumus, ex Roblesio apud Aguirrium pag. 269 occupant locum quædam singulatim notanda in sæpe dicta Missa Mozarabica, quæ huc etiam transcribenda censemus: *In hoc Officio habentur Missæ festorum Sanctorumque peculiarium valde prolixæ, cujus generis sunt omnes* Dominicæ, *nominatimque festa quorumdam Martyrum, veluti* S. Laurentii, *S. Vincentii, & divarum Eulaliæ, Justæ & Ruffinæ, Hispaniæ Martyrum, aliorumque plurimorum. Ejus rei ratio est, quia cum sit istud Officium merè Hispanum, necnon ejus expurgator & auctor* (Adi suprà caput 3, §. 3) *divus* Isidorus, *Archiepiscopus* Hispalensis, *Hispanus fuerit; jure quidem Illatio, hymni Officii, & quædam orationes Missæ exhibent gesta Martyrum, triumphosque ab iis de tyrannis sævissimis reportatos. Cumque sanctitate micantes fuerint, & pares paucos in perferendis exquisitioribus tormentis habuerint: non immerito* D. *Isidorus eorum vitas recensuit, majus studium in enarranda* D. *Vincentii fortitudine adhibens. Quod quidem patet ex eo, quod sola Missæ Præfatio septem Missalis colum-*

lumnus impleat.

EX EDITIS APUD AGUIRRIUM. *Sancti*

411 *Notandum verò est in impressione, quam fieri jussit Illustrissimus Cardinalis Franciscus Ximenes de Cisneros, Archiepiscopus Toletanus, & in translatione Gotthici textus in Latinum, cum addidisse plerosque è Sanctis Officii Toletani veteris, & Sanctis Gotthicis Muz-arabicis miscuisse. Apposuit autem Missæ confessionem generalem cum oratione adorationis crucis, ceterisque orationibus, quæ ante Introitum dicuntur, & Salve in fine Missæ. Et quia hæc, & pleraque alia adjecit, ideo Missali inscriptionem hanc habet: Missale mixtum, secundùm regulam B. Isidori dictum Muz-arabe.* Vide quæ num. 186 notavimus.

additi,

412 *Sanctis additi fuere quidam sancti Confessores, aliique Martyres, qui ab institutione & compositione Officii Gotthici vixerunt. Et quamvis verum sit, fuisse quosdam sanctos Confessores ante Officium Gotthicum; non tamen decantatum est illis temporibus Officium eorum nomine, quia hic honos Martyribus solis tunc tribuebatur. Quod si sit Confessor quispiam, in cujus honorem dicatur Officium; is profectò censeri debet è numero eorum, qui à vetere concilio Toletano additi fuerunt.*

Certum Autem & indubitatum adeo istud est, ut si forte datum sit solum nomen Confessoris quibusdam sanctis Muz-arabicis, ut divo Gerontio, divæ Leucadiæ virgini Toletanæ, B. Crispino, aliisque id genus, constat ex hymnis festivitatum (quos habent proprios) fuisse etiam Martyres, ideoque antiquis temporibus peculiare Officium illis fuisse tributum. Hinc videre licet pene omnes Sanctos, Missam & Officium peculiariter adeptos, Gotthicos veteres esse, quia pauca sunt festa addita, quæ gaudeant Officio peculiari.

& quinam.

413 *Hinc sequitur, plerosque Sanctos, aut majorem eorum partem, de quibus dicitur commune Sanctorum, additos fuisse & immistos à Cardinale Francisco Ximenez in translatione textus Gotthici in Latinum sermonem. Non ideo tamen nego, multos fuisse Martyres antiquos, qui proprio Officio minimè gaudent, ut sunt divus Marcus Evangelista, divus Pantaleon martyr, & beata Juliana V. & M., pluresque, quorum gratiâ compacta sunt Officia, quæ communia vocantur. Disposita etiam ea fuere pro illis, qui mandato summi pontificis poterant addi, ut singulis diebus adduntur.* Ita quidem dicitur apud Eminentissimum Aguirrium; quibus major lux accedet ex dicendis circa fragmentum antiqui Kalendarii Gothico-Hispanici inferiùs paragrapho 5 producendi atque explanandi; post quod exhibebitur Kalendarium Sanctorum Missalis Mozarabici typis excusi,

§. III.

Liturgiæ Mozarabicæ Hymni.

Hymnorum usus antiquissimus tum alibi,

NOster Martinus Clairè in Dissertatione sua, opusculo de Hymnis ecclesiasticis novo cultu adornatis præfixa, *Si illorum*, inquit, *ortum à fonte repetere placet, idem erit & Christianæ religionis, & Hymnorum hujusmodi principium; cujus rei locuples testis est, idemque spectator Philo Judæus, vir utique primis Ecclesiæ temporibus æqualis. Is enim scribens de sanctissimis primorum Christianorum moribus, ritibusque (hos autem Essenorum nomine ab eo designari, tradunt Hieronymus, aliique Patres) suos illis fuisse testatur Hymnos illosque rhythmicos, quos singuli privato quisque in secessu, & simul suis in cœtibus, alternis choris concinerent.* Verba autem quibus Philonem loquentem induxit, sic sonant: *Non solum contemplationi vacant, sed etiam Cantica & Hymnos in Dei laudem componunt; vario metrorum, carminumque genere, rhythmis concinnatos.* At quorsum ad Philonem recurrere opus est? Audiatur Doctor gentium, qui ad Colossenses cap. 3, ℣ 16 sic scribit: *Psalmis, Hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.*

tum in Hispania.

415 Jam verò pium hoc exercitationis genus primis Ecclesiæ temporibus jam adultis clarescere quoque perrexisse, quis dubitet? in memoriam revocemus verba concilii Toletani IV, occasione usûs Hymnorum, quem restituit, ita enuntiatus superiùs cap. 3 §. 1, num. 103: *De Hymnis etiam canendis, & Salvatoris & Apostolorum habemus exemplum.. Et quia nonnulli Hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum & Martyrum triumphos compositi esse noscuntur; sicut hi, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt* &c. Ineunte seculo V occurrit Aurelius Prudentius, natione Hispanus, qui inter alia, quæ scripsit, pangendis variis in laudem Sanctorum Hymnis piam pariter atque elegantem operam insumpsit: prout liquet ex tractatu, qui inscribitur Περὶ στεφάνων; ex cujus calamo Hymnus S. Eulaliæ totius & integer profluxit, atque in Breviarium Hispano-Gothicum seu Mozarabicum transiit (tametsi mendose admodum in Breviario isto excusus) si excipias brevissimam clausulam, quam ibidem, non verò apud ipsum lego.

quorum ex Breviario Mozarabico

416 Hymnorum porro propriorum, qui in Breviario Mozarabico Ximeniano notantur, pars maxima transcripta fuit, dum Toleti degeremus, non quidem anni totius, sed postremi dumtaxat sacri semestris; relictis aliis semestris anterioris; quia Sanctos canunt, qui jam apud nos dati sunt, atque adeo ex Hymnorum sibi convenientium transcriptione amplius illustrari non debent. Ceterum nonnulli sunt in isto semestri postremo Sancti qui gemino, eoque proprio Hymno; alii sunt plurimi, qui unico tantum; alii denique qui nullo proprio celebrantur. Sed Hymnorum contextus plurimis mendis admodum miserè deformis est. Causam fugio quærere. Diversis autem illi modulis constant: nam invenias inter eos, qui diverso metri genere illigantur; alios videas rhythmi syllabasve formam præferre. Rem declaro ex subjecto specimine, quod exhibeo ex apographo nostro, ex impresso exemplari fidelissimè descripto prout jacet, nulla prorsus adhibita correctione mendorum, quorum tamen adeo frequens est copia; quæ & ego hic intacta relinquo.

specimen profertur de S Jacobo Majore,

417 Hymnus S. Jacobi Majoris ad Laudes cum metro Sapphico incipit, & sic habet: *Gaudeat cuncta pia plebs alumna resultet voce simul & cnorei patis fenore semper Christum roget laudis honore. Veritas. vita. spes semper tranquilla in tui almi jacobique sancti: jam cruciamur ignibus cremamur catenis magnis. Magnus hic ait dominusque noster dira resolve ignea cathena nihil nocente: mihi nunc afferto magnum iniquum.* &c. In festo S. Annæ canuntur ista: *lucis hujus festa collat plebs honestu: domino celorum dignis confrequentes hymnis. Mater matris Christi en hoc mundo tristi migrunt fide bona: sua vice donu vita*

A *tu dona. Anaam sic expressa sudit radix Jesse: ut sit mater matris nati Dei patris. Exhinc planta surgit virgo sancta: ex hoc stait fonte lapis cesus monte. Celo tam sublata mulier beata: suo nos precatu purget à reatu.*

418 Mense Augusto occurrit S. Felix martyr cum hoc hymno Trochaico rhythmico: *Fons deus vite perhennis lux origo luminis aspice plebem canentem festa: summi martyris excipe voto precantum: sume laudum carmina. En tui felicis almi pangimus insignia: tu resolve vincula lingae dans sonora cantica: ut tua rite queamus promere magnalia. Iste namque cesareo urbis mauritanie mundialis discipline dum studeret litteris: artium famosa vabra te sequendo deseris* &c. Idem modulus adhibetur in hymno SS. Justi & Pastoris: *O Dei perheane verbum patris ore proditum: organum qui imbecille ad movens infantium: das eis spirare statum: vocis ut promant sonum. Tu pias adesto nobis solve fibras gutturis: ora instrue loquellis: corda reple lacbrymis: ut sacrorum festa dignis precinamus canticis. Ecce justus: ecce pastor: ambo juncti sanguine: quos pia fraternitatis junxerat germanitas: invenis equalis sacrate passionis unitas. Hii tamen scolis recenti dum instruuntur litteris: audientes quod tyrannus* &c. Metro Asclepiadeo constat hymnus de S. Hippolyto:
B *Adsunt o populi festa celebria que felix reveit temporis orbita in seso rediens axe volubili laudem sidereo reddite principi. Hic namque ypolitus tempore terream despectus nivea scandit ad ethera: cum solvens anima corpore vividam celestem meruit sumere lauream. Dum dux belligerus esset hic agminis* &c.

de S. Felice M.

ac SS. Fausto, Januario, & Martiale MM.

419 Mense Septembri carmine Jambico bimetro honorantur SS. Faustus, Januarius & Martialis MM. *Gaudet caterva nobilis Dei repleta gratia: trium sacrorum martyrum preclara est solemnitas. Templum beata trinitas perenne condidit sibi: ex quo novum depromitur dulcissimumque canticum* &c. Jambico trimetro celebratur mense Novembri S. Romanus M. *Romane Christi fortis assertor Dei: elinguis oris organum fautor move: largire cumptum cormen suavissimum: fac ut tuarum mira laudum concinam. Qui cum scisset ipse posse facere mutos eloqui: plectrum paloti & saucium sevus tibi tortor refregit: nec tamen silentium indaxit ori:*
C *quo fatebaris Deum vox veritatis testis extingui nequit: vel si recisis palpitet mentibus: Christum loquendi lingua nunquam defuit. cum predicatur ipse verborum dator.* &c. Atque hæc plus quam satis pro specimine. Possem his subjicere, quinam Sancti apud Mozarabes hymnis celebrentur; sed cum de festis apud ipsos præcipuis proximè occursura quædam sint ex Roblesio apud Aguirrium, reliquis omissis, eò nunc pergendum esse duxi.

§. IV.

Quædam peculiaria Officio Missæ ac festis Mozarabicis referuntur.

Peculiaria quædam circa Sanctos;

DE his rursum Aguirrius à pag. 269; apud quem Roblesii Hispanicum Latinè transcribitur: *Solent etiam Muz-arabes, cum Sanctus quispiam gaudet peculiari Missa, vel aliqua ejus parte, proprium aliquid apponere Breviario ad commemorationem, ut suis locis videri potest. Præterea habent Sancti quidam aliquid particulare in reliquo Officio, non autem in Missa, sicuti D. Elisabeth, Hungariæ Regina, D. Saturninus martyr, D. Anna, D. Clemens, & quadraginta Martyres, D. Gabriel Archangelus, Apparitio S. Michaëlis, D. Sperati & sociorum. Id autem adeo rarò accidit, ut penè notari non possit. Videantur ista suis locis. Sunt etiam Sancti quidam, qui proprios tantum habent hymnos vespertinarum precum, sicuti D. Euphemia, D. Augustinus, D. Hieronymus, D. Vincentius, Sabina, & Christeta, D. Marcellus Martyr, D. Catharina, S. Æmilianus Abbas.*

Ex editis apud Aguirrium.

Officia propria,

421 *Cuplo eandem percensere quædam circa Sacra & Officia propria, quibusdam festis, & Sanctis particularibus aptata, ultra Officia & Missas de communi, quæ Sanctorum causâ habentur, qui propriis Officiis carent. Habent Officium Sacrumque proprium seu Dominicæ Adventûs Domini nostri; item Dominica Adventûs D. Joannis Baptistæ, alioque Dominica ante Epiphaniam cum octo aliis post Epiphaniam; deinde Dominica, quæ diem Cinerum præcedit; dies ipse Cinerum cum omnibus Quadragesimæ feriis; cujus Dominicæ complectendo Dominicam Ramorum, sunt sex. Item dies Cœnæ Dominicæ,*
B *dies Parasceves, & Sabbatum sanctum: solaque dies Parosceves dicitur Passio. Habent pariter Officium, sacrumque proprium Dominica Resurrectionis cum feriis usque ad sequentem diem Sabbati. Similiter & sex Dominicæ, quas post Pascha vocamus: Dominica post Ascensionem, & octo Dominicæ post Pentecosten. Ultima autem Dominica ea est, quæ vocatur Dominica ante jejunium Kalendarum Novembrium.*

festa,

422 Observanda etiam veniunt festa præcipua, quæ Sacro proprio & Officio gaudent, quæ ab eodem auctore notantur hoc ordine, pag. 270: *Primò Nativitas Domini nostri; eaque die non dicuntur tres Missæ, ut in Officio Latino; imo tantùm una: deinde Circumcisio, Epiphania, festum Corporis Christi, Paschatis dies, Ascensionis & Pentecostes, uti dictum fuit: Nativitas beatæ Virginis, ejus Conceptio, Annunciatio, vocata D. Maria de O, Purificatio & Assumptio. Quædam de his festis desumpta sunt ex antiquo Officio Toletano. Est etiam commune beatæ Virginis pro Sabbatis, cum dicitur de ea, & pro ejus festis, quæ Officium proprium non habent. Item dies Sanctorum, S. Michael Archangelus, D. Joannes Baptista, ejus nativitas & decollatio:* DD. *Petrus & Paulus, Cathedra D. Petri, & S. Jacobus Major, D. Joannes Evangelista, D. Andreas, D. Jacobus Minor, frater Domini dictus; D.*
F *Thomas, D. Mathias: omnes denique Apostoli: Inventio sanctæ crucis, S. Maria Magdalena, D. Stephanus protomartyr, Sancti Innocentes.* D. *Laurentius Hispanus,* D. *Torquatus cum sociis Episcopis,* D. *Vincentius Hispanus, sancta Justa & Ruffina Virgines Hispalenses,* D. *Genesius,* D. *Cebrianus Episcopus,* D. *Christophorus cum sociis,* D. *Julianus cum Basilissa,* D. *Adrianus & Natalia, S. Martiniana virgo,* DD. *Cosmas & Damianus medici,* DD. *Faustus, Januarius, Martialis, Servandus, Germanus, Romanus;* D. *Eulalia virgo,* D. *Leocadia civis, & patrona Toleti, omnes Martyres.*

ac Missas Sanctorum.

423 *Sancti, qui proprio gaudent Officio, ab oratione, quæ Missa dicitur, hi sunt:* DD. *Fabianus, Sebastianus, Lucianus presbyter, Justus & Pastor Hispani Complutenses: Speratus cum sociis, Acisclus, Emeterius, Celedonius,*

l Fru-

EX EDITIS APUD AGUIRRIUM.

Fructuosus, *Augurius*, *Eulogius cum sociis*, *Thyrsus & Felix*, *Babylas Episcopus*, *& tres Pueri*, *omnes Martyres*. DD. *Martinus Episcopus*, *Bartholomaeus*, *Simon*, *Judas & Matthaeus Evangelista*, *Apostoli*. *Divae Agnes*, *Agatha*, Dorothea, *Christina*, *Eugenia*, *Columba*, *omnes Virgines & Martyres*, *simul cum* D. *Eulalia V. & M. Barcinonensi*. *Demum maximè differunt Officia Latina à Muzarabicis quoad Evangelia: quia solet solum Evangelium Officii Muz-arabici continere ea, quae dici solent in duobus vel tribus festivitatibus Officii Latini. V. G. die Epiphania dicitur Evangelium diei Innocentium, & vigiliae Regum; sicque coagmentatur hoc Evangelium è tribus*. Die *sanctorum Innocentium dicitur aliud Evangelium*, *desumptum è capite* 18. D. *Matthaei*; *quo utitur Officium Latinum diebus festis Angelorum*.

sanctarum Virginum, ac Quadragesima.

424 *In officio Muz-arabico in qualibet festivitate Virginis legitur etiam Evangelium* D. *Magdalenae*, *non verò prudentium Virginum*, *sicut in Officio Latino*. *Illud verò Evangelium dicitur in communi plurimarum Virginum*, *hoc in Officio*. *Quadragesimae tempore permutantur omnino Evangelia*. *Primâ quippe* Dominicâ, *cum in* Officio *Latino legitur Evangelium tentationis*, *in Muz-arabico legitur Evangelium Samaritanae*. *Die verò Cinerum legitur Evangelium tentationis*; *secundâ verò Quadragesimae* Dominicâ *non legitur Evangelium Transfigurationis*, *sicut in* Officio *Romano*, *sed cum à nativitate*. *Sunt pleraque alia notata digna*, *& discrepantia*, *sed mihi sufficit monere lectorem*, *ut loca ipsa consulat*.

B

§. V.

Kalendarii antiqui ad alia expensi fragmentum; antiquitas ejus.

Antiqui Kalendarii

HUjus *Kalendarii*, inter pretiosos priscae antiquitatis thesauros merito reponendi fragmentum typis prodiit Toleti anno 1593, operâ Francisci de Pisa, quem supra laudavi, editum, atque post Tabulam de Officio divino Gothico aut Mozarabico; deque antiquitate & auctoritate ejus, ac ordine generali, illud recitandi (quam Tabulam ipse idiomate Hispano vulgavit) exhibitum: quod ibidem testatur, se *invenisse scriptum litera Gothica in uno libro*, *qui videbatur majorem habere antiquitatem*, *quam sexcentorum annorum*. Dignum sic satis, si Pisae credimus, antiquitatis scriptae monumentum, ut curiosis palaeophilorum oculis exhibeatur. Sed dolendum, exiguum solummodo ejusdem *Kalendarii* fragmentum typis commissum fuisse; sive plura non invenerit, sive, si plura invenit, paucula ista sufficere putaverit pro specimine quodam, ut ex illo, tamquam ex ungue leonem, cognoscere utcumque Sanctos, qui antiquis temporibus apud Mozarabes celebrabantur, liceret. Quidquid sit, quia non scio, ex quo individuo codice Pisa illud extraxerit; neque spes mihi ulla affulget fore, ut reliquos dicti fragmenti menses continuare queam; illud ipsum subjungo, prout à me Toleti transcriptum est ex impresso exemplari. Sic ergo habet:

C

D

fragmentum producitur;

Mensis Januarius dies XXXI. *I dies habet horas* X., *nox* XIIII.
Kalen. Circumcisio D*ñi nostri Jesu Xpr.*
IIIJ. *Non Sc̃ta Columba virg. Senonas.*
IIJ. *Jejunium observantur tribus diebus.*
IJ.
Nonis
VIIJ *Idus*. *Appario, quod est Epiph.*
VIJ. *S. Juliani vel Comitum mar. Antiocia.*
VJ. *Sc̃i Luciani presb. mar. Eliopoli.*
V. *Sanctorum* XL *mar. Constantina.*
IIIJ. *Sancta Serene virg. mar.*
IIJ.
IJ.
Idus
XVIIIJ. *Kal. Febr. Sancti Felicis Nola.*
XVIIJ.
XVIJ.
XVJ. *Policarpi & Antonii.*
XV.
XIIIJ. *S. Sebastiani & comitum. Roma.*
XIIJ. *Sanctarum Agnetis & Emerentianae. Roma.*
XIJ. *Sc̃orum Fructuosi Epi, & Eulogii diaconorum. Tarracona. mar.*
XJ. *S. Vincentii Levita mar. Valentia.*
X. Obitum D*ñi Ildefonsi Epi. Toleto.*
VIIIJ. S. *Babila Epc. & trium puerorum. Antiocia.*
VIIJ.
VIJ. *Caput Februarii apud Egiptios.*
VJ.
V. *Sc̃i Tirsi vel comitum mar. Grecia.*
IIIJ.
IIJ.
IJ.

E

Mensis Februarius dies XXVIII. IIIJ *dies habet horas* XJ. *nox* XIIJ.
Kalen.
IIIJ. *Nonis.*
IIJ.
IJ.
Nonis. Sancta Aguta. virg. mar. Catania:
VIIJ. *Idus.*
VIJ. *Sancta* Dorotea. *vel comitum mar. Cappadocia.*
VJ. *Sancti Marci* : : : *Evange. mar.*
V.
IIIJ.
IIJ.
IJ. *Sancta Eulalia virg. mar. Barcinona.*
Idus.
XVJ. *Kalend.*
XV.
XIIIJ.
XIIJ.
XIJ. *Sancti Pantaleonis.*
XJ.
X.
VIIII.
VIIJ *Catedra S. Petri Apostoli.*
VIJ.
VJ. S. *Juliana virg. & mar.*
V.
IIIJ.
IIJ.
IJ.

F

cum variis aliis antiquis.

426 Habet hic lector laudati *Kalendarii* fragmentum; de cujus antiquitate placet quaedam in medium producere, illud expendendo ad alia quaedam valde antiqua *Kalendaria*, apud varios edita. Omnium, quod sciam, antiquissimum illud habetur, quod primus vulgavit noster Ægidius Bucherius; quodque à nobis editum est tom. VII Junii, pag. 185 ex Cuspiniani codice Ms. Car-

A Carthaginense ex codice Cluniacensi publici juris fecit Mabillonius tom. 3 Analectorum à pag. 398; ait in nova editione est à pag. 163. Romanum ex Ms. codice monasterii S. Genovefæ Parisiis, aureis litteris scripto, edidit Joannes Fronto, canonicus regularis. Aliud suppeditat Spicilegium Acherianum tom. 10, à pag. 130; quod anno 826 collectum esse, conficio ex isto anno, Nonis Decembris ibidem adscripto, & primo quidem loco; aliis deinceps ordine subsequentibus usque ad 854 inclusivè. Adde librum Comitis, ut vocatur, seu Lectionarium, à nonnullis S. Hieronymo adscriptum, quemque Pamelius ei vindicare conatur Prolegomeno 1, tom. 2. Rerum liturgicarum; ubi illum profert à pag. 1. Eumdem postea edidit Baluzius post Capitularia Regum Francorum à col. 1309; verùm tot additionibus infartus est, ut cum vetustissimis istiusmodi monumentis comparari non possit, B primæva utique simplicitate destitutus. Denique Romanum Kalendarium typis non ita pridem subjecit Edmundus Martene tom. 5 Analectorum à col. 63, ex duobus Mss. codicibus; altero quidem monasterii S. Andreæ prope Avenionem, annorum minimùm, prout ipse censet, septingentorum; altero autem monasterii Grassensis in Septimania; tantæ antiquitatis; ut, *si forte*, inquit, *Bucherianum excipias, quod mediante seculo quarta in usu fuit, omnibus antiquitate præstet; utpote quod seculo quarto conditum*, existimare se dicit, *aut saltem initio seculi quinti*.

427 Jam verò assignari possunt varii characteres, è quibus major antiquitas Kalendariorum dignoscatur: nimirum annuntiationum paucitas; simplicitas, nuda absque elogiis ac sola fere Martyrum nomina exprimens; nulla aut certè paucissima Deiparæ festa signata; Quadragesima nominibus Sanctorum vacua; non plurium coacervatio, sed unius tantùm aut alterius Sancti nomen, & prætermisso quidem titulo Sancti aut Beati; nullæ denique vel saltem paucissimæ per anni decursum vigiliæ in Kalendariis notatæ; omnia hæc & singula sacrorum Fastorum antiquitatem commendant & confirmant. Quæ si ad fragmentum Kalendarii, quo de hic ago, referantur; quam paucæ imprimis in eo annuntiationes occurrant, abunde liquet, cum media plus sui parte Sanctis vacet. Multum quidem, fateor, C cedit in illa nota characteristica Kalendario Bucheriano; à quo etiam longissimè superantur Kalendaria superiùs nominata. Aliquantulum etiam cedit Carthaginensi, Frontoniano ac Marteniano, quæ paulo rarioribus annuntiationibus constant; sed Acherianum longè superat in hoc genere. Si simplicitatem ejusdem spectes; nulli postponendum est, cum sola passim, eaque Martyrum, nomina referat, sine ullis elogiis. De more autem antiquissimo solos Martyres adscribendi Kalendariis, agit Fronto in Prænotatis ad suum Kalendarium pag. 66. In nostro unus solummodo annuntiatur, de quo constet, Martyrem non fuisse, nimirum S. Ildephonsus, episcopus Toletanus; quem puto postmodùm aliis adjectum fuisse; cum tot alioqui in nostro fragmento occurrant notæ, quæ, quantum apparet, anteriora tempora redoleant.

428 At præcipuus meâ quidem sententiâ idiotismus se prodit in Kalendario nostro, quod Hypapante seu Purificatio Deiparæ in eo non signetur: in quo convenit cum Bucheriano & Carthaginensi. Frontonianum hujus festi nomen quidem non exprimit, sed ejusdem Evangelium; Acherianum verò habet: D *Quarta Nonas* (Februarii) *Purificatio sanctæ Mariæ virg.* (Genitricis) *Christi*. Comes seu Lectionarius etiam signat: *In Purificatione S. Mariæ*. Martenianum ita notat: *Die secundo, mense Februario Hipaponti*; unà cum Evang. Lucæ 2: *Postquam impleti sunt* &c. Id quod suspicionem non levem mihi injicit, minoris illud Kalendarium antiquitatis esse, quam clarissimus ejusdem editor putaverit; & è contrario, non contemnendum inde videor formare posse judicium, nostri Kalendarii, cujus specimen ex producto fragmento dedi, antiquitatem maximè commendari. Diu certè ante S. Ildephonsi, mortui anno 667, tempora illud concinnatum fuisse, arguo ex eo, quod dictum Hypapantes festum in eo non signetur; quod tamen verosimiliter signatum fuisset, si diu ante ejusdem S. Ildefonsi tempora conditum non fuisset illud Kalendarium; cùm, ipso vivente & scribente, illud festum in Hispania magna cum celebritate perageretur; prout intelligi datur ex ipsius S. Ildephonsi verbis sermone primo de Purificatione, ubi dicit: *Hodierna die in honore sanctæ Dei Genitricis & perpetuæ virginis Mariæ non solùm clerus, sed & omnis populus luca cum cereis & diversis hymnis lustrantibus circumeunt*. E

429 Ut de festis Quadragesimæ tempore occurrentibus aliquid addam; in Bucheriano nullum mense Aprili reperio Sanctum; nullum in Carthaginensi mense Martio & Aprili cum parte Februarii; plures autem occurrunt in Acheriano tribus istis mensibus; paucissimi in Frontoniano, uti & in nostro, mense Februario. In Marteniano à die v Februarii, ad diem IV Aprilis, utrobique exclusivè, vacant festa Sanctorum. Unde rursus corrigas illius editorem, hujus parallelum cum Bucheriano instituentem: *Qua in re concinit cum Calendario Bucheriano & cum Africano* (seu Carthaginensi) *in quibus nullum tempore Quadragesimæ festum assignatur*. Etenim in Bucheriano quidem ponitur *Octavo Kalendas Martii, natale Petri de Cathedra*. Et, *Nonis Martii, Perpetuæ & Felicitatis Africæ*; in Carthaginensi autem: XIV *Kalendas Mart. sanctorum martyrum Macrobi, & Lucillæ, Nundinari, Caeciliane, & Petrensium*. Quorum singula pro ratione temporis cum Quadragesima concurrunt. Quousque verò hac in parte Sanctorum festa excluserit Kalendarium nostrum Gothicum seu Mozarabicum, vel incluserit, è duorum mensium, quos habemus, fragmento eruere quis satis tutò valeat? Si reliqui in F promptu forent, multum fallor, si non perpauci, fortè etiam nulli tunc temporis sese offerrent, secundùm antiquam Hispaniæ consuetudinem; quæ diu ante synodum x Toletanam observata fuit. Celebrata est illa synodus anno 656, & capitulo 1 sic præscribit: *In quibus* (Quadragesimæ diebus, vel Paschali festo) *nihil de Sanctarum solennitatibus, sicut* EX ANTIQUA REGULARITATE *cautum est, convenit celebrari*.

430 De aliis, ac certis antiquitatis Kalendariorum notis quid dicam; quarum alteram referebam esse annuntiationes Martyrum absque titulo Sancti vel Beati; alteram, vigiliarum omissionem? Meminerimus eorum, quæ in Præfatione ad Usuardum, ab annis aliquot à nobis editum & illustratum, rectè circa præsens argumentum pronuntiata sunt pag. XXXVI, num. 133: *Prima antiquitatis nota propria, & ab*

folliorum,

eos videtur præferre

characteres,

ut ab antiquitate

Adoniana methodo diversa, inde in Romano parvo desumitur, quod ubi Ado & ceteri noni seculi Martyrologi, religiosè semper SANCTI *aut* BEATI *nomen Martyribus & Confessoribus præfigunt; auctor illius Martyrologii, licet apponat aliquando, attamen sæpius omittere soleat,* (prout ibidem exemplis ostenditur) *Haud verò certam esse antiquitatis notam, ex eo conficé, quod codices Hieronymiani, tum majores à Florentinio editi, tum minores, rarò id genus titulos præmittant, atque adeo tantò rarius, quanto antiquiores fuerint: quod mirificè elucet in apographo Epternacensi; in quo vix nota est* SANCTI *aut* BEATI *nomenclatio, & ubicumque apponitur, fortè tamquam adjectitia expungi meretur.* Character verò iste antiquitatis maximè stabilitur ex Kalendario Bucheriano; in quo sive in *depositione episcoporum*, sive in *depositione Martyrum*, ne quidem unus unicus ex omnibus ibidem memoratis, *Sancti* aut *Beati* titulo notatur.

maximè commendari possit. 431 In Carthaginensi illis apponitur ubique, si perpaucos exceperis; idem contingit in Frontoniano. In Acheriano autem adeo is est perpetuus, ut, dum omittitur, ob raritatem vix considerari mereatur. Idem statue de Comite seu Lectionario, ac de Kalendario Marteniano: quod quia isto antiquitatis genuino idiotismo caret; suspicionem ingerit, quod sit minoris ætatis, quàm vult ejus editor. Omissio tamen ista omnimoda non est certum signum, quod Kalendaria, quæ titulum hunc apponunt, sint medio seculo V recentiora: nam in mox laudando Polemei Silvii Kalendario signantur *Natalis S. Vincentii martyris. Natalis S. Laurentii mart. Natalis S. Stephani mart.* Et in Natalibus aliquot Sanctorum è Fastis consularibus excerptis, apud nos tomo VII Junii, à pag. 186, è cod. Ms., qui definit sub an. vulgaris æræ 493, pag. 187 signatur *passus S. Laurentius III Idus Augusti. S. Euphemia XVI. Kal. Octobr.*; nisi fortè illi tituli aliunde postmodum adjecti fuerint istis antiquis monumentis. Idiotismus itaque ille non adeo videtur certò derogare antiquitati nostri fragmenti, ut eam ob causam necessariò illud removeri debeat post seculum V. Quæ de prætermissione Vigiliarum memineram, conjicio in paragraphum sequentem.

§. VI.

Alius quidam prædicti Kalendarii antiquitatis idiotismus; Sancti in eodem signati.

Nullis Kalendariis antiquis, Bucheriano excepto, ECce jam aliud indicium magnæ Kalendariorum antiquitatis; quod in eo ponitur, ut quanto pauciores vel plures in eis notantur Vigiliæ, tanto amplius crescat vel decrescat genuinus ac primigenius antiquitatis character. Bucherianum imprimis nullas habet; nullas item Carthaginense; Frontonianum solummodo habet quatuor, Acherianum quinque; liber Comitis novem; quem vel ideo à S. Hieronymi ætate remotissimum judico: quidquid Cardinalis Bona Rer. liturg. lib. 2, cap. 6, num. 2 eum isti auctori asserat. Plura huc non congero: de quibus agit bibliographus recentior heterodoxus in Commentario Scriptorum ecclef. tomo I, col. 851. An verò omnibus, aut quibus Vigiliarum positionibus vacuum fuerit Kalendarium istud Gothicum, dicere non queo ex tantillo mensium dumtaxat duorum specimine; in quo nullæ Vigiliæ notantur. Suspicor tamen, vel nullas omnino, vel paucas admodum habuisse; quia non signat vigiliam Epiphaniæ seu Theophaniæ; quam tamen ponit liber Comitis, & Kalendarium Martenianum; quod addit alias insuper sex: ut vel id maximo etiam indicio sit, illud distare plurimum ab antiquitate tanta, quantam habuit in opinione editoris sui. Erunt haud dubie, quibus festum *Assumptionis S. Mariæ*, quod in eodem signatur die XV Augusti, videatur non prorsus antiqua, sed recentiora seculi circiter noni tempora redolere. Consule, quæ dicta sunt in Observatione, ad diem XV Augusti, Usuardi à nobis editi.

433 His itaque in nostro fragmento vetustatis notis elucentibus; quæri nunc potest, an vel uni ex allatis Kalendariis (Bucheriano, cui præ omnibus palmam do, excepto) nostrum illud, quoad saltem ex tantillo specimine conjecturare licet, antiquitate cedere debeat. *videtur hoc nostrum fragmentum cedere debere?* Equidem non existimo. Neque reformido suspicari, conditum illud fuisse sub finem circiter seculi quinti. Atque ex hoc antiquissimo monumento non mediocriter illustratur ritus Gothicus apud Hispanos, & Sancti ipsi relucent, qui tum temporis ibidem cultum publicum habuerint; de quibus, uti & de festis in eodem nostro fragmento exhibitis, observo sequentia, ut perbrevis ipsius contextus non legi dumtaxat, sed etiam intelligi possit. Primo itaque loco ponitur:

434 *Kalen. Circumcisio* &c. hic, à Bucheriano uti & Mabilloniano præterita, quæ annuntiatur sic in Fontoniano: *In Octabas Domini.* *cujus nota,* In Acheriano, *Octabas Domini*: in Marteniano autem, *In Octaba Domini.* Sancti porrò, qui in nostro exemplari memorantur, & Martyres sunt, ac selecti quidem; cum ad tria fere prima æræ Christianæ secula spectent (de S. Ildephonso nunc monui:) signatur quippe mense Januario IV *Non. S. Columba virg. Senonas*; in vetustissimis Martyrologiis notissimæ die XXXI Decembris, & sub Aureliano passæ; quo die etiam refertur in Martyrologio Mozarabum hodierno, necnon Officio proprio & hymno apud ipsos honoratur. Agit de illa Baronius ad annum 275. Sequitur in nostro fragmento III. (Nonas) *jejunium observantur tribus diebus*: quod puto esse purè Gothicum & antiquissimæ institutionis: unde stabiliuntur ea, quæ dicta sunt superiùs, ubi de majoribus Horis; &, nisi fallor, stabilirentur alia duo jejuniorum tempora, ibidem indicata, si Kalendarium haberemus integrum. Interim antiquissimam pariter redolet consuetudinem VIII *Idus Apparitio, quod est Epiphania.* Caret quidem illo festo Kalendarium Bucherianum; sed in aliis maximæ antiquitatis notatur, nimirum in illo, quod sub nomine *Polemei Silvii, anno* CCCCXLI *conscriptum* dicitur apud nos tom. VII Junii, à pag. 176: ubi & editum legitur ex codice Ms. Musei nostri; signatur item in Mabilloniano, Frontoniano, Acheriano, Marteniano, ne Comitem seu Lectionarium commemorem. Vide & notationes Baronii de hoc festo, & Acta nostra isto die.

435 Prosequitur nostrum fragmentum: VII (Idus) *S. Juliani vel Comitum mar.* *ex nominibus* Particula disjunctiva *vel* pro conjunctiva *&*, singulare quid sonat, & mea opinione idiotismum Officio Gothico proprium: in tantillo quippe fragmento eadem bis occurrit infrà; & sæpius repetitur in Breviario Mozarabico hodierno; ut mense Julio:

In

A *In festo S. Christophori* VEL *comitum ejus*. Novembri: *S. Aciscli* VEL *comitum ejus*. Decembri: *Eugeniæ virginis* VEL *comitum ejus martyrum*. Particula, inquam ista hic purè Gothica, dein Mozarabica mihi videtur: quam utique nusquam alibi in dictis Kalendariis signatam reperio. Notatur eodem isto die in Romano parvo *S. Juliani martyris Antiocheni*, & in moderno; ubi omittitur *Antiocheni*; at omissis utrobique sociis. Baronius in Notationibus, *quando . . vel ubi passus sit*, dicit *latere*; neque certò mihi liquet, idemne sit ab illis Sanctus notatus, qui in fragmento annuntiatur; apparet autem verosimile, eumdem esse; quia convenit dies; quo tametsi in aliis suprà dictis Martyrologiis memoriam ejus non invenio; videtur tamen magnum antiquitatis præberi fundamentum, quod referatur in Romano parvo, & in hoc fragmento nostro. Neque refragatus fuero, si quis cum ad tria prima circiter Christi secula pertinere censeat. De S. Juliano martyre actum est apud nos die VII Januarii, ubi leges; quid pseudo-Dexter de illo referat, nullam utique fidem meritus.

439 Subdit nostrorum fragmentum; VI (Idus) *S. Luciani presbyteri mar. Eliopoli*. Celeberrima ipsius memoria est die VII in Martirologiis. Suspicor in textu nostro scribendum *Helenopoli*; cum S. Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 77, in ipsius elogio dicat: *Passus est Nicomediæ ob confessionem Christi, sub persecutione Maximini, sepultusque Helenopoli Bithyniæ*. Plura de isto Martyre dabunt Acta nostra dicto die VII Januarii, Tillemontius Monum. eccles. tom. 5, à pag. 474; Ruinartius à pag. 503 editionis secundæ; Usuardus noster illustratus pag. 16. Nunc denuo nostrum fragmentum revisamus. *Sanctorum* XL *Martyrum*. De Sebastenis sub Licinio, actum X Martii; de Romanis verò sub Gallieno, XIII Januarii. An ab utraque ista classe, hæc, quæ habetur in fragmento, diversa sit, & fortè Hispanica, non habeo, unde decidam. *Constantinam*, quam porrigit sine titulo virginis aut martyris, aut loco palestræ quorsum spectet, incertum: neque lubet meris circa illam Sanctam indulgere conjecturis. Neque *S. Serene virg. mar.*, quæ sequitur, nota mibi est, qualis sit. Aliud statue de eo, qui proximè ibidem occurrit, estque *Felix Nolanus*, ubique Notissimus, qui eodem etiam die inscribitur Mabilloniano. Acta habes die XIV Januarii. In moderno Kalendario Mozarabico est, *Felicis impinsis cfes. & mart.* In Frontoniano: *Felicis in Pincis*: vide ejus notam pag. 10. In Acheriano *S. Felicis mart.*

Sanctorum B C

440 Qui proximè exhibentur in eodem nostro fragmento, *Polycarpus & Antonius*, characteribus omnibus individuis destituti sunt; fortè cum aliis synonymis non confundendi ac purè Gothici. Sequitur annuntiatio *Sebastiani & comitum*; in Mabilloniano, Frontoniano & Marteniano ponitur sine Sociis iste Martyr; cui adjungitur Fabianus in Acheriano. *S. Agnes*, quæ hic ponitur die XX Januarii; fortè eò remittitur propter S. Fructuosum martyrem Tarraconensem in Hispania, postridie occurrentem; quo ipsa datur in Bucheriano, Mabilloniano, Frontoniano, Acheriano. Adisis Usuardum illustratum. S. Emerentianam, ejusdem Sanctæ collactaneam invenies in Actis nostris ad diem XXIII prædicti mensis; ubi S. Fructuosum ac socios dedimus ad diem XXI, quo & in fragmento iste Sanctus annuntiatur; sed quando in illo dicitur, *& Eulogi diaconorum*; vel legendum *diaconi*, vel potius excidit alterius diaconi nomen *Augurius*, qui apponitur in Kalendario Mozarabico moderno; & apud nos dicto die XXI Januarii.

in eodem signatis D

441 In signando *S. Vincentii M.*, celebratissima Hispaniarum gloria, consentit sæpe citatum fragmentum nostrum cum antiquissimis Kalendariis, nimirum Polemei Silvii, Mabilloniano, Frontoniano, Acheriano. Acta ejus vide ad diem XXII Januarii. Singularis planè est hæc S. Ildephonsi annuntiatio; que in fragmento notatur: *Obitum Dñi Ildefonsi* &c. . . De illa jam dixi; dictis addo, quod non mirum esset, si ea eruta fuisset ex libro aliquo obitnali ecclesiæ Toletanæ vel alterius eo tempore, quo nondum ut Sanctus universaliter per totam Hispaniam celebrabatur, atque adeo non diu post obitum ejus. Mox sequitur: *S. Babylæ ep., & trium puerorum*. Acta dantur eodem, quo hic ponuntur, die. Singulare est, quod occurrit die sequente: *Caput Februarii apud Ægyptios*: etenim quid Gothico Kalendario cum Ægyptiis? Hac phrasi designatur initium ipsorum mensis Amschir, quod concurrit cum XXVI nostri Januarii; ut videre est in parallelo Kalendarii Ægyptio-Romani ante tomum V Junii, uti etiam in Fastis ecclesiæ Æthiopicæ apud Jobum Ludolfum in Historia Æthiopica pag. 407. In Comite seu Lectionario pluries designato similis occurrit expressio: *Feria IV in capite jejunii*. Ultima annuntiatio hujus mensis Januarii in fragmento exhibita, est *Sčti Tirsi vel comitum mar.* &c.; de quibus consule Acta nostra ad diem XXVIII Januarii.

atque ad alia E

442 Superest nunc fragmenti Februarius, septem dumtaxat signans annuntiationes, & aliorum veterum Kalendariorum more paucos admodum Sanctos, ob concursum, uti opinor, Quadragesimæ exprimens, de qua re supra monui. *S. Agathæ* nomen, ubique notissimum, inscribitur Mabilloniano, Frontoniano, & Acheriano: quam invenies apud nos ad diem V Februarii. *S. Marcum evangelistam*, quem superius fragmentum annuntiat die VIII mensis Februarii, in Ecclesia Latina coli die XXV Aprilis, nemo non novit. Qui plura desiderat de istius sancti Evangelistæ cultu, adeat commentarii prævii ad ejus gesta paragraphum primum, dicto mox die XXV Aprilis; nec non Observationem ad Usuardum nostrum eodem die XXV; in qua inveniet, S. Marcum evangelistam, non illa die, sed XXIII Septembris consignari in apographis Hieronymianis, uti apud Florentinium videre est ad istumdiem.

antiqua F

443 *S. Eulalia virg. & mart. Barcinonensis* illustrata est à nobis die XII Februarii. *S. Pantaleon*, qui subditur in nostro fragmento, sine titulo martyris, aut loco palæstræ, si idem sit cum celeberrimo Martyre synonymo Nicomediensi, spectat ad XXVII diem mensis Julii, quo eum dedimus cum Martyrologio Romano *Cathedra S. Petri Apostoli* dum aliis omnibus annuntiationibus isto die exclusis refertur in fragmento nostro; magnam prodit antiquitatem, conformiter ad citatum antiquissimum Bucherianum; ubi illa sic notatur: *Octavo Kalendas Martii, natale Petri de Catedra*. Notatur item hoc festum in Acheriano, & Comite; non autem hic in Mabilloniano & Frontoniano; ad quod ultimum pag. 28 observantur sequentia.

Kalendaria

444 *Hic non inscribitur Cathedra S. Petri Antiochiæ, & hoc valde notandum propterea, quæ adnotavit Hugo Menardus ad hunc diem festum,*

comparatis,

qui

A

qui incidit in XXII *Februarii: tum quia objectam haretici, Cathedram S. Petri, qua sedit Antiochia, solam fuisse antiquitus celebrem, non aliam. Nam re vera olim neutra harum speciali festivitate celebratur. Deinde cœpit hac recoli, sed sine hoc, quod adderetur Antiochia, vel Roma. Vide Menardum & Pamelium, apud quos scribitur tantùm, Cathedra S. Petri; & sic etiam in Kalend. Ms. S. Genofeva Paris., & in Evangeliario Ms. S. Joannis de Jardo.* At nisi illud *olim* ad maximam antiquitatem extendatur, non video, quo pacto verè dici possit, cum adeo sit diserta specialis hujus festi in vetustissimo Bucheriano, ut de aliis non loquar, annuntiatio. *S. Juliana virg. & mar.*, quæ in fragmento nostro ponitur, si sit Nicomediensis, ad diem XVI Februarii à nobis est illustrata.

445 Atque hæc quidem ad Kalendarii Gothici fragmentum, suprà à nobis exhibitum, observanda habui; cujus annuntiationes, dies vacuos, & reliquos id genus identidem ex gratiâ ad alia antiqua Kalendaria expendere visum fuit, ut ex istorum cum hoc nostro collatione aliquousque de ejus ætate lectorem instruerem. Enimvero si ex modico duorum dumtaxat mensium specimine conjectandi facultas mihi concedatur, eam apud me vetustatis commendationem relucentes ejusdem characteres mereri videntur, ut præ se ferant indicia non improbabilia, seculi quinti exeuntis, aut ineuntis circiter sexti temporibus Kalendarii istius fragmentum aptari posse. Hoc autem, & Kalendarium Missalis Mozarabici typis editi juxta se posita, quantum differant; & quam diversos hoc ab illo Characteres prodat accessionibus variis Sanctorum festorumque, quibus accrevit, planum fiet ex ejusdem contextu. D *videntur redolere finem sec. 5. vel initium circiter sec. 6.*

§. VII.

Kalendarii Mozarabici hodierni primum semestre.

B *Præmittuntur paucula observanda.*

KAlendarium hoc excusum est in Missali Mozarabico, de quo supra egimus. Unde fideliter transcripta fuerunt ea, quæ ectypon repræsentabat, quæque nos hic prælo committimus, quamquam variis locis mendosa. Plura ibidem erant exarata characteribus nigris; alia rubris. Sed nos hic omnia exhibemus litteris currentibus. Festa verò quædam præcipua Christi Domini, Deiparæ, Apostolorum ac nonnulla alia ibidem rubricis etiam notata, quæ in decursu Kalendarii sunt, & ordine quæque suo per anni circulum recensentur, exprimi hic curavimus litteris majusculis. Paucula Sanctorum nomina calamo postea adjecta leguntur in præsenti Kalendario, quæ nos uncis [ ] includenda puravimus, ut ab impressis secerni queant. Porro ut vitetur nimis longa ac continuata moles, placuit totum contextum dispescere in duas partes; & primum quidem ipsius semestre præmittere, ac deinde subnectere postremum. Utrumque verò excipient observationes quædam, quibus tota res plusculum illustretur. Nunc ecce tibi ipsum Kalendarium, mendose, ut monebam, hic nunc recusum, sicut olim mendosè excusum prodiit. E

Jam prima dies estis: & septima fine minetur.

Aureus numerus	KL	*Januarius habet dies* XXXI. *Luna* XXX. *Nox habet horas* XVI. *Dies vero* VIIII.		
III	A *Januarias*	CIRCUMCISIO DOMINI	VI *capparum.* *	
	a IIII	*Octava Sancti Stephani*	IIII *capparum.*	
XI	c III	*Octava sancti Johannis*	IIII *capparum.*	
	D II	*Octava innocentum*	IIII *capparum.*	
XIX	E *Nonas*	*vigilia*		
VIII	F VIII	EPIPHANIA DOMINI	VI *capparum.*	
	G VII	*Juliani & basilisse martyrum*	IIII *capparum.*	
XVI	A VI	*Sanctorum quadraginta martyrum*	IX. LC.	
V	B V	*Pauli primi heremite*	IX. LC.	C
	c IIII			
XIII	D III	*Juliani presbyteri*	IX. LC.	
II	E II			F
	F *Idus.*	S. *hilarii ep.* IX. LC. *Oct. epi.*	IIII *capparum.*	
X	G XIX. KLS	*Februarii. felicis impincis cfes. & mart.*	IX. LC.	
	A XVIII	*Mauri abbat.* IX. L. *post.* X. *luna dñica fac septuagesima.*		
XVIII	a XVII	*Marcelli pape & martyris*	IX L.	
VII	c XVI	*Spensipi Elesipi mart.* IX. L. *Antoni monachi.*	IIII *capparum.*	
	D XV	*Prisce virginis*	IX. L.	
XV	E XIIII	*Juliani episcopi & confessoris*	IX. LC.	
IIII	F XIII	*Fabiani & Sebastiani martyrum ciani presbyteri & martyris.*	VI *capparum. sancti Luciani* IX. L.	
	G XII	*Agnet. Virginis*	VI *capparum.*	
VII	A XI	*Vincentii martyris*	IIII *capparum.*	
I	B X	ILLEFONSI CONFESSORIS	VI *capparum.*	
	c IX	*Babile episcopi & trium puerorum episcopi discipuli Pauli* IX. LC. S. *Marie de pace*	IX. LC. *Thimothei* VI *capparum.*	
IX	D VIII	*conversio S. Pauli* VI *capparum. Projecti martyris Tyrsi martyris* IX. L.	IX. L.	
	E VII	*Policarpi episcopi & martyris*	IX. L.	
XVII	F VI	*Johannis grisostomi episcopi.*	IX. LC.	
IV	G V	*Johannis presbyteri & confes.*	IX. LC. *Agnes.* II. IX. LC.	
	A IIII	*Valerii episcopi*	IX. LC.	
XIIII	a III	S. *Batildis regine* IX. LE. *Oct.* S. *Illefonsi*	IIII *capparum.*	

III c

A	III	C II	*sanctorum ciri & Joannis mart.*	IX. LC.	EX MISSALI MOZARAB. IMPRESSO.
			Ast februarii quarta est praecedat tertia finem		
	Aureus numerus	KL	*Februarius habet dies XXVIII. luna XXVII.* *Nox habet horas XIIII. dies vero X*		
		D *februarius*	*Ignatii episcopi & martyris*	IX. LC. *Brigide virg.* IX. LC.	
	XI	E IIII	PURIFICATIO SANCTE MARIE	VI *capparum.*	
	XIX	F III	*Blasii episcopi & mart. ver inicium*	VI *capparum.*	
	VIII	G II	*Gilsberti confessoris* XI. LC. *dr*		
		A *nonas*	*Agate virginis & martyris*	VI *capparum.*	
	XVI	B VIII	*Vedasti & Amandi episcoporum*	IX. LC.	
	V	C VII	*Dorothee virginis & martyris*	IX. LC.	
		D VI			
	XIII	E V	*Apolonie virginis & martyris*	IX. LC.	
	II	F IIII	*Scolastice virginis*	VI *capparum.*	
		G III			
	X	A II	*Eulalie virginis barchinonensis*	IX. LC.	
		B *Idus*	*Fructuosi Augurii & Eulogii & ejus comitum*	IX. LC.	
	XVIII	C XVI	*KLS martii valentini martyris*	IX. LC.	
	VII	D XV	*sol in piscibus*		
		E XIIII	*Juliane virginis & martyris*	IX. LC.	
	XV	F XIII	*Pantaleonis martyris & sociorum ejus*	VI *capparum.*	
	IIII	G XII			
		A XI			
	XII	B X	*Columbani abbatis*	IX. LC.	E
	I	C IX			
		D VIII	CATHEDRA SANCTI PETRI	VI *capparum.*	
B	IX	E VII	*vigilia*		
		F VI	*Mathie apostoli.* VI *capparum. Locus bisexti in anno*		
	XVII	G V	*bisexti quacumque die evenerit festum sancti Mathie*		
	VI	A IIII	*in tali jejunetur vigilia ejus & in sequenti die celebretur:*		
		B III	*& servetur festum: & si sabbato evenerit ipso sabato celebretur &*		
	XIIII	C II	*ieiunetur vigilia ejus & servetur in sequenti die dominico*		
	Aureus numerus	KL	*Martius habet dies XXXI. Luna XXX* *Nox habet horas XII die vero XII*		
	III	D *Martius*	*Adriani martyris*	IX. LC.	
		E VI	*Donati martyris*	IX. LC.	
	XI	F V	*Emeterii & celedonii martyris*	IIII *capparum*	
		G IIII			
	XIX	A III			
	VIII	B II			
		C *Nonas*	*Thome de aquino.*	VI *capparum. Perpetue*	
			& Felicitatis IX. LC.		
	XVI	D VIII	*Juliani episcopi & confessoris*	VI *capparum*	
	V	E VII			
		F VI	*Apolonie virg.* IX. *lc. Facundi Primitive mart.*	IX. LC.	
	XIII	G V			
	II	A IIII	*Gregorii pape & confessoris*	VI *capparum.*	F
		B III	*Leandri episcopi & confessoris*	IIII *capparum.*	
C	X	C II	*Leonis pape*	IX. LC.	
		D *Idus*			
	XVIII	E XVII	*KLS Aprilis*		
	VII	F XVI	*Patricii episcopi*	IX. LC.	
		G XV	*Gabrielis alchangeli* VI *capparum. Eduardi regis & mart.*	IX. LC.	
	XV	A XIIII	*sancti Joseph confessoris*	VI *capparum.*	
	IIII	B XIII	*Cuthberti episcopi & confessoris*	IX. LC.	
		C XII	*Benedicti abbatis & confessoris*	VI *capparum.*	
	XII	D XI	*Pauli episcopi & confessoris*	IX. LC.	
	I	E X			
		F IX			
	IX	G VIII	ANNUNCIATIO SANCTE MARIE	VI *capparum.*	
		A VII			
	XVII	B VI			
	VI	C V	*Marcelli pape*	IX. LC.	
		D IIII			
	XIII	E III			
	III	F II			
	Aureus numerus	KL	*Aprilis habet dies XXX Luna XXIX* *Nox habet horas X. dies vero XIIII*		
		G *aprilis*			
	XI	A IIII			
		B III	*Theudosie martyris*	*novem lectionum*	

EX MISSALI	XIX	C II	*Ambrosii episcopi* VI *capparum. Isidori confes.*	VI *capparum.*	D
MOZARAB.	VIII	D *Nonas*			
IMPRESSO.	XVI	E VIII			
	V	F VII			
		G VI			
	XIII	A V	*Fructuosi epis. bracarensis* IX. LC. *Toribii confes.*	IX LC.	
	II	B IIII	*Eleuterii episcopi & martyris*	IX. LC.	
		C III			
	X	D II	*Victoris bracarensis martyris*	IX LC.	
		E *Idus*	*Eufemie virginis & martyris*	IX. LC.	
	XVIII	F XVIII	*KLS madii Tiburtii & Valeriani martyrum*	IX. LC.	
	VII	G XVII			
		A XVI			
	XV	B XV			
	IIII	C XIIII			
		D XIII			
	XII	E XII			
	I	F XI	*Vitalis martyris*	*novem lectionum.*	
		G X	[*Prudenci episcopi & confessoris* IX. LC.]		
	IX	A IX	*Georgii mart.* IIII. *capparum. Felicis & Fortunati mart.*	IX. LC.	
		B VIII	*sancti Proficii martyris*	*novem lectionum.*	
	XVII	C VII	MARCI EUANGELISTE.	VI *capparum.*	
	VI	D VI	*cleti mart.* IX. LC. *Marcelli & Petri*	IX. LC.	
B		E V	*sancti Georgii martyris*	*novem lectionum.*	E
	XIIII	F IIII	*Vitalis martyris*	*novem lectionum.*	
	III	G III	*Petri martyris ordinis predicatorum.*	VI *capparum.*	
		A II	*Eutropii episcopi & martyris*	*duarum capparum.*	
	Aureus numerus	KL	*Madius dies* XXXI. *luna* XXX. *Nox habet horas* VIII. *dies vero* XVI.		
	XI	B *Madii*	APLORUM PHILI. ET JACO. *comitum ejus episcoporum*	VI *capparum. Torcati &* IX. LC.	
		C VI	*Athanasi episcopi & confessoris.*	VI *capparum.*	
	XIX	D V	*Inventio sancte crucis* VI *capparum Alexandri Eventii martc.*	IX. LC.	
	VIII	E IIII	*Quiriaci episcopi & martyris*	IX. LC.	
		F III	[*Conversio sancti Augustini*	IX. LC.]	
	XVI	G II	JOANNIS ANTE PORTAM LATINAM	VI *capparum.*	
	V	A *Nonas*	*Inventio clavorum dominicorum* *Trepete virginis* IX. LC. *Domicille virginis.*	VI *capparum. sancte* IX. LC.	
		B VIII	*Revelatio michaelis* VI *capparum. Isidori militis.*	IX. L.	
	XIII	C VII	*Gregorii nazanzeni* IX. LC. *eodem die translatio S. Nicho.*	VI *cap.*	
	II	D VI	*Giordani & Epima. martyrum*	IX. LC.	
		E V	*Pontii martyris*	IIII. *capparum.*	
	X	F IIII	*Nerei & Achilei atque Pancracii martyris*	IX. LC.	
		G III			
	XVIII	A II	*Victoris & Corone martyrum* IX. LC. *Bonifacii martyris.*	IX. LC.	
	VII	B *Idus*			
		C XVII	*KLS Junii*		
	XV	D XVI			
C	IIII	E XV			
		F XIIII	*Potentiane virginis*	IX. LC.	F
	XII	G XIII			
	I	A XII			
		B XI			
	IX	C X			
		D IX	*Translatio sancti Dominici*	IX. LC.	
	XVII	E VIII	*Urbani pape & martiris* IX. LC. *Translatio S. Francisci.*	IX. LC.	
	VI	F VII	*Augustini anglorum episcopi*	IX. LC.	
		G VI			
	XIIII	A V	*Germani episcopi & confessoris*	IX. LC.	
	III	B IIII			
		C III			
	XI	D II	*Petronille virginis*	IX. LC.	
	Aureus numerus	KL	*Junius habet dies* XXX. *luna* XXIX. *Nox habet horas* VI. *dies vero* XVIII.		
		E *Junius*	*Nicomedis martyris*	IX. LC.	
	XIX	F IIII	*Marcellini & Petri martyrum.*	IX. LC.	
	VII	G III			
	XVI	A II			
	V	B *Nonas*			
		C VIII			
	XIII	D VII			

Ex Missali Mozarab. impresso.

A	II	B VI	Medardi & Geraldi episcoporam	IX. LC.
		F V	Primi & Feliciani mortyrum.	IX LC.
	X	G IIII		
		A III	Barnabæ apostoli. VI capparum. Enofri confes.	IX. LC.
	XVIII	B II	Basilidis, crini naboris martyrum	IX. LC.
	VII	C Idus	Antonii de padua confessoris.	IX. LC.
		D XVIII	KLS Julii Basilii episcopi.	IX. LC.
	XV	E XVII	Viti & Modesti martyrum.	IX. LC.
	IIII	F XVI	Cirici & Julite martyrum.	IX. LC.
		G XV	Adriani atque Natalie martyrum.	IX. LC.
	XII	A XIIII	Marci & Marcelliani martyrum.	IX. LC.
	I	B XIII	Gervasi & Pratasii martyrum.	IX. LC.
		C XII	Florentie virginis IX. LC. Silvestri pape & martyris.	IX. LC.
	IX	D XI		
		E X	Consortie virginis. cum XI millium martyrum	IX. LC.
	XVII	F IX	vigilia.	
	VI	G VIII	Nativitas sancti Joannis baptiste.	VI capparum.
		A VII	Translatio sancti Eligii episcopi & confessoris	IX. LC.
	XIIII	B VI	Johannis & Pauli martyrum	IX. LC.
	III	C V	[Zoyle atque felicis martirum	IX. LC.]
		D IIII	Leonis pape & confes. IX. LC. Vigilia.	
	XI	E III	Apostolorum petri et pauli	VI capparum.
B		F II	Commemoratio sancti Pauli	VI capparum.

§. VIII. Kalendarii Mozarabici hodierni semestre alterum.

E

	Aureus numerus	KL	Julius habet dies XXXI. luna XXX. Nox habet horas VIII. dies vero XVI.	
	XIX	G Julii	Octava sancti Johannis bap.	VI. capparum.
	VIII	A VI	Processi & Martiniani martyrum.	IX L. Visitacio sancte marie VI capporum.
		B V		
	XVI	C IIII		
	V	D III		
		E II	Octava apostolorum Petri & Pauli.	IIII capparum.
	XIII	F Nonas	Marcialis episcopi	IX. LC.
	II	G VIII		
		A VII	Octava visitationis virginis marie.	IIII capparum.
	X	B VI	septem fratrum martyrum.	IX. LC.
		C V	Translatio sancti Benedicti.	VI capparum.
	XVIII	D IIII	sancte Marciane virginis.	IX. LC.
	VII	E III	Margarite virginis.	IX. LC.
		F II		
	XV	G Idus	Quirici martyris	IX. LC.
	IIII	A XVII	KLS augusti. sancti Aleni conf.	IX. LC. Triumpham crucis. VI cap.
		B XVI	Jaste & Rufine virg. & martyris	IIII capparum.
	XII	C XV	Marine virginis & martyris	IX. LC.
	I	D XIIII		
		E XIII	Margarite virginis & martyris	IX. LC.
C	IX	F XII	Praxedis virginis VI capparum.	[in festo sancte esperate
		G XI	Marie magdalene VI capparum.	vel comitum ejus IX. L.]
	XVII	A X	Apolinaris episcopi & martyris.	IX. LC.
	V	B IX	Christine virginis martyris	IX. LC. Vigilia
		C VIII	Jacobi apostoli VI capparum, Christofori. & cucufati & comitum ejus MM. IX. L.	
F	XIIII	D VII	Anne matris ma.	VI capparum.
	III	E VI	septem dormientum.	IX. LC.
		F V	Nazarii celsi & Pantaleonis MM.	IX. LC. [Sex capparum.]
	XI	G IIII	Felicis episcopi IX. LC. simplici: Faustini: & Beatricis martyrum IX. L. Marthe virginis	VI capparum.
	XIX	A III	Abdon & sennen martyrum	IX. LC.
		B II	Germani episcopi & confessoris	IX. LC. [Octava Jacobi.]
	Aureus numerus	KL	Augustus habet dies XXXI. luna XXX. Nox habet horas X. Dies vero XIIII.	
	VIII	C Augusti.	Vincula Petri. VI capparum Macabeorum MM.	IX. LC.
	XVI	D IIII	Stephani pape & martyris	IX. LC.
	V	E III	Inventio sancti Stephani martyris	IX. LC.
		F II	Petri episcopi oxomensis	IIII capparum.
	XIII	G Nonas	Dominici conf. d. or. predi. VI ca. sancte ma. d. nivibus.	VI ca.

Ex Missali	II	A VIII	*Transf. d.* VI *ca. Jusli & Pastoris. Sixti pa. Felicissimi*		D
Mozarab.			*& Agapiti martyrum*	IX. LC.	
impres so.		B VII	*Donati epis. Mart. Mammetis mart.*	IX. LC.	
	X	C VI	*Ciriaci. largi sociorumque ejus.*	IX. L.	
		D V	*Vigilia*		
	XVIII	E IIII	SANCTI LAURENTII MARTYRIS.	VI *capparum.*	
	VII	F III	*Tiburtii martyris*	IX. LC.	
		G II	*Clare virginis de ordine minorum.*	IX. LC.	
	XV	A *Idus*	*Ipoliti & sociorumque ejus*	IIII. *capparum.*	
	IIII	B XIX	*KLS Septembris. Eusebii presbyteri & confes.*	IX. LC. *Vigilia*	
		C XVIII	ASSUMPTIO SANCTE MARIE	VI *capparum.*	
	XII	D XVII			
	I	E XVI	*Octava sancti Laurentii.*		
		F XV	*Agapiti martyris*	IX. LC.	
	IX	G XIIII			
		A XIII	*Bernardi Abbatis.*	VI *capparum.*	
	XVII	B XII			
	VI	C XI	*Octava sancte marie.* VI *capparum. Timothei & simphoriani martyrum.*	IX. LC.	
		D X	*Vigilia.*		
	XIIII	E IX	BARTHOLOMEI APOSTOLI.	VI *capparum.*	
	III	F VIII	*Genesii martyris.*	IX. LC.	
		G VII	*Gerantii episcopi & confessoris.*	IX. LC.	
B	XI	A VI	*Rufi martyris* IX. LC. *Victoris episcopi*	IX. LC.	E
	XIX	B V	*Augustini episcopi & confessoris*	VI *capparum.*	
		C IIII	*Decollatio Joannis bte.* VI *capp. Sabine virg.*	IX. LC.	
	VIII	D III	*Felicis & audacti martyrum.*	IX. LC.	
		E II			
	Aureus numerus	KL	*September habet dies* XXX. *Luna* XXIX. *Nox habet horas* XII. *dies vera* XII.		
	XVI	F *Septembris*	*Egidii abbatis & confessoris* II *ca. Vincentii & Leti MM.*	IX. LC.	
	V	G IIII	*Antonini martyris*	VI *capparum.*	
		A III			
	XIII	B II	*Marcelli marttyris*	*novem lectionum.*	
	II	C *Nonas*	*Obdulie virginis*	VI *capparum.*	
		D VIII			
	X	E VII			
		F VI	NATIVITAS BEATE MARIE VIRGINIS.	VI *capparum.*	
	XVIII	G V	*Gorgonii martyris*	*novem lectionum.*	
	VII	A IIII			
		B III	*Proti & iacincti martyrum*	*novem lectionum.*	
C	XV	C II			
	IIII	D *Idus*			
		E XVIII	*KL AS Octobris. Exaltatio sancta crucis* VI *cap. Cornelii & cipriani [& veleriani]*	IX. LC.	
	XII	F XVII	*Octava sancte marie.* IIII *capparum. Nichomedis martyris. sancti Vincentii.*	IX. LC. *novem lectionum.*	
	I	G XVI	*Eufemie virginis martyris.*	*novem lectionum*	
		A XV	*Lamberti episcopi & martyris.*	*novem lectionum.*	F
	IX	B XIIII	*[Lune & geminiani martyrum*	*novem lectionum.]*	
		C XIII			
	XVII	D XII	*vigilia*		
	VI	E XI	MATTHEI APOSTOLI.	VI *capparum.*	
		F X	*Mauritii & sociorumque ejus.*	II *capparum.*	
	XIIII	G IX	*Cleta virginis.*	*novem lectionum.*	
	III	A VIII			
		B VII			
	XI	C VI	*Fortunati episcopi & confessoris.*	*novem* LC.	
	XIX	D IIII	*Cosme & Damiani martyrum.*	*novem* LC.	
		E IIII	*Fausti & Januarii & martialis martyrum.*	IX. LC.	
	VIII	F III	MICHAELIS ARCHANGELI.	VI *capparum.*	
		G II	*Hieronymi presbyteri & confessoris.*	VI *capparum.*	
	Aureus numerus	KL	*October habet dies* XXXI. *Luna* XXX. *Nox habet horas* XIIII. *dies vero* X.		
	XVI	A *Octobris.*	*Verissimi maximi & ejus comitum*	IX. LC.	
	V	B VI	*Leodegari episcopi & martyris.*	IX. LC.	
	XIII	C V			
	II	D IIII	FRANCISCI CONFESSORIS.	VI *capparum.*	
		E III			
	X	F II			
		G *Nonas*	*Martii episcopi & conf.* IX. LC. *Sergi Bachi martyrum.*	IX. LC.	

Mar-

A			*Marcelli martyris.*	IX. LC.	EX MISSALI MOZARAB. IMPRESSO.
	XVIII	A VIII			
	VII	B VII	*Dionisii Sociorumque ejus martyrum.*	II capparum.	
		C VI			
	XV	D V			
	IIII	E IIII			
		F III	*Geraldi confessoris.*	IX. LC.	
	XII	G II	*Calixti pape & martyris.*	IX. LC.	
	I	A Idus.	*Unfrani episcopi*	IX. LC.	
		B XVII	*KALS Novembris. Sancti Michalis*	IX. LC.	
	IX	C XVI	*Victoris martyris* IX. LC. *Lupi episcopi & confes.*	IX. LC.	
		D XV	LUCE EVANGELISTE	VI capparum.	
	XVII	E XIIII			
	VI	F XIII	*Erene virginis & mart.* IX. LC. *Caprasi martyris*	IX. LC.	
		G XII	*Ursule & undecim millium virginum*	II capparum.	
	XIIII	A XI	[*Nunilonis & alodie virginum.*	IX. LC.]	
	III	B X	*Servandi & Germani martyrum*	IX. LC.	
		C IX	*Fructi confessoris*	IX. LC.	
	XI	D VIII	*Crispini & Crispiniani martyrum.*	IX. LC.	
	XIX	E VII	*Vedasti & Amandi episcoporum.*	IX. LC.	
		F VI	*Vincentii & Sabine & Christeta MM.*	VI capparum. *Vigilia.*	
	VIII	G V	APOSTOLORUM SYMONIS ET JUDE.	VI capparum.	
		A IIII	*Eustachi sociorumque ejus martyrum.*	IX. LC.	
E	XVI	B III	*Bellum de Benamarin* VI *ca. Glaudi & Sociorumque ejus martyrum.*	IX. L.	
	V	C II	*Quintini M.*	IX. LC. *Vigilia.*	
B	Aureus numerus	KL	*November habet dies* XXX. *Luna* XXIX. *Nox habet horas* X. *dias vero* XIIII.		
		D Novembris	FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM.	VI capparum.	
	XIII	E IIII	*Commemoratio omnium fidelium defunctorum.*		
	II	F III			
		G II			
	X	A Nonas			
		B VIII			
	XVIII	C VII			
	VII	D VI	*Octava omnium Sanctorum* IIII *cap. quatuor Coronatorum martyrum*	IX. LC.	
		E V	*Theodori martyris*	IX. LC.	
	XV	F IIII	*Menne martyris*	IX. LC.	
	IIII	G III	*Martini episcopi & confessoris.*	VI capparum.	
		A II	*Emiliani abbatis*	IX. LC.	
	XII	B Idus	*Britii episcopi & confessoris*	IX. LC.	
	I	C XVIII	*KLS Decembris. Clementini & Theodoreni MM.*	IX. L.	
		D XVII	EUGENII ARCHIEPISCOPI TOLETANI MARTYRIS.	VI capparum.	
	IX	E XVI	*Sancti Sperati vel comitum ejus martyrum*	IX. LC.	
		F XV	*Acisceli & Victorie martyrum*	IX. LC.	
F	XVII	G XIIII	*Oc. S. Martini* IIII *cap. Romani monachi M.*	IIII capparum.	
	VI	A XIII	*Elisabeth de Ungaria*	VI capparum.	
C		B XII	*Obdonis abbatis.* IX. LC. *Presentationis virginis marie.*	VI capparum.	
	XIIII	C XI			
	III	D X	*Cecilie virginis & martyris* VI *cap. octa. S. Eugenii*	IIII capparum.	
		E IX	*Clementis pape & martyris*	VI capparum.	
	XI	F VIII	*Grisogoni martyris*	IX. LC.	
	XIX	G VII	*Katerine virginis & martyris.*	VI capparum.	
		A VI			
	VIII	B V	*Vitalis & agricole. Facundi & Primitive martyrum.*	IX. LC.	
		C IIII			
	XVI	D III	*Saturnini martyris*	VI cap. *Vigilia.*	
	V	E II	SANCTI ANDREE APOSTOLI	VI capparum.	
	Aureus numerus	KL	*December habet dies* XXXI. *Luna* XXX. *Nox habet horas* XVIII. *dies* VI.		
	XIII	F Decembris.	*Sancti eligii episcopi & confessoris*	IX. LC.	
	II	G IIII	*Sancte Anastasie virginis*	IX. LC.	
		A III			
	X	B II	*Barbare virginis & martyris*	VI capparum.	
		C Nonas			
	XVIII	D VIII	NICHOLAI EPISCOPI ET CONFESSORIS.	VI capparum.	
	VII	E VII	*Octava sancti Andree*	IIII capparum.	
		F VI	*conceptio virginis marie*	VI capparum.	
	XV	G V	*Leocadie virginis*	VI capparum.	
	IIII	A IIII	EULALIE VIRGINIS ET MARTYRIS.	IX. LC.	

Ex Missali Mozarab. impresso.		E III	*Damasi pape*	IX. LC. D
	XII	e II	*Eugenia virginis*	IX. LC.
	I	D *Idus*	*Lucia virginis & martyris*	VI. *capparum*
		E XIX	*KLS Januarii.* [*Justi & Abundi martyrum.*	IX. LC.]
	IX	F XVIII	*Octava conceptionis sancte marie*	IIII *capparum.*
		G XVII	*Octava sancte Leocadie*	IIII *capparum.*
	XVII	A XVI		
	VI	E XV	ANNUNCIATIO SANCTE MARIE DE LA O	VI *capparum.*
	XIIII	D XIII	[*Dominici Abbatis.*] *Vigilia*	IIII *capparum.*
	III	E XII	THOMA APOSTOLE	VI *capparum.*
	XI	F XI	[*Translatio sancti yssidori*	IIII *cap.*]
		G X		
	XIX	A IX	*vigilia*	
		E VIII	NATIVITAS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.	VI *capparum.*
	XIIII	C VII	STEPHANI MARTYRIS	VI *capparum.*
		D VI	JOANNI APOSTOLE ET EUANGELISTE	VI *capparum.*
	XVI	E V	SANCTORUM INNOCENTUM	VI *capparum.*
	V	F IIII	*Thome archiepiscopi & martyris*	IIII *capparum.*
		G III	*Translatio sancti Jacobi apostolis*	VI *capparum.*
	XIII	A II	*Silvestri pa. & conf.* IIII. *cap. Columbe virg.*	IX. LC.

Hactenus Kalendarium hodiernum, immane quantum genuinis antiquitatis characteribus discrepans ab alio, cujus specimen dedimus. Quomodo autem, quibus in locis, quibus Sanctis, & cujus auctoritate, progressu temporis accreverit illud antiquissimum, non est promptum definire. Nullus interea dubito, quin cum incremento temporis, paulatim ac gradatim incrementum aliorum atque aliorum ei accesserit Sanctorum; prout in aliis Martyrologiis usuvenisse, notissimum est. Quibus demum Sanctis novi sursum seculo decimo quarto vel decimo quinto fortè adscripti sint; unde modernis Missalis excusi tabulis adjecti postmodum typis fuerint. Res declaretur exemplis. Die VII Martii signatur *S. Thomas de Aquino*. Die XXIX Aprilis, *S. Petrus Martyr Ordinis Prædicatorum*. Die XIII Junii *S. Antonius de Padua*. V. Augusti *Dominici confess. de Ordine Prædicatorum*. XII ejusdem, *Clara Virginis de Ordine Minorum*. VIII Octobris *Francisci Confessoris*. Atque hæc paucula pro re sint satis.

B E

§. IX.

Præparatio proxima sacerdotis ante Missam; ejusdem idea, ac cæremoniarum descriptio.

Quidnam observet sacerdos antequam se vestiat.

ERit sine dubio non ingratum lectoribus, si dicatur, quænam præparatio proxima præscribatur sacerdoti ante Missam. Edmundus Martene lib. I. De antiquis Ecclesiæ ritibus, cap. 4, art. 12, postquam ex Missali Mozarabum Ximeniano protulisset Missam in Dominica prima Adventûs, ex eodem Missali ista in rem nostram subjungit: *Quando præparatus sit sacerdos ad Missam celebrandam, ingressus ad sacrarium lavet manus, dicendo: Oremus. Largire sensibus nostris quæsumus, Domine, omnipotens Pater, ut sicut exterius inquinamenta manuum abluuntur; sic per te mentium sordes misericorditer emundentur, & crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum. Per Christum Dominum*. Deinde ibidem sequuntur ista: *Postea flectat genua coram vestibus, & dicat quater Ave Maria, & de intimo corde commendet se gloriosæ virgini Mariæ, ut offerat illud acceptabile mysterium Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & ut ipsam in hoc Sacrificio mediatricem & adjutricem habeat. Deinde muniat se signo crucis, & super quamlibet vestem dicat: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen*. Orationes, quas recitat sacerdos ad singulas vestes sacras (videlicet amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam atque casulam) quando eas induit, fere coincidunt cum nostris.

C

Et quando jam est vestitus.

448 Sacerdoti autem vestibus jam induto præscribuntur ista: ℟. *Pater peccavi in cælum & coram te, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* ℣. *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo: surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei.* ℟. *Fac me sicut.* *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.* ℣. *Ab occultis meis munda me, Domine.* ℟. *Et ab alienis parce servo tuo.* ℣. *Domine, exaudi orationem.* ℟. *Et clamor meus. Oremus. Deus, qui de indignis dignos, de peccatoribus justos, & de immundis facis mundos; munda cor meum & corpus meum ab omni sorde, & cogitatione peccati, & fac me dignum ac strenuum sanctis altaribus tuis ministrum, & præsta, ut in hoc altari, ad quod indignus accedere præsumo, acceptabiles tibi hostias offeram pro peccatis & offensionibus, & innumeris quotidianis meis excessibus, & pro peccatis omnium viventium & defunctorum fidelium, & eorum, qui se meis commendaverunt orationibus: & per eum tibi meum sit acceptabile votum, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit in sacrificium, qui est omnium opifex, & solus sine peccati macula pontifex Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui tecum vivit.* Hæc apud Martenium de præparatione proxima sacerdotis ante Missam; nunc compendiosam ipsius Missæ ac cæremoniarum ejus descriptionem subjicio.

F

449 Apud Aguirrium loco citato à pag. 264 rursum ex Roblesii Hispanico notantur sequentia: *Sacrum Muz-arabicum pietate refertum est, eximioque ordine constitutum, nec, ut vulgus opinatur, inverso atque præposterè celebratur. Initio dicitur confessio generalis, cum psalmo Judica me Deus. Reliqua verò usque ad introitum conveniunt cum Officio Toletano antiquo, cujus usus frequens erat & receptus, cum typis mandata fuere Missalia, opera illustrissimi Cardinalis & Archiepiscopi Toletani Francisci Ximenis Cisnerii, conservatoris hujus sancti Officii Gotthici. Confessione verò & adoratione crucis peracta, &, apertis sacris pulvinaribus (pro* *Confessio generalis.*

qui-

A quibus singulis propria habentur orationes juxta Officium Toletanum) dicit sacerdos: *Adjutorium nostrum in nomine Domini &c.* Et, *Sit nomen Domini benedictum*; dicitque consequenter Missa introitum ad imitationem Officii Romani.

Introitus, Psallendum, Epistola.

450 Introitus autem iste bis profertur; semel quidem ante *Gloria & honor Patri*; deinde post hæc verba prolata. Die Dominica Adventûs S. Joannis Baptistæ, non dicitur *Gloria* in Missa; verùm ejus loco subit Canticum *Benedictus Dominus Deus Israel &c.*; sed aliis diebus post dictum *Gloria*, recitatur oratio absque prævio *Oremus*: cui respondetur, *Amen*; idemque fit in reliquis orationibus, ut dictum est. Hac oratione recitata sacerdos dicens, *Per misericordiam tuam &c.*, ad medium altaris progreditur, illicque constitutus ait: *Dominus sit semper vobiscum*; legitque Prophetiam, respondeturque inscriptioni, quæ prælegitur, *Deo gratias*; & sub finem, *Amen*; pronuntiaturque vaticinium in quocumque Sacro, quamvis admodum solenni, nullo penitus excepto. Postea, iterato *Dominus sit semper vobiscum*, canitur, aut profertur, *Psallendum*; quod idem pene est atque *Responsum*, non dispar Graduali Officii Latini. B Eo verò absoluto, sacerdos aut diaconus petit ab adstantibus, ut attentos sese præbeant, his verbis: *Silentium facite*. Hoc in loco diaconus Epistolam legit, quæ in Missa Muzarabica sic incipit. *Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos*. Respondeturque: *Deo gratias*. Et ad calcem; *Amen*, ut jam à nobis dictum est.

Evangelium, Ordinarium Missæ, oblatio.

451 Perlectâ Epistolâ, petit sacerdos submissè benedictionem ordinariam ad Evangelium recitandum, interimque Missale transfertur ad latus Evangelii, incipitque cum his verbis: *Lectio S. Evangelii secundum Joannem vel Marcum &c.* In fine verò respondetur, *Amen*. Post Evangelium sacerdos ait, *Dominus sit semper vobiscum*, cum *Laude & Alleluia* post Graduale aut Evangelium, sicut in Officio Muz-arabico post illud hoc in loco profertur. Quo verò tempore legitur. Evangelium, apponitur lateri Epistolæ libellus continens partem Missalis, inscribiturque, *Omnium offerentium*, completiturque omnes orationes, & reliqua, quæ communiter dicuntur in omnibus Sacris; idque censeri debet ejusdem rationis, ac in Officio Latino, *Ordinariorum Missæ*. Hoc supposito, dictoque *Alleluia*, offert Sacerdos Hostiam, dicens orationem, imponitque sacro pulvinari patenam cum Hostia. Numquam verò integræ Missæ spatio collocatur Hostia (nec ante, nec post consecrationem) supra pulvinar, C imo semper supra patenam. Oblatâ Hostiâ sacerdos signo crucis calicem munit, & cum alia oratione illam offert; deinde cum alia oratione imponit ei amiculum, statimque inclinato capite, profert hanc orationem, *In spiritu humilitatis &c.* Quâ recitatâ dicit: *Adjuvate me, fratres, in orationibus vestris, & orate pro me ad Deum*. Quod quidem respondet his verbis, *Orate fratres*, in Officio Latino dici solitis. Protinus immediatè dicit sacerdos verba Sacrificii, quæ etiam canuntur in choro, idque conferri potest cum oblatione Officii Latini. Huc usque antiquitus vocatur Missa Catechumenorum, qui non prohibebantur adesse, donec fieret oblatio; abesse verò, dum reliqua fierent, jubebantur.

propria Sacrificio Mozarabico orationes, earumque distributio.

452 Exactis iis, quæ præcensuimus, manus abluit, dicens psalmum: *Lavabo inter innocentes, manus meas*. Quo absoluto, signum crucis oblato calici superinduit, & inclinans sese, orationem pronuntiat, quâ Deum rogat, ut ei spiritum non deneget, linguamque liberam, & cor purum ad celebrandum Sacrificium largiatur. Quæ deinceps fiunt, magis huic Sacrificio propria censentur; quod ab hoc loco cum quibusdam orationibus inchoatur; quarum prima nomen Missæ sortitur: eam verò præcedit, *Dominus sit semper vobiscum*, quæ quidem verba viam quasi parant, & muniunt tum ad hanc orationem, tum ad subsequentes. Secunda vocatur *Alia oratio*. Tertia, *Post nomina*. Quarta *ad pacem*. Quinta *Post Sanctus*. Sexta *Post pridie*; distributaque sunt ordine sequenti.

Ex editis apud Aguirrium.

Oratio 1, quæ Missa vocatur:

Post primam orationem, quæ Missa vocatur, sacerdos Supplicationem pronuntiat, cujus initium est: *Oremus sanctam Ecclesiam Catholicam*. Ad hæc populus Deo laudes occinit, dicens: *Hagios, Hagios, Hagios*. In ea verò Supplicatione sacerdos populum monet, ut Deo necessitates Ecclesiæ commendet, nec non infirmos, captivos in carcere detentos, peregrinos, respondetque chorus: *Præsta æterne, omnipotens Deus*. Consequenter dicitur oratio secunda; quæ *Alia* appellatur: in qua à Deo enixè petitur, ut preces Christianorum fidelium admittat; desinitque hæc oratio in hæc verba: *Per misericordiam tuam, Deus noster, in cujus conspectu sanctorum Apostolorum & Martyrum &c.*

oratio 2, seu Alia:

E

commemorationes Sanctorum, ac Defunctorum fidelium:

453 Statimque adjicitur: *Offerunt Deo Domino oblationem sacerdotes nostri, Papa Romensis &c.* Hinc immediatè profert sacerdos: *Facientes commemorationem beatissimorum &c.*; illicque fit mentio sacratissimæ Virginis, & Apostolorum, & Martyrum, & nomina quorumdam recensentur, sicut in Officio Romano in Canone Missæ. Notandum verò est, in Officio Romano Sanctorum nomina submissa voce proferri; secus verò in Muzarabico; & cum Missa canitur, omnia cantantur. Post præfatam Martyrum mentionem, fit commemoratio Defunctorum, qui æterna pace fruuntur, in his verbis: *Item pro spiritibus pausantium*. Et quamvis id non sit memento Defunctorum, quia fit multo post tempore; convenit tamen aliquatenus cum Memento Officii Latini, præcipuèque circa hæc verba: *Et dormiunt in somno pacis*. Hac in commemoratione nominatim fit mentio quorumdam Archiepiscoporum, primorum scilicet, qui præfuere Ecclesiæ Toletanæ, postquam è manibus Afrorum erepta est civitas Toletana, ut sunt Bernardus, Regmundus *, Joannes, Cerebrunus, Gundisalvus &c.

* Reymundus Raymundus,

oratio 3, quæ Post nomina dicitur, item 4, Ad pacem vocata.

454 Hinc oratio tertia sequitur, quam *Post nomina* vocamus, quâ petitur à Deo, ut pacem Defunctis fidelibus impertiat, desinitque in hæc verba: *Quia tu es vita vivorum, sanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium Defunctorum*. Sequitur oratio quarta, quæ *Ad pacem* appellatur, quâ petitur à Deo pax & charitas pro fidelibus omnibus Christianis, specialiter verò pro iis, qui tunc temporis Sacrificio intersunt. Et quoniam fideles omnes antiquitas cum sacerdote communicabant, utique recordetur quilibet divini præcepti, quo jubemur reconciliari fratribus nostris, imo causam ob eamdem dimittere munus ad altare, ut Evangelium monet: ideo antequam fiat elevatio, pax datur in Officio Muz-arabico. Hac oratione recitata, cum his ad finem verbis: *Quia tu es vera pax nostra; & charitas indisrupta &c.*, sacerdos divinum sanctissimæ Trinitatis auxilium invocans, his verbis: *Gratia Dei Patris omnipotentis &c.*, pacem impertit, inquiens: *Qui modo astatis, pacem facite*. Et cum datur osculum, ait: *Habete osculum dilectionis, & pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei*. Ob præfatas

EX EDITIS APUD AGUIRRIUM.

tas autem rationes pax prabetur in Officio Muz-arabico ante consecrationem, & elevationem. In coque non parum differt Officinm Muzarabicom à Latino; dumque Pax populo osculanda porrigitur, canit chorus: Pacem meam do vobis; pacem relinquo vobis &c. Novum mandatum do vobis.

Præfatio seu Illatio:

455 *Deinde dicitur Præfatio, quam Inlotionem vocant, eaque præcedit præcipuam Missæ Sacrificii partem; nimirum eam, quæ ad consecrationem pertinet, estque veluti Canon hujus Missæ Muz-arabicæ. In ea verò Præfatione populus monetur circa mysterium, de quo Missa celebratur, vel, ut Sancti vestigiis, cujus fit commemoratio, diligenter insistat. Illic verò circa principium versus quidam sunt, Præfationi Latinæ Missæ aliquatenus respondentes. Primò dicitur: Introibo ad altare Dei mei; confestimque expansis manibus, tametsi junctis, sicuti eas componit sacerdos in Officio Romano, cum dicit: Hanc igitur oblationem; Muz-arabicus sacerdos ait; Aures ad Dominum. Cui respondetur: Habemus ad Dominum; moxque dicit: Sursum corda; respondeturque: Levemus ad Dominum. Tum loco verborum: Gratias agamus Domino Deo nostro; quæ habentur in Officio Latino, dicitur: Deo ac Domino nostro Jesu Christo, Filio Dei, qui est in cælis, dignas laudes, dignasque gratias referamus. Respondeturque: Dignum & justum est.*

B

oratio 4, post Sanctus, Canon, consecratio;

456 *Tandem concluditur hæc Illatio cum his laudibus angelicis: Sanctus, Sanctus, Sanctus; absolviturque cum his verbis: Hagios, Hagios, Kyrie, o Theos. Sequitur deinceps quarta oratio, vocata Post sanctus; cujus initium solet esse: verè sanctus, verè benedictus, Osanna in excelsis: finis autem, Redemptor æterne. Huic orationi non respondetur, Amen; quia continuatur cum sacro Canone Missæ, & in festis sex aut quatuor trabearum, & in Dominicis & Octavis dicitur hæc oratio, & sexta, quæ inscribitur Post pridie, voce submissa, contrà vero in ceteris. Illico sacerdos inchoat sacrum Canonem, cum his verbis: Adesto, adesto, Jesu bone, pontifex in medio nostri; statimque consecrat; & quamvis verum sit, potuisse sacerdotes Muz-arabes sese addicere verbis, quæ apud Evangelistas habentur, & cum iis consecrare, quia sunt propria Officii Gothici verba, quamvis aliqua ex parte ab iis, quibus utitur ecclesia Romana differant; tamen ad idem recidunt, eandemque sensum habent. Verùm hodierna die attexitur margini Missalis charta agglutinata, in qua verba Officii Romani, quibus nunc Muz-arabes semper uti solent, continentur.*

C

elevatio, oratio sexta Post pridie:

457 *Dum consecrat sacerdos, populo Hostiam, deinde calicem exhibet coopertum amiculo juxta usum antiquum Toleti, dicens; Quotiescumque manducaveritis, dum exhibetur Hostia: dum verò calix: biberitis; hoc facite in meam commemorationem. Hisque respondetur: Amen alta voce, si festum minus solemne fuerit; sin magis, submissa. Dum fit elevatio, dicitur oratio sexta, vocata Post pridie, quæ desinit in hæc verba: Te præstantissime *, sancte Domine, qui * hæc omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas &c.; Quæ non mediocriter referunt hæc in Officio Gregoriano contenta; Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas &c. Deinde sacerdos dividit calicem suo amiculo, huicque imponit sanctissimum Sacramentum, nec omittitur ab eo antiphona, quæ Ad confractionem panis dicitur: hinc Hostiam postremam elevat, non elevato tamen calice, juxta antiquum Toletanæ ecclesiæ usum.*

* præstante
* al. quia tu


D

Symbolum fidei, confractio Hostiæ in novem particulas,

458 *In festis duplicibus, atque Dominicis sacerdos loco Antiphonæ Ad confractionem panis, ait: Dominus sit semper vobiscum; statimque subdit: Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus. Tunc Sacramentum præ manibus habens supra calicem sacerdos, quem chorus hac in parte comitatur, recitat Symbolum Apostolorum *: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem &c. Et quia multi simul Symbolum recitant, ideò dicunt, Credimus, non Credo; sicut in Officio Romano observatur. Est autem locus hic admodum proprius ad fidem profitendam, cum adoratione veri corporis Domini nostri. Symbolo Apostolorum recitato; vel dum in choro illud absolvitur, frangit Hostiam sacerdos, & patenæ imponit; neque tantùm in tres partes eam dividit, ut mos est Officii Latini; verùm in novem eam dispescit, secundùm præcipua novem Fidei nostræ mysteria, in Symbolo, quod absolvitur, contenta: dumque singulas partes frangit, ad earum quamlibet mysterii plena quædam verba profert, illasque eo, quem dicturi sumus, ordine, in patena disponit.*

* seu potiùs Constantinopolitanum:

E



commemoratio vivorum, oratio Dominica.

459 *Notandum, verbum hoc Corporationis, non differre ab Incarnatione, Apparitionem idem esse cum Epiphania; reliqua vero explicatione non indigent. Fractâ Hostiâ, sacerdos Sacramentum respiciens, meminit viventium, & in eo Memento, quod profert, omnes fideles Christianos Christo commendat; nominatim verò eos, qui Sacro tunc intersunt. Commemoratione peractâ, dicit sacerdos: Oremus cum oratione una, quæ propriè Capitulum dici potest; estque quasi præfatio quædam, & via ad Dominicam orationem, non discrepans ab ea, quæ in Officio Romano incipit: Oremus, Præceptis salutaribus moniti &c. Præfatio verò hæc orationi Dominicæ connectitur, & sub eorum finem respondetur. Amen, ut superius dictum est: Liberati à malo & confirmati semper in bono &c. Cum verò ait sacerdos: Pone, Domine, finem peccatis nostris; pectus semel percutit. Respondens autem hæc verba iis, quæ in Officio Gregoriano habentur, Nobis quoque peccatoribus.*

F

Singulare aliquid tempore Paschali; præparatio ad benedictionem sacerdotis.

460 *Hic dictis, sacerdos ultimam partium patenæ impositarum, Regnum appellatam accipit, ordine & modo prædicto, dicensque hæc verba: Sancta sanctis; & conjunctio corporis, & sanguinis &c., calici injicit, eaque sanguini tunc commiscetur. Res autem notata dignissima istic observatur, quod scilicet à Paschate ad Pentecosten, & in festo Corporis Christi, sacerdos*

A

das in manibus habens, tenensque supra calicem præfatam particulam Regnum, ter alta voce effert, quasi canens hæc verba, quæ Christo, quasi mortis victori celeberrimo gratulari videntur: Vicit leo, de tribu Juda, radix David; quibus respondetur singulis vicibus: Qui sedes super Cherubim, rex David, Alleluia. Statim verò sacerdos aut diaconus populum hortatur, ut humilitatem exhibeat in benedictione suscipienda, his verbis: Humiliate vos benedictioni. Sacerdos verò eam impertit cum tribus ordinariis petitionibus, quarum cuilibet respondetur, Amen, ut in majoribus Horis dictum est. Vide, quæ de hac benedictione superius cap.3., § 2, num.106, ex canone 18 concilii Toletani IV præmissa sunt.

atque ad communionem fidelium.

461 *Absoluta benedictione, sacerdos ait: Dominus sit semper vobiscum; subitoque cantatur in choro Responsum, quod vocatur, Ad accedentes. In eo verò monentur fideles, qui sunt communicaturi, ut accuratissimè perpendant, quem cibum suscepturi sint. Id autem fit his verbis: Gustate & videte, quam suavis est Dominus, Alleluia, Alleluia. Quæ quidem verba decerpta sunt ex psalmo, Benedicam Domino in omni tempore. Notandum verò est, quod loco Responsi, vocati Ad accedentes (quod quidem nihil aliud est, quam exhortatio ad communionem) in Sacris, quæ pro Defunctis, & quadragesimæ tempore celebrantur, dicitur aliud, cujus initium est: Qui venit ad me, non esuriet &c.*

B

Communio sacerdotis &c.

462 *Responso prolato, sacerdos inquit: Panem cælestem de mensa Domini accipiam. Tum penultimam particulam, cui nomen Gloria, accipiens; quam ea de causa sacerdos majorem ceteris relinquit, eamque tenens supra calicem, mentionem facit defunctorum; quo peracto, effert orationem particularem pro susceptione Dominici corporis, & sanguinis; hisque piis sermonibus prolatis, Ave in ævum sanctissima caro Christi, in perpetuum summa dulcedo, ter pectus percutit juxta ritum veteris* Officii *Toletani, dicens: Domine non sum dignus. His dictis, particulam, quam præ manibus habet, suscipit, ceterasque suo ordine, primò sumens eas, quæ postremæ fuerunt in patena, statimque populo communionem largitur. Consumptis ordine particulis, dicendo, Ave in ævum cælestis potus, qui mihi ante omnia, & super omnia dulcis es, sanguinem suscipit, aliamque dicens orationem, lavat. Postea canitur aut recitatur antiphona, Refecti Christi corpore & sanguine, te laudamus Domine, Alleluia, Alleluia, Alleluia. In cujus locum Quadragesima tempore, & in Missis, quæ pro defunctis celebrantur, subrituntur istæ: Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Quæ quidem verba præ se ferunt quamdam gratiarum actionem ob susceptum Dominicum corpus.*

C

Subduntur reliqua usque ad finem.

* Postcommunio

463 *Deinde aufertur libellus Omnium offerentium, pars nimirum Missæ, de qua supra verba fecimus, transferturque Missale ad latus Epistolæ, post populi communionem. Tunc sacerdos recitat postremam orationem, quæ Post communionem * vocatur in* Officio *Romano. Finis verò hujus orationis est: Per misericordiam tuam &c. Hinc constitutus sacerdos in medio altaris, ait: Dominus sit semper vobiscum: loco verò horum verborum: Ite Missa est, quæ proferuntur in* Officio *Romano, dicitur in* Officio *Muz-arabico, quando duplicia festa solenniora contingunt, Solemnia completa sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi; votum nostrum sit acceptum cum pace. In festis autem minùs solennibus dicitur; Missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Christi; perficiamus cum pace. Respondeturque, Deo gratias. Absolutâ Missâ sacerdos genibus flexis juxta altare recitat Salve Regina cum oratione sua juxta ritum veterem Toletanum. Deinde deosculato altari convertit se ad populum; notatuque dignum est, numquam tempore Sacrificii sacerdotem ad populum sese convertere, nisi eâ hora & vice. Conversus autem sacerdos ad populum, largitur ei benedictionem his verbis: In unitate sancti Spiritus benedicat vos Pater, & Filius, Amen. Tunc omnino cessans, nec amplius verbum ullum efferens, statim pergit ad adytum, ubi ornamenta deponit.*

EX EDITIS APUD AGURRIUM.

§. X.

Missale Offerentium usque ad orationem Post nomina.

Præmissa circa textum tiedandum.

E

MIssæ Mozarabicæ ideæ, ac cæremoniarum ejus descriptioni subnectantur nunc orationes ac reliqua, in ejusdem Missæ decursu adhiberi consueta; quæ *Ordinarium* istius sacræ liturgiæ vocari possunt, continentque eam Missalis partem, quæ *Omnium offerentium* dicitur; de qua te superius num. 451; & in annotatis, huic paragrapho proximè subnexis lit. *l.* Postquam aliquod prædicti argumenti exemplar mense Januario anni 1722 Toleti transcripsissem, accessus mihi eodem mense patuit ad duos Mozarabes sacerdotes, nimirum reverendos admodum DD. Eugenium de las Infantas, superiùs laudatum, & Franciscum Fernandez Vela, sacellanum & archivistam sacelli Corporis Christi; qui accessus ad hoc mihi profuit, ut nonnullas circa rem præsentem instructiunculas acciperem, & annotarem; postmodum in decursu usui mihi futuras, atque textui libri Missalis Offerentium interserendas hoc & sequente §.

nonnullis observatiunculis,

465 Locus etiam dabitur aliis annotatis, seorsim textui subjungendis; quæ partim desumentur ex Tabula, Toleti per Petrum Rodriguez anno 1593 cum approbationibus impressa, & à laudato Francisco de Pisa Hispanicè in lucem edita; in qua præcipuarum partium ac cæremoniarum Missæ Mozarabicæ seu Gothicæ ratio datur. Quia verò nullum exemplar in promptu erat, quod nobiscum asportare liceret in Belgium; pro aliquo ejusdem transumpto seu apographo supplicatum fuit apud amplissimum ac colendissimum nobis virum, ac dominum D. Bernardum Ossorio de Velasco, ecclesiæ metropolitanæ Toletanæ canonicum: qui cumulatissimis officiis, & propensissimæ erga nos voluntatis affectui, in nostra commoratione Toletana nobis exhibitis, hoc etiam beneficium pro sua singulari humanitate superaddendum censuit, ut noluerit laborem illum alteri imperare; sed ipsemet nostra eum gratiâ suscipere, totamque istam Tabulam sua ipse manu transcribere non sit gravatus. Partim, inquam, annotata nostra inde; partim etiam aliunde desumentur.

F

pro instructione lectoris, res ipsa proferatur.

466 Ritus autem ac cæremoniæ Missæ Mozarabicæ videntur Francisco Pisæ in Tabula paullo ante citata, generatim loquendo, originem ac principium accepisse à Missa, quam Apostolus Jacobus, cognomento Justus, ordinavit

EX TOLETANO EXEMPLARI.

vit pro sua ecclesia Hierosolymitana; In qua Missa diaconus dicebat: *Osculamini invicem in osculo sancto*. Et sacerdos orationem: *Sancta sanctis*; necnon exhortationem ad illos, qui erant communicaturi: *Gustate, & videte* &c.; citatque Pisa Baronium Annal. eccl. tom. 1, ad annum Christi 63; volens, has res, aliasque perseverasse in isto Officio. Et in his ipsis, & aliis multis Missam Gothicam similem esse addit liturgiæ Græcæ S. Basilii ac S. Joannis Chrysostomi. Verùm cap. 1, § 1 hujus Tractatus, origo Missæ veteris Hispanicæ relata fuit ad S. Petrum Apostolum; ubi & de aliis ipsius in hac re adjutoribus actum. Porro obscura adeo atque incerta sunt (juxta dicta § 2 & seqq.) quæ quatuor primis Christi seculis, cum de aliis liturgiis, tum de Hispanica inquiruntur, ut nihil ex illis elici posse videatur adeo sincerum, purum ac genuinum, quod in qualitate ac quantitate rituum Sacrificio eucharistico accidentium faciat satis. Quod ad liturgias Græcas attinet; vide an tibi probentur, quæ eodem capite præmisimus à §. 3. Interim cum juxta capitis 2, § 3. liturgia Romano-Hispanica ex Orientali commista fuisse videatur;
B credibile est, varios ex Orientali in Hispanicam ritus quondam immigrasse. Lectore de his præmonito, ipsum nunc Ordinarium Missæ Mozarabicæ exemplar subdo.

Dicenda in accessu.

467 Quando sacerdos accedit ad altare ad celebrandum Missam, dicit: *Ave Maria. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Sancti Spiritus adsit nobis gratia.* ℣. *Introibo ad altare Dei.* ℟. *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* Postea dicit totum psalmum, *Judica me Deus*, cum *Gloria Patri*. Et iterum dicit: *Et introibo ad altare Dei.* ℣. *Dignare, Domine, die isto.* ℟. *Sine peccato nos custodire.* ℣. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* ℟. *Quoniam in seculum misericordia ejus.* ℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.* ℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Confessio. *Confiteor omnipotenti Deo, & beatæ Mariæ Virgini, & sanctis Apostolis Petro & Paulo, & omnibus Sanctis, & vobis, fratres, manifesta, me graviter peccasse per superbiam in lege Dei mei, cogitatione, locutione, opere & omissione, meâ culpâ, meâ culpâ, gravissimâ meâ culpâ. Ideo precor beatissimam Virginem Mariam, & omnes Sanctos, & Sanctas, & vos, fratres, orate pro me.*

C Absolutio: *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum cum emendatione morum & vitæ, per gratiam sancti Spiritus, tribuat vobis misericors Dominus. Amen.* ℣. *Deus tu conversus vivificabis nos.* ℟. *Et plebs tua lætabitur in te.* ℣. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.* ℟. *Et salutare tuum da nobis.* ℣. *Sacerdotes tui induant justitiam.* ℟. *Et Sancti tui exultent.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Aufer à nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras, & spiritum superbiæ, & elationis, cui resistis; & reple nos spiritu timoris, & da nobis cor contritum & humiliatum, quod non spernis, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus intraire. Per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.*

D

& in ascensu altaris.

468 Et statim accedit ad altare, & facit sacerdos crucem super aram dicens: *In nomine Pa ✠ tris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Quando osculatur aram, dicit: *Salve crux pretiosa, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus tanquam margaritis ornata. Salva præsentem catervam, in tuis laudibus jugiter congregatam.* ℣. *Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi.* ℟. *Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.* Oremus: *Exaudi nos Deus, salutaris noster, & per triumphum sanctæ Crucis à cunctis nos defende periculis. Per Christum, Dominum nostrum. Amen.*

oratio in extensione corporalium, mundatione calicis.

469 Ad extendendum corporalia, dicit sacerdos sequentem orationem: *In tuo conspectu, quæsumus Domine, hæc nostra munera, placita sint, ut nos tibi placere valeamus. Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens in prælio: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Mundando calicem dicit: *Dignare, Domine, mundare vas istud, in quo sumere pretiosum sanctum corpus tuum valeam. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis & regnas Deus per omnia secula seculorum.*

E

infusione vini & aquæ, ac positioni Hostiæ in patena.

470 Quando ponit vinum, dicit orationem: *Misce, quæsumus, Domine, in calice isto, quod manavit ex latere tuo, ut fiat in remissionem peccatorum nostrorum. Amen.* Ad benedictionem aquæ dicat minister: *Jube Domne benedicere.* Sacerdos dicit: *Ab illo benedicatur, cujus Spiritus super aquas ferebatur. In nomine Patris, & Filii ✠, & Spiritus sancti. Amen.* Oratio: *Ex latere Domini nostri Jesu Christi sanguis & aqua exisse perhibentur. Hæc ideo nos pariter commiscemus, ut misericors Deus utrumque ad medelam animarum nostrarum sanctificare dignetur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.* Quando ponit Hostiam in patena, dicat sacerdos: *Benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis, & Filii, & Spiritus sancti descendat super hanc Hostiam, tibi, Deo Patri, offerendam. Amen.* Postea sacerdos accedens ad cornu Epistolæ, & benedicens se, dicit: *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum & terram.* ℣. *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc & usque in seculum* a.

a

Introitus, Gloria in excelsis &c.

471 Sequitur Introitus, estque proprius vel communis, OFFICIUM b dictus, habeturque in Missali. Quo finito dicit sacerdos, b
quod sequitur: *Per omnia semper secula seculorum.* Et prosequitur dicens: *Gloria in excel-* F
sis Deo; & in terra pax hominibus bonæ vo- c
luntatis: Laudamus te: Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex cælestis, Deus Pater omnipotens, Domine, Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris; qui tollis peccata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram; qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus; tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiri- d
tu, in gloria Dei Patris, Amen d. Et iterum dicit sacerdos: *Per omnia (semper) secula seculorum.* Deinde subnectitur ORATIO e ex Missali, propria vel communis. Quà finità dicat sacerdos in medio altaris: *Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in secula seculorum.* ℟. *Amen.* Postea dicit: *Dominus sit semper vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Sequitur prophetia ex Missali, propria vel communis.

Quà

A Quâ finitâ dicat sacerdos: *Dominus sit semper vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. Tum subditur *Psallendum* f, proprium vel commune ex Missali. Quo finito, dicat Diaconus, vel sacerdos, si sit Missa privata &c.: *Silentium facite* g. Epistola ex Missali.

Prophetia, epistola, f g

472 Postquam dicta fuerit epistola, celebrans accedit ad medium altaria, ibique dicit: *Conforta me Rex Sanctorum, summum tenens principatum, da sermonem rectum & bene sonantem in os meum, ut placeam tibi, & omnibus circumstantibus*. Inclinet se in medium altaria, dicens *Jube Domine benedicere*. *Dominus sit in corde meo, & in ore meo, & in labiis meis ad pronuntiandum sanctum Euangelium divinum*. Legitur Euangelium ex Missali h. Quo lecto, quando presbyter osculatur librum, dicat: *Ave verbum divinum, reformatio virtutum, restitutio sanitatum*. Postea dicit sacerdos in medio altaris: *Dominus sit semper vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*. Deinde *Alleluia* cum una Laude i vel propria vel communi ex Missali. Dicto *Alleluia*, sacerdos offert Hostiam superpositam patenæ, dicens: *Acceptabilis sit Majestati tuæ, omnipotens æterne Deus, hæc oblatio, quam tibi offerimus pro reatibus & facinoribus nostris, & pro stabilitate sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus. Per Christum, Dominum nostrum. In nomine Patris* ✠, *& Filii, & Spiritus sancti. Amen*. Et dimittit patenam super corporalia; & deinde accipiat calicem benedicendo sic: *In nomine Pa* ✠ *tris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Offerimus tibi, Domine, calicem ad benedicendum sanguinem Christi Filii tui, deprecamurque clementiam tuam, ut ante conspectum divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen*.

Euangelium, oblatio Hostiæ & calicis: h i B

473 Ponat calicem super aram, & accipiat filiolam k sine sanctificatione, & cooperiat calicem, dicens sequentem orationem: *Hanc oblationem, quæsumus domine, placatus admitte, & omnium offerentium* l *eorum* m; *pro quibus tibi offertur, peccata indulge. Per Christum, Dominum nostrum. Amen*. Hic dicat presbyter inclinando se, & junctis manibus: *In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur, Domine, à te; & sic fiat Sacrificium nostrum, ut à te suscipiamur hodie, ut placeat tibi, Domine Deus. Veni sancte Spiritus sanctificator, sanctifica hoc Sacrificium de manibus meis tibi præparatum. Adjuvate me, fratres, in orationibus vestris, & orate pro me ad Deum*. Respondetur: *Adjuvet te Pater, & Filius, & Spiritus sanctus* n.

preces pro offerentibus k l m C n

474 *Sacrificium* o vel proprium vel commune ex Missali. Hic accipiat aquam in manibus, dicens: *Lavabo*, ut in Romano; &, acceptâ aquâ, dicat secretè super oblationem cum tribus digitis: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Regnans Deus in secula seculorum* ℟. *Amen* p.

o *ac pro sacrificanto:*

P Inclinet se sacerdos ante altare, & dicat secretò istam orationem: *Accedam ad te, in humilitate spiritûs mei loquar ad te: quia multam spem in fortitudine dedisti mihi. Tu ergo, Fili David, qui revelato mysterio ad nos in carnem venisti, clave crucis tuæ secreta cordis mei adaperi, mittens unum de Seraphim, qui candenti carbone illo, qui de altari tuo sublatus est, sordentia* (fiat crux in labiis) *labia mea emundet; mentem* (fiat crux in fronte) *enubilet, docendique materiem subministret*; (hic formetur crux communis) *ut lingua mea, quæ proximorum utilitati per charitatem servit, nec erroris insonet casum, sed veritatis resultet sine fine præconium. Per te, Deus meus; Qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen*. Ex TOLETANO EXEMPLARI.

475 Postea presbyter tenens manus expansas super altare, dicit: *Dominus sit semper vobiscum*. Dein subditur MISSA q, estque oratio PRIMA, uti num. 452 dictum est; quæ vocatur AD MISSAM, propria vel communis ex Missali; quâ finitâ dicitur in medio altaris *Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, & vivis & omnia regis in secula seculorum*. ℟. *Amen*. Dicat sacerdos elevando manus: *Oremus*. Chorus respondet: *Agyos, Agyos, Agyos* r, *Domine Deus, Rex æterne, tibi laudes & gratias*. Presbyter dicit: *Ecclesiam sanctam Catholicam in orationibus in mente habeamus, ut eam Dominus fide, & spe, & charitate propitius ampliare dignetur. Omnes lapsos, captivos, infirmos atque peregrinos in mente habeamus, ut eos Dominus propitius respicere, redimere, sanare, & confortare* s *dignetur*. Respondet chorus: *Præsta æterne omnipotens Deus*.

Missa. q s

476 ALIA ORATIO t ex Missali, propria vel communis. *Per misericordiam tuam, Deus noster, in cujus conspectu sanctorum Apostolorum & Martyrum, Confessorum atque Virginum nomina recitantur. Amen. Offerunt Deo Domino oblationem sacerdotes nostri, Papa Romensis, & reliqui pro se; & pro omni clero & plebibus Ecclesiæ, sibimet consignatis, vel pro universa fraternitate. Item offerunt universi presbyteri, diaconi, clerici, ac populi circumstantes, in honorem Sanctorum pro se & suis*. Respondet chorus: *Offerunt pro se, & universa fraternitate*. Dicat sacerdos: *Facientes commemorationem beatissimorum Apostolorum & Martyrum, gloriosæ sanctæ Mariæ virginis, Zachariæ, Joannis, Infantium, Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Jacobi, Symonis & Judæ, Matthiæ, Marci & Lucæ* u. Respondet chorus: *Et omnium Martyrum*. Dicit Sacerdos: *Item pro spiritibus pausantium Ilarii* *, *Atanasii, Martini, Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Leandri, Isidori, David, Juliani; item Juliani* x, *Petri; item Petri, Joannis servi Dei, Visitani, Viventi, Felici* *, *Cipriani* *, *Vincentii, Gerontii, Zachariæ, Cenopoli, Dominici, Justi, Saturnini, Salvati; item Salvati, Bernardi, Reymundi Joannis, Celebruni* y, *Gundisalvi, Martini, Roderici, Joannis, Guterii, Santii; item Santii* *, *Dominici, Juliani; item Juliani, Philippi, Stephani, Joannis, item Joannis, Felicis*. Respondet chorus: *Et omnium pausantium* z.

Alia oratio, oblatio, commemoratio Sanctorum. t u

* al. Hilarii, Athanasii x

* al. Felicis

* al. Cypriani. y

* al. Sancii, item Sancii. z

ANNOTATA.

a Ordo dicendi confessionem generalem in principio Missæ, cum suo psalmo, ac versibus adjunctis, non est Mozarabicus, sed desumptus ex Officio Toletano antiquo, uti observat Pisa in Tabula jam citata; quod Officium recitabatur tempore Cardinalis Ximenii. Idem dicit de introitu sacerdotis ad altare, salutando crucem: *Salve, crux pretiosa*; ac dicendo certos versus, & orationes in aperiendis atque extendendis corporalibus; nec non præparanda Hostia & calice; item *Adjutorium nostrum in nomine Domini* &c. antequam incipiat Officium Missæ. *Totum illud conforme esse* dicit *usui Missa-*

A *salis Toletani*. Vide etiam quæ num. 449 ex editis apud Aguirrium præmissa sunt.

b Introitus Missæ vocatur apud Mozarabes *Ad Missam Officium*, notante Bruno pag. 309. Introitum eodem etiam modo appellari in Missalibus Cartusianorum, Carmelitarum, ac Dominicanorum. De Introitu supra num. 450; cujus specimen accipe ex Bruno à pag. 309 citata: *Dominicâ primâ Adventûs. Ad Missam Officium. Ecce super montes pedes evangelizantis pacem, Alleluia, & annuntiantis bona, Alleluia. Celebra Juda festivitates tuas, Alleluia, & redde Domino vota tua. Alleluia.* ℣. *Dominus dabit verbum evangelizantibus in virtute multa.* *Ps. Et redde.* ℣. *Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto in sæc. sæc. Amen.* *Ps. Et redde.* Et mox pag. 310 subditur hoc aliud specimen: *Dominica primo in Quadragesima. Ecce nunc tempus acceptabile, Alleluia. Ps. Ecce nunc dies salutis, Alleluia.* ℣. *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Ps. Ecce nunc* ℣. *Gloria & honor . . . seculorum.* ℞. *Amen.* De non canendo *Alleluia* in Quadragesima, dixi superius num. 99, ex canone XI concilii Toletani IV; ac proin juxta illud decretum, hic finiri debebat Alleluia pro

B Missa; additque Brunus ex Mozarabico Breviario, quod soleret etiamnum dici ad Vesperas, quodque non omitteretur, nisi ad Matutinum diei Lunæ; atque adeo, quod tunc initium esset Quadragesimæ: nam Isidorus suprà num. 100 dicebat: *Apud nos secundùm antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies jejuniorum vel Quadragesima, omni tempore canitur Alleluia.*

c Legitur, teste Bruno à pag 310, in Ordine Missæ, *Gloria in excelsis* Deo, ac *prosequendus à Choro*, hymnus iste in eodem præscribitur *usque in finem per totum annum, præter in Adventum Domini, in Quadragesima, & in diebus feriis*. Porro consuetudinem recitandi in Missa *Gloria in excelsis*, perantiquam esse in Hispania, liquet ex Etherio ac

C Beato, qui adversus Elipandum scripsere, atque editi sunt in Bibliotheca Patrum, impressionis Coloniensis, anni 1618, tom. 8; ubi pag. 353 ita dicunt: *Sic in Missa non solum Dominicis diebus, sed etiam quibuscumque festivitatibus: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus conclamamus.* Verùm inde nihil habetur pro dicta mox exceptione; quæ, prout observat Brunus pag. 311, expressius notatur in Dominica prima Adventûs hisce terminis: *In Adventu Domini non dicimus Gloria in excelsis, Dominicis diebus & feriis*; additque idem auctor, istas rubricas ad verbum quidem depromptas esse ex Missali Toletano; sed ritui Mozarabico esse oppositas; secundùm quem dicatur *Gloria in excelsis* tempore Adventûs; id quod probat ex oratione in Dominica prima Adventûs, quæ post istam rubricam relicta est, videlicet: *Deus qui per angelicos choros Adventum Filii tui . . annuntiare voluisti; qui per angelorum præconia Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, adclamantibus demonstrasti; concede* &c. Verùm an illud, ut volebat Brunus, pugnet cum rubrica, decidendum Mozarabibus relinquo; nam aliud est, memoriam facere in oratione aliqua de istius hymni initio; aliud, eumdem hymnum integrè recitare. Rubrica denique primæ Dominicæ Quadragesimæ, prout advertit memoratus auctor, præscribit, ut *dicatur Gloria in excelsis*, simulque ea ostendit, quod *Gloria in excelsis* dicatur istâ primâ Dominicâ Quadragesimæ, quâ conservatus fuit usus *Alleluiarum*, ut ita loquar; quodque jejunium non inciperet juxta ritum Mozarabicum, nisi die Lunæ; sicut Mediolani. D

d Hymnum hunc, qui est in Ordine Missæ, extractum esse ex Missali Toletano, notat Brunus pag. 310; & proinde totus cum nostro, inquit, coincidit; sed addit, in Breviario Mozarabico, aliquot vocibus auctiorem inveniri, quam in Romano; inter *Glorificamus te*, & *Gratias agimus*, interponi, *Hymnum dicimus tibi*; & post *unigenite Jesu Christe*, addi *Altissime*; denique loco *magnam gloriam tuam*, dici *Gloriam tuam magnam*, prout Cartusienses id etiamnum hodiedum dicere, affirmat.

e Hæc prima Missæ (Catechumenorum, juxta dicenda infra lit. *q*) oratio est; & quasi Collecta; ad quam non dicitur, *Dominus sit semper vobiscum*, nec *Oremus*: quia *Dominus sit semper vobiscum* magis repetitur & usitatur E pro præparatione illarum rerum, quæ in choro canuntur; quales sunt Prophetia, Psallendum & Alleluia, & multæ aliæ; quàm pro illis, quas sacerdos debet cantare; prout ex Pisa habemus; & addit, *Dominus sit semper vobiscum* dici in principio sex orationum Sacrificii; *Oremus* autem in solis duobus Missæ locis adhiberi; neque sacerdotem convertere vultum ad populum in isto loco, neque in tota Missa. Hoc tamen videtur intelligendum accommodè, si cupis illud conciliare cum dicendis infra in fine paragraphi 10, & ibi à me additis juxta instructionem, quam acceperam: *Non facit circulum, neque se invertit ad populum tota tempore Missæ, nisi quando dat Benedictionem*. Quæ consentiunt cum dictis suprà num. 463 ex editis apud Aguirrium: *Deinde deosculata altari convertit se ad populum; notatuque dignum est, nunquam tempore sacrificii sacerdotem ad populum sese convertere, nisi ea hora & vice. Conversus autem sacerdos ad populum, largitur ei benedictionem* &c.

f Notio ejus supra datur num. 450; sed observat Pisa, illud cantari à Choro, dum dicitur Prophetia.

g Conforme hoc est S. Isidoro Hispalensi, F qui de eccles. Offic. lib. I, cap. 10 sic habet: *Est . . lectio non parva audientium ædificatio. Unde oportet, ut quando psallitur, ab omnibus psallatur: cum oratur, oretur ab omnibus: quando lectio legitur*, FACTO SILENTIO, *æquè audiatur à cunctis*.

h Concilium Valentinum in Hispania, quod exstat apud Labbeum tom. 4, à col. 1617, & innectitur anno Domini 524, capitulo I præscribit, *ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem, vel Missam* * *catechumenorum, in ordine lectionum, post Apostolum legantur*. Porro quid lectioni Epistolæ uti & Evangelii præmittatur, quid ad finem respondeatur, habes suprà num. 451. Observat Brunus pag. 315, quod postquam sacerdos dixit, *Lectio S. Evangelii secundùm N.*, Chorus respondeat, *Gloria tibi Domine*. Ratio hic est habenda eorum, quæ Etherius ac Beatus memorant loco suprà citato: *Cum Evangelium à Levita super altare levatur, à Levita primùm dicitur: Laus tibi; & ab omnibus respondetur: Laus tibi Domine Jesu Christe, rex æternæ gloriæ. Præcedente Evangelium cereorum lumine, in signo gaudii & lætitiæ, eo quod* tale

* in Missa

A *tale nuntium diaconus, id est Euangelium Domini nostri Jesu Christi, clara voce populo habet intonare. Tunc silentium omnibus imperat, & dicit: Lectio sancti Euangelii secundum Matthæum; aut quemlibet ex tribus. Respondetur ab omni populo: Gloria tibi Domine.*

i Locus ille illustratur ex dictis superiùs pag. 20, à num. 101.

k Hispanicè *la bijuela* vocatur apud Roblesium pag. 276; & superiùs num. 451 in editis apud Aguirrium *amiculi* nomen habet; apud Brunum verò pag. 316 dicitur *la corporal*, id est corporale: circa quam expressionem non volo instituere quæstionem de nomine.

l Hinc originem ducit etymon *Libri Offerentium*, teste Pisa in Tabula superius designata; è qua intelligimus sequentia. Mox ut transfertur Missale ad latus Euangelii, ponit minister ad latus Epistolæ parvum librum, vulgo vocatum, *Omnium offerentium*, qui habet istud nomen ex dictione, quæ dicitur in una oratione ex communibus, ad offerendam Hostiam & calicem: *Et omnium offerentium, & eorum, pro quibus tibi offertur, peccata indulge*. Liber iste continet orationes,
B quæ communiter dicuntur in omnibus Missis. Et quamquam unæ atque aliæ habeantur in libro Missali, idque posset sufficere; conveniens tamen fuit, ad aliud latus ponere istum librum, ut sacerdoti non sit necessarium, folia ab uno extremo ad aliud importune invertere. Et sic stans in medio altaris, vertit vultum ad librum Missalem, qui est ad latus Euangelii, ad recitandas orationes proprias cujuscumque Officii; & pro communibus, quæ unam inter atque aliam inseruntur, convertit oculos ad *Offerentium*.

m Etiam legit Brunus pag. 319 *eorum pro quibus*; Pisam verò loco jamjam citato scribentem in apographo nostro vidimus, *& eorum, pro quibus*. Apud Roblesium verò in Missa S. Jacobi quæ edita simul ab ipso est cum Compendio Vitæ Cardinalis Ximenii, pag. 327 ponitur *eorumque pro quibus*.

n Solæ hic sunt vices, uti Brunus pag. 317 observat, quibus sacerdos se convertit ad populum; sed non rectè, juxta dicta superiùs
C in annotatis littera *e*. Conversionem quidem hoc loco non pugnare cum rubricis, colligo ex Pisa, qui dicit, quod sacerdos, quando dicit, *Adjuvate me fratres in orationibus vestris*, non soleat se vertere; tametsi hic singillatim id permittat Missale.

o *Cantatur*, inquit Pisa hic, *unus versus, Sacrificium vocatus*; & dicit *esse sicut Offertorium Romanum. Lavat sacerdos manus*. Quæ conveniunt cum dictis suprà num. 452; sed non prorsus accuratè videtur eumdem ordinem exprimere Brunus, quando pag. 316 dicit, quod Sacerdos faciat oblationem Hostiæ & calicis, & accipiat oblationem fidelium; & quod tunc Chorus canat Offertorium, quod vocatur *Sacrificium*. Itaque non tunc, sed paullo seriùs, nimirum post voces illas, *Adjuvet te Pater* &c. *Sacrificii* apud Mozarabes locus occurrit. Isidorus de eccles. Offic. lib. 1, cap. 14, *Offertoria*, inquit, *quæ in Sacrificiorum honore canuntur, Ecclesiasticus liber indicium est, veteres cantare solitos, quando victimæ immolabantur*, ex Ecclesiastici capite 50; ac deinde pergit: *Non aliter & nunc in sono tubæ, id est, vocis prædicatione, cantu accendimur, simulque corde & opere laudes Domino declamantes, jubilamus, in illo scilicet vero Sacrificio, cujus sanguine salvatus est mundus*. D

p Quæ hic super oblationem dicenda notantur, nec lego expressa superiùs num. 452, nec apud Brunum pag. 317; sed habentur in Missa S. Jacobi apud Roblesium pag. 328.

q Incipit sacerdos id quod Missæ ac Sacrificio maximè proprium est, cum certis orationibus præcipuis, eò directis, ut petantur à Deo istæ res, quæ sunt necessariæ ad celebrandam Missam. *Prima* istarum orationum habet nomen *Missæ*, quia ab ea videtur incohari; ac proin omnia huc usque prægressa, sunt Missa Catechumenorum, ac pertinent ad divinas laudes, atque ad doctrinam propheticam, apostolicam & euangelicam; quæ observavit Pisa. Tametsi autem hæc oratio vocetur simpliciter *Missa*; non verò *Præfatio* seu *Admonitio*; monitionem tamen eidem subfuisse, conficitur ex Etherio ac Beato, pag. 354, post Isidorum De eccl. Offic. lib. 1, cap. 15, superiùs num. 124 citatum, ita loquentes: *Prima oratio ejusdem Missæ ammonitionis erga populum est; ut omnes excitentur, ad exorandum Deum*. E

r Apud Roblesium pag. 329, & apud Brunum pag. 319 non rectè scribitur *Agios* &c.; hic verò minus rectè *Agyos*: scribendum enim *Hagios*, uti scribitur suprà in editis apud Aguirrium num. 452; Græcè enim est ἅγιος, *sanctus*.

s Ita etiam scribitur apud Roblesium in Missa S. Jacobi pag. 329; sed apud Brunum legitur *conservare*.

t Oratio hæc est secunda; vide suprà num. 452. Post Isidorum citato cap. 15 inquiunt Etherius ac Beatus *Secunda invocationis ad Deum est, ut clementer suscipiat preces fidelium, oblationemque eorum*. Post orationem, quæ est in Missa S. Jacobi apud Roblesium, Resp. *Amen*. Et mox sequitur; *Per misericordiam tuam* &c.; in quæ tamen verba desinere orationem *Aliam* seu secundam, habes ex editis apud Aguirrium suprà num. eodem 452; quibus eam concludi, refert etiam Pisa.

u De nominibus Sanctorum in Officio Mozarabico non submissa proferendis voce, sicut F fit in Romano, vide superiùs num. 453; addere Pisa, solum reputari pro Canone id, quod spectat ad consecrationem Corporis & Sanguinis Jesu Christi incipiendo ab illis verbis: *Adesto, adesto*.

x *Juliani, item Julioni* etiam lego apud Roblesium pag. 330; quod pag. 331 tam apud ipsum iterum recurrit, quam hic paullo post; ut mirum mihi videatur, *item Juliani* utrobique ibi expressum, non haberi apud Brunum pag. 320.

y Apud Roblesium pag. 331 in Missa S. Jacobi scribitur *Cenebrani*. In editis autem ex ipso apud Aguirrium superiùs num. 453 ponitur *Cerebrunus*, cum tamen in Hispanico ejusdem Roblesii pag. 284 sit *Cenebruno*. In Catalogo Toletanorum Præsulum à tempore irruptionis Saracenorum in Hispaniam, qui est apud Aguirrium tomo 3 pag. 67 scribitur etiam *Cerebrunus*.

z Locum istum sic expono, Pisam secutus. Postquam facta fuit memoria sanctorum Martyrum, qui regnant cum Christo in cælo, consequenter habetur memoria fidelium Defunctorum, orando pro illis Deum, & nominando aliquot præcipuos Defunctos singillatim. *Item pro spiritibus pausantium*; quod significat: *Rogamus Deum pro animabus pausantium*; illorum utique, *qui dormiunt in*

Ec Toleta-no exemplari.

somno pacis, sicut dicitue in Romano. Atque inter alios Defunctos nominantur siguatè nonnulli ex archiepiscopis Toletanis, qui fuerunt primi post secuperatam ex dominio Maurorum civitatem; *Bernardus*, *Raimundus*, *Joannes* &c. De quibus in citato mox catalogo apud Aguirrium notantur sequentia: *Bernardus insignir præsul, restaurator ecclesiæ Toletanæ* MLXXXV. De quo item suprà num. 254 mentio facta. *Raymundus ex monacho S. Facundi* MCXXVIII. *Joannes* I *aliàs* IV. MCL. *Cecebrunus* MCLXVI. *Petrus* III *aliàs* VI *de Cardona* MCLXXXI. *D. Gundisalvus* I *Perez* MCLXXXI. *Martinus Lopez de Pisuerga* MCXCI. D. *Redericus Ximenez de Rada scriptor celebris* MCCVIII. *D. Joannes* II, *aliàs* V *de Medina* MCCXLVII. *D. Guterius* I, MCCXLVIII. Sequitur ibidem in dicto catalogo *D. Paschasius*; hic non memoratus. Tum D. *Sanctius*, *filius S. Fernandi regis* MCCLXII. *D. Sanctius* II, *filius Jacobi*, *Aragonum regis* MCCLXVI.

B

§. XI.

Reliqua Missalis Offerentium usque ad finem.

Oratio Post nomina, & Ad pacem; a b

POST NOMINA a oratio propria vel communis ex Missali. Tum subjungitus: *Quia tu es vita vivorum, sanitus infirmorum, ac requies omnium fidelium Defunctorum, in æterna secula seculorum*. Resp. *Amen*. Sequitur *Ad pacem* b oratio vel propria, vel communis ex Missali. Deinde: *Quia tu es vera pax nostra, & charitas indisrupta vivis tecum & regnas cum Spiritu sancto unus Deus in secula seculorum*. Resp. *Amen*. Dicat sacerdos elevando manus: *Gratia Dei Patris omnipotentis, pax ac dilectio Domini nostri Jesu Christi, & communicatio Spicitus sancti sit semper cum omnibus nobis*. Respondet chorus. *Et cum hominibus bonæ voluntatis*. Deinde dicit Presbytee: *Quomodo astatis pacem facite*. Resp. chorus: *Pacem meam do vobis, pacem meam commendo vobis; non sicut mundus dat pacem, do vobis*. ℣. *Novum mandatum do vobis, ut diligatis invicem*. Reiteretur: *Pacem meam do vobis &c.* ℣. *Gloria & honor Patri &c.* Denuo reitesetur: *Pacem meam &c.* Et dum dicitur à choro, sacerdos accipit Pacem de patena, dicendo sic: *Habete osculum dilectionis & pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis* Dei. Et statim det pacem diacono vel pucro, & puer populo. C

nonnulla Illationem seu Præfationi prævia. Illatio seu Præfatio:

478 Postea inclinet se sacerdos & junctis manibus dicat: *Introibo ad altare Dei mei*. Resp. *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam*. Ponat sacerdos manus super calicem dicens: *Aures ad Dominum*. Resp. chorus: *Habemus ad Dominum*. Dicat sacerdos. *Sursum corda*. Chorus resp. *Levemus ad Dominum*: Sacerdos inclinatus, junctis manibus dicit: Deo *ac Domino nostro Jesu Christo, Filio Dei, qui est in cælis dignas laudes dignasque gratias referamus*. Et dicendo, *gratias referamus*, elevet sacerdos manus in altum, & chorus respondeat: Dig*num & justum est*.

c Postea dicitur à sacerdote INLATIO c propria vel communis ex Missali. Quâ finitâ dicit chorus: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. Pleni sunt cæli & terra gloriâ Majestatis tuæ. Hosanna Filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis. Agyos, Agyos, Agyos, Kyrie, ô Theos*. D

Hagios &c.

Oratio post Sanctus, Canon, consecratio: d e

479 Oratio POST SANCTUS d ex Missali propria vel communis: *Vere sanctus* &c. e. Deinde sacerdos positus in medio altaris, ibique inclinatus, junctis manibus, in silentio dicit sequentem orationem. *Adesto, adesto Jesu bone pontifex, in media nostri, sicut fuisti in medio discipulorum tuorum, & sancti ✠ fica hanc oblationem ✠, ut sanctificata ✠ sumamus per manus sancti Angeli tui, sancte Domine ac redemptor æterne* f: *Dominus noster Jesus Christus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens bene ✠ dixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Hic elevat corpus, dicens: *Quotiescumque manducaveritis, hoc facite in meam commemo ✠ rationem*. Resp. *Amen*. *Similiter & calicem postquam cænavit, dicens*. Hic sacerdos pronuntiat verba consecrationis super calicem: *Hic est calix novi Testamenti in meo sanguine. qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum* g. Hic elevat calicem coopertum cum filiola, genuflectit, & dicit: *Quotiescumque biberitis, hoc facite in meam comme ✠ morationem*. Resp. *Amen*. Subjungit sacerdos: *Quotiescumque manducaveritis panem hunc, & calicem istum biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat in claritatem ✠ de cælis*. Resp. *Amen*. f g E

Oratio Post pridie, h

480 Oratio *Post pridie* h propria vel communis ex Missali. Quam excipit oratio sequens: *Te præstante sancte Domine; quia tu hæc omnia nobis indignis servis tuis valde bona creas, sancti ✠ ficas, vivificas ✠, bene ✠ dicis, ✠ ac præstas nobis: ut sit benedictu à te Deo nostro in secula seculorum*.

hic signat seipsum sacerdos.

Resp. *Amen*. Et tum presbyter accipit corpus Domini de patena, & ponit super calicem discoopertum, & dicit alta voce omnibus diebus, festivis videlicet & Dominicis, præterquam in locis, in quibus erit antiphona propria, ad confractionem panis: *Dominus sit semper vobiscum*. Resp. chorus: *Et cum spiritu tuo*.

recitatio symboli post

481 Dicat presbyter: *Fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus*. Et elevat sacerdos corpus Christi, ut videatur à populo; & dicat chorus Symbolum bini ac bini, videlicet: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ: visibilium omnium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula. Deum ex Deo, lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero, natum non factum, omousion* * *Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ: per quem omnia facta sunt, quæ in cælo, & quæ in terra: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine. Et homo factus est. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus, tertia die resurrexit. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum vivificatorem, & ex Patre Filio (que)* * *procedentem: cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum; qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor* * *unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen* i. F

* homousion

* al. & Filio

* confitemur

quando dicatur: i

482 Di-

A *quando dicatur:*

482 Dicitur simbolum diebus Dominicis & in festis sex vel quatuor capparum. At in festis duarum capparum vel in ferialibus dicitur una antiphona pro tempore ex sequentibus. Per annum antiphona: *Terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. Alleluja.* Tempore Quadragesimæ antiphona; *Fiat misericordia tua Domine, super nos, sicut speravimus in te.* Tempore *Traditionis*, id est, Passionis antiphona; *Tu Domine da escam nobis in tempore opportuno. Aperi manum tuam, & imple omnem animam benedictione.* Et hæc etiam dicitur in Octava Corporis Christi

confractio Hostiæ, Ad orationem Dominicam &c.

483 Post hæc frangit presbyter Eucharistiam in medium, & ponit mediam partem in patena, & de alia parte fecit quinque particulas, & ponit in patena; & postea accipit aliam partem, & facit quatuor particulas, & ponit in patena similiter per ordinem: & statim purget bene digitos, & cooperto calice, faciat memento pro vivis; uti graphicè recenset Roblesius pag. 337. Porro confractionis schema jam exhibui num. 458. Deinde sacerdos dicit B *Oremus*, cum oratione una seu capitulo: quod sit quasi præfatio quædam AD ORATIONEM DOMINICAM, juxta dicta num. 459; estque propria vel communia ex Missali. Et postea prosequitur hoc modo: *Pater noster qui es in cælis.* Resp. *Amen. Santificetur nomen tuum.* Resp. *Amen. Adveniat regnum tuum,* Resp. *Amen. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Resp. *Amen. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Resp. *Quia Deus es. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Resp. *Amen. Et ne nos inducas in tentationem.* Resp. *Sed libera nos à malo* k.

k *ultima petitionis paraphrasis quædam.*

484 Dicat sacerdos: *Liberati à malo, confirmati semper in bono, tibi servire mereamur Deo ac Domino nostro. Pone, Domine finem* (hic sacerdos percutit pectus) *peccatis nostris; da gaudium tribulatis, præbe redemptionem captivis, sanitatem infirmis, requiem defunctis: concede pacem & securitatem in omnibus diebus nostris: frange audaciam inimicorum nostrorum, & exaudi, Deus, orationem servorum tuorum omnium fidelium Christianorum, in hac die, & in omni tempore. Per Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum; qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus: Per omnia semper secula seculorum.* Resp: *Amen.*

C *Particula Regnum, benedictio:*

485 Sacerdos accipit particulam *Regnum*, & ponit eam super calicem, dicens orationem *Sancta sanctis*, ut infrà. Sed tempore Paschali, & per Octavam Corporis Christi, tenens particulam super calicem, dicit: *Vicit Leo de tribu Juda, Radix David Alleluja.* Hoc verò dicit tribus vicibus: & chorus qualibet vice respondet; *Qui sedes super cherubim Radix David Alleluja.* Posteà dicat Sacerdos sequentem orationem submissa voce: *Sancta sanctis, & conjunctio corporis Domini nostri Jesu Christi sit sumentibus & potantibus nobis ad veniam, & defunctis fidelibus præstetur ad requiem.* Et mittat particulam in calicem, & eum cooperiat, & dicat alta voce, si diaconus ibi non fuerit: *Humiliate vos benedictioni* l. *Dominus sit semper vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.* l Benedictio propria vel communis ex Missali. Post quam dicit sacerdos: *Dominus sit semper vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.* Quo dicto, cantet chorus per annum:

m *Responsorium:*

486 *Gustate* m *& videte, quam suavis est Dominus. Alleluja, Alleluja, Alleluja. Benedicam Dominum in omni tempore. Semper laus ejus in ore meo. Alleluja, Alleluja, Alleluja.* ℣. *Redimet Dominus animas servorum suorum: & non derelinquet* omnes, qui sperant in eum. Alleluja, Alleluja, Alleluja.* ℣. *Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. Amen. Alleluja, Alleluja, Alleluja* n. Tempore Quadragesimæ: *Qui venit ad me, non esuriet; qui credit in me, non sitiet unquam.* ℣. *Ego sum lux mundi, & qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, & habebit lumen vitæ.* P. *Qui venit &c.* ℣. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* P. *Qui.* ℣. *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum. Amen.* P. *Qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.* Dicitur etiam *Qui venit ad me &c.* in Missis pro defunctis. Tempore autem Resurrectionis: *Gaudete populi & lætamini. Angelus sedit super lapidem Domini: ipse vobis evangelizavit: Christus surrexit à mortuis salvator mundi, & replevit omnia suavitate. Gaudete populi, & lætamini.* ℣. *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur & vestimenta ejus sicut nix, & dixit:* P. *Christus surrexit &c.* ℣. *Et exierunt mulieres citò de monumento cum timore & gaudio magno currentes nunciare discipulis ejus, quia resurrexit.* P. *Christus &c.* ℣. *Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto in secula seculorum. Amen.* P. *Gaudete populi & lætamini.* E

EX TOLETANO EXEMPLARI.

* al. relinquet

n

commemoratio pro defunctis: o

487 Tempore Quadragesimæ vel in Missis pro defunctis: *Repletum est gaudium nostrum* o, *& lingua nostra in exultatione.* Per annum verò dicitur: *Refecti Christi corpore & sanguine, te laudamus, Domine, Alleluja, Alleluja, Alleluja.* Antequam sacerdos dicat: *Refecti Christi*, vel *Repletum est*, accipit de patena particulam *Gloria*, & ponit eam super calicem, dicens secretè istam orationem: *Panem cælestem de mensa Domini accipiam, & nomen Domini invocabo.* Et faciat *Memento* pro defunctis. Quo peracto, dicat sequentem orationem: *Domine Deus meus da mihi corpus & sanguinem Filii tui, Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere, & tuo sancto spiritu repleri, Deus noster: qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen.*

communio sacerdotis. F p

488 Et deinde sequitur hæc oratio: *Ave in ævum sanctissima caro Christi, in perpetuum summa dulcedo* p. Deinde sumat calicem, dicendo: *Ave in ævum cælestis potus, qui mihi ante omnia, & super omnia dulcis es.* Alia oratio: *Corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus & animam meam, in vitam æternam. Amen.* Hic accipit sanguinem, & immediatè dicit sequentem orationem: *Domine Deus meus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, fac me te semper quærere, & diligere, & à te per hanc sanctam communionem, quam sumpsi, nunquam recedere: quia tu es Deus, & præter te non erit alius in secula seculorum. Amen.*

& reliqua usque ad finem.

489 Postea dicit sacerdos: *Refecti Christi corpore*, vel *Repletum est*, secundùm temporis qualitatem, ut dictum est suprà. Hic tollitur libellus *Offerentium*, & Missale transfertur ad cornu Epistolæ, ex num. 463.; & dicitur oratio ultima propria vel communis. Cui subnectitur à sacerdote in medio altaris: *Per misericordiam tuam, Deus noster; qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in secula seculorum.* Resp. *Amen. Dominus sit semper vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu*

ritu

Ex Toletano exemplari.

ritu tuo. Dicat facerdos vel diaconus: *Solemnia completa funt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Totum nostrum sit acceptum cum pace.* Ita dicitur Dominicis diebus, & in festis sex aut quatuor capparum. Quia in festo novem lectionum aut duarum capparum, & in ferialibus dicitur: *Missa est in nomine Domini nostri Jesu Christi. Perficiamus cum pace.* Et Resp. *Deo gratias.* Postea Sacerdos in medio altaris, positis manibus, dicit Antiphona *Salve Regina* &c. In cujus fine, quod cum Romana liturgia Roblesius pag. 343. legit, O *dulcis Virgo Maria*, apographum meum habet, O *dulcis Virgo semper Maria.* ℣. *Ora pro nobis* & Resp. *Ut digni efficiamur* &c. Cujus loco in dicto apographo ponitur: *Post partum Virgo* &c. Resp. *Dei Genitrix intercede* &c. ℣. *A subitanea & improvisa morte.* ℟. *Libera nos Domine.* ℣. *Dominus sit semper vobiscum* ℟. *Et cum* &c. *Oremus*: *Concede nos famulos* &c. Postea facerdos surgit, & versus ad populum, cum benedicit his verbis: *In unitate sancti Spiritus bene✠dicat vos Pater & Filius.* Resp. *Amen.* Non facit circulum neque
B se invertit ad populum toto tempore Missæ, nisi quando dat benedictionem; quæ in missis pro defunctis non datur; quæ verba apographo meo Toletano adscripsi, aliunde instructus.

ANNOTATA.

a Tertia ex suprà dictis num. 452. hæc est oratio S. Isidorus superiùs à me num. 124. citatus; *Tertia*, inquit, *effunditur pro offerentibus sive pro defunctis fidelibus, ut per idem Sacrificium veniam consequantur.* Et verò oratio ista concluditur his verbis: *Quia tu es vita vivorum, sanitas infirmorum ac requies omnium fidelium defunctorum* &c. Verùm inter istos *Pausantes* nominari vidimus aliquot sanctos Confessores ac Doctores, nimirum *Hilarium*, *Athanasium*, *Martinum*, *Ambrosium*, *Augustinum*, *Fulgentium*, *Leandrum*, *Isidorum*: Quonam ergo modo missæ Sacrificium pro illis offerri potest? Respondeo cum Pisa, fieri id posse pro illis, ad eorum gloriam & gaudium acciden-
C tale; prout Ecclesia Romana id facit in illa oratione secreta Missæ de communi unius confessoris Pontificis: *Ut per hæc pia placationis officia, & illum beata retributio comitetur* &c. Notum etiam est illud ex Ordine Missæ Romanæ, *ut illis proficiat ad honorem* &c.

b S. Isidorus loco citato, *Quarta*, ait, *post hæc infertur pro osculo pacis, ut charitate omnes reconciliati invicem, digni Sacramento corporis & sanguinis Christi consocientur.*

c Ita vocatur præfatio, sic dicta, uti notat Brunus pag. 325 quia exprimit elevationem vocis & cordium Isidorum audiamus loco citato: *Quinta infertur Illatio in sanctificatione Oblationis, in qua etiam ad Dei laudem, terrestrium creatura, virtutumque cælestium universitas provocatur, & Osanna in excelsis cantatur* &c. In Illatione autem, prout observat Pisa, ordinariè fit exhortatio ad populum circa mysterium aut vitam Sancti, de quo celebratur.

d Orationem *Post Sanctus* dicit Pisa, esse quintam in ordine præcipuarum orationum; quem ut cum S. Isidoro mox citato concilies, dic cam cum Illatione statuere unum complexum.

e Solet sic inchoari oratio *Post Sanctus*; finiri autem, *Redemptor æterne*, uti num. 456 ex impressis apud Aguirrium habes. Specimen dat Brunus pag. 323 ex ea, quæ est in natali Domini: D
Vere sanctus, vere benedictus Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, qui venit è cælis, ut conversaretur in terris: Caro factum est, ut habitaret in nobis Christus Dominus, ac Redemptor æternus.

f Videtur hic quædam esse mutatio vel defectus aliquis; & haud dubiè verba quædam olim ibi habita fuerint, quæ nunc disparuerunt; nam, ut mittam dicere, quod non sit naturalis loquendi modus, ad Christum recurrere, cumque orare, ut se sistat præsentem, & subito mutare constructionem, dicendo: *Dominus noster Jesus Christus* &c. sine ulla transitione; constat enimvero, quod voces illæ *qui pridie*, vel *pridie* saltem, ecclesiarum Hispanicarum liturgiæ olim insertæ fuerint. Etenim sic hoc negas, qui fit, ut oratio *Post pridie* singularem ac constantem in illa locum acceperit? At suus paullo inferius de illa oratione recurret dicendi locus.

g Verba consecrationis in meo exemplari Missalis Offerentium erant expressa more Romano: de quibus ita exprimendis sæculo x sub
Joanne PP. X, dixi suprà num. 213. Videri E
etiam possunt ea, quæ num. 456 ex editis apud Aguirrium præmisi. Apud Roblesium verò in Missa S. Jacobi pag. 335 invenies hæc verba, ad marginem antiquæ apud Mozarabes consecrandi formæ apposita: *Forma ista consecrationis ponitur, ne antiquitas ignoretur; sed hodie servatur Ecclesiæ traditio.* Porro verba consecrationis utriusque liturgiæ in substantia & significatione coincidere, obiter hic dictum sit.

h *Oratio* itaque *Post pridie* in Missali Mozarabico proprium locum, nomen, & usum habet, & sexta est, juxta num 452; atque adeo, ne oratio illa supponat nomen, quod ibi nunquam fuit, *pridie* aliquando eam præcesserit, oportet; ne proin cum illa expressio ibi jam non legatur; consequens est, ut mutatio quædam vel omissio facta sit.

i Symbolum hoc est Constantinopolitanum, sicut indicabam num. 458. Mirum, quod S. Isidorus, suprà num. 125. citatus, sic dicat: *Symbolum, quod tempore Sacrificii populo prædicatur, sanctorum Patrum trecentorum decem & octo collatione apud synodum Nicænam est editum; cujus vera fides regula* &c.: *& per hoc universis*
ecclesiis pari confessione à populo proclamatur. F
Mirum, inquam, quod sic loquatur sanctus iste Doctor: nam jam inde à concilii Toletani III tempore, secundùm dicta num. 92, præscriptum erat, *ut per omnes ecclesias Hispaniæ vel Galleciæ, secundùm formam Orientalium ecclesiarum, concilii CPolitani, hoc est, centum quinquaginta episcoporum, Symbolum fidei recitetur.* Ceterùm ibidem invenies, statutum fuisse, *ut, prinsquam Dominica dicatur oratio, voce clara à populo decantetur.*

k Sex in liturgia Mozarabica esse orationes peculiares, nomine, numero atque officio distinctas, habes ex num. 452; quibus si cum S. Isidoro, num. 124 citato, addas orationem Dominicam; jam erunt orationes septem hujusmodi.

l Concilium Toletanum IV adversus sacerdotes, qui communicabant, antequam erat in populo data benedictio, can. 18 jubet ut *post orationem Dominicam, & conjunctionem panis & calicis, benedictio in populum sequatur; & tunc demum corporis & sanguinis Domini Sacramentum sumatur*; uti dictum num. 106.

m Ha-

A

m Habemus hic *Responsum*, *quod vocatur Ad accedentes*, ex num. 461; ubi plura.

n In hoc responso *Gustate & videte*, numerus ubique occurrit ternarius: nam 1. Constat tribus versibus, nimirum *Gustate*, *Benedicam*, & *Redimet*. 2. Ter dicitur *Alleluja* post versus istos singulos. 3. Subditur illis Doxologia *Gloria & honor*, in qua nominatim exprimuntur tres Personæ divinæ. 4. Doxologiæ isti subjungitur ter *Alleluia*. In Expositione brevi antiquæ liturgiæ Gallicanæ, quæ ex Ms. codice S. Martini Augustodunensis apud Martenium edita est in Thesauro novo Anecdotorum, tom. 5., & quam in Admonitione prævia existimat, aut esse fœtum Germani episcopi Parisiensis, aut prolixioris ejus operis epitomen, ab aliquo ejus discipulo conscriptam; ibi, inquam, postquam mentio facta esset de sacra Communione, à col. 96. dicuntur sequentia *Trecanum verò, quod psalletur, signum est Catholicæ fidei de Trinitate credulitate procedere**. *Sic enim prima in secunda, secunda in tertia, & rursum tertia in secunda, & secunda rotatur in prima. Ita pater in Filio, mysterium Trinitatis complectet** *Pater in Filio, Filius in Spiritu sancto, Spiritus sanctus in Filio, & Filius rursum in Patre.* De S. Germano, episcopo Parisiensi, qui sec. VI claruit, actum apud nos ad diem 28 Maii. Porro illud *Trecanum*, quod à ternario cantu sic vocatum censeo, magnam habet affinitatem cum Responso prædicto; ita ut liturgia Gallicana vetus cum Hispania hic etiam, uti & alibi sæpius, commune aliquid habuisse videatur.

* procedens

* an. complectitur?

B

o Hic habes illa, quæ sub nomine Antiphone præmissa fuat num. 462 ex editis apud Aguirrium

p Sequebatur in meo exemplari Toletano: *Hic facit signum cum particula, quam in manu habet, & cooperit calicem, & consumit particulas de patena per ordinem, quo eas in ea posuit. Deinde purget patenam, abstergens cum pollice, dicens hanc orationem: Ave in ævum* &c. De signo isto nihil invenio suprà num. 462, nec apud Pisam. At nihil hic dicitur de verbis terna cum percutione pectoris proferendis; de quibus ibidem agitur. Jam vero quo ordine particulæ à sacerdote sint sumendæ, ibidem dictum fuit; eo videlicet ordine, *qui*, prout disertè ex Pisa habemus, *est contrarius ordini, quo fuerunt posita in patena*.

C

§. XII.

Horæ ac Missa Mozarabica illustrantur exemplo.

QUo magis, clarescant, quæ de Horis ac Missa Mozarabica superiùs operosè deducta sunt, videtur à nostro instituto haud alienum, rem in exemplo seu schemate dipingere; quo lectori meliùs innotescant partes quædam non satis obviæ; quales sunt Laudes, Soni, Benedictiones, Supplicationes, Capitula, & aliaquædem singularia, quorum supra mentio facta est. Ductores sequor Roblesium & Aguirrium; quorum tamen vestigiis ita insistam, ut in aliquibus ab eorum tramite deflexurus sim. Nam quæ apud illos interferuntur ex Missali Offerentium seu Ordinario Missæ, ea huc prolixè non transcribam; cum satis jam de illis rebus à me actum sit; sed ea, quæ hic peculiaria occurrunt, & prius dicta non sunt excerpam; in iis autem, quæ jam dicenda essent sive circa descriptionem cæremoniarum Missæ, sive Ordinarium ejus, adde etiam Vesperas, compendio usurus sum, dum interim brevitatis causâ remitto lectorem ad superiora, quæ* hic pro insertis haberi possunt. Sic itaque exemplar suum auspicantur laudati auctores;

Illustratur Hora.

* ex notis.

491 *In festo S. Jacobi Apostoli, fratris S. Joanis Apostoli & Evangelistæ ad Vesperum.* *Kyrie eleison* &c. *In nomine Domini nostri* &c. Lauda. *Exortum est in tenebris lumen rectis corde.* ℟. *Misericors, & Miserator, & justus Dominus.* ℣. *Directam fecit vitam justorum, & preparavit iter Sanctorum.* Presb. *Misericors &c. Dominus sit semper* &c. Resp. *Et cum* &c. Sonus: *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Alleluja.* ℣. *Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est malitia exitus illorum, illi autem sunt in pace.* Resp. *Alleluja. Dominus sit semper &c.* Resp. *Et cum &c.* Antiphona: *Dabo Sanctis meis regnum in Hierusalem: lignum enim vitæ in odorem unguenti.* Presb. *Et non laborabunt, neque fatigabuntur.* ℣. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Syon, non commovebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.* Presb. *Et non laborabunt, neque fatigabuntur.* ℣. *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Presb. *In secula seculorum. Et non laborabunt, neque fatigabuntur. Dominus sit semper &c.* Resp. *Et cum* &c. Lauda: *Sanguinem Sanctorum requiram, dicit Dominus.* Presb. *Et habitabo cum eis in regno meo. Alleluja, Alleluja.* ℣. *Fidelis Dominus in verbis suis, Et sanctus in omnibus operibus suis.* Presb. *Et habitabo.* ℣. *Gloria & honor &c.* Presb. *Et habitabo.* Videri potest apud Tamayum ad XXV Julii, qui subditur

ex Vesperis S. Jacobi Martyris,

E

492 Hymnus: *O Dei Verbum, Patris ore proditum,*

carum Hymno,

Rerum creator, & verum principium,
Auctor perennis, lux, origo luminis,
Enixus alvo gloriosæ Virginis,
Christe tu noster revela Emmanuel,
Rex & sacerdos, cui sacri lapides,
En ter quaterni, onychinus, achates;
Nitens berillus, sapphirus, carbunculus,
Vel amethystus, sardius, topazius,
Smaragdus, Iaspis, & nitens chrysolitus.
Riteque gemmis sol, dies duodenis
Exitens horis, margaritis optimis,
Glisceensque mundo jam fugatis tenebris,
Et candelabro tibi superposito,
Micans lucernis bis senis Apostolis.
Petrusque Romam, frater ejus Achaiam,
Indiam Thomas, Levi Macedoniam,
Jacobus Jebus, & Ægyptum Zelotes,
Bartholomæus Licaon, Judas Edessam,
Mathias Judæam, & Philippus Gallias.

F

483 *Magni deinde filii Tonitrui*
Adepti fulget prece matris inclytæ
Utrique vitæ culminis insignia:
Regens Joannes dextra solùm Asiam,
Et læva frater potitus Hispaniam.
Clari magistri creatoris summi
Adsistit dextram pacis unus fœdera
Tractus: sinistram alter in sententia,
varieque regno: bis electa pignora
Mitridepoli properam ad gloriam.
Adductus, inquam, gloriosas præmio:
Electus istinc habitus martyrio,
Christi vocatur Zebedæi Jacobus:
Apostolatûs vitam implens debitè,

qui hic datur;

Vi-

EX EDITIS. *Victorque rapit passionum stigmata.*
Divino quippe obsitus suffragia,
Idem magorum sontes iras, dæmonum
Coercens virus, punit æmulantium
Illinasque demonum in stolis: cruentis
Enodatur pœnitens cor credulum.
Perpicuus olim voti compos commoda;
Ruina petenti ægro adminicula:
Optando pandit fidei charismata:
Vexillo pacis ad salutis copiam,
Ensque functus se communit gloriâ
O verè digne sanctior Apostole,
*Caput refulgens * Hispania:*
Tutorque nobis, & patronus vernulus;
Vitando pestem esto salus cælitus:
Omnino pelle morbum, ulcus, facinusque.
Adesto favens gregi, pius creditor,
Mitisque pastor gregi, clero, populo:
Ope superna ut fruamur gaudio,
Regno potiti vestiamur gloriâ
Æternâ, per te evadamus tartarum.
Præsta, quæsumus, unica potentia,
Replensque gloriâ cuncta, solus machinam
B *Virtute firma: ingens adesto gloria,*
Æterna cujus laus atque clementia,
Et honor jugis affatim per secula. Amen.

Supplicatione, 494 SUPPLICATIO. Oremus. *Redemptorem mundi dominum nostrum Jesum Christum cum omni supplicatione rogemus, ut per gratiam ipsius, & per intercessionem S. Mariæ Virginis, & Genitricis suæ, & per intercessionem Sancti Martyris sui Jacobi Apostoli, nobis remissionem peccatorum, & pacem propitius donare dignetur.* Resp. *Præsta* &c. *Kyrie* &c. Resp. *Christe* &c. *Capitula,* CAPITULA: *Subjuga, clementissime Deus, nostras tuo jugo cervices, ut onus tuum, quod amantibus leve est, ita optabili devotione feramus, sicut Jacobus Apostolus tuus, pro innexa * collo suo fune ad passionem tractus est jatubundus: atque hoc miraculo cor illudentis sibi ita compunxit, ut eum sacramentis instructum fidei, faceret ad gloriam pervenire martyrii: sicque post ipse in confessione Filii tui, capite dejecto, interemptus occubuit, perveniens ad eum in pace; pro quo hanc sustinuit passionem. Ipse est enim unigenitus tuus Filius, qui dedit animam suam redemptionem pro multis; per quem nostris tu Deus Pater jubeas parcere delictis. Pater noster qui es in cælis.* Resp. *Amen.* &c. *Et ne nos* &c. Resp. *Sed libera* &c. Dicat Presb. *Liberati à malo* &c. *Pone Domine finem peccatis nostris* &c. Resp. *Amen.* Dicat Presb. *Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper vobiscum.* Resp. *Et cum* &c.

* præ innexo

C

Benedictione. 495 BENEDICTIO: *Christus Deus, Dei Patris filius, quem Jacobus relicto patre in navi toto secutus est intentione cordis, indesinenter vos faciat suis inhærere vestigiis.* Resp. *Amen. Quique per hunc Apostolum cultores dæmonum convertit ad fidem, concedat nobis vana seculi respuendo, se in veritate diligere.* Resp. *Ut ejus remuneremini præsidiis, cujus hodie triumphum excolitis passionis.* Resp. *Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus, & vivit, & omnia regit in secula seculorum.* Resp. *Amen. Dominus sit semper* & Resp. *Et cum* &c. LAUDA: *Gaudium sempiternum super caput Sanctorum.* Presb. *Laus & jucunditas apprehendet eos. Alleluia, Alleluja.* ℣. *Beati, qui custodiunt justitiam, & faciunt judicium in omni tempore.* Presb. *Laus & jucunditas.* ℣. *Gloria & honor Patri* &c. Presb. *Laus & jucunditas &c.* ORATIO; *Christe, cujus virtus atque potentia tantùm in Apostolo tuo Jacobo emicuit; ut in nomine tuo, emissis à se dæmoniorum catervis, potentialiter meruit imperare, tu Ecclesiam tuam ab adversantium impugnatione defende, ut virtute spiritus exsuperando adversa, illius doctrinam opere compleat, cujus hodie exemplum piæ passionis honorat.* Resp. *Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, & vivis & omnia regis in secula seculorum. Amen. Dominus sit semper* &c. Resp. *Et cum* &c. *In nomine* Domini *nostri Jesu Christi, perficiamus cum pace* Resp. *Deo gratias.* D

496 AD MISSAM OFFICIUM. Facta confessione, INTROITUS: *Adjutorium nostrum* &c. Resp. *Qui fecit* &c. *sit nomen* Domini &c. Resp. *Ex hoc nunc* &c. *Hæc dicit* Dominus: *Ego tuli te, & fui tecum. Alleluja, & interfeci omnes inimicos tuos, Alleluia. Fecique tibi nomen grande. Alleluia, Alleluia.* ℣. *Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis* Presb. *Fecique tibi nomen grande. Alleluia, Alleluia, Alleluia.* ℣. *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in secula seculorum Amen.* Presb. *Fecique tibi nomen grande, Alleluia, Alleluia, per omnia semper secula seculorum.* Resp. *Amen.* *Exemplo elucidatur Missa:*

E

Gloria in excelsis Deo &c. Dicatur iterum: *Per omnia semper secula seculorum.* ORATIO: *Christe cujus virtus atque potentia tantùm in Apostolo tuo Jacobo* &c. Resp. *Amen.* Dicat Presbyter in medium altaris: *Per misericordiam tuam Deus noster* &c. Resp. *Amen. Dominus sit semper* &c. Resp. *Et cum* &c. ℣. *Lectio libri Sapientiæ Salomonis.* Resp. Deo *gratias. Justus si morte præoccupatus fuerit* &c. Et clauditur his verbis: *Et respectus in electo ipsius.* Resp. *Amen.* Iterum dicatur: Dominus *sit semper* &c. Resp. *Et cum* &c.

497 Tunc canitur PSALLENDO: *Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso.* ℣. *Super salutare tuum* Domine *exultabit vehementer. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.* Presb. *Coronam de lapide pretioso.* Dicat sacerdos vel diaconus: *Silentium* &c. *Lectio Actuum Apostolorum.* Resp. Deo *gratias. In illis autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ* &c. usque ad hæc verba inclusivè: *volens post pascha producere eum populo* Resp. *Amen.* Accepta benedictione, dicat presbyter: *Dominus sit semper* &c. Resp. *Et cum* &c. Lectio sancti Evangelii secundum Marcum: *In illis diebus, assumens iterum Jesus Duodecim, cœpit illis dicere, quæ essent ventura* &c. usque ad Dare *animam suam redemptionem pro multis.* Dominus *sit semper* &c. LAUDA: *Alleluja.* ℣. *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, Allel.* *Psallendum, epistola, Evangelium,* F

Ponitur Missale Offerentium in cornu Epistolæ &c.: fit oblatio, juxta suprà dicta. Oratio: *Acceptabilis sit* &c. ex Missali Offerentium, seu Ordinatio Missæ. Sanctificatio calicis: *In nomine Pa✠tris*, &c. Oratio: *Offerimus tibi* &c. Ponat calicem super aram, & cooperiat, dicens: *Hanc oblationem* &c. *In spiritu humilitatis* &c. *Adjuvate me fratres* &c. Resp. *Adjuvet te Pater* &c. ut supra. SACRIFICIUM: *Fulgebit justus sicut splendor firmamenti, & sicut stellæ cæli dantes claritatem lucis: ita & justus splendebit* ℣. *In perpetuum æternitate.* Et reliqua ex Ordinario Missæ. *Missale Offerentium.*

498 Incipit MISSA: *Dominus sit semper* &c. Resp. *Et cum* &c. ORATIO: *Christe, cujus virtus* &c. Resp. *Amen. Per misericordiam tuam Deus noster* &c. Resp. *Amen.* Elevatio manuum: Ore- *Ad Missam oratio, alia oratio &c.*

Oremus. Resp. *Hagios* &c. *Præsta æterne* &c. Alia oratio: *Vocantem nos ad se Jesum, fratres dilectissimi, agnoscentes, qui beatissimum Jacobum Apostolum suum retia componentem in navi ad se vocans, ejusdem nos postea spiritualibus doctrinis admonet atque docet, ut postulantes in fide nihil hæsitemus; omni mentis devotione cum lacrymis eumdem Dominum flagitemus, ut postulatio nostra apud eum à nobis obtineat adimplere, quæ in ipso Apostolo docente cognovimus*. Resp. *Amen*. Deinde *Per misericordiam tuam Deus noster, in cujus conspectu* &c. ex Ordinario. Item indidem: *Offerunt Deo* &c. *Facientes commemorationem* &c. *item pro spiritibus pausantium* &c.

Oratio Post nomina.

Oratio Post nomina: *Vivant in nobis, Jesu Domine, Apostoli tui Jacobi prædicamenta doctrinæ, quibus docemur illum beatum esse, qui illatas tentationis voluerit æquanimiter supportare; quò dum præsentia mala patientissimè toleravimus, in pace & charitate nunc & in æternum tecum sine fine vivamus*. Resp. *Amen*. *Quia tu es vita vivorum* &c. ex Ordinario. Resp. *Amen*.

Ad pacem;

499 Ad pacem oratio: *Suscipe, Jesu bone, in hoc natali Jacobi Apostoli tui offerentium vota: & refrigerium præsta spiritibus defunctorum, ut eo apud te intercedente, & viventibus & defunctis, tuæ pietatis gratia impendatur, cujus doctrino duodecim tribuum commemorantium edocetur*. Resp. *Amen*. *Quia tu es vera pax nostra* &c. ex Ordinario usque ad Illationem; quæ est hæc:

Illatio,

Dignum & justum est; nos tibi semper gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum; in cujus nomine electus Jacobus, cum ad passionem traheretur, paralyticum ad se clamantem curavit, atque hoc miraculo cor illudentis sibi ita compunxit, ut eum Sacramentis institutum, instinctu fidei faceret ad gloriam pervenire martyrii. Sic ipse post, in confessionem Filii tui, capite dejecto interemptus occubuit, perveniens ad eum in pace, pro quo hanc sustinuit passionem. Ipse est enim unigenitus Filius, qui dedit animam suam redemptionem pro multis, per quem nostris tu, Deus Pater, jubeas parcere jam delictis, cui merito exercitus militiæ cælestis non cessant clamare, ita dicentes: Respondet chorus: *Sanctus, sanctus, sanctus* &c.

Post Sanctus,

500 Dicat Presb. Post Sanctus: *Verè sanctus, verè benedictus Dominus noster Jesus Christus, Filius tuus, quem Jacobus, relicto Zebedæo patre ita secutus est, ut eum obtinuè diligendo, fieret electus in vita, mundus in conscientia, probabilis in doctrina: postremo ita scientiam commendans ex opere, ut pro eo truncato interierit capite: quem pro se vel pro omnibus noverat animam posuisse Christum Dominum: cui est honor & gloria, in secula seculorum*. *Amen*.

Canon, consecratio &c. oratio Post pridie,

Sequitur Canon: *Adesto, adesto* &c. consecratio, elevatio Hostiæ, & calicis &c. Oratio Post pridie ita habet: *Subjuga, Deus, nostras tuo jugo cervices, ut onus tuum, quod amantibus leve est, ita optabili devotione feramus, sicut Jacobus Apostolus tuus, innexo collo suo fune, ad passionem tractus est lætabundus, ut sanctificans hæc, quæ tibi offerimus, nos ipsos benedicas perceptione Hostiæ hujus*. Resp. *Amen*. *Te præstante, sancte Domine* &c. Vide Ordinarium Missæ. *Credimus* &c.; partitio Hostiæ, memoria pro vivis.

Ex editis. Ad orationem Dominicam,

501 Ad orationem Dominicam. *Oremus*: *Apostolo tuo Jacobo, Domine, edocente præmonemur, ut si quis nostrum indiget sapientiâ, postulet à te, qui das omnibus affluenter & non improperas. Sed quia ad te pervenire cupimus per Christum, qui est virtus tua, & sapientia, id agere præoptamus, poscentes clementiam tuam, ut per eum, qui apud te advocatus factus est noster; & pervenire nos ad te facias, & orationem, quam ipso Domino instruente didicimus, ad te introire permittas, proclamantes à terris*: *Pater noster* &c. *Liberati a malo* &c. *Sancta sanctis* &c. *Humiliate vos benedictioni* &c. Resp. *Et cum* &c.

Benedictio,

Benedictio: *Christus Deus, Dei Patris filius, quem Jacobus relicto patre in navi, tota secutus est intentione cordis, indesinenter vos faciat suis inhærere vestigiis*. *Amen*. *Quique per hunc Apostolum suum, cultores dæmonum convertit ad fidem, concedat vobis vana hujus seculi respuendo, se in veritate diligere*. Resp. *Amen*. *Ut ejus remuneremini præsidiis, cujus hodie triumphum excolitis passionis*. Resp. *Amen*. *Quod ipse præstare dignetur per misericordiam tuam. Deus noster; qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in secula seculorum*. Resp. *Amen*.

Ad Accedentes &c. usque ad finem.

502 *Dominus sit semper* &c. Resp. *Et cum* &c. Ad Accedentes: *Gustate & videte* &c. *Benedicamus Dominum* &c. ℣. *Redimet Dominus* &c. ℣. *Gloria & honor Patri* &c. Accipit particulam *Gloria* &c., dicens: *Panem cælestem* &c. Memoria pro mortuis &c. Postea *Domine, Deus meus* &c. *Ave in ævum sanctissima caro* &c. *Domine non sum dignus* &c. Sumit dictam particulam, & alias; deinde calicem dicendo: *Ave in ævum cælestis potus* &c. *Corpus & sanguis* &c. Ad ablutionem: *Domine Deus meus* &c. *Refecti Christi corpore & sanguine* &c. De Missalibus hic observatur, quod alibi suprà dictum. *Oratio*: *Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod accepimus, & sanctus sanguis ejus, quem potavimus, adhæreat visceribus nostris, æterne omnipotens Deus, ut non veniat nobis ad judicium, nec ad condemnationem; sed proficiat ad salutem, & remedium animarum nostrarum in vitam æternam*. Resp. *Amen*. *Per misericordiam* &c. *Dominus sit semper* &c. Resp. *Et cum spiritu* &c. *Solemnia completa* &c. Resp. *Deo gratias*. Antiphona: *Salve Regina* &c. cum Verss. & Respp. &c., & oratione, *Concede nos famulos*. Benedictio: *In unitate* &c. Sequentia, quæ adduntur, confirmant ea, quæ superiùs in annotatis ad § 10 litt. e dicebam, quod sacerdos se convertat ad populum, quando ei benedicit. Adduntur autem ista: *Ad hanc benedictionem vertit se sacerdos ad populum, & benedicit illum; & nihil aliud agens vadit ad sacristiam*.

Assignatur aliud liturgiæ Mozarabicæ exemplum.

503 Si quis aliud liturgiæ exemplum videre desiderat, inveniet illud apud Edmundum Martenium in opere, quod inscripsit, De antiquis Ecclesiæ ritibus, ac libris quatuor absolvit, parte 1, lib. 1, cap. 4, art. 12, pag. 457; ubi ex Missali Mozarabum jussu Francisci Ximenii, archiepiscopi Toletani edito, exhibet Missam de Dominica prima Adventûs; quam lectori nostro designasse sufficiat. Quamquam verò proximè aliquot prægressis paragraphis circa Missale illud ac Breviarium, nec non circa Missam Horasque canonicas apud Mozarabes usitatas varia observata fuerint, atque hic illic sparsim variis infarta locis, non modicè faciunt ad eorum arcana elucidanda; benè multa tamen alia hisce superaddi

A merentur, quæ capitis proximi erunt argumentum; præsertim quatenus Missale Ximenianum, ritus Mozarabici primogeniam integritatem ejusdemque cum antiquo Gallicano comparati antiquitatem spectant.

ANNOTATA. D

a Editio Roblesiana habet: *Per misericordiam ipsius Dei nostri, qui est benedictus, & vivit, & omnia regit.*

CAPUT X.

Variæ circa Missale jussu Ximenii archiepiscopi Toletani editum, ritumque Mozarabicum cum Gallicano collatum observationes.

§. I.

In Missali Mozarabico typis edito plura sunt non purè Mozarabica; quæ videntur accepta non ex Missali Romano, sed ex Gallico, seculo XI.

B

Missali Mozarabico antique



Allitur, quisquis in animum induxerit, Missale Mozarabicum ita primigenium, purum atque immutatum jam inde à temporibus SS. Leandri & Isidori ad ætatem Eminentissimi Ximenii pervenisse, ut plurima tunc, quando ab illo excusum fuit, addita non sint, quæ verè Mozarabica dici nequeant. Conficitur illud ex capitis 9 paragrapho quinto, ratione eorum, quæ de fragmento antiquissimi Kalendarii Gothici à nobis ibi disputata sunt; quod præterea intelligi datur ex citati capitis paragrapho 8 sub finem; ubi de Sanctis recentioribus Missali isti adjectis actum fuit, re confirmata ab exemplis. Memores insuper simus textûs ibidem §. 9 ex Roblesio citati in hæc verba: *Initio dicitur confessio generalis cum psalmo Judica me Deus. Reliqua verò usque ad introitum conveniunt cum Officio Toletano antiquo; cujus usus frequens erat & receptus, cum typis mandata fuere Missalia opera Illustrissimi Cardinalis & archiepiscopi Toletani Francisci Ximenis Cisneril*. Roblesio adde Cardinalem Bonam, qui Rerum liturgicarum lib. 1, cap. XI in fine ista atque alia nonnulla recenset, quæ Mozarabica non sint, sed à laudato Ximenio adjecta: *Confessionem, ait, more Romano, & alias orationes ante introitum, sicut & antiphonam Salve Regina in*
C *fine addidit Officio Gothico Franciscus Ximenius. Addidit etiam Officia quædam Sanctorum, & alia festa recentioris ævi; atque ideo propter hæc, quæ adjecit, Missale mixtum nuncupavit*. Vide etiam annotata nostra ad capitis 9 paragraphum 10 lit. a.

plurima sunt adjecta aliunde, non Mozarabica, sed recentiora.

505 Locum enimvero hic obtinet illud, quod ad diem XXVI Junii pag. 215, occasione S. Pelagii martyris Cordubensis, apud nos indicatum fuit his verbis: *Uti nihil est in rebus humanis perpetuum, ipseque Romanus Ordo varios sæpe mutationes accepit; ita etiam antiquus ille Gothicæ liturgiæ modus, qui hodiedum Toleti ab aliquibus servatur, facilè deprehenderetur per tot secula nonnihil alteratus, si adesset veterum atque recentium exemplarium copia, per quæ liceret Isidoriana tempora cum hodierno usu conferre*. Ita tunc ibi satis moderatè pronuntiatum fuit de alteratione ritus Mozarabici; re tota necdum operosè ac maturè examinata. Utinam autem quæ recentiora sunt & non purè Mozarabica ita immixta fuissent iis, quæ verè antiqua & purè Mozarabica sunt, ut utraque inter se, atque adeo nova ab antiquis indicio aliquo secerni ubique possent. Certè, E
prout observat Brunus pag. 301, Missale Mozarabicum jussu Ximenii excusum plures personas in errorem induxit, quæ extracta inde dederunt, aut citarunt inde loca tamquam verè Mozarabica, quæ certè talia non sunt. Quod ne fiat amplius, observandum monet, quod Cardinalis ille inseruerit Missali suo Mozarabico (nullâ adjectâ notâ) plures rubricas, & plures orationes ex Missali, quod in usu erat ejus tempore in ecclesia cathedrali Toletana; unde facilè judicari possit, quod contineat multas res recentes, ac proin posteriores admodum S. Leandro, ac S. Isidoro.

An satis solide a neoterico quodam probetur,

506 Inter probationes, quas superaddit idem Brunus, unam pro hac re format à pag. 302 ex corporis Christi ac consecrati calicis elevatione. Verba consecrationis verè Mozarabica, in antiquis utique istiùs ritus codicibus expressa, sed jussu Joannis PP. X proferri curata Romano ritu, dedimus superiùs cap. 5, §. 2 Brunus, quia verbis consecrationis panis additur *hic elevetur corpus*; & verbis consecrationis vini, *hic elevetur calix coopertus cum filiola*, seu amiculo; quærit, an non omnino locus detur credendi, quod secundùm vetus Missale F
Gothicum SS. Leandri & Isidori perageretur elevatio Hostiæ & calicis, maximè quando legitur illa nota ad marginem impressa: *Forma ista consecrationis ponitur, ne antiquitas ignoretur, sed hodie servatur traditio Ecclesiæ*. Nihilominus tamen, uti vult Brunus, usus ita elevandi calicem erat omnino recens in Hispania tempore Cardinalis Ximenii. Id quod probare conatur ex Ordinario Dominicanorum reviso, correcto & aucto pluribus notis, ac per Generalem Ordinis confirmato Salmanticæ anno 1576. Et mox affert P. Joannem de Palencia, (qui dederit illam notarum collectionem è capitulis generalibus extractarum ab anno 1500.) de elevatione calicis ita loquentem:

usum elevandi calicem

507 *In septima parte nota, quod calix non elevatur in verbis rubricæ Flando, sed statim post consecrationem deponitur & cooperitur corporale: sed tamen jam usus habet, quod elevetur, sed discoopertus, sicut etiam modo clerici omnes faciunt, quotquot recitant secundùm Ordinarium* ao-

A

novum Romanum ... elevare autem calicem cum filiola, sicut faciebant clerici & aliqui regulares, nova res est in Ecclesia. Unde demum concludit Brunus, eum in errore futurum, qui hanc consuetudinem bene antiquam crederet. Verùm circa consequentiam illam ex præmissis hujusmodi deductam, inter illum ac me non satis convenit. In nota quippe ad marginem Missalis Mozarabici Ximeniani impressa agitur de *forma consecrationis*, seu de verbis, prout ego interpretor, quibus ipsa consecratio constat ac perficitur; quæ certè forma antiquitatem habet magnam, mutari utique juxta tenorem formæ Ecclesiæ Romanæ primò demum jussa sub initium seculi x, tempore Joannis PP. X, uti mox indicavimus. Elevatio autem calicis nudi vel cooperti nihil minus est quam forma consecrationis; eidem ita accidens, ut abesse vel adesse possit, salvâ prorsus consecrationis substantiâ. Quomodo itaque Brunus antiquitatem formæ consecrationis in margine Missalis Mozarabici expressam videns, inde mox transeat ad elevationem calicis cooperti comprobandam tamquam novam, non satis intelligo.

B

à Cardinale Ximenio ritibus Mozarabicis insertum fuisse;

508 Deinde quæro ex Bruno, an Ordinarium illud, quod afferebat, & Joannes de Palencia vel per umbram agant de Mozarabibus, quorum ritum fortasse ne auditu quidem norant. Textus enimvero paullo ante productus nihil tale indicat; & esto illud indicaret, tunc Joannes de Palencia diceret, quod talis elevatio *nova res sit in Ecclesia* etiam Mozarabica; diceret, inquam, sed nondum id probaret. Abundet itaque in suo judicio Brunus: ego certè ipsi non suffragor, quod elevatio sæpe dicta, res adeo nova sit apud Mozarabes, ut ad tempora Ximenii pertineat, rituive Mozarabico inserta ab illo sit, donec id melius aliunde probetur. Nec pluribus opus est verbis: nam utcumque res illa se habeat, parum refert; cum aliunde satis constet, plurima Missali Mozarabico adjecta fuisse, quæ verè Mozarabica non sunt. Audiamus Brunum pag. 303: *Est evidens*, inquit, *omnes fere rubricas Dominicæ Palmarum, diei Jovis sancti, ac diei Veneris sancti extractas esse è Missali, qui in usu erat in cathedrali Toletana tempore istius Cardinalis: omnes enim fere leguntur verbum de verbo in Missali ejusdem ecclesiæ Toletanæ, anno* MDL *impressi; neque minus*, inquit, *constat, majorem istarum rubricarum partem omnino recentem fuisse tempore Ximenii*.

C

sed aliunde

509 Idem liturgiographus postquam produxisset Missam Mozarabicam cum observationibus, quas intermiscuit, monet pag. 323 consequens esse, ut concludatur, quod citari non possit, tamquam ex Mozarabico oriundum, quidquid nonnulli auctores extraxerunt ex Ordine Missæ istius Missalis; uti nec ex Ordine feriæ quartæ Cinerum, Dominicæ Palmarum, diei Jovis sancti, diei Veneris sancti, & diei Sabbati sancti, quæ P. Martene inseruit volumini De antiqua Ecclesiæ disciplina: nam, uti addit, omnes fere rubricæ, illis diebus notatæ, evidenter extractæ sunt ex Missali Toletano, quod tempore Cardinalis Ximenii jure merito vocatum erat *Missale mixtum*. Dicamus itaque, illud nec Romanum fuisse, nec purè Gothicum nec purè antiquum Gallicum. Tametsi plurimis infartum fuisse usibus, qui originem trahebant ex ecclesiis Gallicanis, observat Brunus; cujusmodi esse ait cæremoniam claudendi ecclesiam in supplicatione Palmarum, & non priùs aperiendi, quam sacerdos pluribus vicibus cruce pulsasset portam; quam petierat aperiri Regi gloriæ; additque laudatus scriptor, hæc ex illis esse spectaculis, versùs annum millesimum in nonnullas Galliæ ecclesias introductis; quæque tum temporis non inveniebantur vel in Missali Romano, vel in Mozarabico.

non ex Romano tamen Missali accepta;

510 At exceptis hujusmodi rubricis & usibus, illud deberi fatetur Cardinali Ximenio, quod in suo Missali Mozarabico conservarit maximum numerum Officiorum Missæ, unà cum infinita orationum congerie, quæ ex Missali Gothorum proveniant, quæque per suam antiquitatem summa veneratione sint dignæ, atque Ecclesiæ utilissimæ. Tale judicium tulit Brunus. Jure itaque meritissimo Alfonsus Ortizius, quo accurante Missale illud editum est, in sua ad Eminentissimum Ximenium præfatione, uti superius vidimus, pronuntiavit, *Immortales Tibi, antistes celeberrime, referant gratias seculi nostri homines oportet, cum vetera, & quasi obsoleta nostræ religionis arcana tanto studio revocare institueris* &c. Iam verò ut de primigenia additionum origine magis individuam hauriamus notitiam, animadvertere oportet, in quo Missalia ab ecclesiis Hispaniarum adoptata sub Alfonso VI versus annum 1091, (de qua re plura præmisimus cap. 6) differant à purè Romano; & in quo conveniant cum Missalibus ecclesiæ Gallicanæ istius temporis.

E

uti ex comparatione

511 Quanto conatu regina Constantia apud Alfonsum VI, conjugem suum, institerit pro ritu Romano-Gallicano contra Mozarabicum, ex dicto capite satis liquet. Credibile est, Missale illud ab eleemosynariis ejusdem reginæ vel facellanis, ipsam comitantibus in Hispaniam, è Gallia Toletum fuisse delatum; nisi malis, dictam reginam rituum sacrorum, quibus non assueverat, novitate perculsam, Missale patrum accersi jussisse, tunc præsertim, quando abrogationem Mozarabici Officii urgente S. Gregorio PP. VII, eique obsecundantem Alfonso rege, spem affulgere conspiciebat, extremam suo annisu manum admovendi dictæ abrogationi. Quomodocumque id contigerit, parum facit in rem nostram. Dispiciendum quippe nobis est, in quo Missalia Hispaniæ seculi XI discrepent à purè Romano; & contrà in quo illa conveniant cum Missalibus Gallicanis eodem seculo XI usitatis. Factum probat Brunus à pag. 305 ex comparatione Missalium in Hispania usitatorum cum Gallicis, S. Pio V anterioribus; vidisse se dicens ex Missalibus illis Hispanicis Mss. in diœcesi Gerundensi usitatis; & à duce Noaillio sibi communicatis; ubi suppeditari affirmat plurimas assertionis suæ probationes, & Missale ecclesiæ Toletanæ, quod Lugduni anno 1550 recusum est, & in quo omnia magis singulatim notantur, clarissimè id manifestare.

F

Missalium

512 Et mox plurima ex isto Missali congerit loca, quæ sint & à Romano Missali diversa, & antiquis Missalibus Galliæ conformia. Ea verò sic commemorat: 1. In Officio Nativitatis, Evangelium *Liber generationis* ante *Te Deum*. 2. Prophetiam ante Epistolam in quatuor Missis Nativitatis. 3. In Ordine Missæ, *Confitemini Domino, quoniam bonus* &c. ante *Confiteor*. 4. Osculum crucis in ascensu ad altare, & antiphona *Salve crux* &c. cum oratione. 5. Oratio *In conspectu tuo Domine*, in extendendo corporali; sicut in antiquis Missalibus Narbonensi, Nemausensi, & plurium aliarum Galliæ ecclesiarum, uti notat Brunus. 6. Præparatio aquæ ac vini in calice ante Evangelium: prout faciunt Carmelitæ & Dominicani; & sicut fiebat Parisiis ante an-

A num 1615, teste Bruno. 7. Oblatio fidelium, & benedictio panis, quem præsentant, facta post oblationem Hostiæ & calicis in altari. 8. *Veni sancte Spiritus sanctificator* &c. dictum super oblata; sicut in Missalibus Gallicanis seculi XI, secundùm observationem, ait Micrologi versus annum 1090; & oratio, *Descendat hic angelus bene✠dictionis, & consecrationis super hoc munus*; quam legi etiam addit Brunus in pluribus Galliæ Missalibus antiquis.

inter se 513 Nono. Osculum Hostiæ datum à sacerdote, ut priùs inde accipiat pacem, quam eam det. 10. In Danda pace, *Habete osculum dilectionis & pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. Pax Christi* &c. 11. Antequam sumat corpus Domini nostri, *Ave in ævum sanctissima caro Christi* &c. 12. Antequam sumat sanguinem, *Ave in ævum cælestis potus* &c. 13. *Nunc dimittis* mox post ablutionem. Atque hæc quidem sunt, quæ rerum liturgicarum scrutator & eruderator ille notanda censuit: qui rem concludens monet, omnes illos

B usus non fuisse Missalis Romani, sed originem duxisse partim ex Missalibus, quæ Galliarum ecclesiæ habuerant usque ad tempus Caroli Magni; partim ex additionibus, seculo nono adjectis.

declaratur 514 Jam verò quæ addit de Missali Gallicano ante tempus Caroli Magni, necnon de additionibus seculo IX eidem adjectis; oppidò videntur cohærere partim cum facto ejusdem Caroli Magni qui ritus Gallicanos veteres cum Romanis commutavit, partim cum facto reginæ Constantiæ: ut proinde Missale Gallicanum sæculi IX, & seculi XI, quod ex Gallia venerat, ac Toletano substitutum fuit, unum idemque censeri posse videantur. Porrò de liturgia Romana in ecclesias Gallicanas à Carolo Magno invecta, tractat Mabillonius in opere De liturgia Gallicana lib. I, cap. 3, post Cardinalem Bonam Rerum Liturgicarum lib. I, cap. 12. Qualis autem liturgia ibidem usitata fuerit ante Carolum Magnum, nostri instituti non est operosè disquirere; à quo tamen non adeo apparet alienum, ostendere ulteriorem liturgiæ Mozarabicæ cum veteri Gallicana conformitatem, juxta ea, quæ jamjam dixi de ritu seu de Missalibus Gallicanis, tempore Alfonsi VI Toletum introductis.

C

§. II.

Liturgiæ Mozarabicæ cum Gallicana antiqua consensus ac dissensus ab enumeratione partium.

Consensus Ex dictis paragrapho proximè prægresso intelligitur, quod liturgia Mozarabica, prout nunc edita exstat in Missali Ximeniano, in multis sit conformis ritui Toletano, qui Mozarabico, jussu regia Alfonsi VI, seculo XI. substitutus, deinceps, uti opinor, ibidem loci adhiberi perrexit. Sed nunc alias utriusque liturgiæ consentientes partes enumeremus, præeunte Bruno à pag. 334; cujus circa præsens argumentum observationes hic transcribimus, examinaturi deinde consectaria, quæ ex ista consensione dictus auctor deducere conatur. Interea utriusque Missalis conformitatem ita ostendit: 1. Secundùm ambas basce liturgias sacerdos salutat congregationem, dicens; *Dominus sit semper vobiscum.*

D *utriusque* 516 Secundò. Duæ habentur ante Euangelium lectiones; quarum prima ex antiquo; secunda ex novo Testamento eruta est; excepto tempore Paschali: quando secundùm unum & alterum ritum more ordinario legebantur duæ lectiones novi Testamenti, & una quidem ex Apocalypsi, altera verò ex Actibus Apostolorum. Festis Sanctorum legebatur etiam aliquid ex eorum Actis; id quod claré perspicitur ex præfatione Vitæ S. Æmiliani, auctore Braulione episcopo Cæsaraugustano; ut videre est apud Mabillonium in liturgia Gallicana pag. 21; interea, sicut observat Brunus, Missale Cardinalis hoc non exprimit. 3. Canticum trium Puerorum dicitur ante Euangelium; & mox addit idem auctor, revera non conspici illud Canticum in Missali Mozarabico, nisi in Ordine Missæ, sub titulo Omnium offerentium, qui totam; uti addit, S. Jacobi Missam comprehendit; & in prima Dominica Quadragesimæ; ita ut locum esse credendi censeat, non dici in aliis Dominicis.

istius liturgiæ 517 Sed concilium IV Toletanum nos docet canone XIV (de qua re Brunus egerat pag. 312; nos verò superius diximus cap. 3, §. 2) quod

E juxta antiquam consuetudinem illud Canticum dici deberet in Missa omnium Dominicorum dierum, & in omnibus solennitatibus Martyrum, & quidem sub pœna non communicandi. Si, uti pergit Brunus, ab aliquot seculis illud Canticum non sit dictum omnibus diebus festis & Dominicis in liturgia Mozarabica; valde verosimile judicat, quod idem factum fuerit à mille annis aut circiter, in aliquibus ecclesiis Galliæ; quia lectionarium Luxoviense non notet illud Canticum nisi in Missa Natalis Domini, & in Sabbato sancto. Indicat mox Brunus, circa rem illam ecclesias Hispaniæ inter & Galliæ disparitatem fuisse aliquam; illis utique Canticum istud dicentibus post lectionem veteris Testamenti; his verò illud non recitantibus nisi post novi lectionem; citans auctoritatem S. Germani. (Adi meam notam pag. 99 lit. n.) Sed locus, inquit, Natalis Domini ex Lectionario Luxoviensi mox citatus claré manifestat, quod consuetudo dicendi illud canticum post Lectionem novi Testamenti, non esset generalis in ecclesiis Galliæ, Lectionario isto illud notante post lectionem antiqui Testamenti. Plures igitur ecclesiæ Galliæ conve-

F nire poterant cum ecclesiis Hispaniæ circa locum hujus Cantici, id est, ut recitaretur inter antiqui & novi Testamenti lectionem.

ostenditur ex recentiore auctore, 518 Quartò. Imponitur silentium ante lectiones. 5. Canitur *Alleluia* post Euangelium; cum hoc tamen discrimine, quod secundùm Missale Mozarabicum canatur *Alleluia* immediatè post Euangelium; ubi secundùm S. Germanum (vide Brunum pag. 246) canitur post oblationem. *Sanctus* vel *Agios* (præter illud quod præcedit canonem) pluribus etiam vicibus canitur tempore Missæ, in una atque altera liturgia, sed non eodem loco. 6. Pro utriusque demum liturgiæ consonantia adjungi post ex Bruno consuetudo orandi generatim versus tempus oblationis; quamquam, prout insinuat, in liturgia Gallicana fierent istæ preces ante oblationem, atque adeo ante principium Missæ Fidelium; & è contrario non fiant secundùm Missale Mozarabicum, nisi post oblationem. 7. Missa Fidelium secundùm ambas liturgias inchoatur ab oratione, quam præcedit semper præfatio quædam vel monitio: & omnes fere Missæ habent proprias. 8. Post oblationem fit memoria vivorum ac mortuorum; atque cum in finem dicitur oratio, cui titulus *Collectio post nomina*

A

na; & quælibet Missa babet propriam. 9. Deinde datur osculum pacis, & sacerdos dicit orationem, quæ vocatur *Collectio ad pacem*: hæc quoque oratio propria est singulis Missis.

ab enumeratione

519 Decimò. Pars illa Missæ, quam nos appellamus præfationem juxta usum Ecclesiæ Romanæ, in neutra harum duarum liturgiarum nomen istud babet: sed appellatur *Contestatio* vel *Immolatio* in liturgia Gallicana, & *Inlatio* in Missali Mozarabico. Ordinariè longior est, quam illa, quæ est secundùm ritum Romanum; & quælibet Missa babet sibi propriam. 11. Loco illius, quod Canon vocatur in Missali Romano, oratio est cui titulus *Post sanctus*; quæ continet actua gratiarum actionum ac laudum; qui sint tamquam præludium verborum sacramentalium *Qui pridie*, & qui relationem habent cum *Sanctus*. Voces hæ *Qui pridie*, vel *Ipse enim pridie*, sunt ad finem orationis *Post sanctus* in Missalibus Gallicanis; & conspici posse satis clarè, indicat Brunus, quod illæ ipsæ orationes Missarum Missalis Mozarabici finiantur modo quodam, qui conducit ad easdem voces *Qui pridie* &c. Consule, quæ dixi superiùs in annotatis ad §. xi. lit. *f*.

B

partium

520 Duodecimò. Verba sacramentalia sequitur oratio aut formula etiam valdè brevis, & quæ in majori parte Missarum diversa est. Oratio hæc vel formula dicitur *Post mysterium* aut *Post secreta* in Missalibus Gallicanis, & *Post pridie* in Missali Mozarabico: sed hoc eódem redit: illæque denominationes probant equaliter, quod hæc oratio seu formula diceretur post verba sacramentalia; quia illis semper præmittitur historia institutionis Eucharistiæ. 13. Canitur Antiphona inter fractionem Hostiæ. 14. Præfatio orationis Dominicæ in omnibus penè Missis est diversa. 15. Prosecutio seu explicatio ultimæ petitionis, orationis Dominicæ etiam diversa est fere in omnibus Missis. 16. Datur benedictio solennis inter orationem Dominicam & communionem: & benedictio ista in qualibet Missa est diversa: sed secundùm Missale Mozarabicum sacerdotes eam dant sicut episcopi; juxta ritum autem Gallicanum benedictio illa solennis à solis episcopis dabatur: verum quidem est, quod secundùm hunc ritum sacerdotes etiam darent benedictionem in hoc Missæ loco; sed id fiebat modo minùs solemni: illam namque dabant formula multo breviore: & formula ista erat semper eadem.

C

in ritibus bene multis reperiri;

521 Pergens ulteriùs ille liturgiographus notat 17., omnem credendi ansam suggeri, quod liturgia Gallicana consonaret etiam cum liturgia Mozarabica in cantando *Gustate & videte* paulo ante communionem Fidelium: ubi addit, ex Treeano (de quo nos suprà in annotatis ad §. xi lit. *n*) immediatè post benedictionem collocato, satis indicari, quod cantaretur in eodem plane loco, quo canitur *Gustate & videte* in Missali Mozarabico; & ex iis quæ superiùs de *Gustate & videte* dixisse se indicat, ostensum esse significat, omnino verosimile esse, quod ibi esset *Trecanum* S. Germani; ut videsis apud Brunum pag. 330. De auctore hujus Treeani consule annotata, quæ jamjam citavi.

qui ad Ordinarium Missæ

522 Pluribus, quæ liturgiæ Gallicanæ ac Mozarabicæ communia sunt, referendis supersedendum sibi censet memoratus auctor; prout videri posse asserit conferendo quatuor Missalia Gallicana, & Lectionarium Luxoviense cum Missali Mozarabico; supersedendum, inquam, sibi censet; quia non alium sibi præfixum fuisse scopum fatetur, quam ostendere conformitatem ambarum istarum liturgiarum in eo, quo ordinariè dicitur in Missa; non autem in eo, quod certis festis aut diebus dicitur. Adjungit, adeo persuasam fuisse seculo IX conformitatem ritûs ecclesiarum Hispaniæ cum ritu ecclesiarum Franciæ usque ad tempora Pipini & Caroli Magni, ut Carolus Calvus crediderit, se videre istum antiquum ritum Gallicanum, quando jussit coram se celebrari Missam juxta ritum Toletanæ ecclesiæ; ex epistola ipsius ad clerum Ravennatem: de qua redibit sermo. Dictus scriptor refert, se quoque non recensuisse plurima puncta, in quibus ambæ istæ liturgiæ conveniunt inter se cum ecclesia Romana; quia non alia de causa istarum duarum liturgiarum conformitatem esse expositam fatetur, quam ut ostendatur, quod Mozarabica proveniat à Gallicana.

T

spectant.

523 Monitiones, orationes ac præfationes ambarum liturgiarum non admodum differunt, nisi secundùm terminos; quin imo in terminis ipsis nonnumquam eas convenire observat in notatiuncula pag. 399, adducto exemplo. Denique suam de origine liturgiæ Mozarabicæ à Gallicana sententiam visus aliunde mitigare velle laudatus auctor, Si, inquit, liturgia Gallicana merito isto gaudeat, quod formam seu exemplar Missali Gothico Mozarabico præbuerit; fatendum esse pronuntiat, quod Missalia Gallicana eidem cedere debeant propter varietatem & copiam orationum suarum; non posse non esse mirabilem S. Leandri, S. Isidori, aliorumque Doctorum anteriorum vel posteriorum, qui isti rei allaborarunt, fœcunditatem; magnam ordinariè in orationibus esse analogiam cum Euangelio diei, semperque multum gustûs atque accurationis; adeo ut suspici possit Missale Mozarabicum tamquam fœcunda instructionum ac precum scaturigo. Verùm priusquam conveniamus Brunum super ista assertione, qua censet, quod œconomiæ sacræ Mozarabicæ formam seu exemplar subministrarit liturgia Gallicana; dispiciamus, in quibus altera ab altera dissentiat, ex fide Honorati à S. Maria, alias citati, tom. 3; pag. 202.

E

Utriusque liturgiæ discrepantia ex alio recentiore auctore.

524 Utramque igitur dicit differre admodum liturgiam. 1. Collectæ, quæ ibidem recitantur, nihil babent simile 2. Lectiones tam antiqui quam novi Testamenti non concordant. 3. Canon in pluribus Missis non est idem. At mihi Canon Mozarabicus est (intelligo Canonem propriè ac strictè dictum) qui sic incipit: *Adesto, adesto* &c., secundùm dicta num. 356, & in annotatis ad §. 10. lit. *n*. 4. Dicebatur Symbolum Apostolorum ante orationem Dominicam, quod proprium est ritus Mozarabici. Denique modus, quo sacerdotes Mozarabes partiuntur Hostiam, numquam in usu fuit in aliqua alia liturgia, quantum quidem laudatus Honoratus se scire dicit. Porrò de ista divisione actum est superiùs. An autem idem fuerit Galliæ & Hispaniæ mos in divinis Officiis, videri potest apud Cardinalem Bonam Rer. Liturg. lib. 1, cap. 12; de partibus item utriusque liturgiæ agit Mabillonius Liturgiæ Gallicanæ lib. 1, cap. 5. Sed quæri potest circa duos istos liturgiographos, an in argumento præsenti commissa ab eis non fuerit hallucinatio, quæ inde originem traxerit, quod antiquos illos libros Missales, de quibus agebant, non satis distinguerent, sed confunderent potius. Controversia ista admodum connexa est cum alia, superiùs à me agitata cap. 3, §. 6; num videlicet Ordo sacer Gothi-

F

co-

A eo-Hispanicus atque adeo Mozarabicus liturgicam suam formam debeant acceptam referre ritui antiquo Gallicano; quæ controversia ea de causa appositè hic discutietur, ubi præmisero examen rationum, quibus Bruuus inducitur, ut statuat, exemplarem Mozarabicæ liturgiæ formam in Gallicano Ordine sacro constituendam esse; id quod neutiquam mihi probatur; à quo autem, an ab ipso, an à me stet potior ratio, discuti atur.

§. III.

An ex consensu antiquæ liturgiæ Gallicanæ cum Mozarabica concludi possit, hanc ab illa exemplar seu formam accepisse

Ex consensu liturgia Gallicana

B ID nego ego, affirmat Brunus. Rem expendamus. Ex tam consona utriusque liturgiæ analogia, proximè prægresso paragrapho ex Bruno exhibita per enumerationem partium, eo ducimur, ut clarissimè perspiciamus, quorsum tot tam multa, tamque singularia puncta adeo studiosè corraserit; nimirum ut ex comparatione singularum, quoad potuit, partium comprobaret, Hispanam liturgiam descendere à Gallicana. Et verò quod multo amplius alibi velit, quam in illis, quæ paragrapho primo hujus capitis decimi, ex ipso recensui, manifestum est: nam toto suo articulo quarto à pag. 334, unde relata § 2 proximo excerpsi, solam dedemonstrat utriusque ritus conformitatem, prout ex dictis liquet; controversam verò hic originem aliunde non probat ibi, quam ex eadem illa conformitate. Et sanè aliunde, meo quidem judicio, videtur probanda fuisse origo ista: neque enim sequitur ex eo, quod duæ liturgiæ in multis sint conformes, unam è duabus ab altera derivari; sed nisi derivatio illa aliunde
C probetur, ecquis ex sola tali similitudine satis prudenter illam deducat? Itaque dum aliam ibi probationem haud reperirem, consulendam duxi Dissertationem Bruni quartam, quæ habetur in eodem tomo secundo, à pag. 228, & in qua tractat de antiqua liturgia ecclesiarum Gallicanarum.

cum veteri Hispana &c.

526 Articulo 1, pag. 230 sermonem habet de ejus antiquitate, quam post Mabillonium sæpius citatum lib. 1, cap. 4, summam ipsi vendicat. Hanc equidem non negaverim, sed tota quæstio in eo vertitur, an liturgia Gallicana talem habeat excessum antiquitatis præ Hispana veteri, ut huic tamquam idea, forma atque exemplar illa præluxerit. Quæ contra excessum illum à Mabillonio assertum, responderim, inveniens suprà cap. 3, § 6 & 7; & quoniam prærogativa illa ritus Gallicani contra Hispanum mihi non satis ibi suadetur; non satis etiam mihi suadetur origo, de qua nunc disputatur. Æque quidquam ex ordine temporis, aut qualitate Officii Gallicani, vel juxta ipsiusmet Bruni principia seu placita, circa hanc in Gallorum favorem dirimendam controversiam statuere satis securè possum. Nam nec vult, nec potest hic agere de ritu Hispanico quatuor primorum seculorum; etenim tomo secundo citato pag. 232 dicit, quod Ordo ritus Gallicani (de antiquo est sermo) non sit Romanus; at verò pag. 272 disertè affirmat, & quantum potest, probat, Hispanum fuisse Romanum; idque tanta cum extensione temporis, ut pag. 273 rotundè fateatur, *vere esse, quod nihil videatur durantibus quatuor primis seculis, quod designet in Hispania alios usus* liturgicos *quam Romanos*. D

non sequitur

527 Et postquam nonnulla subjunxisset, quibus hoc confirmat, *Ecce igitur*, ait, *usque tunc vestigia liturgiæ Romanæ*. Si ergo quatuor primis seculis nihil videatur, quod, ipsomet Bruno fatente, designet in Hispania alios ritus quam Romanos; & si ad illud usque tempus ejusdem ritus vestigia deprehendantur; ergo vetus Ordo Gallicanus per totum istorum quatuor seculorum decursum non exstitit forma & exemplar ritibus antiquis Hispanicis; cum hi, ipsomet fatente quatuor primis seculis Romani fuerint; ille verò, juxta id, quod ex ipso mox retuli, diversus à Romano dicendus sit Cap. 1, §. 1 egi de liturgiæ Hispanicæ quatuor primis Christi seculis origine ac propagatione. Consule præterea ejusdem capitis paragraphum 6 sub finem; quamquam, ut ibi monui, obscura admodum & ignota sunt, quæ circa sacra apud Hispanos istis seculis mysteria, E imo etiam seculo v, ad posteros pervenerunt. Itaque fateamur, necesse est, quod in principiis Bruni controversa hic antiquæ liturgiæ Hispanicæ origo imputari nequeat antiquæ Gallicanæ, quatuor primis Christi seculis.

in principiis

528 Eoque magis hæc elucescit assertio; quod idem scriptor pag. 232 censet, antiquum liturgiæ Gallicanæ Ordinem ab ecclesiis Orientalibus esse profectum. 1. Ob istius cum liturgiis Orientalibus conformitatem. 2. Quia, ut ait, primi Galliarum episcopi penè omnes fuerunt Orientales. Et sit hoc prout vult Brunus; sic hoc pacto rursus cohæret in principiis ejus, quod Ordo iste sacer Gallicanus, qui erat Orientalis origine, formam & exemplar tunc non suppeditarit Hispanico, qui Romanus erat: etsi candide fatear, me non assequi; neque satis intelligere quidnam determinati circa conformitatem vel difformitatem partium accidentalium, in magno saltem numero, hujus vel istius liturgiæ respectu alterius statui possint primis æræ Christianæ seculis, ob rationes, capite primo, § 2 hujus Tractatus allegatas.

recentioris cujusdam liturgiographi

529 Quod si ab iis, quæ de quatuor primis æræ Christianæ sæculis ibi potissimùm dixi, pergere lubet ad seculum v, quo barbaræ gentes in Hispaniam irruperunt; invenies F ibi tunc temporis duplicem extitisse liturgiam, videlicet nativam antiquam Hispanicam, & adventitiam Gothicam; etiam juxta principia Bruni à pag. 273; quæ liturgia Gothica ex Oriente eruta sit, pag. 274; quamque habuerint Gothi in Hispaniam venientes, pag. 275. Consule quæ superius deduxi cap. 2. Turbulentis itaque hisce temporibus quis credat, liturgiam Gallicam, quatenus utique à Gallicano-Gothica Narbonensi erat diversa, ita migrasse ad Hispanos, ut suam inde liturgiam (pristinâ, quam habuerant, repudiatâ vel omnino immutatâ) tamquam ex quodam prototypo efformarint? Quis inquam, id credat, nisi probatum alicunde hoc videat? Illud interim conficies ex seculo v, quod invecta tunc unà cum Gothis in Hispaniam liturgia Orientalis, Gothis seculo vi ad catholicam fidem conversis, immixta fuerint veteri liturgiæ Hispanicæ, conformiter ad illa, quæ tradidi cap. 2; quæque dicit Brunus à pag. 278; addens, S. Leandrum ordinando hu-

A hujusmodi Officio valdè aptum fuisse; à quo quid seculo sexto; quid item seculo septimo ab ejus fratre S. Isidoro in materia liturgica præstitum sit, expendi superius capp. 2 & 3

qua examinantur 530 Hactenus itaque non video, qua veri specie asserat Brunus, quod liturgia Gallicana vetus formam & exemplar præbuerit Actioni sacræ Hispano-Gothicæ, & ita præbuerit, quasi hæc ex illa originem traxerit. Adeo certè infirma sunt & debilia, quæ alia occasione ille auctor habet à pag. 279: ut videantur fundari in unico incerto & conjecturali adverbio *peutetre*, *fortè*. Textum itaque ipsius sic è Gallico reddo: *Hic tempus est quo S. Leander, archiepiscopus Hispalensis, laborare debuerit ad ordinandam totam liturgiam. Non esset rationi consonum, dicere, quod fecerit unam, ab illa, quæ antea (* apud Hispanos *) habebatur, omnino diversam: sed cogitandi locus datur, quod conservando bene magnam partem antiquorum usuum ecclesiæ eorum, multi ab Orientalibus mutati fuerint, &* FORTE ETIAMNUM PLURES À RITU GALLICANO, *ad componendum Officium, cui episcopi Galliæ Narbonensis, qui istum jam tum ritum habebant, aptare se possent*. Unde intelligitur, quod incerta B prorsus sit origo Brunum inter ac me controversa neque ulla sex primis Christi seculis satis probabilia lucescant indicia, è quibus assertio ejus satis solide stabiliri queat.

531 Jam si gradum faciamus ad seculum *ut rejiciuntur* VII, tantumdem habebimus, etiam in principiis Bruni: etenim decursus à pag. 280 canonibus concilii Toletani IV, ad usuum ecclesiarum Hispaniæ ac Galliæ Narbonensis uniformitatem spectantibus; pag. 283 fatetur, sermonem ibi non haberi de novo Ordine aut novis libris conficiendis; sed hoc unicè agi, ut omnes istæ sub dominio Gothorum provinciæ, eisdem uniformiter sese accommodent. Quæ planè consentiunt opinioni meæ, quá novæ liturgiæ confectionem S. Isidoro abjudicavi cap. 3, § 3: ac concilii Toletani scopum exposui ibid. § 2, num. 107. Transi nunc, si lubet, ad seculum VIII & IX, quibus errores Missali Mozarabico imputati sunt; inde porro ad seculum X, quo integritas Officii istius comprobata; ad undecimum denique, quo abrogatum illud dixi; in meam sanè intelligentiam non cadit, quo loco, quo tempore, quibusve rerum ac personarum adjunctis sæpe nominata hæc origo contigerit; quæ quoniam asseritur à Bruno, alicunde comprobanda foret ex solidiore aliquo argumento;
C quale mihi non apparet consimilis in plurimis partibus utriusque liturgiæ consensio; quò ut redeam, consideranda propono sequentia, conaturus probabiliter exponere, quo pacto ambæ istæ liturgiæ adeo inter se sint consimiles, ita tamen, ut idcirco altera alterius filia dicenda non sit.

tamquam non satis cohærentia. 532 Liturgia quippe antiqua Gallicana, ex Bruni, sicut dicebat, sententia, ab ecclesiis Orientalibus profecta est; ex Oriente item saltem ex parte profecta est Hispano-Gothica; quia post Gothorum in Hispaniam adventum ex ritibus Orientalibus commixta; ergo non adeo mirum est, partes quasdam in utraque liturgia consonare ergo nihil cogit in Galliam abire, ut analogiam illam inde in Hispaniam accersamus: ergo denique œconomiæ sacræ Hispanicæ forma à priore diversa sub Gothis indita est, quia mixta ex eorum usibus sacris, prout antè dictum fuit. Fortè etiam veteris liturgiæ Hispanicæ ritibus aliquid superaddiderit Gallica Narbonensis, quæ simul D cum Hispania unum constituebat corpus, & dominio Gotorum æque ac illa suberat, atque unà cum illa ad totius ditionis Hispanicæ nationale concilium Toletanum quartum convenit. Quidquid sit, omnibus ita consideratis, nondum inducor, ut credam, liturgiam antiquam Gallicanam usque adeo præluxisse veteri Hispanicæ, ut ejusdem veluti parens, magistra & altrix formam rituum sacrorum atque exemplar eidem suggesserit. Atque hæc, quæ dixi circa originem hic controversam, ita accipi cupio, ut non pluris valeant, quam simplices fere, adde tamen non improbabiles, conjecturæ, ultra quas in rebus adeo obsoletis & obscuris vix datur, quo progrediaris; sed tametsi rem certò non evincant, argumenta tamen ad hominem, eò saltem valent, ut perspicuum reddatur, Brunum in præsenti nostra controversia ita se gessisse, ut plus probandum susceperint, quam probare atque persuadere potuerit, manendo etiam intra limites probabilis conjecturæ. Nunc dispiciendum est, an alia afferri possint ex Missalibus antiquis Gallicanis argumenta, quæ contra E me faciant, & opinioni istius liturgiographi patrocinentur.

§. IV.

An ex Missalibus, quæ sub nomine liturgiæ Gallicanæ excusa sunt, controversia ista in favorem liturgiæ ejusdem decidi possit?

EA est conditio illorum librorum, ut pronuntiare non reformidem, nihil exinde lu- *Præmissa* cis in favorem liturgiæ antiquæ Gallicanæ contra Hispanicam sperari posse. Brunus tomo citato, articulo 2, pag. 234 monumenta sex liturgiæ Gallicanæ enumerat, Missalia videlicet quatuor seu Sacramentaria, Lectionarium unum, & unam Missæ Expositionem Ad Missalia quod spectat (de quibus solis hic agimus) duo ex illis indicarat Cardinalis Bona Rerum liturgicarum lib. 1, cap. 12, num. 6; *Dum*, inquit, *vetustos codices ad propositum mibi scopum pertinentes in celebrioribus bibliothecis perquiro, factum est Dei nutu, ut duos antiquissimos repererim quorum seriem, stilum, characterem, singulasque Missas in eis contentas sedulo consideranti* F *venit protinus in mentem, utrumque esse verus Missale Gallicanum; quia & illis adamussim conveniunt, quæ Hilduinus tribuit Gallicis Missalibus à se visis; & priscis ritibus consonant ecclesiæ Toletanæ, ex qua Carolus Calvus sacerdotes adscivit, ut antiquum Galliæ morem ab ipsis celebrantibus disceret. Utrumque autem cum ipso Gothico seu Mozarabico à Cardinali Ximenio edito conferens, inveni ordinem & methodum Missæ eumdem esse, orationes verò diversas.* De facto Caroli Calvi, & ejus epistola ad clerum Ravennat. meminit Mabillonius in Præfatione ad Liturgiam Gallicanam.

534 Brunus, facta horum duorum Missalium mentione, tertii insuper meminit, reperti à *variorum Missalium* Thomasio; qui omnes tres Romæ anno 1680 excudi curavit uno in volumine simul cum Sacramentario S. Gelasii; ac Mabillonius recudit Parisiis anno 1685, suo libro De liturgia Gallicana insertos. *Unus*, inquit Bona, *ex his codicibus* (duobus nimirum, de quibus egerat) *extat*

A *exstat in bibliotheca serenissimæ Suecorum Reginæ ante annos nongentos scriptus, ut periti censent, litteris quadratis & majusculis* &c. (Nunc verò sicut refert Brunus eadem pag. 234, est in bibliotheca Cardinalis Ottoboni. (*In initio præfixus hic titulus est manu recentiori*, teste laudato Cardinale, *Missale Gothicum*, Thomasius *Gothicum sive Gallicanum vetus* illud nuncupavit; *Gothicum seu Gothico-Gallicanum* Mabillonius; quo videlicet usi fuerint Galli Visigothorum imperio subjecti; & verò *Gothico-Gallicanum* esse notat Brunus ex Sanctis Gallicanis eidem inscriptis; quos ibidem enumerat; non autem Hispanicum, propter tres dies Rogationum ante Ascensionem; quos seriùs in Hispania dicit receptos, & post Ascensionem locatos.

notitia; 535 Missale alterum Thomasius inscripsit *Missale Francorum*; circa quod Brunus pag. 236 notat ex ejus signis, Gallicanum quidem illud extitisse; sed Romanum etiamnum potius quam Gallicanum dici posse indicat; cujus ætatem cogitat usque post seculum VIII medium differendam. Aliud denique Missale indicatur apud Cardinalem Bonam cap. suprà citato; B quod à Thomasio *Gallicanum vetus*, à Mabillonio *Gallicanum* dicitur: & de quo pluribus tractat Brunus pagg. 237 & 238; notatis quibusdam ritus Gallicani, uti dicit, characteribus. Atque hæc quidem ita hactenus exposui, ut pervenire queam ad statum præsentis quæstionis; videlicet an ex libris istis liturgicis præsidii quidquam sperandum sit, ut probetur liturgiam Gallicanam tamquam exemplar ac formam præluxisse veteri Hispanicæ. Ex iis, quæ mox subjiciemus, eò, ni fallor, loci controversia hæc deducetur, ut ex citatis Missalibus nihil verosimile, nedum probabile conficias, quod facere utcumque possit satis.

ostenditur 536 Honoratus à S. Maria suprà laudatus tom. 3. Dissertatione 3, lib. 5, art. 3, §. 2 de antiqua Missa Gallicana tractans, ostendit propendere sese in illam opinionem, quæ censeat, quod antiqua Missa Gallicana fortè eadem sit cum Gelasiana. Materiam hanc pluribus ibidem prosequitur idem auctor. Circa tria Missalia à Thomasio & Mabillonio producta, nimirum *Gothicum*, *Francorum*, ac *Gallicanum vetus*, quæ appellantur, nulla ab eis facta mentione de Gelasiano; circa tria, inquam ista Missalia observat, duobus istis scriptori- C bus, uti & Cardinali Bonæ adeo parum constitisse de distinctione, quam illa inter Missalia ponunt, ut ea confundant inter se, aliis, ut ibidem dicitur, alio nomine utentibus: qua de re postquam Honoratus latiùs disseruisset, concludit pag. 195, quod illud sit totum fundamentum istorum auctorum, nomina adeo diversa dandi uni eidemque Missali, atque ex uno solo Gelasiano faciendi tria; neque verò induci se posse, addit, ut credat, quod isti scriptores dare queant vadem aliquem seculo ultimo anteriorem, qui liturgiam jam inde à seculo V in Gallia usitatam aliquo ex jam dictis nominibus nuncuparit. Contra verò, quod libri Missales apud Gallos usitati, initio seculi IX dicerentur Gelasiani, ex testimonio irrefragabili conficitur.

auctores ita discordare circa ea 537 Nam in descriptione seu recensione bonorum Centulensis monasterii, anno Christi 831 facta, atque impressa apud Dacherium tom. 4. Spicilegii, libro 3, capite 3 leguntur ista: *De libris sacrarii, qui ministerio altaris deserviunt: Missales Gregoriani tres; Missalis Gregorianus, & Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordi-* D *natus* 1. *Missales Gelasiani* XIX. Juxta hunc itaque textum Missa tunc celebratur in Gallia ritibus tribus diversis: Romano videlicet, qui eò erat introductus tempore Caroli Magni; at necdum adeo generaliter stabilitus, ut antiquus ritus Gelasianus ibidem esset abolitus. Itaque spectatis dicti instrumenti terminis, Ordo Gelasianus tunc temporis ibidem adhuc obtinuerit, solusque cognitus debuerit esse, antequam Carolus Magnus in Gallia & Germania receperit Romanum; cum in isto monasterio essent novemdecim Missalia Gelasiana, non obsoleti, non abrogati, sed usitati tunc moris; cum de iis ratio habeatur, tanquam *De libris sacrarii: qui ministerio altaris deserviunt*. Ceterùm ea, quæ hic ex laudato Honorato in compendium contraxi, diffusius deducta apud eum consuli possunt. Et verò non alium ritum in Gallia extitisse ante tempora Caroli Magni, quam Gelasianum, suadere prosequitur Honoratus à pag. 196.

538 Ex hisce autem Cardinalis Bonæ verbis *inter se,* Rer. liturg. lib. 1, cap. 12, art. 5. *Deducitur, veterem Missam Gallicanam ei similem fuisse, quæ Toleti & per universam Hispaniam, atque etiam in Gallia Narbonensi*, colligit Honoratus pag. 198, sapientem hunc Cardinalem certò aberrasse: *nam*, sicut subdit, *liturgia Gallicana, quæ similis est Hispanicæ, non est antiqua Gallicana; sed Gothica Gallicana, quæ ita vocatur, quia usitata erat in provinciis Galliarum, quæ dominia Gothorum fuerant: Missa autem Gallicana antiqua erat communis reliquæ Franciæ. Sic Missa Gallicana, quæ similis est vel eadem, quæ Hispanorum, non est antiqua Gallicana, aut Gelasiana, sed Gothica Gallicana; quæ continuò appellata fuit Gothica, quia Gothi dominabantur in Hispania; nominata quoque Gallicana, quia populi isti possidebant Galliam Narbonensem. At quando Gothi ex Hispania à Mauris fuerunt ejecti, liturgia ista non fuit amplius appellata Gothica, aut Gothica Gallicana, sed Mozarabica vel Muzarabica. P. Thomasius P. Mabillonius ut hanc à Gallicana distinguerent; hanc nominant* GALLICANAM VETEREM; illam verò GOTHICO-GALLICANAM.

ut origo liturgiæ Hispanæ à Gallicana 539 In memoria quoque revocat Honoratus pag. 198. quod Thomasius crediderit Missale, quod *Gothicum* appellat, usitatum fuisse in Francia, antequam ritus Romani ibidem fuerint admissi, qui admodum, ipso judice, erant F diversi ab his, qui spectantur in isto Missali Gothico. *Sane*, inquit Thomasius in præfatione ad librum suum (quem inscribit *Codices Sacramentorum*) *Gallicanæ Ecclesiæ vetus hoc esse Missale, antequam Romanos ritus ab eo longè diversos admitteret, mihi penè* (non *plenè* sicut legitur apud Honoratum) *exploratum habetur*. Jam verò, ut pergamus cum Honorato certum esse dicit quod Missale apud Francos usitatum ante Caroli Magni tempus, non fuerit illud, quod auctor ille appellat *Gothicum*, sed illud, quod alibi appellat *Gallicanum vetus*; quia hoc sit, quod *animadverto*, inquam, *ad Romanos ritus propiùs .. accedere*. Ac Mabillonius Liturgiæ Gallicanæ lib. 3 in præfatione etiam consentit, quod in Gallicano veteri *Ordo ex Romano & Gallicano mixtus exhibetur*: id quod de Missali Gothico, quod ab ordine Romano admodum sit diversum, intelligi haud posse, observat Honoratus.

540 Perspicis, lector benevole, quam variæ discrepantesque inter viros illos eruditos inveni- *inde probari posse.*

antur

A

antur circa libros sacræ liturgiæ usui destinatos sententiæ; quamque implexis omnia sint tricis involuta, quæ tamquam principia assumuntur, quibus cum aliqua si non probabilitate, saltem verisimilitudine perveniri queat ad determinandam veteris liturgiæ Hispanicæ à Gallicana antiqua originem. Retuli autem ex Honorato ea, quæ in rem meam dixit, unicè securus, an omnia & singula secundùm exactas justæ critices leges dici debuerint, prout ea dicit; neque enim mei est instituti, examinare nedum dirimere istas controversias, quæ longè nimium abducunt à præfixo mihi scopo, & dirimi fortè neutiquam satis tutò possunt. Satis quippe mihi est, vel retulisse ex iis, qui tricis hisce operam navarunt, incommoda ac difficultates; quibus fiat, ut nec ipsi inter se concordent, nec facilè suaderi possit, à qua parte stet potior pro veritate ratio. Maneat itaque fixa illa ex antè dictis conclusio, non satis probari, quod œconomia veteris liturgiæ Hispanicæ originem trahat ex antiqua Gallicana; quidquid Brunus ex utriusque analogia conficere illud voluerit; neque ex intricatis, incertis ac controversis adeo principiis, quæ ab antiquis Missalibus assumuntur, quidquam superaddi tanti momenti; ut in aliam nos incline opinionem.

D

Notitia tomorum Mss. Mozarabicorum mox hic danda.

541 Nunc extremum hunc, lector benevole, mihi permitte laborem, quo notitiam tibi suggeram tomorum manuscriptorum Mozarabicorum, qui asservantur in bibliotheca capitulari metropolitanæ ecclesiæ Toletanæ, ex eorum descriptione, cui sequens & ultimum præsentis hujus Tractatus præliminaris subserviet caput. Observationes porro, notitiæ isti intersperse, eò etiam conducere poterunt, ut occasionem tibi præbeant memoriam refricandi aliquarum rerum, quas in decursu superiùs tractavi.

CAPUT XI.

B

Notitia Tomorum Mss. Mozarabicorum, qui Toleti asservantur.

E

§. I.

Eorum descriptio; unà cum variis observationibus:



In fide D. Petri Camini

Escriptionem hanc volens lubensque cum grata, ut debeo, memoris animi testificatione, acceptam refero Viro longè mihi colendissimo, ac superiùs laudato, D. Petro Camino Velasco, S. Inquisitionis Toletanæ Commissario, nec non ecclesiæ parochialis S. Sebastiani Mozarabum in eadem urbe Rectori; qui eam & suapte mano descripsit, & huc direxit. Ex Hispanico itaque memorati Viri exemplari præcipua delibabo, atque ea in ejus fide referam, non invito, uti confido, lectore; delibabo, inquam, inde præcipua, quæ convenire potissimum judicabo, lector ut noverit; nam individua omnia, etiam minutissima istorum codicum adjuncta, quæ accuratissimè ac diligentissimè notanda sibi censuit laudatus Caminus, huc diffusè transcribere supersedeo; ne plus excrescat sermo, quam res ipsa postulat.

C

datur octo tomorum Mss,

543 Manuscripta ista membranacea sunt, atque in Tomos octo seu corpora dividuntur; quæ laudatus Caminus ex eorum inscriptionibus Latinis, quas subdit nosque ex ipso ita dispicimus. Itaque hisce verbis ab ipso datur descriptio Tomi primi: *Missal. Muzarab. Pars 1. Gothic. continens Missas à Paschate, usque ad Pentecost. Num. 1.*

Secundi: *Missal. Muzarab. Pars altera Gothica, continens Missas de Tempore, & Sanct. Num. 2.*

Tertii: *Missal. Muzarab. Pars altera Gothic. contin. varias Missas Sanctor. & Quotidianas. Num. 3.*

Quarti: *Missal. Muzarab. Pars altera Gothic. continens Missas Sanctorum & Officia. Num. 4.*

Quinti: *Missal. Muzarab. Pars altera Gothic. contin. Missas S. Mariæ V. à Sancto Ildephonso compositas. Num 5*

Sexti: *Breviar. Muzarab. Pars 1. Gothic. contin. part. Psalter. Cantic. & Hymn. Num. 6.*

Septimi: *Breviar. Muzarab. Pars altera Gothic. contin. part. Psalter. Offic. propr. Sanctor. & Hymn. Num. 7.*

Octavi: *Breviar. Muzarab. Pars altera Gothic. Quadragesim. Num. 8.*

Gothicorum partitio,

544 Vides omnibus & singulis horum librorum Mss. partibus nomen *Gothicum* apponi quod si ideo apponatur, quia Gothico omnes & singuli charactere sint conscripti; ut res illa combinetur cum iis, quæ cap. 6, § 6 de abolitis seculo XI in concilio Legionensi characteribus Gothicis stabilita sunt; oporret, ut omnes & singuli isti codices ante illam abrogationem conscripti fuerint: neque enim in animum induco; litteris illis operam esse datam; quando jam erant abolitæ. In qua tamen re videtur aliqua esse difficultas, ex dicendis de codice octavo. Verùm utcumque se hoc habeat: nos exemplar nostrum secuti sumus, nolentes quidquam detrabere venerabili dictorum Tomorum antiquitati.

cum observationibus

F

545 Dictæ codicum partitioni subdit harum notitiarum scriptor observationes suas, quibus eos elucidat. Ac super Ms. quidem quod numero primo signatur, dicit 1. Quod inter cooperculum ejus ac folium primum collocatus sit Tractatus Missæ & Officii Gothici, ubi referantur ejus institutio, ritus, ac cæremoniæ, auctore Francisco de Pisa, qui constanter affirmet, & evidenter probet, uti censet Caminus, quod Missa, & Officium sanctum Gothicum Isidorianum, aut Mozarabicum manarit immediatè ab Apostolis; quodque celebrationis ejus formam, à multis deinde nationis Gothicæ Sanctis illustratam, quales fuere S. Leander, S. Isidorus, S. Fulgentius, S. Ildephonsus &c.; quod, inquam, celebrationis ejus formam invexerint in Hispaniam S. Torquatus, ac focii ejus; quodque hæc eadem sit, quo usi fuere Patres isti, & quo hodiedum utuntur Mozarabes. At tu vide, le-

A lector, quæ de obscuritate liturgiarum primis quatuor æræ Christianæ seculis dicta sunt cap. 1; ubi & de S. Torquato ac Sociis ejus dixi; item quæ cap. 9, § 10.

super codice primo,


546 Laudatus auctor affirmat 2. Quod, si vidisset istum Tractatum Baronius, quando Annales scribebat ecclesiasticos, dubium non sit, quin omnem istam antiquitatem tribuisset Officio Gothico, retractassetque opinionem suam, quod ejusdem auctor fuerit S. Isidorus. Consulesis, quæ præmisi cap. 3, § 3. Diligens noster codicum illustrator censet 3. Eminentissimo Cardinali Bonæ haud futurum fuisse satis, affirmando ex clarissimo testimonio verborum orationis Post nomina in Missa Gothica S. Martini, episcopi Turonensis, quod istud Officium jam esset usitatum anno Christi 402. De hoc testimonio suprà actum est capite 3, § 3, jamjam designatis; quod item postea à nobis dabitur antiquis characteribus expressum.

secundo,

547 Progressus Caminus ad manuscriptum numero 2 notatum, in quo exstant Missæ de Tempore & Sanctis, dicit, in eo haberi Missam de Cathedra S. Petri Antiochiæ, (quod festum esse unum ex antiquioribus ab Ecclesia celebratis observat. Vide tamen ea, quæ, occasione mihi oblata ex fragmento antiqui Kalendarii Gothici, jam præmisi cap. 9, § 6 versùs finem) & in ejusdem Missæ oratione prima, B quæ vocatur Missa; atque incipit: *Diem in quo Beatissimo Petro* &c., litteram istam initialem D inter omnes tam hujus quam reliquorum Manuscriptorum adeo singularem esse observat, ut ad graphicam illius expressionem se se fateatur adduci; id quod fidelissimè exsecuturum se addit, exprimendo ejus formam, magnitudinem, lineas, characteres ac colores, prout exhibentur in originali; quamque nos hic æri incidi curavimus.

in quo habetur littera 5 hic in æs incisa.

548 En itaque eam, quam in hocce ectypo, ad imitationem exemplaria huc missi, expressam cernis.



C

Id quod in littera illa est singulare, exhibetur in ejus inscriptione, quæ eamdem obit in circulo superiore, Gothicis, inquit, characteribus expressa, qui ad Latinos translati, sic dicunt: Flenus abbas, etsi indignus, scripsit. Quæ epigraphe si talem notitiam dedisset anni, quæ epigraphe si talem notitiam dedisset anni, quo scripta est, qualem dat scriptoris, qui eam manu exaravit, indicat auctor noster, quod potuisset supersedere labore revolvendi multos è codicibus Mss. istius bibliothecæ; at verò neque in illis, neque in subscriptionibus, quæ de abbatibus Hispanis leguntur in collectionibus conciliorum Hispanorum apud Illustrissimum D Loaisam, & Eminentissimum Aguirrium, occurrere fatetur notitiam de isto Eleno abbate; atque adeo non posse se dare punctum fixum antiquitatis Manuscripti istius; etiamsi magnam esse addit, prout ex istis, atque ex characteribus orationis, *Deus qui mirabilis es* &c. confici censet.

Codex numero 5 signatus

549 In Mss. autem, quod numero 5 notatur, ubi habentur Missæ, secundùm ante dicta, à S. Ildephonso compositæ ad honorem & gloriam beatissimæ Virginis Mariæ, inveniri refert notam, Joannis Baptistæ Perezii; primò Canonici Toletani, deinde verò episcopi Segorbiensis manu adscriptam: *Hic liber in magno pretio habendus* &c.; de quo testimonio dictum est suprà num. 140. Vitam quidem S. Ildephonsi, à Cixila, prout fert illud testimonium, compositam, fatetur Caminus, se non vidisse; at verò significat, posse se affirmare res duas, ad majus illius testimonii robur accomodatas; quarum una sit, quod Missæ de Annuntiatione, Nativitate, & Assumptione Dominæ nostræ, quæ inveniuntur in illo codice, ordinatæ ac compositæ sint omnes ex sententiis ac clausulis integris libri De illibata virginitate sanctæ ac gloriosæ Dei Genitricis Mariæ, quem scripsit S. Ildephonsus, & qui E reperitur tomo 9 Bibliothecæ veterum Patrum, à Margarino de la Bigne, doctore Parisiensi, in lucem editæ. Videatur, inquit Caminus, iste liber ac conferantur prædictæ Missæ, quæ tametsi non eo ordine ac forma sicut in codice Gothico, inveniuntur insertæ Missali Mozarabico; breviores quidem, at plenæ tamen torrentis synonymorum, quæ dulci & devoto calamo S. Ildephonsus effudit.

Laudatur præ reliquis ab antiquitate.

550 Res alia est, quod codex iste litterâ ac forma adeo à reliquis sit diversus, ut sine majore probatione duplicatam præ illis antiquitatem habere eum censeat. Characteres etenim sunt majores, atque adeo rudi modo formati, ut sine magno labore ac vigilantia legi haud possint. Scriptura ductu continuo constat, sine ulla separatione, præter illam, quæ datur ab una linea ad aliam. Neque in eo occurrunt lusus quidam calami etiamsi rudes, qui occurrunt in aliis codicibus: (nam, uti in exemplari notitiarum præmittit Caminus, in oris ad manum sinistram, ubi incipit Missa, Officium. Psalmus, Hymnus &c., apparent variæ aves, pisces, animalia, flores, & quædam etiam figuræ hominum, monachali habitu vestitorum &c.) Omnia Denique folia adeo denigrata sunt ac malè habita, ut manu tractari non possint sine attentione & cura. Hæc tamen, quæ ex Camino pro antiquitate istius Ms collegi, non F usque adeo ipsi faciunt satis, ut asserat, illud esse idem, quod S. Ildephonsus conscripsit; imo verò quamquam prædicta antiquitas indicium præbeat, neque inveniatur memoria in istius bibliothecæ indicibus aut registris, à quo, & quando hoc in illa collocatum sit; totum hoc nondum sufficere fatetor ad formandam conjecturam, quod S. Ildephonsus illud manu sua exararit, dicique dumtaxat posse, quod sit copia seu exemplar transcriptum ipsis immediatè gloriosi Sancti temporibus.

Minoris antiquitatis est Ms. 8; quanta verò nescitur.

551 Ms. numero signatum octavo, & ex octo ultimum, minoris esse antiquitatis profitetur Caminus, ex perfectione characteris, coloris nigri ac rubri, quibus solis conscriptum est, claritate, ac foliorum membrana nitida, recteque tractata. Hæc porro nota, charactere rubro expressa, ei apponitur: Finit hic liber, Deo gratias, regnante Domino Adefonso, per manus Fernando Joaniz, presbyteri ecclesiæ sanctar. Justæ et Rufinæ civitatis Toleti in mense Aprilis. Non apponitur annus.

§. II

§. II.

Antiquitas Missalis Ms. Gothici seu Mozarabici in schemate exhibita.

Oratio (quæ dicitur post nomina) desumpta ex Missa S. Martini Episcopi Turonens., quæ habetur in Missali Gothico Manuscripto num. 2. scrin. 30 bibliothecæ Capitularis S. Eccles. Tolet. Hispaniar. Primat., ex eodem Manusc. fideliter transcripta, & iisdem characteribus expressa. Titulus ipsissimis characteribus coloribusque, quos habet Codex Gothicus; inquit Cuminus; è cujus apographo sequens ectypon damus.

MISSA IN DIE OBITUS S. MARTINI

Post nomina

Deus qui mirabilis es in sanctis tuis. cujus
cu'tui deputatur quicquid ami-
cis tuis honoris impenditur intenta
oratione te p'scimus. ut hunc diem
quem sancti & inconparabilis viri marti-
ni inlustrat excessus prosperum nobis
& posteris in rebus nationum. propiti-
atus indulgeas: tribuasque ut cujus
veneratores sumus. imitatores effici
mereamur. hunc etiam virum quem celi-
colis adnumerandum martyribus adgregatum
etatis nostre tempora protulerunt. Jube-
as auxilium nostris ferre temporibus dubium enim
non est quod sit martyr in celo qui fuit con-
fessor in seculo: quum sciatur non martyno
martyrium. sed martyrio defuisse martynum.
Oramus te domine ut qui tantum potuit tuis
equare virtutibus. ut viram mortuis red-
deret: dignetur etiam defunctorum spiritus
consolare. & hunc viventes in tribula-
tione defendere. qui potens fuit
mortuos suscitare: amen.

P 2

A

Oratio de S. Martino.

553 Idem sæpius laudatus Vir, qui codicum Mozarabicorum ideam nobis suggerit, mox productam, & ex antiquo exemplari à se delineatam orationem, aliunde illam nobis exhibet; prout constat ex hac inscriptione, quam eidem præmittit: *Oratio eadem ex Missali editionis Latinæ venerabilis & Eminentissimi* DD. *Francisci Ximenez de Cisneros S. R. E. Cardinalis, archiep. Toletani, Hispaniarum Primatis, quâ ad celebrandum Officium sanctum Gothicum utimur Presbyteri Muzarabes Toletani*; quæ subditur his verbis:

Post nomina. Oratio.

è Missali Mozarabico

Deus qui mirabilis es in sanctis tuis: cujus cultui deputatur quicquid amicis tuis honoris impenditur. Intenta oratione te poscimus: ut hunc diem quem sancti & incomparabilis viri martini inlustravit excessus: prosperum nobis & posteris in rebus nationum propiciatus indulgeas. Tribuasque ut cujus veneratores sumus: imitatores effici mereamur. Hunc etiam virum quem celicolis ammirandum martyribus adgregatum etatis nostre tempora protulerunt: jubeas auxilium nostris ferre temporibus. Dubium enim non est: Quod sit martyr in celo qui fuit confessor in seculo. Cum sciatur non martyrio martyrium: sed martyrio defuisse martyrem. Oramus domine ut qui tantum potuit tuis se equari virtutibus: ut vitam mortuis redderet: dignetur etiam defunctorum spiritus consolari: ac viventes in tribulatione defendere: qui potens fuit mortuos suscitare. Amen.*

* *al.* actionum.

B

typis edito.

554 Et mox subdit sedulus hujus nostri Tractatus præliminaris allaborator: *Habetur hæc oratio pagin.* 402 & 403 *ejusdem Missalis.* Variantes utriusque textus lectiones notare supersedeo; quas quilibet per se satis observare poterit, unam cum alia conferendo. Illa verò, quam ad marginem adjeci, desumpta est ex Eminentissimo Cardinale Bona lib. 1, cap. 12 Rer. liturg.; ubi illam quoque orationem excusam reperies.

Autographum

C

555 Atque hæc quidem sunt præcipua, de quibus circa descriptionem antiquorum codicum Mozarabicorum, in bibliotheca capitulari ecclesiæ metropolitanæ Toletanæ, Hispaniarum Primatialis asservatorum, instruendum me censuit V. Cl. Petrus Caminus Velascus; qui famosam ex Missa S. Martini, episcopi Turonensis, orationem, folio primo ejusdem suæ descriptionis repræsentatam, accuratissimè ac fidelissimè a se expressam fuisse secundùm verum, genuinum ac primigenium Missalis antiqui Mozarabum exemplar, constare voluit; prout conficitur ex testimonio ejus infrascripto. Famosam dixi orationem; quæ utpote eruditis apprime sit cognita liturgiographis, Cardinali Bonæ, Mabillonio, ac Bruno; quibus addi potest P. Honoratus à S. Maria in observationibus super regulis & usu criticæs tom. 3, pag. 200. Interea dum ego, lector, hic te remitto ad superiùs caput 3, §. 3 ac 6, subjicio testimonium Latinum, quod huic codicum jam datæ descriptioni adjecit eorumdem descriptor Velascus.

D


harum notitiarum descriptoris testimonium.

556 *Ego infrascriptus S. Inquisitionis Toletanæ Commissarius, & ecclesiæ parochialis S. Sebastiani Muzarabum in eadem Urbe Rector indignus, Fidem facio, RR. PP, Johanni Pinio, & Guilielmo Cupero, Societatis Jesu, magni Operis Bollando & Papebroechii meritissimis continuatoribus, omnibusque hæc visuris; Quod Oratio characteribus Gothicis suprà fol. 1 expressa, & incipit: Deus qui mirabilis es &c., fuit per me eisdem verbis, characteribus, lineis & coloribus, fideliter transcripta, & delineata ex Missa S. Martini episcopi Turonensis, quæ extat in Missali Gothico membranaceo Manuscripto num. 2. Qui quidem Manuscriptus, cum reliquis septem etiam membraneis scriptis, & totum Divinum Officium Gothicum continentibus, servatur in scrinio num. 30 bibliothecæ Capitularis, hujus S. Ecclesiæ Toletanæ, Hispaniarum Primatialis, & mihi cum septem prædictis exhibitus, & traditus fuit jussu Illustrissimorum ac Reverendissimorum DD. Decani & Capituli, ejusdem S. Ecclesiæ, per manus D. Johannis Rica bibliothecarii, ad effectum, non solùm præfatæ delineationis, sed & omnium Codicum descriptionis, quam per me pari diligentia, fidelitateque factam fuisse testor, affirmo, & meo nomine subscribo. Toleti ex bibliotheca S. Ecclesiæ, Hispaniarum Primatialis, VII Idus Martii, anno Domini MDCCXXVII.*

E


Petrus Camino Velasco
S. I. T. C

F



IN-

INDEX
CAPITUM ET PARAGRAPHORUM.



PRO

PROLEGOMENA

In sequens Orationarium Divinorum Officiorum Gothico-Hispanum

EX BREVIARIO MOZARABICO.

Breviarium secundum regulam B. Isidori dictum Mozarabes maxima cum diligentia perfectum & emendatum per Reverendum in utroque Jure Doctorem Alfonsum Ortim Canonicum Toletanum, impressum in Regali Civitate Toleti jussu Reverendissimi in Christo Patris D. Francisci Ximenes ejusdem Civitatis Archiepiscopi, impensis nobilis Melchioris Goricii Novariensis per Magistrum Petrum Hagembach Alemanum anno salutis nostræ 1502. die verò 25. mensis Octobris. Exstat in nostra Bibliotheca Vallicellana sub littera E. VI. 4.

Ad Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum Dominum observantissimum Franciscum Ximenes Archiepiscopum Toletanum, Alfonsi Ortim Doctoris & Canonici Toletani prefaciuncula Incipit.



Reverendissie in Christo Pater & Domine prestantissime Beati Hysidori Ecclesiastica Officia nocturna pariterque diurna dignitate quidem egregia, cognitione autem & castigatione difficilia tuo jussu aggressus sum reformanda. Operosum profecto studium. Quædiu multumque recognita, illustriora me reddidisse, tuæ diligentiæ, & solicitudini clerici annumerent. Antea namque confusa penè omnia in libris veteribus, atque hactenus incognita jacuisse penes eruditos palam est. Nunc verò suis locis quæque reposita Officia, aptaque reperies, caracteribus atque periodis distincta, verbis atque sententiis dilucida. Nempe in primis Dominicalia, atque Quadragesimalia Officia ordine priora se se offerunt. Subsequenter Psalterium, cum Defunctorum celebri Officio, atque Commune: postremoque Sanctorum Legendæ occurrentes: quibus peractis, tandem ad calcem optatum perventum fuit, non sine labore Alfonsi servi tui vehementissimo. Tuis igitur industria, & impensis diu senio periclitata Officia Isidoriana legentur: quæ in omnium notitiam perventura apud posteros, charitatis tuæ studia, & meos labores recensebunt. Videbitur insuper diligencia nobilis Viri Melchioris Goritii Novariensis, cujus opera exactissima hoc Opus laboriosum est impressum in Urbe Regia Toletana. Vale, & gaude, quòd annositate deleta Sanctorum Officia, tuo munere renovata fuerint: atque sine difficultate legenda nostris Sæculis tradideris. Iterumque vale.

Sequitur Kalendarium *&c.* *Dein hæc* Regula.

INcipiunt Horæ canendæ vel recitandæ secundùm Regulam Maximi Doctoris Hispaniæ Beatissimi Isidori, ac egregii Confessoris Illefonsi Toletani Præsulis magistri, non pro ut antiqui eâ Regula fruebantur simpliciter, sed secundùm quid: nam antiquitùs duodecim erant Horæ assuetæ in die, ut in Libris antiquis ostenditur; præter quædam alia, quibus ipsi Antiqui utebantur in nocte, scilicet in principio noctis, & ante lectum, & in æquinoctio sive in medio noctis, & in surrectione lecti; quæ quidem apud modernos abiecta, & resecta sunt: sed eo modo, quod moderni eam, prosecuntur, & exercent, prout in processu patebit. Et quia pauci sunt, qui Ordinem ipsarum Horarum custodire, & ordinare sciant propter negligentiam, & multorum in curiam; eo quòd non curant nisi de redditibus Ecclesiæ recipiendis; & quia plura bona ædificia de facili corruunt post multum temporis lapsum, nisi sibi remedium adhibeatur, idcirco quidam imperitus clericus & indignus, considerans istud Opus Sanctum ac plenissimè devotum, & a tanto Presule divina mente gratia editum, ne evanescat; sed in memoriam hominum redeat, tactus motu & instinctu pietatis, ad gloriam & laudem Trinitatis, & Jesu, & Mariæ Matris, & honorem Summi Prædicti Confessoris, & ad illuminationem præsentium clericorum, & futurorum, juxta suæ scientiæ pauper-

pertatem, & sui intellectus imbecillitatem, Divino auxilio invocato eorum præfulgens hanc normam, prout sequitur, condere laboravit, & de litera Gotica hunc Codicem transtulit, & reportavit, Regula sequitur talis. Dies, sive sit Festivalis, sive privata, semper horæ incipiunt in Vesperis, ante diem: & initium sive principium, fit per invocationem Jesu Christi, Oratione Dominica præcedente, sub missa voce sic dicendo. *Kyrie leison*, *Christe leyson*, *Kyrie leyson*. *Pater noster*. Et alta voce. *In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace* ℟. a circumstantibus. *Deo gratias*: & Presbyter dicit: *Dominus sit semper vobiscum*. ℟. *Et cum Spiritu tuo*. Et Ordo Vesperorum, sive sit Festum, sive non, sequitur per hunc modum. Primo dicitur Psalmus, sive Vespertinum, quod idem est, quo finito, presbyter dicit: *Dominus sit semper vobiscum*. ℟. *Et cum.* & statim dicitur sonus, si sit Festum: quia dies ferialis caret sono: nisi in tempore Resurrectionis, qui propter solemnitatem dicitur. Quo finito; *Dominus sit semper*, ut supra & immediatè dicitur una antiphona sine alleluia, cum versiculo sibi adiuncto, & cum *Gloria Patri* ut inferius in suo loco patebit. Iterum, *Dominus sit semper* &c. & continuò dicitur alia antiphona, cum alleluja, quę lauda dicitur, cum versiculo sibi adiuncto, & *gloria Patri*: quibus peractis, sequitur hymnus. Ipso finito, sequitur deprecatio, seu supplicatio &c. *Oremus Redemptorem*. Statim sequitur Capitula oratione Dominicâ succedente, scilicet: *Pater noster*. *Et ne nos*. *Sed libera nos a malo nos liber.*: & dicatur, ut scriptum est in ordinatione horarum. Et statim sequitur Benedictio, antecedendo: *Humiliate vos benedictioni*: et continuò sequitur Lauda: cum versiculo sibi adjuncto, & *gloria*. Qua peractâ, debet dici una Oratio de Matutinis, quamcunque recitans voluerit, exceptâ primâ, quæ jungitur Matutinario, quæ nunquam mutatur de suo proprio loco. Et statim fiunt commemorationes, quæ sunt in consuetudine, vel accidunt de novo. Et scias, quòd in Vesperis debes tu, vel quicunque voluerit istam Regulam, vel Officium hujus Regulæ exercere, in modum prædictum procedere; licèt plura sint Vespertina, Soni, Antiphonæ, & Laudes in ordinatione historiarum. Non debet dici nisi unum Vespertinum vel Psalmum, quod idem est, & una Lauda. Antiphona est, quæ dicitur sine Alleluja & Lauda, quæ cum Alleluia dicitur. Et hoc intelligitur in Festivitatibus, quæ non habent proprietates; quia in illis, quæ habent, oportet ita dicere, sicut ibi ordinatum est; quia aliquæ Festivitates sunt, quæ excedunt istum modum in Antiphonis, & Orationibus. In Matutinis similiter est incipiendum, ut in Vesperis: & sequitur matutinarium, & psalmus, *Miserere mei Deus*, cum Oratione sibi juncta, & tres antiphonæ, cum suis Orationibus. Statim sequitur. ℟. in aliquibus Festivitatibus cum Oratione, scilicet solemnibus; postea Canticum; postea Benedicitur; postea Sonus; postea Laudes. Statim sequitur prophetia; & continuo hymnus; & inde sequitur supplicatio, scilicet, *Oremus Redemptorem*: postea Capitula, postea Lauda, quæ dicitur in fine Vesperorum: & statim dicitur Benedictio, quæ in Vespera dicta fuit; & statim fiunt commemorationes, quæ sunt in consuetudine: nisi sint solemnes Festivitates. Et vesperis finitis, dicitur: *Vespere mane, & meridie*, cum sua Oratione; & in Matutinum, *Ad annunciandum mane*, cum Oratione sequente: & in completoriis, *Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi*, cum Oratione sibi junctâ: & sic implentur prædictæ Horæ, exceptis Dominicis diebus; quia in principio Matutinorum alia est ordinatio; quia, dicta oratione dominicâ, &, *In nomine Domini nostri Jesu Christi &c.*, incipimus & dicimus hymnum, *Æterne rerum conditor*, cum sua Oratione sequente. Et statim sequuntur tres Psalmi, scilicet: *Domine, quid multiplicati sunt? Miserere mei Deus*, secunda, & *Miserere mei XXVI.* cum suis antiphonis; & inde, Oratione quæ sequitur; & inde, omnia alia, ut in aliis Matutinis. Et, si in diebus Dominicis principalibus, qui quasi historiales habentur, utpote in Adventu, vel in Quadragesima, vel in talibus quæ mutari non possunt, aliquod Festum evenerit, mutetur Festum, & aliâ die sequenti celebretur. Et si fortè sequenti die aliud Festum magis solemne evenerit, de eo dicatur; & proximiori die privato celebretur aliud. Et si illud Festum, de quo præsenti celebratur, valentius sive majoris solemnitatis fuerit, quàm illud, de quo debet fieri celebratio, de isto principali Festo dicantur Vesperæ: ita quòd Lauda ultima, cum Oratione Matutinali, sit de Festo futuro celebrando, vel de eo, quod sequenti die debet celebrari. Et, si talia Festa evenerint, quæ habent Octavarium secundùm Regulam Gregorianam, utpote Festum Sanctæ Mariæ, & S. Johannis, & Apostolorum Petri & Pauli, & similium, ob reverentiam ipsorum, diebus privatis interpositis, de solemnitatibus illis Horas celebrare oportet; licèt non ita solemniter; præterquam in Octava die. Et si in illa die Octavarii fuerit aliquod Festum, dicatur de Octavario in præcedenti die. Et si forte in una die duo Festa æqualia, vel quasi, evenerint; ut sunt Festum Philippi & Jacobi, Festum S. Torquati, vel similis; Festum, de quo habetur proprietas, debet celebrari; nisi fuerit vocatio illius Festi in illa Ecclesia? quia, illud debet solemnizari, de quo habetur vocatio; & in sequenti, de alio. Et, si Dominicis diebus concurrentibus Festum evenerit, prætermittatur dies Dominicus; quia satis habenit locum per annum, & Festum ipsâ die celebretur. Item de jejuniis in suis locis videbis.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Incipit Breviarium ad debitè persolvendum Divinum Officium secundùm Regulam Beatissimi Isidori Archiepiscopi Hispalensis. In Dominico primo Adventûs Domini.

Ad Vesperos.

Incipiat presbyter cum signo crucis. *In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace*. ℟. *Deo gratias*. Dicat Presbyter. *Dominus sit semper vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo.* Isto Ordine incipiatur &c.

Hæc retulisse sufficiat de edito Breviario secundùm Regulam Beati Isidori.

PRO-

ORDO DIVINI OFFICII

Gothici Musarabum, excerptus & in Latinum sermonem conversus ex Hispanico libri de vita & gestis Franc. Ximenii S. R. E. Cardin. ab Eugenio, Roblesio, Toletano, ex Biblioth. RR. D. Renati Poterii Episcop. Bellovac.

Habes hic multo fusius exposita, quæ de hoc ordine scire optaveris. Prodiit autem liber ille Roblesii excusus Toleti ex officina Petri Roderici Typographi Regii, ann. 1604.

CAP. XXIII.

De auctoritate hujus Sancti Officii, & ratione ejus usus, ut ritè possint debita exercere munia, tum Curiones, tum Beneficiis Ecclesiastis, & ædiculis sacris addicti, seu Cappellani Muzarabes.



HOC in capite sectabor accuratissime Doctorem Franciscum a Pissa, in loco jam antea citato, nec ab illius verbis aut mente recedam ullatenus; quamvis Pater Joannes à Marieta Ordinis Prædicatorum in sua Sanctorum Hispaniæ historia, præcipue quo libro 20. secundæ partis cap. 5. iisdem pene verbis idem argumentum persequatur. Ille autem edisserit agitque de quarto Concilio Toletano, illo ipso nimirum, de quo verba fecimus, quo cautum est, atque decretum, ut eo Muzarabis officio universa Hispania uteretur Præfuit autem huic sanctissimo Patrum consessui Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, ejus amplificator, & expurgator regnante in Hispania Sisenando Gotho, & Archiepiscopatum Toletanum obtinente Justo, qui quidem fuit è numero Præsulum, qui huic sacro Concilio, in templo sanctæ Leocadiæ extra Toleti muros, anno salutis 634. celebrato, interfuere.

Doctor. Franc. de Pisa tab. 1. Frai. Joan. à Mariet. 2. p. l. 20. c. 5. Concil. Tolet. 4.

His suppositis, cum nemo possit istius officii vetustatem inficiari, quippe cum jam nongenti anni numerentur, si a D. Isidori, & quarti Concilii Toletani tempore sumatur exordium: cumque nemo sit qui de illius tum pietate tum authoritate ambigat, cum a Sanctis institutum, ab iisdem provectum miraculisque fuerit confirmatum, nemini etiam dubium est; quin illud summi Pontifices, Ecclesiæque præsules suis approbationibus, & ratihabitionibus stabilierint atque firmarint.

Papa Gregor. VII. approbavit.

Enim vero si tempora Alphonsi sexti repetamus, compertum subito nobis erit, quo pacto; dum rex iste; ut attigimus, hoc officium tollere statuisset, postquam mature & accurate rem Gregorius septimus tum Pontifex introspexisset, atque discussisset, confestim approbatione sua dignum officium hoc censuit, illudque sanctissime confirmavit: mandans Richardo Sedis Apostolicæ delegato, qui tunc temporis cœnobio Sancti Victoria Massiliæ præerat, ut in Hispaniæ templis usurparetur ac permaneret. Præterea Joannes VIII. Pontifex Romanus, circa annum Domini 872. ni fallor, idem studiose curavit, in Hispaniam mittens prudentissimum presbyterum Joannem, vel (si Marietam sequi velimus) Janellum: qui cum singula exquisite retulisset, mox à Pontifice confirmatus est ordo Missæ hujus, totiusque divini officii, ut in Hispania mos inolevit, celebrandi.

Pap. G. Joa. VIII. approbavit.

Neque vero recessit ab aliarum sententia Alexander II. anno 1097. quando quidem missus ab eo fuit ad Hispanos eadem de causa Cardinalis Hugo Candidus, ut refert Ambrosius Morales, qui quidem id hausit & transtulit e libro quodam Conciliorum regii Monasterii D. Laurentii Escurialis.

Pap. Alexand. II. approb.

Postremo nostra ætate Paulus Tertius Summus Pontifex, (ut videre est apud Alvarem Gomesium, in historia nostri Cardinalis) cum postulasset ab hac Ecclesia, ut sibi Missale, & Breviarium Muzarabicum mitteretur statim illis acceptis visisque, ea jussit asservari in Bibliotheca Vaticana: qua in re visus est id omne quod non abiecit, imo apud se haberi voluit, approbasse.

Papa Paul. III. Alvar. lib. 3. fol. 51.

Itaque juxta ea quæ jam præfati sumus possunt libere, liciteque tum Parochi, tum beneficiis & ædiculis sacris addicti seu Capellani Muzarabes officium ejusmodi celebrare, nihil ad hæc obstantibus Pii Quinti constitutionibus motibusque propriis, Breviariis, & Missalibus Romanis, juxta reformationem insertis. Ut autem rei hujusce veritas facilius elucescat, innititur id quod asserimus non modo antiquitati quæ prætergreditur annos ducentos motuum propriorum, quoniam ea ex parte fuit aliu quædam declaratio specialis; verum etiamsi mentem adhibere velit quispiam, statim contuebitur illic juberi ut celebrentur officia juxta usum Romanum recens reformatum in Templis aut Monasteriis, in quibus primitus & secundum institutionem dicei vel debebant, vel solebant, juxta ritum Ecclesiæ Romanæ, Apposita sunt enim illic hæc verba: *in quibus alias officium divinum Romanæ Ecclesiæ rita dici consuevit, aut debet*: quæ quidem verba indicant voluisse Pontificem ad unum, idemque officium reducere cætera, quæ à Romano olim à S. Gregorio instituto manarunt. Neque vero ideo visus est probibuisse vel suppressisse Gothicum officium, cum noluerit Grecis aut Mediolanensibus templis officia subducere à Basilio, vel Ambrosio divinitus instituta; quia nunquam Ecclesiæ istæ, ab altioribus primordiis Romanum vel Gregorianum officium susceperunt, aut celebrarunt. Eademque de Causa satis, patet quemlibet peculiarem clericum Muzarabem, vel huic officio celebrando destinatum munus suum egregie obiturum, & præcepto quo jubetur horas canonicas dicere absolutissime assequuturum, si eas ordine Muzarabico, vel

Pius V. decret. Rom. Pontif. datis 24. August. 1571.

in choro, vel extra, cum debita integritate, & attentione, dicat, sicuti & clericus Græcus, aut Mediulanensis paret Ecclesiæ; dummodo quilibet eorum suo officio se addictissimè adstringat.

Hoc supposito, quandoquidem satis fecimus iis quæ difficultatem parere videbantur, circa hujus sancti officii disquisitionem, non abs re nunc erit illud aggredi, veluti primarium nostrum institutum.

C A P. XXIV.

Deo officio Muzarabico, & de quibusdam generatim notatu dignis.

INter alia notatu digna, & ab officio Latino discrepantia, habet istud Officium Muzarabicum, vel Isidorianum, vel Gothicum, quædam, quorum usus generalis est in omnibus, tum majoribus, tum minoribus horis; sicuti sunt initia; in quibus semper habetur, *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*. *Pater noster*, *& Ave Maria*, secreto, & protinus, *In nomine Domini nostri JESU CHRISTI* lumen cum pace: respondetur autem, *Deo gratias*, quod quidem convenit cum eo quod dicitur, *Deus in adjutorium meum intende*, in Latino, vel Gregoriano Officio; excepto tantum Completorio, quod aliter incipit, ut suo loco videbimus. In fine vero precum semper apponitur. *In nomine Domini nostri JESU CHRISTI perficiamus cum pace*: Responsum autem est. *Deo gratias*; quod congruit cum his Latini officii verbis. *Benedicamus Domino*.

Horarum Principium.

Finis Horarum

Nota

Illic etiam dicitur, *Per omnia secula seculorum*, *& Dominus sit semper vobiscum*, *& Gloria, & honor Patri*, *& Filio &c.* Ubicunque in Roman. Officio sese profert occasio dicendi, *Gloria Patri*, *& Filio*.

Nec secius responsa titulorum Prophetiis vel epistolis inscriptorum, praferunt *Deo gratias*, pariterque dicitur *Amen*, in fine sicut etiam respondetur *Amen*, sub finem cujuslibet orationis totius officii, quomodocumque illa desinat. Neque tamen auditur, aut legitur *Oremus*, ante ullam orationem.

De oratione Dominica.

Horis autem absolutis adjicitur *Pater noster* alta voce, singulisque postulatis additur *Amen*, nisi cum profertur hæc petitio, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: Respondetur enim huic *Quia Deus es*: & ultimæ qua dicitur, *Sed libera nos a malo*: moxque eodem tenore consequenter hæc pia verba proferuntur *Liberati à malo. confirmati semper in bono*, *&c.* Quibus Deo necessitates fidelium peculiariter commendantur; pronunciaturque istud itidem in vespertinis Precibus, Laudibus, & Missa: in cæteris autem precibus suo loco dicitur, *A malo nos libera*, *& in tuo timore*, *& opere bono nos confirma*.

De benedictione

His peractis, qui sacram peragit, vel Diaconus; jubet bis qui adsunt, ut humilitatem exhibeant, cum his verbis; *Humiliate vos benedictioni*, *Dominus sit semper vobiscum*; confestim vero Sacerdos benedictionem impertit, atque pronunciat, tres petitiones continenter, quarum cuilibet respondetur *Amen*. Eo modo & cum hac benedictione preces omnes absolvuntur, exceptis Matutinis, quæ uno spiritu cum Laudibus dicuntur, imo commiscentur, & pro una eademque re censentur.

Divisio Officii.

Distribuuntur officia in Dominica, quæ vocantur ab officio Latino, Dominicæ, & in ferias, & festa: horum autem postremorum quædam nomen suscipiunt solemnitatis sex trabearum vel pluvialium: eaque sunt quasi duplicia: alia vocantur quatuor pluvialium suntque velut semiduplicia: alia duorum pluvialium, novem lectionum, suntque quasi simplicia; & juxta Breviarii canonem, cum decantatur officium sancti cujuspiam, nulla sit in sacro, vel præcibus vespertinis commemoratio alterius, cujus festum vel celebratum antea fuerit, vel sit postea celebrandum. Notandum tamen est in precibus vespertinis, quod si contingat debere dici quidpiam de Sancto cujus commemoratio minus sit solemnis alia quæ præcedenti die facta est, dicuntur Vespertinæ preces de insigniori, cum oratione, & laude unica minus solemni, illud autem veluti commemoratio quædam est.

C A P. XXV.

De horis tum majoribus, tum minoribus hujus sancti Officii.

De Vespertinis precibus.

OFficium Muzarabicum cujuscunque Dominicæ, feriæ, vel festi. incipit à præcibus vespertinis, in quibus nunquam dicitur ullus psalmus, suntque hæ preces totius hujus officii brevissimæ, diciturque in iis communiter laus sonus, Antiphona, hic alia laus. Postremæ vero duæ dicuntur cum *Gloria*, *& honor Patri*; sub finem autem cujuslibet dicitur *Dominus sit semper vobiscum*, excepta ultima quia è vestigio sequitur Hymnus. Laudes, soni, & Antiphonæ hoc in Officio, conveniunt cum Responsis Officii Romani.

Quid laus, & sonus.

Quid supplicatio.

Deinde proferuntur Hymnus, & eo absoluto supplicatio, quæ nihil aliud est quam parænesis Sacerdotis ad populum, qua eum adhortatur, ut à Deo petat quod expedit ut eum colat. Huic autem respondetur, *Præsto omnipotens æterne Deus*. Mox dicitur oratio quæ à tribus *Kirie eleison*; inchoatur, absolviturque cum tribus orationibus Dominicis, & benedictione, ut jam generatim perstrinximus.

Laus loco Magnificat.

Succedit superioribus laus una, quæ eundem locum obtinet quem in officio latino possidet *Magnificat*: dumque illa cantatur, thuribulo accepto sacerdos templum odore perfundit, ea vero decantata dicitur oratio, cum qua vespertinis præcibus finis imponitur.

Commemoratio. Nota.

His absolutis, suffragiorum communium loco, quibus utitur officium Romanum, dicitur alia laus, aliaque oratio: verum hæc commemoratio non fit in festis sex, aut quatuor trabearum, neque in octavis.

Nota.

Quædam festivitates peculiares, & Dominicæ, plerumque in vespertinis precibus plures prædictas laudes habent, & orationes, ut suis locis videbitur. Notandum vero est orationes tantum & laudes in precibus Vespertinis, Matutinis, & Laudibus reperiri, dicique ante quamlibet orationem in Matutinis, & Laudibus, *Dominus sit semper vobiscum*, in Vesperis autem dicitur oratio; sine præviis hisce verbis, Dominus sit semper vobiscum.

De Completorio.

Completorium autem inchoatur à Psalmo *Signatum est* semper nos lumen vultus tui Domine, &c. Moxque dicuntur tria Alleluia, singulis anni temporibus, exceptâ Quadragesimâ; Sub-

Substituitur enim in eorum locum, Laus tibi, laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ. Confestim sequitur alius Psalmus, iteraturque ter Alleluia, deinde dicitur alius cum Hymno, & Versu, consequenterque dicitur Psalm. *Qui habitat in adjutorio altissimi* &c. Huic succedit & alius Psalmus, & alter Hymnus, ita ut quinque illic Psalmi dicantur, interseranturque duo Hymni, Hinc dicitur Versus, supplicatio, Capitulum, Pater noster, & benedictio, sicque Completorium absolvitur. Post hæc dicitur Versus, & Oratio pro commemoratione; exceptis solemnitatibus sex, aut quatuor trabearum, aut octavis, ut jam monuimus, agentes de precibus Vespertinis. Sub finem autem Completorii adjicitur *Salve*, Versus, & Oratio ad virginem Deiparam, quæ incipit *Virgo Israel*, &c. In Sabbatis, præcipuisque diebus festis, & Quadragesima, quædam peculiaria dicuntur in Completorio, ut in Breviario videre est.

De precibus Matutinis.

Matutinæ preces hujus officii breves sunt admodum, exordium sumunt ab oratione Dominica, & Angelica salutatione, quibus additur Antiphon. *Ave Regina cælorum*, cum ejus versu, & oratione Beatæ Virginis, qua absoluta Sacerdos ait, *In nomine Domini nostri JESU Christi lumen cum pace*, ut jam scripsimus. Deinde adtexitur Antiphona, & Psalmus *Miserere*; hinc tres adponuntur Antiphonæ; cum responso uno; quamlibet autem sua comitatur oratio.

Monendus est autem lector, dici post singulas orationes Matutinarum precum, & vespertinarum, itidemque laudum, & sancti Missæ sacrificii, dici, inquam, *Per misericordiam tuam Deus noster qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in sæcula sæculorum*: quibus respondetur *Amen*: & illa conveniunt cum his quæ posita sunt ad calcem orationum Officii Romani, scilicet, *Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum*. Tandem Matutinæ preces communiter absolvuntur cum ultimo responso, sive sit post illud oratio, sive non sit. Veruntamen in dominicis per annum Dominicis item adventus, & Quadragesimæ incipiunt Matutinæ preces ab Hymno, Æterne rerum conditor, loco primæ Antiphonæ; statimque sequitur oratio, postquam dicuntur tres Psalmi, singuli cum suis Antiphonis, bisque tres Antiphonæ succedunt, cum responso, & orationibus, uti à nobis ante dictum fuit.

De Dominicis post Pascha.

Dominicis autem diebus qui inter Christi Resurrectionem, & Pentecosten habentur, sequuntur Muzarabes commune officium festivitatum totius anni: eo tamen excepto, quod loco *Miserere*, dicitur Psalmus, *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me*: idemque in festis Inventionis, Exaltationis; & triumphi sanctæ Crucis Ascensionisque, & aliis solemnioribus observatur.

De laudibus.

His peractis, sequuntur Laudes, cum Antiphona, quam præcedit *Dominus sit semper vobiscum*: eamque sequitur Canticum quodpiam veteris, aut novi Testamenti. Die vero D. Magdalenæ duo Cantica dicuntur.

Peculiare autem admodum est quod in officio Muzarabico, totius anni decursu, nullibi audiuntur hæc duo Cantica, *Magnificat*, &, *Benedictus Dominus Deus Israel*; Nisi hoc in loco. Dicitur autem Magnificat in solis Beatæ Virginis officiis, & nocte Nativitatis Domini nostri: *Benedictus* autem solummodo in festo Joannis Baptistæ.

Absoluto cantico recitataque Antiphona, & dicto *Dominus sit semper vobiscum*, dicitur alia Antiph. ante Psalmum *Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum*: qui quidem strictim summatimque complectitur Psalmum, *Benedicite omnia opera Domini Domino*, idemque sonat, si sensum penitius intueamur. Ad hæc dicitur sonus, & alia Antiphona ante Psalmum *Laudate Dominum de cælis*, quo decantato legitur Prophetia quædam, quam sequitur Hymnus, supplicatio, Capitulum, Pater noster, laus, & benedictio, sicque finis Laudibus imponitur. Succedit bis laus quædam, & oratio, loco suffragiorum, ut in vespertinis precibus, & Completorio: idque tantum fieri solet in festis duorum pluvialium, aut novem lectionum, quæ simplicium appellationem sortiuntur.

De Aurora.

Officium istud Muzarabicum superat Romanum una precum specie, quæ vocatur Aurora. Illæ autem preces dicuntur ante primam, & in aliis anni feriis: adeoque paucæ sunt, cum singuli dies Sancti quibusdam addicantur, ut, excepta vigilia Nativitatis Dominicæ, & regum, dieque cinerum, raro per annum iis Muzarabes utantur.

Hæ vero preces habent cum Antiphona, quatuor Psalmos, laudem unam, Hymnum unum, versumque unum, finiuntur autem cum oratione Dominica, absque capitulo, & cum precibus quibusdam.

De Prima.

Initio primæ dicitur Antiphona, & *Dominus sit semper vobiscum*: statimque, dicuntur septem Psalmi, iteraturque Antiphona, quam sequitur responsum unum, cum Prophetia, unaque Epistolæ, & laude, quam comitatur Hymnus cum suo versu; moxque dicitur *Te Deum laudamus*, *Gloria*, &, *Credo*.

Id autem observatur quod diebus Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, quotiesque non dicitur in sacro *Gloria*, non recitatur in prima *Te Deum laudamus*, aut *Gloria*, diciturque tantum Symbolum Apostolorum, cui succedunt supplicatio Pater noster, & benedictio, cum quibus absolvitur *Prima*. Prima autem eo modo se habet totius anni decursu. Notandum tamen est responsa mutari, ut exigit festum quod colitur, aut sanctus cujus memoria celebratur. Sunt & aliæ festivitates, quæ in minoribus precibus, hymnos habere proprios consueverunt, sicuti Resurrectio, quæ in Prima responsum habet, & Hymnum proprium; Deinde dies festi, Dominici, & feriæ, sua specialia capitula, peculiaresque suas benedictiones habentes.

De Tertia.

Tertia incipit ut prima, cum Antiphona, habetque quatuor Psalmos, variaque responsa, ut in Prima diximus. His additur Prophetia, una epistol. laus una, & unus hymnus quem sequuntur clamores, quibus petitur à Deo, ut non juxta scelera pœnas infligat: illicoque dicitur supplicatio, Capitulum, Pater noster, & Benedictio; sicque regulariter Tertiæ finis imponitur. Sexta, & Nona eodem modo quo Tertia recitantur: solumque in eo differunt quod alii Psalmi, & Hymni, aliaque capitula illic habentur: verum, quoad Psalmorum ordinem, & numerum, semper idem, quod in Tertia diximus, observatur.

De Epiphania.

Celebratur etiam solemne jejunium, tribus diebus ante festum Epiphaniæ, juxta istud officium. Iis vero diebus plurimum differunt Tertia, Sexta, & Nona; quia peculiares Prophetiæ, Antiphonæ, Psalmi. Orationes, precesque dicuntur, & alia specialiter hisce diebus aptata, ut in Breviario patet. Celebratur item solemne jejunium, cum officio divino peculiari, mense Septemb. tribus ante D. Cypriani festum diebus,

De DD. Cypriano & Martino.

bus, pariterque mense Novembri, tribus ante D. Martini solemnia, diebus, uti videre est in Breviario, post Dominicas Pentecostes.

CAP. XXVI.

De quibusdam notatu Dignis, quæ peculiaria sunt Officio Muzarabico.

De adventu. NOtandum generaliter est, celebrari in hoc officio Gothico Muzarabico sex dies Dominicos Adventus Domini nostri, cum in officio Latino quatuor tantummodo celebrentur.

De Dominica ante Quadragesimam. Ante quadragesimam nulla fit mentio Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, quamvis illic habeatur peculiare officium Dominicæ quæ præcedit Quadragesimam. In eo autem id animadversione dignum occurrit, quod legitur Euangelium divitis avari, & mendici Lazari ad damnandum vulgi morem, quod eo tempore quasi altissimus gurges, voracissime sese explet, adeo ut ventri, non aliis rebus, natus esse videatur. Appositè autem inferitur Breviario Sermo S. Isidori, qui hoc officium ampliavit, pro Bacchanalium, seu Martis die, cui dies Cinerum immediate succedit. Demum hoc in officio una Adventus Dominica memoria

De S. Joanne Baptista. S. Joannis Baptistę celebratur, ea autem est quę festum Nativitatis ejus antecedit: mirumque profecto, & notatu dignum est, neminem beatorum choro (Christum excipio) ne ipsam quidem Virginem Deiparam, Adventu gaudere, prçter S. Joannem Baptistam. Et hçc sufficiant quoad officium, & Breviarium Muzarabicum. Nunc ad alia progrediamur.

CAP. XXXIII.

De Sanctis qui proprie sunt Muzarabici, quorum olim fiebat commemoratio, & de his qui postea adjecti sunt, & à quo.

SAnctis additi fuere quidam sancti Confessores, aliique martyres, qui ab institutione, & compositione Officii Gothici vixerunt. Et quamvis verum sit fuisse quosdam Sanctos Confessores ante officium Gothicum, nun tamen decantatum est illis temporibus officium eorum nomine, quia hic honos martyribus solis tunc tribuebatur. quod si sit Confessor quispiam, in cujus honorem dicatur officium, is profecto censeri debet è numero eorum, qui a vetere concilio Toletano additi fuerunt.

Certum autem & indubitatum adeo istud est, ut si fortè datum sit solum nomen Confessoris quibusdam Sanctis Muzarabicis ut Divo Gerontio, Divæ Leucadiæ Virgini Toletanæ, Beato Crispino, aliisque id genus, constat ex Hymnis festivitatum (quod habent proprios) fuisse etiam martyres, ideoque antiquis temporibus peculiare officium illis fuisse tributum. Hinc videre licet pene omnes sanctos, Missam & officium peculiariter adeptos, Gothicos veteres esse, quia pauca sunt festa addita, quæ gaudeant officio peculiari.

Hinc sequitur plerosque sanctos, aut majorem eorum partem, de quibus dicitur commune sanctorum, additos fuisse, & immixtos à Cardinale Francisco Ximenez, in translatione textus Gothici in Latinum sermonem. Non *Pissa tab. 5.* ideo tamen nego multos fuisse martyres antiquos, qui proprio officio minimè gaudent, ut sunt Divus Marcus Evangelista, Divus Pantaleon martyr, & beata Juliana virgo, & martyr pluresque, quorum gratiâ compacta sunt officia qua Communia vocantur. Disposita etiam ea fuere pro illis, qui mandato summi Pontificis poterant addi, ut singulis diebus adduntur.

CAP. XXXIV.

De quibusdam proprietatibus quæ peculiares sunt officio, & Missæ Muzarabicæ.

SOlent etiam Muzarabes, cum sanctus quispiam gaudet peculiari Missa vel aliquâ ejus parte, proprium aliquid apponere Breviario, ad commemorationem, ut suis locis videri potest.

Præterea habent sancti quidem aliquid peculiare in reliquo officio, non autem in Missa, sicuti D. Elizabet Hungariæ Regina, D. Saturninus Martyr, D. Anna, D. Clemens, & quadraginta Martyres, D. Gabriel Archangelus, apparitio sancti Michaelis, & D. Lucas Evangelista. E diverso quidam habent peculiare aliquid in sacro, non autem alibi, sicuti Nativitas beatæ Virginis, festum sancti Michaelis, D. Sperati, & sociorum. Id autem adeo raro accidit, ut pene notari non possit. Videantur ista suis locis. Sunt etiam sancti quidam, qui proprios tantum habent hymnos Vespertinarum precum, sicuti D. Euphemia, Divus Augustinus, Divus Hieronimus, Divus Vincentius, Sabina, & Christeta, Divus Marcellus martyr, D. Catharina, Sanctus Amylianus Abbas.

Cupio tandem percensere quædam circa sacra, & officia propria, quibusdam festis, & sanctis particularibus aptata, ultra officia, & Missas *de Communi*, quæ sanctorum causa habentur, qui propriis officiis carent.

Habent officium, sacrumque proprium sex *Quot & quales Dominicæ.* Dominicæ Adventus Domini nostri, item Dominicæ Adventus D. Joannis Baptistæ, aliaque Dominica ante Epiphaniam, cum octo aliis post Epiphaniam; deinde Dominica quæ diem cinerum præcedit, dies ipse cinerum, cum omnibus Quadragesimæ feriis, cujus Dominicæ, complectendo Dominicam Ramorum, sex sunt. Item dies Cœnæ Dominicæ, dies Parasceves & Sabbatum Sanctum, solaque dies Parasceves dicitur Passio. Habent pariter officium sacrumque proprium Dominica Resurrectionis, cum feriis usque ad sequentem diem Sabbati. Similiter & sex Dominicæ, quas post Pascha vocamus, Dominica una post Ascensionem, & octo Dominicæ post Pentecostem. Ultima autem Dominica ea est quæ vocatur Dominica ante jejunium Kalendarum Novembrium.

CAP.

CAP. XXXV.

De quibusdam festis præcipuis, quæ proprium sacrum, & officium habent.

Quæ Missam integram propriam habent ab introitu vel Officio.

PRimo Nativitatis Domini nostri, eaque die non dicuntur tres Missæ ut in officio Latino, imo tantum una: deinde Circumcisio, Epiphania, Festum Corporis Christi, Paschatis dies, Ascensionis, & Pentecostes, uti dictum fuit. Nativitas beatæ Virginis, ejus Conceptio, Annunciatio, vocata D. Maria de O. Purificatio, & Assumptio. Quædam ex his festis desumptis sunt ex antiquo Officio Toletano. Est etiam Commune B. Virginis pro Sabbatis, cum dicitur de ea, & pro ejus festis, quæ officium proprium non habent.

Præcipui sancti qui proprium officium habent.

Item dies Sanctorum, S. Michael Archangelus, D. Joannes Baptista, ejus Nativitas, & Decollatio, DD. Petrus, & Paulus, Cathedra D. Petri, S. Jacobus major D. Joannes Evangelista, D. Andreas, S. Iacobus minor frater Domini dictus, Divus Thomas, D. Matthias, omnes denique Apostoli: Inventio sanctæ Crucis, S. Maria Magdalena, D. Stephanus protomartyr, sancti Innocentes.

D. Laurentius Hispanus, D. Torquatus, cum sociis Episcopis, D. Vincentius Hispanus, sanctæ Justa, & Ruffina virgines Hispalenses, D Genesius. D. Cebrianus Episcopus, D. Christophorus cum sociis, D. Julianus, cum Basilissa, D. Adrianus, & Natalia, S. Martiana virgo, DD. Cosmas, & Damianus medici, DD. Faustus, Januarius, Martialis, Servandus, Germanus, Romanus, & Eulalia virgo, D. Leocadia civis, & patrona Toleti, omnes martyres.

Qui sancti habeant proprium Officium ab oratione quam Missam vocamus.

Sancti qui proprio gaudent officio ab oratione quæ Missa dicitur, hi sunt: DD. Fabianus, Sebastianus, Lucianus Presbyter, Justus & Pastor Hispani Complutenses, Speratus cum sociis, Ascisclus, Emeterius, Celedonius, Fructuosus, Augurius, Eulogius cum sociis, Tyrsus, & Fœlix, Babylas Episcopus, & tres pueri, omnes martyres.

DD. Martinus Episcopus, Bartholomæus, Simon, Judas, & Matthæus Evangelista, Apostoli.

Divæ Agnes, Agatha, Dorothea, Christina, Eugenia, Columba, omnes Virgines, & Martyres, simul cum D. Eulalia virgine, & martyre Barcinonensi.

Demum maxime differunt officia Latina à Muzarabicis, quoad Evangelia, quia solet solum Evangelium Officii Muzarabici continere ea quæ dici solent in duabus, vel tribus festivitatibus officii Latini. Verbi gratia, die Epiphaniæ, dicitur Evangelium diei Innocentium, & Vigiliæ Regum, sicque coagmentatur hoc Evangelium è tribus. Die Sanctorum Innocentium dicitur aliud Evangelium, desumptum è cap. 18. D. Matthæi, quo utitur officium Latinum diebus festis Angelorum.

Sancti Innocentes.

In Officio Muzarabico, in qualibet festivitate Virginis, legitur etiam Evangelium D. Magdalenæ, non vero Prudentum Virginum, sicut in officio Latino. Illud vero Evangelium dicitur in communi plurimarum Virginum, hoc in Officio. Quadragesimæ tempore permutantur omnino Evangelia. Prima quippe Dominica, cum in officio Latino legitur Evangelium tentationis, in Muzarabico legitur Evangelium Samaritanæ. Die vero Cinerum legitur Evangelium Tentationis.

Secunda vero Quadragesimæ Dominica non legitur Evangelium Transfigurationis, sicut in officio Romano, sed cæci à nativitate. Sunt pleraque alia notatu digna, & discrepantia: sed mihi sufficit monere lectorem ut loco ipsa consulat.



IN.

INDEX

ORATIONARII ECCLESIASTICORUM

OFFICIORUM GOTHICO-HISPANI.

Ad

Item

Hic deficit, aut explicit Codex. *Nota quod in folio primo ipsius Codicis alia manu scriptum est* -- ℞ ħ Sergius Bicedominus Sanctæ Ecclesiæ Aquil. . n. -- *Item in alio folio Cod. post aliquot verba antiquitate deleta, hæc habentur* -- de Bonello in XX. anno Liutprandi Regis -- *Liutprandus Ansprandi filius Langobardorum Rex regnavit annos XXXI. Menses VII. Obiit die XIII. Januarii an.* 744. [Diac. lib.6. cap. ult. Heremp. Anast. Concil. Rom. habitum an. 743. Baron. Pag. n.16. an. 743.

F I N I S.



xii K FEBRAS

INCIPIT ORATIONES IN DIEM SCI FRUCTUOSI AGURII ET EULOGII. COMPLETURIA. AD VESPERUM

Specimen characterum Libelli Orationum Gothico-Hispani antiquissimi ritus Isidoriani, aere incisum, ex antiquissimo Codice Veronensi.

Probatae recordne auorum tuum sēr uiatorum ua
quia cirifulgidum redunant in saeculum: quorum
fidem dum probabili cum in ogtaminas laudabili
iudicio tibi placiturum adsignat habe ergo
In ambur hinc anspuli recedit cum. quor adest meta
nra gloria mirta. Direrata quid in ordinum. sed
uehendi officia: In fructuoso. siquidem pontifi
calis gratia fulget. In augurium et eulogium.
leuitae dignitatis ministrorum clarescit. nra ergo
uota hii uiri ob auctoritatem eficienda infinuata illi ut
post tanto sacerdoti contradenda persone. horum
uirtutio calicem salutaris summa m ut aduitam illuc
In uocatione tui facti. perducam ut ad gloriam:

CL. VIRI CAJETANI CENNI

Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ Presbyteri Beneficiati de Libello Orationum Gothico-Hispano Codicis Veronensis judicium, Tomo I. De Antiquitate Ecclesiæ Hispanæ *pag.* 28. *& seqq.*



SI ulla in re sunt decepti evidenter, qui de antiquitate Ecclesiæ Hispanę disputarunt, id certè evenit, quum de Missali, & Breviario Moz-Arabico non secus atque ipsissimum Gothicum, seu Isidorianum esset, pronunciarunt. Ecquis enim nesciat, hujusmodi Codices non modo in provinciis, verum etiam Romæ frequentibus additamentis fuisse, ac perpetuo futuros obnoxios? Ecquis Ecclesiæ rituum est adeo rudis, ut unam semper precandi rationem, unamque methodum ab Apostolorum temporibus ad septimum usque seculum deducat? Ecquis tam multos Doctos Episcopos legens in libro virorum Illustrium SS. Isidori, & Ildefonsi, navasse operam corrigendis, atque illustrandis veteribus, necnon adjungendis novis, instabilitatem istam ingenitam illorum codicum non intelligat? Ecquis tandem ex Conciliorum decretis non assequitur varietatem officiorum non modo in universa Wisigothorum ditione, verum etiam in provinciis singulis? Longum, & , si Deo placet, molestum esset de his omnibus singillatim differere, antequam Ecclesiæ Hispaniarum conditionem noverimus: necesse est tamen, ad hymni hujus ætatem deprehendendam, ut de hujusmodi Codicibus hic in antecessum dicam, quæ non paucis abjiciendis præjudiciis utilia fore arbitror iis, qui in tot, tamque varias opiniones licet divisi, tamen in eo conveniunt, ut nulla temporum ratione habita, Gothicum, Isidorianum, Moz-Arabicum ritum, unum eumdemque esse contendant ac proinde Missale, ac Breviarium Moz-Arabicum (cujusmodi pluribus Hispani utuntur, unumque ego exemplum vidi elegantissimum in Exc. domus Corsinæ inclyta bibliotheca, alterumque in Vallicelliana) Card. Francisci Ximenii jussu & sumptibus in lucem editum ineunte sexto decimo Ecclesiæ Seculo, pro Isidoriano venditent. Itaque horum codicum antiquorum tria minimum exempla certa, inter se diversa, antequam vulgatum Breviarium ac Missale Moz-Arabum prodirent mox subjiciam omnium oculis. Primum nempe, & alterum præivisse Mauricam invasionem, eaque propter ad septimum Seculum pertinere, quum Ecclesia Hispana florentissima erat, omni procul dubio affirmabimus; tertium verò non esse antiquius decimo Ecclesiæ seculo apertum erit. Ex primo antiquiori aliis, & ex altero hymnos certos in laudem Dei, Apostolorum, & Martyrum decantari consuevisse argumentia valde apertis conjicitur; tertium vero hymnis etiam Confessorum maxime abundans, infelicitate metri, atque styli barbarie, nedum serie rerum clam nemine esse patitur longo se intervallo proximum esse felicissimo illi ævo Mauricam invasionem præeunti, quo de agendum mihi erit. Porro hoc tertium Breviarii exemplum ex prioribus illis antiquis deflorasse potius quæcumque libuit collectoris ingenio, quam ex iisdem coaluisse, constat liquido, ut mox ostendam. Hinc autem non ex veteribus illis, Alphonsus Ortizius, tresque ejus Collegæ jussu Ximenii Cardinalis evulgarunt Breviarium, quod apud imperitos Isidorianum audit, novis factis accessionibus juxta eum ritum, quem invenerunt. Hymnusque ille in laudem S. Jacobi non est antiquior tertii eiusdem Bræviarii ævo, aut si aliquantum ætate præstat, nec Sacri Corporis inventionem præivit, neque decantari in Ecclesiis consuevit. Singula hæc teneri manibus majori, quam potero, brevitate, ac perspicuitate nunc faciam.

VIII. Hymnus Sancti Jacobi non est antiqnior inventione Sacri Corporis.

Differt. I. Cap. II.

Codex Isidorianus antiquissimus, qui ante hunc diem non prodiit, latebat in celebri Archivo Amplissimi Capituli Veronensis, de quo eruditi omnes magnifice, & constauter sunt loquuti, quam ego rem non semel alibi testatus sum. Is tamen nequaquam latuit V. C. P. Josephum Blanchinum Congregationis Oratorii presbyterum, qua in hujusmodi veterum monumentis perspicacitate est, ut omnibus fidem faciet vis eorum ingens, quam studio improbo collectam prope est, ut faciat publicæ lucis

IX. Id ostenditur varietate Codd. qui audiunt Mozarabici.

lucis (non enim sunt aliud , quam proludium , pauca illa pretiosissima , quæ illius opera & studio ante annos aliquot prodierunt) . Eumdem vir doctissimus perquam humaniter mecum communicavit paratum prælo , fecitque illi titulum : *Libellus Orationum anecdotus Ecclesiasticorum Officiorum Gotico-Hispanus , adhuc ex parte obtinens in Breviario Mozarabico antiquissimi Ritus Isidoriani. Prodit ex vetustissima Cod. Amplissimi Capituli Veronensis opera & studia Josephi Blanchini Veronensis Presbyteri Congregationis Oratorii Romani* . Hunc sequitur Codex alius , sive ut melius dicam fragmentum alius Codicis evulgatum a Francisco de Pisa anno 1593. in urbe Toleto , quod P. Joannes Pinius recitat in sua de Liturgia Moz-Arabum diatribe , neque aliud continet , præter duos menses Kalendarii veteris Januarium , & Februarium , qui satis perspicue notant ætatem Codicis , extrema videlicet seculi septimi. Tertius demum Codex est quem adhibuerunt editores Breviarii Moz-Arabici , ejusque exempla aliquot servari audio in Archivo Primatialis Ecclesiæ Toletanæ , & haud dubiè Compluti ipsissima illa extant, quæ in editione Breviarii sunt adhibita . Hunc ego tribuo salvo Abbati Alvendensi , seu Albaildensi , qui obiit diem suum Æra millesima , sive anno Christi 962. Libro siquidem Virorum Illustrium , qui explicit in Juliano Toletano , continuò additur Salvi hujus vita , cuique obvia apud Nicolaum Antonium , Card. Aguirrium , & Fabritium , quod non leve argumentum est , post Hispanæ Ecclesiæ vicissitudines Abbatem istum fuisse primum , qui antiquos illos patres studii genere imitaretur . Peritissimus harum rerum Ven. Card. Thomassius id sensit , ubi Psalterium atque orationes Psalmis congruentes ex Breviario Moz-Arabico decerptas editurus : *Latent* , ait , *fortassis aliquæ orationes Salvi Abbatis inter hasce Mozarabicas* . Quidni autem ? Verba ipsa recito ejus vitæ. *Cujus oratio , nempe in hymnis orationibus , versibus , ac missis quas illustri ipse sermone composuit , plurimam cordis compunctionem , & magnam suaviloquentiam legentibus , audientibusque tribuit* . Horum simile tota in Hispaniensi antiquitate non invenies tributum alicui ex iis , qui hujusmodi Sacrorum Codicum fategerunt, præterquam Juliano Regiæ urbis Antistiti , qui sedere cœpit anno Christi 680. nam successor ejus Felix , *Librum* , inquit , *Missarum de toto circulo anni in quatuor partes divisum , in quibus aliquas vetustatis incuria vitiatas , & semiplenas emendavit , atque complevit , aliquas verò ex toto composuit* . Quæ novum ab Juliano Missalem librum esse adornatum demonstrant ; & huc , ni ego fallor, respicit Kalendarii fragmentum, quod loco secundi codicis habendum dixi .

Acta SS. to. 6. Jul. pag. 78.

V. Salvi Abb. Alv.

X. Enumerantur scriptores seculi septimi qui operam iis aliquam navarunt.

Testatur Julianus idem , quod prædecessor suus S. Ildefonsus de eadem re multa scripserat : quin etiam hymnorum aliquot fuisse authorem ait : *Partem sanè tertiam missarum esse voluit , hymnorum , atque sermonum* . Et notandum , quod toto in eo libro virorum Illustrium nemo ante eum legitur hymnos scripsisse ; quum tamen aliunde constet , quinam illustrationi Missalis , ac breviarii Gothorum tempore navarunt operam . Nam in Codice Monasterii olim S. Æmiliani, nunc Scorialensis bibliothecæ , de cujus antiquitate , & præstantia loquar sequenti capite , ita legitur ad rem nostram : *Donec de Orthodoxis , & Catholicis viris fuit illustrata , idest: Fulgentio , Petro , Leandro , Isidoro , Ildefonso , Fructuoso , Juliano* , de quibus singulis pro dignitate loquar laudato capite. Ad Ildefonsum quod attinet, quoniam ipsa hymnorum mentio , tametsi nulli hucusque emerserint , non amovet dubium omne , quin hymnum S. Jacobi , utqunmque barbarie summa scatentem , ociosus aliquis adscribat Sancto eidem Antistiti, duo hic sedulo animadvertenda proponam . Primum videlicet , quod etiamsi Ildefonso adscriberetur ille hymnus , nihil tamen promoveri posset : quippe Ildefonsus longe post tempora Isidori floruit ; Isidorus autem tam apertè , tam dilucidè de hymnis decantandis in Hispaniis loquitur , ut præfato S. Jacobi nullum relinquat locum , idque mox planum faciam Sancti ejus viri allatis verbis ipsis . Deinde quod S. Jacobi (estque id ineluctabile argumentum) obscura omnia erant Hispanis ante mirabilem sacri Corporis inventionem ; ideoque tam altum ubique silentium occurrit , ut nè inter festos quidem dies recenseatur ullus eidem dicatus . Quam rem quantocyus fateri omnes cupio , Isidoriani breviarii circulo totius anni proposito , cui suis locis adjiciam charactere Italico additiones Kalendarii editi a Fracisco de Pisa , brevitati enim quam maximè consulendum mihi est . Atque utinam Sacramentarium aliquod vetus aliquando emergat . Certum enim haberi debet , quod licet Maurorum tempore accessiones multæ præsertim ab Alvendensi illo Ab-

Abbate sint factæ sacris iis libris, ritus tamen antiqui summa eadem perseveravit, ejusque pars magna etiam in Gallias invecta est, Mabillonio id docente cum testimoniis veterum. Cui quidem doctissimo viro acceptam refero novam imposturis alicujus audaciam; nam VI. Kal. Januar. quum habeatur *Missa in Notale Apostolorum Jacobi & Joannis*, in Missali Gothico, qui certè dies utrique filio Zebedæi Sacer erat; docet Mabillonius, quod in Martirologio Gellonensi apud Septimanos ante annos nongentos scripto, extat: *Ordinatio Episcopatus Jacobi Apostoli Fratris Domini, adsumptio S. Joannis Evangelistæ*. Non est hic locus expendendi ætatem auctoritatemque hujus effati. Sit satis nosse ævum imposturæ omnia, & provinciam, unde prodiit id effatum; nam opportune agam de his etiam rebus. Venio nunc ad S. Isidori doctrinam certissimam de Sacris hymnis. De liturg. Gallic. l. 3.

XI. Hymni tantum Ambrosiani decantabàtur Sec. Ecclesiæ septimo. Concl. Agath. can. 30.

Haud dubie seculo Ecclesiæ septimo, quum maximè florebat Ecclesia Hispana, Ambrosiani præsertim hymni ubique obtinebant, ut patet ex Concilio Agathensi anno Christi 506. (nondum Gallia Gothica erat una ex provinciis Ecclesiasticis Hispaniarum) nam congregati Episcopi ita decreverunt; *Quia convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, sicut ubique fit, ut post antiphonas, collectiones per ordinem ab Episcopis, vel Presbyteris dicantur, & hymni matutini vel vespertini decantentur diebus omnibus, & in conclusione matutinarum, vel vespertinarum & missarum post hymnos capitella de Psalmis dicatur, & plebs collecta oratione ad Vesperam ab Episcopo cum benedictione mittotur*. In Hispaniis autem secus erat, quippe quas ante invaserunt Ariani, quam hymni Ambrosiani invalescerent. Hinc est, quod Episcopi Hispaniarum antiqui moris retinentissimi, ubi primum sub Regibus Suevorum in Gallæcia deposuerunt hæresim veluti abusum sunt aversati sacros hymnos: *Placuit*, inquiunt, *ut extra psalmos, vel canonicarum Scripturarum novi, & veteris Testamenti, nihil poeticè compositum in Ecclesia psallatur, sicut & sancti præcipiunt Canones*. Neque ante annum 633. quum concilium IV. Toletanum est celebratum, seniore Metropolita Isidoro Præside accepti reperiuntur hymni iidem Ambrosiani tota Hispania: *Quia nonnulli hymni*, Patrum verba sunt *Humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum, & Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos Beatissimi Doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de Scripturis Sanctorum Canonum, vel Apostolica traditione non existunt ..... sicut igitur orationes, ita hymnos in laudem Dei compositos nullus vestrum ulterius improbet, sed pari modo Gallia Hispaniaque celebret, excommunicatione plectendi, qui hymnos reiicere fuerint ausi*. Hosce vero hymnos non esse alios quam Ambrosianos docet egregius idem Doctor Ecclesiæ. *Sunt autem*, ajens, *divini hymni: sunt & ingenio humano compositi. Hilarius autem Gallus Episcopus Pictaviensis eloquentia conspicuus hymnorum carmine floruit primus. Post quem Ambrosius Medialanensis Episcopus, vir magnæ gloriæ in Christo, & Clarissimus Doctor in Ecclesio, copiosius in hujusmodi carmine claruisse cognoscitur; atque inde hymni ex ejus nomine Ambrosiani vocantur, quia ejus tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt, cujus celebritatis devotio postbac per totius Occidentis Ecclesias observatur. Cormina autem quæcumque in laudem Dei dicuntur, hymni vocantur*. Quæ postrema verba alibi etiam pensius declaravit. *Proprie autem*, inquiens, *hymni sunt continentes laudem Dei. Si ergo sit laus, & non sit Dei, non est hymnus: si sit & laus Dei laus, & non cantetur, non est hymnus. Si ergo in laudem Dei dicitur, & cantatur, tunc est hymnus*.

Conc. Brac. 1. c. 22.

Conc. Tol. IV. cap. 13.

De Offic. Ecclesiast. lib. 1. c. 6.

Orig. l. 6. c. 19.

XII. S. Jacobo in Hispaniis nullus dies erat dicatus.

Itaque tametsi Venantii, Sedulii, ac præcipue Prudentii gentilis sui potuissent Hispani per eum ævum decantare hymnos in Apostolorum, & martyrum triumphos tamen ante obitum S. Isidori id factum esse ostendet nemo. Quod si etiam ponamus, hymnos Prudentii de Martyrum triumphis, qui in edito Moz-Arabico leguntur, cantari in his Ecclesiis cœpisse ante Mauricam invasionem, nullatenus id de Hymno S. Jacobi neque a Prudentio, neque ab alio ullo ex antiquis compacto affirmari a nobis poterit; quam rem probare nihil attinet, quum unicuique liceat propriis oculis hymnos veteres usurpare. At compendiaria incedam via, ut cœpi, ob oculos ponens circulum festorum dierum ex Cod. Isidoriano, prætermissis feriis de quibus alibi.

Bibl. P. tom. 5. Sirmond. tom. I.

 „ Ora-

„ Orationes de adventu Domini per dies Dominicos (*quinque recensentur*)
„ Orationes de Adventu Domini usque ad Nativitatem. In Primis.

	XV. Cal. Decebr.	S. Aciscli.	*Novemb.*
	XIV. Cal. Dec.	S. Romani.	
	X. Cal. Dec.	S. Celiæ *leg.* Cæciliæ.	
	III. Cal. Dec.	S. Saturnini.	
	II. Cal. Dec.	S. Andreæ Ap.	
	V. Id. Dec.	S. Leocadiæ.	*Decemb.*
	IV. Id. Dec.	S. Eulaliæ.	
	XV. Cal. Janua.	S. Mariæ Vig.	
	VIII. Cal. Jan.	Nativitatis Dom.	
	VII. Cal. Jan.	S Stephani.	
	VI. Cal. Jan.	S. Eugeniæ.	
	IV. Cal. Jan.	S. Joannis Ap. & Eva.	
	II. Cal. Jan.	S. Columbæ.	
	Cal. Jan. Octavas Nativ.	Circumcisio Dom.	*Januar. ex utroque Cod.*
	VIII. Id. Jan.	Apparitionis Dom.	
	VII. Id. Jan.	S. Juliani conjugis Basilissæ.	
	VI. Id. Jan.	*S. Luciani.*	
	V. Id. Jan.	*XL. Martyrum.*	
	IV. Id. Jan.	*S. Serenæ.*	
	XVIII. Cal. Februa.	*S. Felicis.*	
	XVI. Cal. Feb.	*Policarpi, & Antonii.*	
	XIV. Cal. Feb.	*S. Sebastiani, & Comitum.*	
	XIII. Cal. Feb.	*SS. Agnetis, & Emerentianæ.*	
	. . . . .	Allisionis Infantum.	
	XII. Cal. Feb.	Fructuosi, Augurii, & Ulogii.	
	XI. Cal. Feb.	S. Vincenti.	
	X. Cal. Feb.	*Obitum Domini Ildefonsi Episcopi Toleto.*	
	VIIII. Cal. Feb.	*S. Babilæ.*	
	V. Cal. Feb.	*S. Tirsi cum comitibus.*	*Feb. ex utroque Cod.*
	Non. Feb.	*S. Agatæ V. & M.*	
	VII. *Idus Feb.*	*S.* Dorotheæ *vel com.*	
	VI. Idus Feb.	*S. Marci Evang. M.*	
	II. Id. Feb.	*S. Eulaliæ V. M. Barcinona.*	
	XII. Cal. Martii.	*S. Pantaleonis.*	
	VIII. Cal. Martii.	Cathedra S. Petri.	
	VI. Cal. Mar.	*S. Julianæ V. M.*	

. . . . Carnea tollendaa. Dominica I. Quadragesimæ Dom. II. Quæ.
„ Vecesima. Dominica de Lazaro. Dominica in ramos palmarum. Feriæ quatuor
„ in Ebdomade majore. Cœna Domini. Parasceba. Sabbato in Vigilia Pascæ. Re-
„ surrectio Domini. Dominicæ IV. Ascensio Pentecostes.

Jun.	XVI. Cal. Jul.	SS. Adriani, & Nataliæ.	
	VIII. Cal. Jul.	S. Johannis Baptistę.	
	III. Cal. Julii.	SS. Petri, & Pauli	*deest principium.*
Julii.	XVI. Cal. Aug.	SS. Justæ, & Rufinæ.	
	VIII. Cal. Aug.	S. Cucufatis.	
Aug.	Cal. Aug.	S. Felicis, & Maccabeorum.	
	VIII. Idus Aug.	SS. Justi, & Pastoris.	
	IIII. Id. Aug.	S. Laurenti.	
	III. Id. Aug.	S. Yppoliti.	
Septb.	XVIII. Cal. Octo.	S. Cypriani.	
	VIII. Cal. Octo.	Decollatio S. Johan. Baptistæ.	
	. . . . .	SS. Cosmæ, & Damiani.	
Nob.	III. Id Nov.	S. Martini.	

Quàm rectè Bollandi continuator faciat secundum Codicem antiquiorem Isidoriano, ex additionibus patet.

JO-

JOSEPHI BLANCHINI

Adnotationes in sequentem Libellum Orationum antiquissimi Ritûs Gothico-Hispani.

CIrculus Festorum dierum Libelli Orationum Codicis Veronensis apertissimo testimonio declarat, in hoc argumento demonstrationis potiùs, quàm probationis partes a me suscipi, qui eumdem assero esse antiquissimi Ritûs Gothico-Hispani. Quotquot etiam in eo inscribuntur Sancti, aut Hispani sunt, aut in Hispania celebres habebantur. Ad quod utrumque aperiendum, ut contentiori studio cursuque deveniam, ineluctabilem probationem ad regulam *totius Anni Circuli* quæram.

*,, Adventus nomine (inquit Domnus Leodegarius Mayer Principalis Monasterii ,, Murensis Monachus *in Explicatione compendiosa Litterali, Historica Ceremoniarum* ,, *Ecclesiasticarum, Part. III. Cap. I. pag.* 372.) olim ipsa Nativitas Domini significata ,, est, non verò tempus illam antecedens. Nam Missale Mozarabicum, & Lanfrancus ,, in Constitutionibus, *Dominicas Adventûs* quas nos appellamus, *Dominicas ante* ,, *Adventum Domini* nuncupant. Et S. Ambrosius Hymnis, quos pro Dominico Na- ,, tali composuit, hunc titulum præfixit: *Hymni de Adventu Domini*. Labentibus ,, annis hoc nomen inditum est tempori, quod Nativitatem antecedit, ideo, *quia* ,, recte Ruperto * *totus ejus Ecclesiasticus Ordo juxta contemplationem Adventus Do-* ,, *mini dispositus est* ,,. Quamobrem Codex Veronensis pag. 1. ita habet = *Incipiunt Orationes de Adventu Domini per Dies Dominicos: idest in Sabbato, qui primùm occurrit in Adventu* = Verba illa, *in Sabbato, qui primùm occurrit in Adventu*, pensanda sunt: non enim semper antiquitùs à Dominica die (cujus Vesperæ Sabbato præcedente *ingrediebantur*) Ecclesiastica Officia *de Adventu Domini* in Hispania cœperunt. Nunc temporis in Romano Breviario ordiuntur a Vesperis primi Sabbati post Festum S. Catharinæ, vel, quod idem est, a Vesperis Sabbati ante Dominicam Festivitati S. Andreæ Apostoli proximiorem. Apud Græcos verò (quod prisca ætate etiam in Ecclesia Romana moribus recipiebatur) a die decima quarta mensis Novembris; & apud Hispanos à die XVII. ejusdem mensis, ut ex dicendis constabit. Ambrosiani sex Dominicas habent de Adventu Domini, quarum prima illa est, quæ Festum S. Martini subsequitur. Totidem celebrant Tolerani, qui Breviarium Mozarabicum non repudiarunt. Cur ergo, inquies, quinque tantummodo Dominicæ dies sunt in Codice Veronensi, qui, authore te, continet *Libellum Orationum antiquissimi Ritus Gothico-Hispani*? Ne mireris, quæso; neve ullum inde discrimen oriri putes. Dies redigamus ad calculum, & rationem *de utroque Anni circulo*, factis computis, habeamus. In Breviario Mozarabico ideo sex hebdomadæ Adventus enumerantur, quia in ipso, eo anno, quo fuit conflatum, initium Adventûs, diei 17. Novembris alligatum, incidebat in Dominicam, ut ex Hymno, & Orationibus XV. Kal. Decembris positis liquet: Natale verò Domini, recurrens die 25. Decembris, incidebat eodem anno in feriam IV. sextæ Hebdomadæ. Igitur omnes Adventus dies in Breviario Mozarabico erant numero 38.; ut in nostro Libello Orationum Gothico-Hispano. Quamvis enim quinque tantum Dominicas dies ipse Libellus enumeret; nihilo tamen minus in summa dierum cum edito Toletano concordat: quia, eo anno, quo scriptus est antiquissimus Codex (circa nempe septimum Sæculum), die 17. mensis Novembris, à qua Ecclesiastica Officia *de Adventu* ipse etiam inchoat, feria II. recurrebat, ut in Indice totius anni circuli ostendi. Quinque ergo solis Dominicis locus erat eo anno, usque ad Natale Domini, quod die 25. mensis Decembris Feriâ V. sextæ Hebdom. celebrabatur. At repones, quomodo ostendi potest, cùm in Breviario Mozarabico, tum in Codice Veronensi Officia *de Adventu* a die 17. mensis Novembris fuisse inchoata? Rem narro, proboque cum utriusque Voluminis testimonio.

* ADNOTATIO I. in Codicem Veron. pag. 1.

* De Offic. divin. l. 3. c. 1.

* Codex Veronensis pag. 5. hæc habet:

Incipiunt Orationes de Adventu Domini, quæ per singulos Matutinos juxta Antiphonas congruentes usque ad Nativitatem Domini sunt dicendæ;

XV. Kal. Decembris in die Sancti Acisfeli. Istæ Orationes dicendæ sunt juxtà Antiphonas quæ tunc cantantur. Au-

* ADNOTATIO II. pag. 5.

I. *Audivimus, Christe, confitemur, & credimus &c.*, ita verò & *Capitula* seu Completoria primarum Vesperarum Dominicæ primæ Adventus in Breviario Mozarabico habet (pag. I. col. II.); in quo præterea XV. Kalendas Decembris pag. cccxii. col. III. exstat Officium proprium *in Festo Sancti Acisceli vel comitum ejus*, cum Hymno & Orationibus, quæ omnem dirimunt quæstionem, ut legenti constabit,

HYMNUS *hic est.*

Gaudete flores Martyrum;
*Salvete Plebs * Gentium;* (*forte, plebes)
Visum per astra mittite;
Sperate signum gloriæ.
Voces Prophetarum sonant,
Venire Jesum nunciant,
Redemptionis prævià,
Qua nos redemit, gratià.
Hinc mane nostrum promicat,
Et corda læta exæstuant;
Cum vox fidelis personat
Prænunciatrix gloriæ.
Tanta salutis gaudium,
Quo est redemptum sæculum,
Exceptionis inclytum
Ab hinc scimus canticum.
Adventus hic primus fuit
Punire quò non sæculum.
** Venit, sed ulcus tergere* (* Br. Moz. venisset.)
Salvando quod perierat.
At nunc secundus præmonet.
Adesse Christum januis;
Sanctis coronas reddere,
Cæliquæ regna pandere.
Æterna lux promittitur,
Sydusque salvans promitur,
Jam nos jubar refulgidum
Ad jus voces Cælestium.
Te, Christe, solum quærimus
Videre, sicut es Deus;
Ut læta nos hæc visio
Evellat ab omni Tartaro.
Quò dum Redemptor veneris
Cum candidato Martyrum
Globo; adunes celibi
Nos tunc beatos cœtui.
Præsta Pater piissime,
Patrique compar unica,
Cum Spiritu Paraclita
Regnans per omne sæculum. Amen.

CAPITULA.

In die ejusdem S. Acisceli.

Domine Deus omnipotens, qui glorioso dispositionis munere ante sæcula cuncta disponis, quæ per sæcula ordinata discurrere vis; dum ex te ante omnia tempora consempiternum coæqualemque, omnipotentem, & consubstantialem tibi unicum Filium prodire vis: quem in finem sæculorum visibus hominum visibilem hominem ostendis; ut humanum genus, quod fraus Diaboli expulerat a paradiso, ejus humilitate referres in Cœlum. Quem ad conjugendam sibi Ecclesiam, ut sponsum è thalamo procedentem destinasti: de cujus utero procreata Sanctorum agmina, tanquam rosas, vel liliis Martyrum, Confessorum, vel Virginum aggregas copiis; qui per te tibi placentes, tuaque jussa implentes, Mundum omnem velut nihilum reputantes, pro te corpore cæsi, *animas Sanctorum Acisceli, atque Victoriæ, quorum annuà vice Festa suscipimus*, eorum meritis sempiterna præmia capiamus. Et quia odor majestatis tuæ mirè flagrans, *jam desiderabilem illum Adventus tui nos invitat suscipere festum*, precantes petimus, & crebra supplicatione deposcimus; ut sic inchoata Adventus tui gaudia cum hymnis, & canticis, * & piis, modulatione vocis, statutis peragamus diebus; ut ad Sanctum * idem Filii tui Natalem purgatis maculis delictorum cum fructu accedamus operum bonorum. *Pater noster. Et ne nos &c.* (* leg. & Psalmis. * iidem.)

Et pagina ccccxiii. *col.* 4.

Deus Dei Filius, quem Sancti omnes cum exultatione magnà præstolantes visuri sunt in ea gloria, in qua Patri similis es in natura, *Sanctorum tuorum Acisceli & Comitum ejus devotè celebrantes solemnia*, peccatorum dele cyrographa, ut qui *Adventûs tui in hoc die inchoamus gaudia*, cum eis in illa futura Beatitudine post transitum mereamur jocundari in patria.

Item, eodem die pag. 413. *col.* 4.

Audivimus Christe &c. *ut in Cod. Veron.*

Demum pag. 414. *col.* 2.

Flagrat Christe tuus pretiosior &c. *ut in eodem Codice.*

Igitur Adventus Domini in Breviario quoque Mozarabico à festo S. Acisceli sumebat exordium.

S. Acisceli meminit Prudentius In libro Peristephanon Hymno 4. de Sanctis XVIII.

XVIII. Martyribus Cæsaraugustanis.

Afra Carthago tua promet ossa
Ore facundo, Cypriane Doctor:
Corduba Aciscium dabit, & Zoëllum,
Tresque Coronas.

Agila Gothorum Rex divinitus punitus est, ex Isidori Chronico Ærâ 587. quòd S. Aciscli sepulcrum polluisset.

* Codex Veronensis pag.6.

XIV. Kal. Decembris quando & S. Romani festum incurrit. Breviarium Mozarabicum Toletanum editum jussu Cardinalis Ximenii anno 1502. pag. 414. col. 2. *Romani Monachi, & Martyris.* Gaudet Officio, & Hymno proprio.

* ADNOTATIO III. pag.6.

HYMNUS.

ROmane, Christi fortis assertor Dei,
Elinguis oris organum fautor move:
*Largire comptum carmen * faustissimum:*
Fac ut tuarum mira laudum concinam:
** Qui cum scisses ipse posse facere mutos eloqui,*
Plectrum palati, & faucium sævus Tibi
*Tortor * refregit, nec tamen silentium*
Induxit ori, quo fateberis Deum.
Vox veritatis testis extingui nequit,
** Vel si recisis palpitet meatibus.*
** Christum loquendi lingua nunquam defuit,*
Cum prædicatur ipse verborum dator.
Nunc, Martyr Sancte, poscit Te Plebs infima,
Sordes emundes, dira pellas crimina:
Ignes Averni rore digno comprimas,
Et nos beandos ad superna pertrahas.
Honor sit æterno Deo, sit gloria
Uni Patri, ejusque soli Filio,
Cum Spiritu, qui Trinitas perhenniter
Vivit potens in sæculorum sæcula. Amen.

* Prudentius in hymno X. *infantissimo.*
* *Nam scis & ipse posse mutos eloqui, Plectrum* &c.
* *revulsit.*
* *nec*
* *Christus loquenti linguæ.*

Eusebius Cæsariensis hujus Sanctissimi Viri seriem Martyrii profert libro II. de *Resurrectione, & Ascensione Domini* (quem librum cum aliis aliquot ejusdem Auctoris opusculis è MS. Cod. erutum edidit Jacobus Sirmundus), & libro de Martyribus Palestinæ, Cap.II.num.5. (a) Vide Ruinartium pag. 331. & Pinium in præcedenti Tractatu, num.419. & 422.

(a) in Actis primiorum Martyrum sinceris.

* Ad ea verba Codicis Veronensis in ultima Benedictione posita: *ut in qua parvuli Teudolæ fides roborata peregit Martyrium:* alludit Prudentius in laudato hymno X. Peristephanon, versu 656. cum ait:

* ADNOTATIO IIII. pag.6.

Da septennem circiter Puerum aut minus,
Qui sit favoris liber, & non oderit
Quemquam, nec ullum mentis in vitium cadat.
Periclitemur, quid recens infantia
Dicat sequendum, quid novus sapiat vigor &c.

Eadem narrat Chrysostomus Homil.48., Eusebius Gallicanus (quisquis ille fuerit) Sermone 50. (quem vide To. V. Bibl. SS. Patrum) & alii Authores. Hic Puer in Actis, & Martyrologiis vocatur *Barulas*. In Breviario tamen Toletano *Theodolus* appellatur, ut in nostro Codice. Quæ ad ejusdem Sanctissimi infantis martyrium pertinent, in neutro opere narrat Eusebius. Et in libro de Martyribus Palestinæ omittit miraculum S. Romani, etiam abscissâ linguâ loquentis, quod aliàs adeo exagerat. Hinc patet non omnia in isto libello contineri. De hoc miraculo tota est Oratio 43. S. Jo: Chrysostomi: memoratur etiam in Orat.48. Passus est S. Romanus anno Christi 303. ut constat ex laudato libro *de Martyribus Palestinæ.*

* Cod. Veron. pag.7.

X. Kal. Decembris in die S. Ceciliæ. Brev. Moz. Tol. pag.416. col.2. *Ceciliæ Virginis & Martyris, & Comitum ejus.* Gaudet Officio, & Hymno proprio.

* ADNOTATIO V. pag. 7.

HYMNUS.

INclitæ festum pudoris Virginis Ceciliæ
Gloriosa præcinamus voce prompti pectoris,
Quo soluta lege mortis tollitur in Æthera.
Germine hæc Virgo clara, sanctitate clarior,
Pectore Christum prætentans, huncque solum prædicans,
Ore Sponsum, mente scelus, vicit hostem sanguine.
Pectoris sacri recessum munit Evangelio.
Squalido corpus beatum proterit cilicio,
Noctis horas, & diei mentis implens cantico.
Hæc enim fortita Sponsum germinis præfulgidi,
An-

Angelum Dei fatetur se habere vindicem :
Hunc verendo ut pudori det honorem commonet.
*Sponsus hic furore * ceco cominatur Virgini ;* * caco
Sed beata Virgo factis dicta prorsus comprobans,
*Angelum, mumusque ex Cælo mox adesse * prestit.* * fortè præscüt.
Affuit promissus idem vir coruscis vestibus,
Exhibens sertis coronos floribus præfulgidis,
In rosis docens cruorem, castitatem liliis.
Munere hoc provocatus sponsus, ad Christi fidem
Illico fratris salutem imprecatus optinet ;
Hincque ambo passionis consecrantur sanguine.
Tunc inde Virgo Christi consequens Cæcilia,
Hanc triumphalis honoris promeretur gloriam ;
Igneis termis retrusa fit caloris nescia.
Plus calens sic igne Christi vicit ignem Sæculi ;
*Et vibrantis * sensit ictum ter valenter sustulit,* * ensis
Postquam terris membra ponit, spiritu Cælos petit.
Inde nobis sacra Virgo mitte Cæli munera,
Liliorum, vel rosarum munus inde proroga,
Unde hausisti superna veritatis gaudia.
*Liliis corusca in noi * castitatis præfulgeat,* * castitas
** Punicas rosas voluntas passionis ferveat,* * punicis rosis
Criminis mole subacta innovemur gratia.
*Ecce adventum futuri præstolamur * judicii :* * Judicis
Sustinemus & beata illa lucis gaudia :
Non rei tunc puniamur, non crememur ignibus.
Martyrum & Sacrosanctis aggregati cœtibus,
Evadamus quod timemus, continentes gloriam
Regis almi ad coronam evocati dexteram.
Ut suam, Christe, videntes servuli præsentiam,
Gratulemur, gaudeamus, personemus gloriam,
Curia cælestis arce confovendi in Sæcula.
Amen.

Habet Missam in Missali Gothico a Venerabili Cardinali Tomasio, & Mabillonio * evulgato. In antiquis etiam Sacramentariis Leonis I., Gelasii, Gregorii, Gellonensi Regio, & aliis notatur *Natale S. Ceciliæ*, cum Missa de Vigilia ejusdem. Fortunatus Libro 8. Carm. 4. de Virginitate, recensens Sanctos cujusque Provinciæ Patronos, ait : * Lib. III. Liturg. Gal. lic. pag. 216

Cæciliam Sicula profert, Seleucia Teeblam.

* ADNOTATIO VI. pag. 13. * Cod. Veron. pag. 13. *III. Kal. Decembris in die S. Saturnini.* Brev. Moz. Tol. pag. 409. col. 2. *Saturnini Episcopi, & Martyris.* gaudet Officio, & Hymno proprio.

HYMNUS.

VOcis auditæ novitas refulsit,
Regis adventum retinens Superni :
*Det suos * Terram pariendo flores* * Terra
Jure colonis.
Irriguis septa spaciis Tolosa
Flagret accensa fidei calore ;
*Quæ * Saturnino reboante Christo*
Martyrem cæpit.
Dogmate cujus simulacra cedunt :
Cujus accessu reticere discunt
Dæmonum umbræ, Dominantis ora
Voce sopita.
Hic, Dei Patris Genitum colendum
Prædicans voce simul, & cruore,
Vincitur, Tauri pedibus litandus
Victima Christo.
Hujus inlæsi cineres, dicato
Rite transferri Tumulo merentur ;
Quò fides cultu gemini honoris
Aucta maneret.
Inde te, Christe, veniens, rogamus
** Mittis apparens veniendo justis,* * mitis
Nosque victorum socians coruscis,
Junge colonis.
Gloriam psallat Chorus, & resultet ;
Gloriam dicat, canat, & revolvat
*Nomini Trino Deitatis * olim soli* * abundat olim.
Sydera clament. Amen.

Habet Missam in Missali Leoniano. In libro Sacramentorum S. Gregorii a Menardo edito, & in vetusto Codice Ecclesiæ Turonensis annorum circiter 800. atque in Kalendario Frontoniano in Vigilia S. Andreæ duæ notantur Missæ, una de eadem vigilia, altera de S. Saturnino. In ordine Gelasiano, & in Sacramentario Gellonensi altera Missa est de SS. Saturnino, Chrysanto, Mauro, & Daria. De S. Saturnini rebus gestis agit Gregorius Turonensis lib. I. Hist. Franc. cap. 30. & lib. I. de Gloria Martyrum cap. 48. Ejusdem acta sincera ex Codice Fossatensi, qui ad annos 900. accedit, cum multis aliis Codicibus MSS. Surianaque editione collata protulit Ruinartius pag. 109. *Actorum primorum Martyrum* &c. qui in prævia admonitione scribit, quod circa idem Gregorii tempus Beati Saturnini laudes carminibus celebravit Venantius Fortunatus lib. 2. carminibus 8. & 9. ubi de ejusdem S. Viri Martyrio & Sepultura eadem omnino refert, quæ in ejus Actis habentur. Qua in re Sidonium Apolinarem Avernorum Episcopum imitatus est, qui lib. 9. Epistola 16. ad Firminum de S. Saturnino, postquam pollicitus est se nonnisi de Sanctis Martyribus carmina ulterius editurum, ait :

E qui-

E quibus primum mihi psallat hymnus,
Qui Tolosatem tenuit cathedram,
De gradu summo Capitoliarum
Præcipitatum.
Quem negatorem Jovis ac Minervæ,
Et Crucis Christi bona confitentem
Vinxit ad tauri latus injugati
Plebs furibunda.
Ut per abruptum bove concitato
Spargeret cursus lacerum cadaver,
Cautibus tinctis calida soluti
Pulte cerebri.

Memoriam ejusdem Beati Viri celebrem semper in Ecclesia fuisse, præter Martyrologia, testantur antiquæ Liturgiæ, in quibus singularis de Sancto Saturnino Missa occurrit. In Missali Gothico, quod ex Tomasio edidit domnus Johannes Mabillonius lib. 3. Liturgiæ Gallicanæ, Saturninus, conclamantissimus testis nominis divini appellatur, quem Turba Gentilium, cùm impulit è Fano, intulit Cœlo. Ibidem, ex partibus Orientis in urbem Tolosatium destinatus dicitur. Quem tamen Fortunatus lib. 2. Carm. 9. ex Romana Urbe advenisse scribit. Verum utraque opinio stare potest. Quamquam Missalis præferenda videtur Auctoritas, non ob antiquitatem tantum, verum etiam, quòd in Narbonensi Provincia, intra quam tunc Civitas Tolosana continebatur, in usu fuerit. Non minus in Hispania, quam in Gallia solemne erat Sancti Saturnini Festum; ut ex laudato Mozarabum Missali patet, ubi in Missa, quæ de eo Sancto Antistite, habetur ejus passionis tota series eodem modo, ac in ejus Actis, & nostro Libello Orationum enarratur. Eadem Acta metricè in recitato hymno Breviarii Mozarabum referuntur.

* Cod. Veron. pag. 11. *Pridie Kal. Decembris. In die S. Andreæ Apostoli.* Brev. Moz. Tol. pag. 420. col. 1. *Andreæ Apostoli.* Gaudet Officio, & hymno proprio.

*Adnotatio VII. pag. 11.

* HYMNUS. * Sanctus Damasus Elogio 4. *de Andrea Apostolo.*

* S. Damasus: *vitamque nomine* * *Hoc* * *ipso*

Deus sacrati nominis,
** Nomenque vitam exprimens,*
Hinc te decorum prædicat
Crucis beatæ gloria.
Andrea Christi Apostole,
*Hoc * ipse jam vocabulo*
Decorus, idem mysticè
Signaris isto nomine,
Quem Crux ad alta provehit,
Crux quem beata diligit,
Cui Crux amara præparat
Lucis futuræ gaudia.
In te Crucis mysterium
Cluit gemello stigmate;
(A te) dum proba vincis per Crucem,*
*Crucisque * pendis sanguinem.*
Jam nos foveto languidos,
Curamque nostri suscipe;
Quò per Crucis victoriam
Cæli petamus patriam.
Præsta Pater omnipotens,
Per Jesum Christum Dominum,
Qui tecum in perpetuum
Regnat, cum Sancto Spiritu. Amen.

* *A te*, abundat. * *pandit.*

Item alius, eodem die pag. 420. col. 4.

* Hic hymnus solœcis redundat immanibus, caret constanti metro, & barbarum stilum sapit.

* *Omnipotenti Domino*
Prostrati omnes supplices
Reddamus gratias pro
Sancti Andreæ certamine.
Redemptorem deprecans
Ipsum verum agnoscere,
Dæmonibus invidere,
Fallacibus resistere.
Juvatus Christo Domino,
Prædicavit Achajæ:
Convertitur omnis populus,
Et sese Cruci tradidit.
En tibi Jesus omnipotens,
Cujus Cruce suspensus est,
E cælis evocatus est,
Per fidem coronatus est.
Non timens cruciatibus,
Sed se in Cruce postulat,
Ut inde emigraverit
Ad sedem veri Domini.
Tunc Populi clamoribus
Dantes voces in auribus,
Egæe inique, perfide,
Defende Apostolum.
Jamjam in Cruce positus,
Veritatem prædicans,
Ornatus moribus, bonis
Pius, Sanctus, Castissimus,

t *Egæas*

Egeas verò teterrimum
Dæmonibus arripuis,
Inferno suscipitur,
Tenebris sociatus est.
Frater verò ipsius,
Tenens corpus Apostoli,
Sepelivit intrepidus,
Cum magna multitudine.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

Habet Misſam in vetuſtiſſimo Miſsali Gothico a Ven. Cardinali Thomaſio vulgato, poſt Feſtum *S. Saturnini*, cum Titulo: *Miſsa in Natale S. Andreæ Apoſtoli*: notaturque in Kalendario Carthaginenſi Sæculi V., edito a Johanne Mabillonio ex membranis penè corroſis Monaſterii Cluniacenſis ita:.... *Kal. Dec. S. Andreæ Apoſtoli, & Martyris*. Andream Martyrem qui apud Patras paſsus eſt appellat S. Paulinus non ſemel. Quæ verò narrantur, cùm in ſuperioribus Hymnis Toletanis, tum in orationibus noſtri Codicis Veronenſis, & in Miſsa laudati Miſsalis Gothici, procul dubio deſumpta ſunt ex Actis ſinceris S. Andreæ. Ea namque notiſſima erant etiam ſæculo VIII. apud Hiſpanos Beato Abbati, qui ex eiſdem verba refert ſub finem libri I. contra Elipandum. Quidam Libellus de Miraculis Sancti hujus Apoſtoli laudatur in Chronico Fontanellenſi, cap. 14. Vide Edmundum Martene, in Tractatu *de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis*, cap. 30. pag. 550. & ſeqq. Exſtat hymnus *in Natali S. Andreæ* in Breviario Ambroſiano, qui incipit:

Poſt Petrum primum Principem,
Andreas eſt Apoſtolus. &c.

Et alius Bedæ præsbyteri in Hymnario Ven. Thomaſii, pag. lxxviii. cujus exordium:

Nunc Andreæ ſolemnia
Lætis canamus vocibus &c.

ADNOTATIO VIII. pag. 14.

* Cod. Veron. pag. 14. *V. Idus Decembris, quando & S. Leocadiæ Feſtum incurrit*. Brev. Moz. Tol. pag. 422. col. 1. *In Feſto S. Leocadiæ Virginis*. Gaudet Officio, & hymno proprio.

H Y M N U S:

SAnctiſſimæ Leocadiæ
Solemne Feſtum prodiit,
Quo, vana Terræ deſpuens,
Ad Regna Cæli tranſiit.
Omnes venite ſupplices;
Cordis reatum pandite:
Gaudendo, vota ſolvite,
Deoque grates reddite.
Hæc namque Virgo nobilis
Exortu claro germine,
Confeſſa Chriſtum fortiter,
Pœnas libenter pertulit.
Correcta juſſu Præſidis,
Vacis ligatur ferreis;
Ut, vinculorum pondere,
Fides Puellę cederet.
Illic per abſtinentiam
Chriſto placere cogitans,
*Laudum * rependat gratias,* ** rependit.*
Precumque defert victimas.
Sed mox Beatæ Eulalię
Mortem ſacratam comperit;
In carcerali vinculo
Cęlo refudit Spiritum.
Nunc virgo Sancta, quęſumus,
Et lacrymando poſcimus,
Ut probra noſtra diluas,
Et vota Chriſte deferas.
Tu noſtra Civis inclita,
Tu & Patrona vernula,
Ab Urbis hujus termino
Procul repelle tędium.
*Non hoſtis * ſic prevaleat,* * fortè leg. *hic*
Non morbus, aut penuria:
Recedat omne noxium,
*Et conferatur * commodus.* ** commodum*
Sic vita rebus affluat,
Ne cerda luxu ſordeant;
Cunctiſque propter crimina
Donetur Indulgentia.
*Deo * perhenni gloria,* ** perennis*
Et gratiarum copia,
Qui cuncta volvit tempora,
Et regnat ante ſęcula. Amen.

De tam illuſtri Leocadia Toletanæ Urbis Cive, & Patrona, in cujus templo celeberrimum Concil. IIII. Tolet. habitum eſt, nihil ſcribit Prudentius. Sed id nemo miretur: non enim de omnibus omnino Martyribus ſe acturum ſpoponderat; ut notat Cl. Ruinartius contra Dodvvellum, in Præfatione *in Acta Martyrum*, pag. xxv. Tres Toleti Baſilicæ in memoriam B. Leocadiæ erectæ permanent; quarum prima, ubi nata; altera, ubi paſsa; tertia verò, ubi ſepulta fuit. In vita S. Ildephonſi Epiſcopi Toleta-

Ietani è veteribus MSS. eruta, & illustrara a Thoma Tamayo de Vargas, & a Bollando recusa in Actis Sanctorum, Tom. II. Jan. pag. 536. hæc habentur num. 10. = Accitus autem in Pontificatum nono gloriosi Reccesuindi Principis anno, novem annis, & duobus ferè mensibus clarus habitus fuit vitæ meritis, & * veneratione regiminis; expleroque octavo decimo prædicti Principis anno, sequenti die X. Kal. Februarii domicilio carnis exuitur, atque in Ecclesia B. Leocadiæ tumulatur, ad pedes sui conditus decessoris, cum quo creditur æterno frui receptaculo claritatis. = Nicolaus Antonius varia & exquisita inter Auctores Hispanos eruditione clarissimus lib. 5. *Bibliothecæ Hispanæ veteris* cap.6. pag. 290. Sanctum Ildephonsum Auctorem facit cujusdam *Missæ* de S. Leocadia. Vocant autem Mozarabes Missas, non totum Officium, sed quædam quasi præambula, sive adhortationes ad celebrandum tale Officium. Quæ Missæ nominis acceptio adjungenda est his, quas doctissimus Vir Joannes Bona, S. R. E. Cardinalis post alios collegir lib. 1. *Rerum Liturgic.* cap. 2. Idem Hispanus bibliographus pag. 291. inter Opera laudari Sancti Ildephonsi ponit Hymnos; & observat sequentia =Meminit Cixila, ut vidimus, Cantici, quod Ildephonsus fecerat in Leocadiæ Virginis laudem; forrè ejus (*hymni*) qui immissus fuit in Breviarium Gothicum, vulgo dictum Isidorianum =. Cum Sarraceni Hispanias invasissent, venerandum B. Leocadiæ corpus in Gallias delatum ferunt. Sed tempore, quo conditus fuit noster Libellus Orationum antiquissimi ritus Gothico-Hispani, adhuc solemni pompa in Regia Urbe Toleti quotannis ostendebatur, ut constat ex Oratione 15. ad Matutinum, quæ habet * = Speciosa, Christe Dei Filius, in oculis Fidelium Virgo Leocadia annuis recursibus quodammodo pervidetur, obsequendus honorificè aperitur, bonus ergo odor vestimenrorum ejus super omnia aromata flagrat, quia indicia virtutum illius * exundati claritate fructificant. Concede ergo nobis, ut odor virtutum ejus sopitum cordis nostri sensum ad pœnitentiam excitet: ut, qui nunc percipimus ex odore lætitiam, post percipiamus ex pœnitentia gloriam indefessam. =

* al. *retentatione*.

* Ant. *Speciosa facta es, alleluja.*
exundanti.

Hanc Orationem Mozarabes post Saracenorum invasionem, S. Eulaliæ Virgini (mutaro Leocadiæ nomine) perperam accomodarunr, ut videre licet in edito Breviario Tolerano paginâ ccccxxv. col. iii. ubi legitur:

O R A T I O.

„ Sponsa Christi Dei filii in oculis fidelium quasi turtur virgo Eulalia annuis recursibus quodammodo providetur; dum honor sepulcri ejus humanis obtutibus præsentatur, & obsequendus honorificè aperitur; dum vox ejus suavis, & facies ejus pulchrior * exundati claritate fructificat. Concede ergo nobis, ut odor virtutum ejus sopitum cordis nostri sensum ad pœnitentiam excitet; ut, qui nunc percipimus ex odore læticiam, post percipiamus ex pœnitentià gloriam indefessam =. Quam Orationem, arbitror ea de causa B. Eulaliæ postmodum fuisse attributam,quia de eà Prudentius cecinerat in Hymno 3.versu 176. & seqq.

*exundanti.

Ecce nivem glacialis hyems
Jagerit, & tegit omne forum:
Membra tegit simul Eulaliæ,
Axe jacentia sub gelido,
Pallioli vice linteoli.
Cedat amor lacrymantum hominum;
Qui celebrare suprema solent;
Flebile cedat & officium:
Ipsa Elementa jubente Deo,
Exsequias tibi, Virgo, ferunt.
Nunc locus Emerita est tumulo
Clara Colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Anas
Præterit, & viridante rapax
Gurgite mœnia pulcbra lavat.
Hic ubi marmore perspicuo
Atria luminat alma nitor,
Et peregrinus & indigena,
Relliquias cineresque Sacros
Servat humus veneranda sinu.
Tecta corusca super rutilant
Delaquearibus aureolis,
Saxaque cæsa solum variant:
Floribus ut rosulenta putes
Prata rubescere multimodis.
Carpite purpureas violas,
Sanguineosque crocos metite;
Non caret his genialis hyems:
Laxat & arva tepens glacies,
Floribus ut cumulet calathos. Amen.

* ADNOTATIO IX. pag. 18.

* Cod. Veronen. pag. 18. *IV. Idus Decembris . Quando & Festum S. Eulaliæ incurrit*. Brev. Moz. Tol. pag. 423. col. 3. *In Festo S. Eulaliæ Virginis & Martyris*. Gaudet Officio, & Hymno proprio.

H Y M N U S.

Germine nobilis Eulalia,
Mortis & indole nobilior,
Emeritam sacra Virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est,
*Ossibus ornat, * amereque colit.*
Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
*Urbs * potes, populis locuples:*
Sed mage sanguine Martyrii,
Virgineoque potens titulo.
Curriculis tribus, atque novem
*Tres * annos quater attigerat*
**Crepitante pyra trepidos.*
Terruit aspera Carnifices,
*Supplicium * subis dulce rata.*
*Jam dederat prius judicium *,*
Tendere se Patris ad solium,
*Et * sua membra dicata thoro:*
Ipsa crepundia repulerat,
*Ludere * se nolens pusilla.*
*Spernere * succine flores rosas,*
Fulva monilia respuere:
** Ore se veste modesta gradu.*
*Moribus & nimium * generis,*
Caniciem meditata senum.
*Adest * ubi se furiata lues*
Excitat in famulos Domini,
Christicolasque cruenta jubet
*Thura cremare, jecur pecodiis **
Mortiferis adolere Deis.
Infremuit sacer Eulaliæ
*Spiritus, * ingenieque ferox*
Turbina frangere bella parat,
Et rude pectus, anhela Deo
*Femina provocat * alma virum.*
*Sed pia cura * parentes agit*
Virgo animosa domi ut lateat,
Abdita rure, & ab Urbe procul:
Ne fera sanguinis in precium
Mortis amore puella ruat.
*Illa * persa quietis opem*
*Degeneri tolerare * moram*
*Nocte fores sine teste * movit,*
Septaque claustra fugam aperit,
Inde per invia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris,
*Per loca * sentium sive vepribus,*
Angelica comitata choro:
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium:
Scindere qui tenebrosa potens
Nocte viam face perspicua
*Præstitit, * interimente chaos.*
Non aliter pia Virgo viam
Nocte secuta, diem meruit,
*Nec tenebris * adopta fuit,*
Regna Canopica cum fugeret,
Et super astra pararet iter.
*Illa gradu cita * pervigil*
Milia multa prius peragit;
Quam plaga pandat Eoa polum:

* Prudentius, Peristephanon hymno 3. legit, *amore*
* *Urbe potens*
* *hyemes*
* *cùm crepitante*
* *sibi*
* *judicium*
* *Nec*
* *nescia pusiola*
* *Succina* (subaudi cœpit) *flare* al. *flere*. Vide Cellarium.
* *ore severa*
* *teneris*
* *Ast*
* *pecudis*
* *ingeniique*
* *arma virûm*
* *parentis*
* *perosa*
* *mora*
* *movet*
* *senta situ, & vepribus*
* *intereunte Chao*
* *adoperta*
* *pervigili*

Mane superba tribunalia adit,
Fascibus astat, & in mediis.
** Vociferans ita: quis furor est*
Perdere præcipites animas,
*Et malè prodiga corda **
Sufternere rasilibus scopulis,
Omnipatremque negare Deum?
Quæritis, o miseranda manus,
Christicolûm genus? en ego sum
Dæmonicis inimica sacris:
Idola protere sub pedibus:
Pectore, & ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus & ipse nihil:
** Quia facta manu hic incollit*
Frivola utraque parte-
Quæ nihil.
Maximianus opum Dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
*Prostituat, * voveatque suis*
Numinibus caput ipse suum:
Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius
Sanguine pascitur innocuo,
Corporibusque piis inhians,
Viscera sobria dilacerat,
*Gaudet, & * cruciare fidem.*
Ergo age Tortor, adure, seca,
Divide membra coacta luto.
Solvere rem fragilem facile est:
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
*Prætor, ait, * rumpe præcipitem*
Lictor, & obrue suppliciis:
Sentiat esse Deos patrios,
** Ne temnat Principis imperium.*
Quam cuperem tamen, ante necem
Si potis es, revocare tuam,
** Turbata puellula, nequitiam!*
Respice gaudia quanta metas,
** Quique Tibi Genialis honor!*
Te lachrymis labefacta domus
Prosequitur, generisque tui
** Ingerit anxia nobilitas,*
Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus & thalamo.
Non movet aurea pompa thori?
Non pietas veneranda senum,
*Quos * temerare debilitas?*
Ecce parata ministeria
** Ex crucialibus exitiis.*
*Aut gladio * ferire caput*
Aut laniabere membra feris
*Aut * faucibus data fumificis,*
Flebiliterque ululanda tuis
In cineres resoluta flues.
** Hoc, rogo, quis labor est fugere?*
*Si modicum salis * eminulis,*
Thuris & exiguum digitis
Tangere Virgo benigna velis:
** Pœnam gravem proh aufugeris.*
Martyr ad ista nihil: sed enim

* *Vociferans: rogo, quis*
* *corda substernere*
* *Illa, nihil, quia facta manu: hic, manuum quia facta colit: Frivola utraque, & utraque nihil.*
* *voveatque*
* *excrutiare*
* *rape*
* *Nec leve Principis*
* *Torva*
* *Quæ tibi fert*
* *Ingemit*
* *temeraria*
* *Excruciabilis exitii.*
* *feriere*
* *facibus*
* *Hæc*
* *eminulis*
* *Pœna gravis procul absfuerit, vel afuerit*

In-

Infremit, inque Tyranni oculos
Sputa jacit: simulacra dehinc
Dissipat, impositamque molam
** Turribulis pede prosilivit.*
Nec mora, Carnifices gemini
** Laucea pectus dilacerant,*
** Latus ungula virgineum*
Pulsat utrumque & ad ossa secat,
*Eulalia * munerante notas.*
Scriberis ecce mihi, Domine,
*Quàm * libet hos apices legere*
Qui tua, Christe, trophæa notans!
Nomen & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
Hæc sine fletibus, & gemitu
Læta canebat, & intrepida:
Dirus abest dolor ex animo,
*Membraque * tincta cruore novo*
*Fonte * ente reclarente lavat.*
Ultima carnificina dehinc,
Non laceratia vulnifica
** Cratis gemus, nec arata cutis:*
*Flamma * & undique lampadibus*
In latera stomachumque furit.
*Crinis * & odor ut in jugulos*
*Fluxerat * involuta humeros,*
** Quod pudibunda pudicitia,*
*Virgineusque * lateat honor*
Tegmine verticis opposito.
Flamma crepans volant in faciem,
Perque comas vegetata caput
Occupat, exuperatque apicem.
Virgo citum cupiens obitum,
Appetit, & bibit ore rogum.
*Emicat inde columba * replens,*
Martyris os nive candidior
*Visa * relinquens ad astra petens:*
Spiritus hic erat Eulaliæ
** Lacteus, celer, innocuus.*
Colla fluunt abeunte animâ,
Et rogus igneus emoritur:
Pax datur artubus exanimis,
*Flatus in * æthera plaudit ovans*
Templaque celsa petit volucer.
Vidit & ipse satelles avem
*Feminæ ab ore * in ea re palam,*
Obstupefactus, & attonitus
** Prosiliit, & sua gesta fugit,*
*Lictor & ipse * fuit pavidus.*
Ecce nivem glacialis hyems

** Thuribulis, pede prosubigit.*
** Junceâ pectora*
** Et latus*
** numerante*
** juvat*
** picta*
** cutem recalente lavant.*
** Crate tenus*
** sed*
** Odorus ut in jugulos*
** involitant humeris,*
** Quo*
** lateret honos,*
** repens,*
** relinquere, & astra sequi:*
** Lecteolus*
** æthere*
** meare*
** Prosilit,*
** fugit*

*Ingerit, & * tenet omne forum:*
** Membraque segis simul Eulalia,*
** Ossa latent sub gelido,*
Pallioli vice linteoli.
*Cedat amor * lacrymarum hominum,*
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat & officium:
Ipsa elementa, jubente Deo,
Exequias tibi Virgo ferunt.
Nunc locus Emerita est tumulo
*Clara Colonia * Ventonia*
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit & viridante rapax
*Gurgite mœnia pulchra * plait.*
*Hic, ubi marmore * prespicua*
*Atria luminant alma * Viator*
Et Peregrinus & Indigena
Reliquias, cineresque sacres
*Servat * humumque venerandissimi.*
Tecta corusca super rutilant
De laquearibus aureolis,
*Saxaque * cessa solum variant,*
*Floribus ut * rorulenta putes*
** Parata rubescere multimodis.*
Carpite purpureas violas,
Sanguineosque croces metite:
*Non caret his * gemellis hyems,*
*Laxat & * artat repens glacies,*
Floribus ut cumulet calathos.
Ista comantibus & foliis
Munera Virga, puerque date:
** Adest ergo serta chora & in medio*
*Texta feram pede * datilica*
Vilia, marcida, festa tamen.
Sic venerarier ossa libet,
*Ossibus * Altare & impositum:*
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosque suos
*Carmine * proprio tali foveas.*
** Laudibus efferant enimiis astra,*
Solum, Mare, quicquid habet,
Te, Genitor, Genitumque tuum,
Simplicem etiam & spiritum
*Perpetuis * Eons.*
Festi hujus in laudibus Domini
Vocibus intonet alma cohors,
Victricem qui fecit Eulaliam
Sociam Ethereis civibus perpetim
Trinus unus Dominus. *Amen.*

** tegit*
** Membra*
** Ane jacentia*
** lacrymantum*
** Vettonia*: Vettonia Hispaniæ Provincia, inter Durium & Anam, præsertim posteriore ævo, extensa.
** lavit*
** perspicuo*
** nitor!*
** humus veneranda fuma.*
** cæsa*
** rasulenta*
** Prata*
** genialis*
** arva*
** Ast ego serta choro in media*
** dactylo, vel dactylica*
** altar*
** propitiata fovet.*
* Huc usque Prudentius.

Item alius ex eodem Brev. Toletano pag. 427. col. 2.

HYMNUS.

LAudem Beatæ Eulaliæ
Puro canamus pectore;
Quam Christus inter Martyres
Casto sacravit Sanguine.
Quæ clausa duris postibus,
Interque fortes cardines,
Somni, cibique nescia,
Christum canebat pervigil.
Custos tremendi luminis
*Lux * stupebat vinculis;*
In Carceris angustia
Mentis beatæ gaudia.
Judex furore turbidus

** lucem*

Surgit cruentis fascibus;
Et increpat nectis moram,
Sanctam daturus hostiam.
Læsoque primo verbere
Christi Puella cæditur;
Sed consecrare pernegat
Libamen aris impium.
Nunc in recisa stipite
Ductis in altum brachiis,
Latus Puellæ cæditur,
Nudaque flammis uritur.
Victor recedit spiritus,
Corpus relinquens pallidum;

Quod

Quod legis mortis perditum
Reducat ad vitam Deus.
Jamjam quieti psallite,
Patrique laudem dicite,
Christumque laudemus pium,
Simulque Sanctum Spiritum.
Hac nos redemit Trinitas,
Cujus perennis gloria
In saeculum nescit mori,
Vivens per omne saeculum. *Amen.*

In Missali Gothico extat *Missa in Natale S. Eulaliæ Virginis*, in cujus oratione, quæ habet titulum, *Imolatio Missæ*, ita legimus: *ingentique miraculo Majestas tua exaltatum Virginis spiritum, quem adsumpsit per flammam, suscepit per Columbam* = Hæc verba non de hac Eulalia Barcinonensi, quæ capitis abscissione Martyrium consummavit, sed de nostra Emeritensi intelligenda sunt, quæ *bibit ore rogum*, ut Prudentius canit in Hymno 3. Peristephanωn. Ruinartius pag. 496. in admonitione in Martyrium hujus Santissimæ Virginis Emeritensis pag. 496. hæc ait:

Duplex Eulalia Virgo & Martyr apud Hispanos vulgo celebratur, quarum unam Emeritenses, alteram Barcinonenses sibi vindicant. Verum ita sunt similia utriusque Acta, quæ in variis Codicibus MSS. habentur, ut nonnulli existiment, unam eamdemque esse Martyrem, quam ambæ istæ Civitates sibi ipsis singulæ attribuentes, duas tandem esse putaverint. At cum non solum antiquiora quæque Martyrologia, sed etiam vetustissimum Missale Mozarabum, * duas Eulalias, unam Emeritæ, alteram Barcinonæ passas celebrent, fortasse verisimiliùs nonnullis videbitur unius acta, alteri attributa fuisse, indeque postmodum cum nominis communione, Actorum etiam similitudinem ortam esse. Sed cum ex neutra parte certa occurrant argumenta, quæ rem penitus conficere valeant; ne incerta pro certis proferamus, omissis utriusque actis, Prudentii hymnum 3. libri Peristephanωn retulimus, in quo eleganter Eulaliæ Emeritensis gesta describuntur. Ejus etiam meminit idem Auctor in hymno sequenti de SS. XVIII. Martyribus Cæsaraugustanis:

* Cod. Veron. solam Emeritensem commemorat, ut Prudentius.

Lusitanorum caput oppidorum
Urbs, adoratæ cineres puellæ
Obviam Christo rapiens, ad aram
Porriget ipsom.

S. Isidorus Hispalensis in Chronico, æra 491. refert Theodoricum Gothorum Regem a deprædanda Emeritensi Urbe Sanctæ Martyris Eulaliæ portentis deterritum fuisse. Idem refert Idatius in Chronico Olympiade 309. de qua & Olym. 302. jam egerat. Eamdem Martyrem celebrant Fortunatus lib. 8. carm.4. * Gregorius Turon. lib. 1. de Gloria Mart. cap. 91. Aldelhelmus lib. de Gloria Virginitatis, & alii passim Auctores. Quin & in laudato Missali Gothico lib. 3. Liturgiæ Gallicanæ a Mabillonio edito num. 18. habetur Missa integra de S. Eulalia, ubi (ut dictum est) eadem prorsus, quæ apud Prudentium referuntur. De Eulalia vero Barcinonensi agunt Patres Hispani, cum in Missali Mozarabum, tum in Breviario Toletano, quod vulgo S. Isidoro, attribuitur, Eulogius lib. 1. Memorialis Sanctorum, & alii scriptores Hispani; qui fusius de utraque Eulalia disserunt.

* De Virginitate: *Eulalia Emerita tollit ab Urbe caput.*

Hæc Ruinartius loco allegato. Verùm Prudentius in libro Peristephanωn, seu *de Coronis*, Hymno XI. *de Martyrio S. Hippolyti presbyteri Romani*, unius tantùm festivæ diei, memoriæ S. Eulaliæ Emeritensis consecratæ, meminit ver.230. & seqq.

*Si benè commemini, colit hunc * pulcherrima Roma*
Idibus Augusti mensis, ut ipsa vocat
Prisco more diem; quem te quoque, sancte Magister,
Annua Festa inter dinumerare velim.
Crede salutigeras feret hic venerantibus ortus,
Lucis honoratæ præmia restituens.
Inter solemnes Cypriani, vel Chelidoni
Eulaliæque dies, currat & iste tibi.

* *Hypolitum.*

* ADNOTATIO X. pag. 24.

* Cod. Veron. pag. 24. *XV. Kal. Januarii Festivitas gloriosæ S. Mariæ Virginis*. Hoc Festum in Breviario Mozarabico Toletano pag. 359. col. 1. gaudet Officio, & Hymno proprio.

(a) H Y M N U S

A Solis ortus cardine,
** Et usque terræ limitem,*
Christum canamus Principem,
*Natum * Mariæ Virginis.*
Beatus auctor sæculi,
Servile corpus induit;
*Ut * care carnem liberans,*
** Non perdidit, quos condidit.*
Clausa Parentis viscera
Cælestis intrat gratia:
Venter Puellæ bajulat
Secreta, quæ non noverat.
Domus pudici pectoris,
Templum repente fit Dei;
Intacta, nesciens virum,
*Verbo * creavit Filium.*
Enixa est Puerpera,
Quem Gabriel prædixerat,
Quem Matris alvo gestiens,
Clausus Johannes senserat. (b)
Fit porta Christi pervia,
Referta plena gratia;
Transitque Rex, & permanet,
*Clausa ut * fiat per sæcula.*
*Genus superni * Numinis*
Processit aula Virginis:
Sponsus, Redemptor, conditor,
*Suæ * Gigans Ecclesiæ.*
*Honor * Matris, & gaudium,*
Immensa spe credentium,
** Prostrata Mortis pocula,*
** Resolvit nostra crimina.*
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclita
Regnans per omne sæculum. *Amen.*

(a) *Cœlii Sedulii Presbyteri.*
* *Ad usque*
* *Maria Virgine.*
* *carne*
* *ne perderet.*
* *concepit.*

(b) Quæ sequũtur, desunt in hymno Sedulii: & sunt Auctoris incerti inter hymnos varios Ecclesiasticos, pag. 791.
* Auct. incert. *fuit*
* Idem, *luminis*
* Id. *Gigas*
* Idem, & *Parentis gaudium*
* Id. *Peratra*
* Id. *Mundi resolvit.*

Celebris habetur apud Antiquos hæc Festivitas Annunciationis Beatæ Mariæ, & diversis nominibus donata est. Nam, ut inquit Martene *de Antiqua Ecclesiæ Disciplina in Divinis celebrandis Officiis pagina* 562. & *seq.* ab aliquibus *Conceptio Christi* dicta est, ab aliis *Annunciatio Christi*; *Annunciatio Dominica*; *Initium redemptionis*; *Adnunciatio Christi in Virgine Maria*; *Adnunciatio B. Mariæ*; *Denunciatio B. Mariæ*; & *Passio Christi*. De antiquitate hujus Festi constat ex S. Augustini testimonio in lib. 4. de Trinitate cap. 5. ubi hæc habet; *sicut a majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, VIII. Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & passus*. Et certè Concilium Toletanum X. an. 656. de hoc Festo tamquam de Festo jam diù instituto, & ab universis passim Ecclesiis recepto, loquitur Canone primo; ubi conqueritur, quod *in multis Hispaniæ partibus hujus Sanctæ Virginis Festum non uno die per omnes Anni circulos agatur. Et quoniam die qua invenitur Angelus Virgini Verbi conceptum nunciasse verbis, & indicasse miraculis, eadem Festivitas non potest celebrari condignè, cum interdum Quadragesimæ dies vel Paschale Festum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari*: ideo speciali constitutione sancit, ut *ante octavum diem, quo natus est Dominus, Genetricis quoque ejus dies, habeatur celeberrimus & præclarus. Ex pari enim honore constat, ut, sicut Nativitatem Filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita Festivitatem Matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Nam quod est Festum Matris, nisi Incarnatio Verbi? cujus utique ita debet esse solemne, sicut est ejusdem Nativitas Verbi*. Additque hanc institutionem exemplo non carere, quam *per diversas Mundi partes dignoscitur observari. In multis namque Ecclesiis*, inquit, *a nobis, & spatiis remotis, & terris, hic mos agnoscitur retineri*. Inter illas Ecclesias non immerito reponi potest Mediolanensis, quæ Dominicà sextà Adventus Domini celebrat Officium de Incarnatione Verbi, seu de Adnunciatione B. Mariæ; ut constat ex Breviariis; & Missalibus ejusdem Ecclesiæ. Hactenus Ecclesia Toletana (ad instar nostri Libelli antiquissimi Ritus Gothico-Hispani) octavà ante Domini Nativitatem die Festum Annunciationis solemni ritu recolit, tametsi eamdem Festivitatem iteratò, die Martii 25. observet.

Cod.

*Quæsumus flentes, benedicte * primò*
*Martyr, * & Cives sociate justis,*
Cælitus claræ regionis hæres
*Inclyte * polli.*
Promptus hic nostrum facinus remitte:
Tolle languorem, tribue salutem;
Confunde hostem, releva mærorem,
Morte sublata.
Gloriam psallat chorus, & resultet:
Gloriam dicat, canat, & revolvat
Nomini Trino, Deitati soli
Syderu elament. Amen.

* *prime*
* fortè leg. *& civis*
* *poli,*

Sanctissimi Prothomartyris Stephani memoriam altero post Christi Nativitatem die, jam sæculo quarto solemnem fuisse, constat ex S. Asterii Amaseæ Episcopi Oratione XII. & ex Gregorii Nysseni Oratione de S. Stephano. Legitur in Kalendario Carthaginensi sæculi V. a Cl. Mabillonio vulgato, in Sacramentario, & Lectionario Gallicano, in Missali Gothico, aliisque omnibus, a quibus recensendis in re notissima supersedeo. Accipe insignem Magni Leonis locum ex Sermone de Beato Laurentio: *A Solis ortu*, (inquit Sanctissimus Pontifex) *usque ad occasum Leviticorum hominum coruscante fulgore, quàm clarificatam esse Hierosolymom Stephano, tom illustrem factam fuisse Romam Laurentio*. Arator S. Prothomartyris Acta describit libro I. Historiæ Apostolicæ. Plura vide apud Martenium *de antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis*, cap.13. pag.97. & apud Johannem Tamayo Salazar To. VI. Martyrologii Hispani die 26. mensis Decembris, præsertim pag. 589. ubi ait = Illud nostras spectat, scilicet probare, quatenùs Hispania sacris ejus „ Sanctissimi Diaconi primitùs exuviis ditaretur. De quo testem invoco eumdem „ *S. Avitum* Presbyterum, qui Inventioni Reliquiarum, cum homopulo *Luciano* „ etiam Presbytero, & utroque *Hispano*, interfuit, & cum sacris lipsanis, *Poulo* „ *Orosio* traditis, & ad *Balchonium Braccarensem* Præsulem missis, hæc in ejus Epi- „ stola, quam Cæsar Card. Baronius in *Annal. Eccles. Tom.5. Ann.415. fol. mihi* „ *(in Roman. edit.)* 366. inseruit, continentur: *Itaque Beatissimi, & Dilectissimi* „ *fratres memoriam vestri incessabiliter agens, & tam congruentem ordinantis Dei di-* „ *spositionem videns, promptus fui de Presbyteru, cui revelotum fuerat, partem oli-* „ *quam inventi* Corporis *promereri; quam festinatò expetitam, secretoque perceptam,* „ *ad vos dirigere non distuli. Quamobrem misi vobis per sanctum filium, & compres-* „ *byterum meum* Orosium RELIQUIAS *de* Corpore *Beati* STEPHANI *Primi Mar-* „ *tyris, hoc est pulverem carnis, atque nervorum, & quod fideliùs, certiùsque cre-* „ *dendum est*, OSSA *solida, utque manifesta sui sanctitate novis pigmentis, vel* „ *odoribus pinguiora*. Astipulatur Marcellinus *in Chron. Ann.* 416. his verbis: „ OROSIUS *Presbyter Hispanus genere, Septem Libros Historiarum descripsit.* „ *Missus ab Augustino Episcopo idem Orosius pro distenda animi rotione ad Hierony-* „ *mum Presbyterum*, RELIQUIAS B. STEPHANI *nuper inventas, rediens, pri-* „ *mus intulit Occidenti*. Quem locum idem Cæsar Baronius plurimis (*dicto Tom.5.* „ *Anno* 416. *fol.*390.) verbis exornat. = En origo in Hispania Officii S. Stephani.

* Cod. Veron. pag.42. *VI Kal. Jan. de Festivitate S. Eugeniæ*. Br. Moz. Tol. pag.427. col.3. *II. Idus Decemb. Eugeniæ Virginis, vel Comitum ejus Martyrum*. Gaudet Officio, & Hymno proprio.

* ANNOTATIO XIII. pag. 42.

HYMNUS Ad primas Vesperas pag. eadem, col.4.

Honorem Sanctæ Eugeniæ
Castis canamus laudibus,
Christo fideli jubilo,
Dulci psallamus modulo.
Qui dudum Sanctam Virginem
Puro sacravit pectore,
Mentis arcana possidens,
Sacro nitore illuminat.
Fidelis Christi famula
Mundi calcat jactantiam,
*Marium * colle arripiens,*
** Vita cælum sequitur.*
Castam vitam dum ageret,
Cœnobiumque degeret,
Pater effectu monachis,
*Matrem * cælebat tegmine.*
En duu amor libidinis
Venit pectus Melanciæ,
Pulchram vultuque ut videret,
Amore cæco carpitur.
Quem virgo Christi pervidens,
Suis pellit eloquiis,
Sævumque virus aspidum
*Certo * refutans carmine.*
Illa Tribunal Judicis,
Furore armata dæmonis,
Verbis malignis appetit,
*Castam * expurgans animam.*
*Sed * cremata cælitus,*
*Sancta * probat castitas;*
Quæ dant pro Christo animam,
Cælestem sumit gloriam.

* forte leg. *marium callem*. Tamayo Salazar in Mart. Hisp. *manuum calle*
* lege, si placet, *invicta*. Tamayo, & *vita*
* *cælabat*

* *refutat*
* Tamayo *expugnaat*.
* *concremata* vel, *hæc crematu*, ut in Tamayo.
* *probatur*.

u Deo

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio, . *Cum Spiritu Paraclito*
In sempiterna sæcula. Amen.

Sacramentarium Gallicanum, pag. 281. in Canone, *post Consecrationem*, Eugeniam peculiariter nominat; eamque secundò recenset in Oratione, *ad Pacem*, in Missa *Vigiliæ Natalis Domini*, pag. 289. Ibique altum silentium de Sancta Anastasia, de qua Romanus Ordo ea die commemorationem habet. Quo apud Gallias in loco Eugenia ista cultum habuerit, Mabillonio est incompertum. Ego, ipsam in universa Gallia Narbonensi, Gothorum Hispanicorum Regno olim subjectâ, festivum habuisse diem, Breviarii Mozarabici, & nostri Codicis Veron. antiqui Ritus Gothico-Hispani auctoritate pronuncio. Eadem laudato Viro videtur, ac illa Virgo & Martyr illustris, quæ in Tyberim præcipitata, passa est sub Gallieno, die 25. mensis Decembris. Gaudet Ecclesiâ extra portam Latinam, in qua requiescere dicitur ab Anastasio Bibliothecario in Vita Leonis III. Hadrianus Pontifex ante ipsum Leonem (qui eam Ecclesiam ornavit) Monasterium puellarum ibidem condidit. Historiam nostræ Eugeniæ, quæ inter viros habitans, virilem sexum simulasse, & hominibus præfuisse dicitur, narrat Alcimus Avitus Viennensis Episcopus libro VI. cap. 20. *De consolatoria castitatis laude*, ad Fuscinam sororem in hunc modum:

*Cod. Veron. pag. 42 hæc tantum habet de S. Eugenia = *Eugenia Virgo, mundalium studiorum fasce deposito, cum virili habitu succincta, fe mina viris præfuisset, viriliter vicit fidei hostem, & Melantiam decepiricem.*

Eugeniæ dudum toto celeberrima Mundo
Fama fuit Christi, quæ cum pro nomine vitam
Fuderit, ante tamen fortes processit in actus.
Namque habitum mentita viri, non proinde virile
Pectus, præficitur sanctis a Fratribus Abbas.
Tum patris officium complens, ac veste virili
Fœmineum occultans sexum, muliebria sprevit;
Et meritis annisque graves, longaque verendos
Religione senes juvenili rexit in ævo.
Tunc recti impatiens, omni qui tempore serpens
Mille dolos, damnique artes ter mille volutat,
Invidet Eugeniæ, & sanctum crebrescere fremens
Nomen, ad assuetas redit undique callidus artes,
Eugeniam quærens vulgo traducere: verùm
Quò famam violare cupit, dedit inde coronam.
Quæ sexum mentita piè, cum munia Patris
Sanctè exerceret, morbisque levaret ademptis,
Quotquot subsidium saucta pietate rogarent:
Contigit a morbo ut precibus revalesceret ejus,
Jam dudum confecta gravis Matrona, bonique
Nominis, insano quæ mox accenditur igne
Virginis, heu, specie infælix decepta virili.
Cumque pudicitiam sanctam donisque dolisque
Non semel invasam frustra captare, nihilque
Profore se nosset: (quid non amor impius ausit?)
Addere vim verbis statuit, longèque remotis
Arbitris, morbum simulans, morbique levandi
Eugeniam causa appellans vi utitur illam
Opprimere, inque suos invitam adducere nexus.
Illa autem valido stuprum clamore repellens,
Auxiliumque petens magna virtute resistit:
Ergo luxuriæque suæ matrona patraude,
Complendique expers mulier male perdita voti,
A patre Eugenio (qualem decepta putabat
Ob mutatum habitum longa assuetudine plebes)
Interpellatam stupri sese impia fingit,
Inque forum vocat innocuam: quo protinus omnis
Turba senum turbata coit, quo denique cuncti
Attoniti novitate rei matresque virique
Currunt: interea Eugenius (sic nescia sanctam

Ma-

Matrem turba vocat) populo spectante tribunal
Causam dicturus tam diri criminis intrat ,
Et jam jamque reum secreti ignara tenebat
Publica vis , odia tamen inflammata sinistro :
Conscia cùm sexus proprii , cordisque pudici
Vincitur , ut vincat jam Virgo innoxia fraudem ;
Et sexum ostendit, dudum mentita virilem ,
Fœmineum , ac fraudes populo applaudente retexit
Dæmonis : usque adeo custi custodia voti
Semper tuta manet , multis licet acta procellis ;
Quamlibet impugnet miseri fraus callida mundi ;
Intendatque dolis laqueos , mendaciaque addat .
Nec fert immeritam mors culpæ ignara ruinam ;
Quosque tremens hostis fallaci ventilat astu ,
Purgandos Sancto patientia discutit igni .
Nec desperandum est , si quando adversa videntur
Numina , quæ norunt optatam afferre salutem
Et sperata suis in tempore gaudia servit .

Vide etiam Venantium Fortunatum, *De gaudio & spe vitæ æternæ*, lib.VIII.c.1. Aldelmum *de laudibus Virginitatis* lib.2. & ex recentioribus Johannem Tamayo Salazar Tom.VI. Martyrologii Hispani ad diem XXV. mensis Decembris, pag. 583. qui Acta S. Eugeniæ refert ex Ferrario. Baron. an.204.§.2.7.& Tillemon.To.4.p.12.

ADNOTATIO XIV. pag.43.

* Cod. Veron. pag.43. *IV. Kal. Jan. Incipiunt Orationes in die S.Johannis Apostoli & Evangelistæ .* Brev. Moz. Tol. pag.31. col.2. *VI. Kal. Jan. In Festo Sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ.* Gaudet Officio, & Hymno proprio.

HYMNUS Ad primas Vesperas.

Iste electus Johannes diligendi promptior ,
Advocatus in perennem veritatis gratiam ,
Mercedem assumens honoris, quicquid ambit , obtinet .
Insula Pathmos severè imperante premitur :
Conspicit illic refusa cælitus mysteria,
Et profunda quæ notavit, mente narrat arduo .
Accipit Dei Parentem in suis præcordiis,
Ut Minister veritatis , ut ministret Virginis
*Quæ Deum enixa , sola Virgo semper * astitit.* (* exstitit)
Iste supra pectus illud sempiternum numinis
Corporis usu reclivus , hauriebat intima ;
Spiritusque indicabat veritatis gratiam .
Ad crucem tractus Redemptor , esse Matris Filium
Dicit istum, rursus ipsam esse matrem præcipit:
** Carne unus Spiritus alter ut manerent* (* Hi versus mendis scatent.)
Ultimæ præventus horæ, scindere tunc præcipit
Terram ministris; quare declivus irruit
Mortis vita quievit omne vivens sæculo .
Te rogamus , te precamur, Sancte Christi Apostole,
Tolle pestem , aufer ulcus , & fovete languidos :
Pelle morbum , cæde hostem , & remove scandalum .
Non adurat terram ignis, aerem non sauciet;
Non refundat altiene triste Cælum turbinem ;
Non reclinet in ruinam acerbam ira funditus.
Decidat delictum omne ; subsequatur gratia :
Auferatur culpa tota, sit salutis copia ;
Sit remota cuncta lues; augeatur charitas.
Gloria Deo Patri sit , gloria sit Filio ,
Sit Paraclito manenti semper ingens gloria ;
Qui Deus vivit per omnia sæcula sæculorum .
Amen .

In Sacramentario Gallicano Bobiensis Monasterii edito a Mabillonio, pag.294. ordine præpostero post Festum Innocentium , *Missa Jacobi , & Johannis* ponitur * ; quæ eadem est , usque ad Contestationem , & in Missali Gothico : in quo tamen est prolixior, & inscribitur : *Missa in Natale Apostolorum Jacobi, & Johannis .* Hunc Titulum habet etiam in vetustissimo Codice Regio num.3865. & in Noviomensi annorum minimùm 900. teste Martenio *de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis* pag.100. Sed in Lectionario Gallicano * mentio fit de solo S.Johanne, *Legenda in Festo S. Johannis ad Missam*, ut in nostro Libello Orationum antiquissimi ritùs Gothico-Hispani . Johannes Tamayo Salazar To. VI. Martyrologii Hispani ad diem XXVII. mensis Decembris , pag.595. post multa hæc scribit : *Illud affirmare possumus , quod in omnibus sæculis Hispania proculdubio S. Apostolo (Johanni) Templa , Oratoria , Officia Ecclesiastica , & venerationem totis visceribus exsolvit .*

*nempe IV. Kal.Jan. ut in Cod.Veron.

*apud Mabil. Litur. Gal. lib. 2. p.111.

* ADNOTATIO XV. pag.43.

* Codex Veronensis pag.43. *II. Kal. Januarii. Incipiunt Orationes in die Sanctæ Columbæ*. Breviarium Mozarabicum Toletanum, pag.430. col.3. *In die S. Columbæ Virginis*. Gaudet Officio, & Hymno proprio.

HYMNUS. Ad primas Vesperas, pag. eadem, col.4.

Nardus Columbæ floruit,
Ligustra flagrant oculi:
Fulcite lætam floribus,
** Estipate malis Virginem.*
Hæc Regis apta amplexibus,
Et osculis: gratissima
Christo fidem, quam sponderat,
Cruoris arâ consecrat.
Igne gemellos sæculi
Stravit, subegit, depulit:
Flammam petulcam barbari,
Focosque admotos sibi.
Cum in lupanar posita
Intrantes ad se luridam
Libidinem compescuit,
Sesequè flammis exurit.
Sic liberata ab ignibus,
Locis retractam scenicis,
Mucrone strictò plectitur,
Nuptura Cælo adscisciur.
Cui vox ab astris resonans,
Veni Columba, personat:
Tu vocibus nostris favens,
Fac nos Polorum compotes.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

* Hispanica pronunciatio. Lege, *stipate*.

In antiquissimo fragmento Calendarii Piniani habetur *IV. Non. S. Columbæ Virg. Senonas*, in vetustioribus Martyrologiis notissimæ, die 31. Decembris, & sub Aureliano passæ. Agit de illa noster Card. Baronius ad annum 275. Postridie diei SS.Innocentum, in Turonensi Ecclesia fit Festum S. Perpetui Episcopi; post cujus secundas Vesperas præscribitur in MS. Rituali S. Martini processio ad S. Columbam, cum vigiliis trium lectionum de ejus passione, ut observat Martenius in laud. Opere *de antiq. Eccl. Discipl.* Ruinartius, *Præfatione in Acta Martyrum* pag.XXI. *Beatus Eligius* (inquit) *teste Sancto Audoeno, capsas martyrum Piatonis Tornacensis, Columbæ Senonensis, Crispini, & Crispiniani Suessionensium, Luciani, Juliani, & Maximiani Bellovacensium &c. adornavit*. Johannes Tamayo Salazar Tomo VI. Martyr. Hispani ad diem XXXI. Decembris pagina 626. a tempore Gothorum, & eo amplius Ecclesiam Hispaniæ Officium S. Columbæ peregisse testatur.

* ADNOTATIO XVI. pag 47.

* Cod. Veron. pag.47. *IIII. Kal. Januarii. Incipiunt Orationes de Initio Anni*. Br. Moz. Tol. pag.37. col.3. *In Dominico ante Epiphaniam, sive Apparitionem Domini*. Ista Dominica eo anno, IV. Kal. Januarii ibidem celebrabatur; ut constat ex Festo *Nativitatis Domini*, VIII. Kal. Januarii recurrente, quod in laudato Breviario Moz. Tol. tunc Feriæ IIII. illigabatur.

HYMNUS Ad primas Vesperas, pag.37.

Unigenite Domine,
Verbum natum de Virgine,
Conceptum sine semine,
Lux luminis, & fons vitæ,
Esto nobis in salutem,
Fili Dei unigenite,
Gubernator Jesu Christe,
Ad preces nostras aspice.
In Mundum nobis missus est,
Captivos repræsentare,
Lumen cæcis reformare,
Mutorum linguas laxare.
Ne nos relinquas, Domine,
Omnium conditor, pius
Propitius, miserere:
Qui nullum cupis perdere.
Rectorque Mundi, Domine,
Salvator nostræ animæ,
Tu nos a morte protege,
Ut capiti nostro Christo
Vigilemus Domino:
Fidesque nostra germinet,
Zabuli discedat munimen,
Ne nos valeat subripere.
Per Jesum Christum auctorem,
Qui regnat cum Deo Patre,
Et nos dignatur docere,
Credamus in Trinitatem.
Trino Deo, ac Domino
Omnes dicamus gloriam,
Quia Pater in principio
Semper fuit, cum Filio. Amen.

HYM-

HYMNUS secundus, ad primas Vesperas, pag.2. col.1.

*S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis.

Æterne rerum conditor,
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora,
Ut alleves fastidium.
Præco diei jam sonat &c.

Post dictum Hymnum, *ORATIO*, pag.37. col.4.

„ Omnipotens æterne Deus, & misericors, qui temporum das tempora, & qui „ singulis temporibus das gratiam, quam administrent tu, ne mens prolixitate tene„ brarum exæstuet, gallo nos consolaris canente: ut, dum præco diei sonat, diur„ ni operis meditatio reviviscat. Respice ergo nos jugiter, & instiga, ne profundæ „ noctis errore persuasi, diei obliviscamur perennis; sed habitantes in tenebris eri„ ge, & videndo nos corrige; ut cum Petro resipiscamur errata, & paribus lacry„ mis crimina defleamus commissa. Amen.

*S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis.

* HYMNUS 3. in Laudibus pag.38. col.4.

*Splendor * Dei Patris gloriæ,*
De luce, lucem proferens,
Lux lucis, & fons luminis,
*Dies * diei illuminans.*
Verusque sol inlabere,
*Micans nitore * perpetim:*
Jubarque Sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.
** Totis vocemus te Patrem,*
Patrem perennis gloriæ,
Patrem potentis gratiæ,
*Culpam * religet lubricam.*
Informet actus strenuos,
Dentem retundat invidi,
*Casus * fæcundet asperos,*
Donet gerendi gratiam.
Mentem gubernet & regat,
Casto, fideli corpore,
*Fides, * calaro serveat,*
Fraudis venena nesciat.
Christusque, nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides:
*Læti bibamus * sobriè*
Ebrietatem Spiritus.
Lætus dies hic transeat:
Pudor sit, ut diluculum;
Fides, velut meridies:
Crepusculum mens nesciat.
*Aurora * cursus provehat,*
*Aurorà totus * fulgeat,*
In Patre totus Filius,
Et totus in Verbo Pater.
Gloria Patri ingenito,
Gloria Unigenito,
Unà cum Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

* *Paternæ.* * *dierum illuminas.* * *perpeti.* * *Votis vocemus & Patrem.* * *releget.* * *secundet.* * *calore ferveat* * *sobrium* * *aurora* * *prodeat.*

Ergo novus annus in Hispania a Natali Domini antiquitus ordiebatur; ut constat etiam ex nostro Libello veteris Ritus Gothico-Hispani, in quo orationes *de Initio anni*, IIII. Kal. Jan. consignantur. Sed, mutatà postmodum disciplina, illud Officium post Kalendas Januarias fuit translatum. Hinc est, quod etiam in Codice Veronensi, post Festum *Octavarum Nativitatis Domini* ponitur ab Antiquario. Varia sunt argumenta, quæ nostræ asserrionis veritatem probant: non inferiorem in his locum tenet ipsum Breviarium Toletanum, in quo, licèt nunc temporis *Initium anni* Kalendis Januariis illigetur, celebreturque triduano illo officio Jejuniorum, ad abstinendum ab Idolis instituto, de quo multis supra disserui; nihilominus certa adhuc vestigia in eo apparent, quæ ad comparandam agnitionem rei de qua agitur planum iter ostendunt. Sunt autem hæc.

I. In die Nativitatis Domini. Ad Matutinum pag. 26. col. 4. hæc habetur *Oratio* in Br. Moz.

„ Benedic, Domine, coronam anni benignitatis tuæ, & campi * Domorum „ tuorum ubertate pinguescant: quo ita nobis substantia cum tua gratia largia„ tur; ut & caro frugibus, & anima divinis pasta * collectetur Virginibus. ℟. Amen.

* leg. *donorum* * leg. *collætetur*

II. In die Dominico ante Epiphaniam, qui (ut in nostro Cod. Veron.) eo anno agebatur IIII. Kal. Jan., ista leguntur:

AD VESPERAS

CAPITULA.

„ Deus fine initio, fine fine, a quo est totius Mundanæ creaturæ inicium ; da „ nobis, ut extrema, vel media Anni hujus complacita tibi prosperitate ducamus ; qui initia ejus tibi dedicanda portigimus, ut, & substantiis abundemus, & „ operibus Sanctitatis fulgeamus.

BENEDICTIO.

„ Dominus noster Jesus Christus, qui est corona totius a se formatæ Ecclesiæ, det nobis hunc Annum placabilem ducere. ℟. *Amen.* Consoletur nos frugibus, & dignetur munerare virtutibus. ℟. *Amen.* Ut prosperitate sibi placita „ lætabundi, totius Anni spacia mereamur pertransire illæsi. ℟. *Amen.*

Item, *in prima die jejuniorum Kalendis Januarii*, pag. 40.

IN LAUDIBUS

BENEDICTIO.

„ Christus Dominus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto unus extat conditor „ & annorum, & temporum, ipse in initio hujus Anni vestrum acceptare dignetur jejunium. ℟. *Amen.* Sit vobis semper ductor, qui extitit totius Mundi „ Redempor ℟. *Amen.* Ut cujus *in Nativitate* solemnia jam strenuè petegistis, „ *Apparitionis* festa etiam cum gaudio celebretis ℟. *Amen.* „

III. In Missali, quod Ven. Card. Thomasius * *Gallicanum vetus* appellat, hæc extat *Collectio* ad Vesperum Natalis Domini.

* *quod in Gallia Narbonensi in usu erat.*

„ Sublimem ineffabilis clementiæ tuæ Rectorem annuis supplicationibus in „ hac Vespertina prece, Fratres dilectissimi, unitis animis deprecemur ; ut nobis „ transacti temporis hactenus debita donet, superventuræ noctis solemnitatem Natalis Filii sui prosperam præstet ; assiduam *futuri Anni* custodiam reddat ; ad „ æternæ vitæ gaudia spiritali defensione nos perducat orantes. Per Dominum.

Porro (inquit Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. I. cap. 3. num. 14.) Galliæ Narbonensis Ecclesias eumdem ritum in sacris, atque Hispanicas adhibuisse, patet ex Concilii IIII. Toletani can. XII. quo statuitur, *ut pari modo Gallia, Hispaniaque celebret.* Nec admittenda est correctio, quæ ad oram librorum editorum apponitur, ubi pro *Gallia* hic, atque etiam in Canone sequenti, *Gallicia* ponitur. Hunc quippe locum ita legit Berno Abbas Augiensis cap. 2., ubi Gallos,&Hispanos *in Missarum suarum celebritate* a Romano usu similiter recessisse fatetur. Atqui non solum Gallia Narbonensis, sed etiam aliæ Galliarum Provinciæ in eodem Ritu conveniebant, ut ex jam dictis colligitur, constabitque amplius ex iis, quæ ex Gregorio Duronensi Episcopo postea referemus.

* Alterum indicium est, quod eodem Ritu Missæ Gallicana celebraretur, atque Toletana, seu Mozarabica : cujus rei testes sunt Caroli Calvi litteræ ad Clerum Ravennatem, in hæc verba. „ Usque ad tempora abavi nostri Gallicanæ Ecclesiæ aliter quam Romana, vel Mediolanensis Ecclesiæ divina celebrabant „ Officia, sicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ Ecclesiæ „ ad nos venientes secundum morem ipsius Ecclesiæ coram nobis sacra Officia celebrarunt „ Quæ verba consequentiam non haberent, nisi eadem fuisset Toletana atque Gallicana Liturgia. Certè Hispani vitas Sanctorum (quod de Gallis tradit Hilduinus) in sacris etiam publicis recitabant, ut luculenter inter alia probat Braulionis Cæsaraugustani Episcopi Libellus de gestis Beati Æmiliani Abbatis, quem Libellum ideo conscripsit, *ut posset in Missa ejus celebratione quantocius legi*, quemadmodum Braulio ipse in Præfatione sua loquitur.

* pag. 20. num. 9.

Ter-

Tertiò, Gallicani, & Hispanici Ritus similitudinem probat idem Gregorius in lib. 7. cap. 8., nempe silentium à Diacono indictum. Gregorii verba hæc sunt: „ *Unde factum est, ut quadam die Dominica, postquam Diaconus silentium populis, ut Missæ auscultarentur, indixit, Rex Guntchramnus conversus ad populum diceret*, nempe ut fides sibi servaretur, & nepotes suos enutrire sibi liceret. *Hæc eo dicente, omnis populus orationem pro Rege fudit ad Dominum*. Nusquam Gregorius, quo Missæ tempore indictum sit silentium, disertè tradit: at in Missali Mozarabico præscribitur ante Epistolam his verbis, *silentium facite*. Quod Officium Diacono ante Evangelium tribuitur a Beato Abbate in lib. primo. *Sic cum Evangelium a Levita super Altare levatur, a Levita primum dicitur*: Laus tibi; *& ab omnibus respondetur*, Laus tibi Domine Jesu Christe Rex æternæ gloriæ. *Præcedente Evangelium Cereorum lumine, ... tunc silentium omnibus imperat, & dicit*, lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum, *aut quemlibet ex tribus*. *Respondetur ab omni populo*, Gloria tibi Domine. *Prosequitur Diaconus*: In illo tempore Dominus noster Jesus Christus ambulavit &c. „ Hinc colligitur silentium non modo ante Epistolam, sed etiam ante Evangelium impositum fuisse. * pag. 21. num. 11.

Demum Aur. Prudentius in Hymno IX. libri Cathemerinon, cui titulus, *Octava Kalendas Januarias*, de Nativitate Domini, indicat non obscure ea die in Hispania Annum inchoasse.

Quid est quod artum circulum
Sol jam recurrens deserit?
Christusque terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?
Heu quam fugacem gratiam
Festina volvebat dies!
Quam penè subductam facem
Sensim recisa extinxerat.
Cœlum nitescat latius,
Gratetur & gaudens humus:
Scandit gradatim denuo
Jubar priores lineas.
. . . .
Sed ordinatis sæculis,
Rerumque digesto statu
Fundator ipse, & artifex
Permansit in Patris sinu.
Donec rotata (a) Annalium
Transvolverentur millia,
Atque ipse peccantem diu
Dignatus orbem viseret.

Annus ergo in Hispania a Natali Christi primitus ordiebatur, tum quia Christus VIII. Kal. Jan. in terris apparuit factus homo, tum quia secundum priora tempora dies 25. Decembris ferè in brumam incidebat, hoc est ante VIII. Kal. Januarii, ut animadvertit hic Christophorus Cellarius. Columella lib. IX. cap. XIV. *Bruma ferè conficitur circa VIII. Kalend. Januarii in octava parte Capricorni*. Et Plinius lib. XVIII. cap. XXV. *Bruma Capricorni a d. VIII. Kal. Januarii ferè*. Adde Servium ad Georgicon I. ver. 211. Dicunt autem *ferè*, quia ut Columella ibidem, & lib. XI. cap. II. disputat, quidam dissenserunt.

*Cod. Veron. pag. 44. *Kal. Januarii Orationes de Octavis Nativitatis Domini*. Brev. Moz. Tol. pag. 35. col. 2. *In Festo Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi*. Gaudet Officio, & Hymno proprio. *ANNOTATIO XVII. pag. 44.

HYMNUS Ad primas Vesperas. Ibid. col. 3.

Sacer Octavarum *dies hodiernus rutilat,*
Quo secundum carnem Christus circumcisus traditur,
Patri non adoptione, sed coæternus genere.
Spiritu completur alvus incorruptæ Virginis,
Quæ pariens mansit cœlebs Virgo, quam pueperam
Illibatam Genitricem proles castam * *elegit*. * eligit
Inde Simeon grandævus ovans ulnis accipit,
* *Amplexusque videbat: Salutare Domini,* *lege si placet, amplexarus, quem videbat
Resolve jam nunc in pace artus istos fragiles.
Sed nec illa impar Anna continentia gradiens,
Quam in flore Juventutis conjux viduaverat,
Vagientem confitentem fore Mundi Principem.
Tunc veneranda ex lege offeruntur munera,
Turturum columbarumque bina in Sacrificio,
Quæ corporis, animæque puritatem docerent.
Impleta est prisca in eo legis Circumcisio,
Utriusque ut Testamenti se auctorem ostenderet,
Qui manens in Trinitate universa condidit.
Amen.

In

(a) *Annalium*, Nebriss. & Fabric. exponunt, *annorum*. Prudentius in Præf. Cathemer. versu 3. *Annum cardo rotat*.

In Sacramentario, & Lectionario Gallicano editis à Cl. Mabillonio Missa hujus diei inscribitur, *in Circumcisione Domini*. Ac ita in Missali Gothico. In nostro verò Libello Orationum antiquissimi Ritus Gothico-Hispani, in Sacramentariis Gelasii, & Gregorii Magni, item in principio Superioris Hymni Breviarii Toletani notatur *de Octavis Nativitatis Domini*, more veterum; ut multis hic probat noster Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum.

Prima Oratio *ad Matutinum* in Cod. Veronensi habet titulum, *de Psalmo III.* ut in Brev. Tolet. in quo legitur: = Antiphona: *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua. Psal.* III.

Tertia verò gaudet antiphona allelujatica, quæ propterea eumdem Codicem anno 633. antiquiorem facit; cum Concilium Toletanum IV. illo anno celebratum, Canone II. ita decreverit: *Kalendis Januarii, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino Alleluja non decantabitur: in quibus præter piscem, & olus, sicut in aliis quadraginta diebus a cæteris carnibus abstinetur, & a quibusdam nec vinum bibitur.*

Ne quis tamen existimet hoc Canone (inquit Marten. de antiqua Eccl. Discip. in div. celeb. Off. pag. 105.) jejunium in simplici a carnibus abstinentia repositum fuisse, obstat Concilium Turonense II. Can. XXIII. statuens: *in Kalendis Januarii fieri Litanias, ut in Ecclesia psallatur, & hora octava in ipsis Kalendis, Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur.* Quibus ex verbis facili negotio quisque colligere potest, jejunium illud ad nonam saltem horam productum fuisse; cùm, in Missa celebranda, ea, quam exigit Circumcisionis Festum, solemnitate, ad minus integra hora impendi oporteret. In antiquo etiam Missali Ecclesiæ Turensis ante annos 800. scripto, post communionem habetur Oratio seu Collecta super populum dicenda, non secus ac in Quadragesima, id quod veri jejunii indicium est. In antiquioribus Sacramentorum Libris Gelasiano, & Gregoriano, in Codicibus Regio 3865. in Gellonensi, in Remensi, & Noviomensi, & aliis (teste laudato Martenio) eadem Circumcisionis die alia insuper notatur Missa, *ad prohibendum ab Idolis*. Et in Missali Gothico quædam Benedictio alterius Missæ, quæ (ut videtur) erat ad reprimendas Kalendarum Januariarum superstitiones instituta. Lectionarium quoque Gallicanum habet Epistolam Missæ iisdem vanis ritibus abolendis magis convenientem. Eos eleganter de more describit Aurelius Prudentius Clemens contra Symmachum lib. I. vers. 236.

. . . . . Jano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis, epulisque Sacris, quas inveterato
Heu, miseri sub honore agitant, & gaudia ducunt
Festa Kalendarum: sic observatio crevit
Ex atavis quondam male cæpta: deinde secutis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconsulta catenam,
Mosque tenebrosus vitiosa in sæcula fluxit.

Item S. Augustinus, seu quivis alius Sermone 129. in Appendice novæ editionis, his verbis: „ Hinc itaque est quod illis diebus Pagani homines perversò „ omnium rerum ordine, obscenis deformitatibus teguntur, ut tales utique se „ faciant qui colunt, qualis est ille Deus qui colitur. In istis enim diebus miseri „ homines, &, quod pejus est, aliqui baptizati sumunt formas adulteras, species „ monstruosas, in quibus quidem sunt primum pudenda, ut potius dolenda sunt. „ Quis enim sapiens poterit credere inveniſse aliquos sanæ mentis, qui cervulum „ facientes, in ferarum se velint habitum commutare? Alii vestiuntur pellibus pecudum, alii assumunt capita bestiarum, gaudentes & exultantes si taliter se „ in ferinas species transformaverint, ut homines non esse videantur. Ex quo indicant, ac probant non tàm se habitum belluinum habere, quàm sensum. Nam „ quamvis diversorum similitudinem animalium exprimere in se velint, certum est „ tamen in his magis cor pecudum esse, quam formam. Jàm verò illud quale, & „ quàm turpe est, quod viri nati tunicis muliebribus vestiuntur, & turpissima demum „ demutatione puellaribus figuris virile robur effeminant, non erubescentes tunicis „ muliebribus inserere militares lacertos, barbatas facies præferunt, & videri fœminæ volunt). *Et post pauca*: (sunt enim qui in Kalendis Januarii observant

„ ut

„ ut focum de domo fua , vel aliud quodcumque beneficium cuicumque petenti „ non tribuant , Diabolicas etiam ftrenas , & ab aliis accipiunt , & ipfi aliis tra- „ dunt : aliqui etiam ruftici menfulas in ifta nocte quæ præteriit , plenas multis re- „ bus , quæ ad manducandum funt neceffariæ, componentes , tota nocte fic compofi- „ tas effe volunt ; credentes quòd hoc illis Calendæ Januariæ præftare poffint , ut „ per totum annum convivia illorum in tali abundantia perfeverent.„) Et fincerus Auguftinus in Sermone 198.qui fecundus eft in Calendis Januarii(„ Solemnitas (in- „ quit) Gentium quæ fit hodierna die, in lætitia fæculi, atque carnali, & in ftrepitu „ vaniffimarum cantionum, conviviis, & faltationibus turpibus.) *Et non multo poft*: „ afturus es celebrationem ftrenarum , ficut Paganus, lufurus alea , & inebriatu- „ turus te ? quomodo aliud credis , aliud fperas , aliud amas ? Dant illi ftrenas, da- „ te vos eleemofynas . Avocantur illi cantionibus luxuriarum , avocate vos fer- „ monibus Scripturarum : currunt illi ad Theatrum , vos ad Ecclefiam . Inebrian- „ tur illi , vos jejunate . Si hodie non poteftis jejunare , faltem cum fobrietate „ prandete.„ His prorfus fimilia habentur apud S.Petrum Chryfologum,Serm.155., apud S. Maximum Taurinenfem Epifcopum Hom. quinta in Mufæi Italici Mabillonii Tom.I.,& apud S. Bonifacium Epifcopum Moguntinum , in Epiftola ad Zachariam Summum Pontificem, Cap.6. qui totis viribus in prophanas hafce fuperftitiones invehuntur : quas etiam non improbavit modò , fed diftrictè damnavit Ecclefia fuis Conciliis , præfertim in Turonenfi II. Can.23. Antifiodorenfi anno 614. can.1., & Romano fub Zacharia Pontifice, anno 743. can.19. cui præiverat Gregorii Papæ conftitutio , ut difcimus ex Refponfione Zachariæ ad S. Bonifatium . Atque ut efficacius eis remedium afferret , folemne & univerfale hac die jejunium induxit , ut patet ex antiquo ordine Romano : „ Sed quia imperiti homines fecundum dementiam Gentilium hunc diem Kalendarum Ianuariarum a Principe fuo „ Jano , quem pro Deo colebant , ita vocatum , multis Diabolicis fpurcitiis facra- „ verunt ; ftatuit univerfalis Ecclefia jejunium publicum in ifto die fieri , quatenus „ his calamitatibus auctor vitæ finem imponeret. „ Quibus concinit vulgatus Alcuinus in libro de Divinis Officiis , & Auctor laudati Sermonis 129. in appendice S. Auguftini , quem Cæfarium Arelatenfem effe exiftimant ,

* Brev. quoque Moz.Tol.pag.38. col.4. Jejuniorum hujus Paganici ritus meminit in triduanis Kalendarum Januariarum Officiis ; *III. Non. Jan. Incipit Officium Jejuniorum in Kal. Januarii . Obfervatur* (a) *tribus diebus ante Feftum Epiphaniæ prout fequitur . Primo die* (fcilicet III. Kal. Jan.) *ad Matutinum &c.* *ADNOTATIO XVIII. pag. 38.

H Y M N U S . In Laudibus . pag.39. col.4.

BEnignitatis fons Deus ,
Qui non habens finem boni
Super malum fcelectium ,
Semper pius , femper bonus .
Mæftum fatis cor cædimus ,
Et trifte pectus tundimus ,
Aquas pupillæ fundimus ,
Mæftas genas induximus .
Egiffe multum pœnitet
Horrens , tetrum , vel peffimum ;
*Turpiffimum , * fordidum*
Fatemur omne noxium .

Elevata vox te poftulat ,
Tu parce dicit conditor ,
Jam parce clamans obfecrat ,
Ignofce quod commifimus .
Non ira mæftos forbeat ,
Non pœna feffos conterat ;
Solare contritos cito ,
Et gaudium nobis dato .
Præfta Pater piiffime ,
Patrique compar unice ,
Cum Spiritu Paraclito ,
Regnans per omne fæculum .

(a) Concilium Turonenfe can. 17. *Et quia inter Natalem Domini , & Epiphaniam omni die fefti vitates funt, itemque prandebant . Excipitur triduum illud, quo, ad calcandam Gentilium confuetudinem Patres noftri ftatuerunt jejunium, & privatas fieri Litanias .* De hoc Jejuniorum triduo filet nofter Libellus Orationum antiquiffimi Ritùs Gothico-Hifpani , & Prudentius, cùm in Libro I. contra Symmachum (1) tum in Hymnis,quos cecinit de *Jejunio*:quoniam ipfum poft Saracenica tempora videtur primitùs inftitutum. Porro anno Chrifti 633. Concilium Tolet.IV. unicâ tantùm die , fcilicet *Kalendis Januariis*, jejunandum indixit *propter errorem Gentilitatis*. Vide fuprà, pag.CLVI. §. *Tertiæ* .

(1) verf.240 ubi agit de fuperftitionibus Kalendarum Januariarum .

In eisdem Laudibus primæ diei triduani Jejunii ante Festum Epiphaniæ.

* pag. 39. col 4.

* *CAPITULA.*

„ Dilectissimi Fratres, qui omnia idola Gentium cum Psalmista dœmonia esse creditis, illorum quæso, ut ritus, & monstruosos actus omnimodo respuamus. „ Et, si aliquem ex Ecclesiæ filiis talia aut agere, aut delectari perspicitis, vestra admonitione corripite, & ad viam salutis ab erroribus revocate; ut verba Dominicæ orationis, quæ ipso Domino docente didicistis, & simul mecum, & cum illis proclamare liberi possitis è terris, dicentes. Pater noster. „ A malo libera nos.

Ad Tertiam, post Epistolam B. Pauli ad Corinth.

* *ORATIO.* * pag.41. col.2.

„ Domine qui sursum in Cælestibus habitans, terrenas potestates contines „ & gubernas, da nomini tuo gloriam, da peccantibus veniam: quodque de „ tua misericordia præsumimus, in veritate quod quærimus, hauriamus; ut misericordia tua de Ecclesiæ cœtu simulacra excludat, & veritas ad cultus tui „ agnitionem dubia corda convertat. Adjice quæsumus Domine benedictionem „ tuam super populum tuum, & Ysaac filiorum eorum. Quique timentibus te „ factus es salus, in vitam perpetuam, quam promisisti, concede coronam: ut non „ peccatis mortui a tua benedictione abjiciamur, sed vitæ participes facti, nomen „ tuum in sæcula conlaudemus. Amen.

* pag. 41. col. 3.

CAPITULA.

„ Cognoscant gentes Christe, quod nomen tibi sit Dominus, pro quibus es patibulo Crucis adpensus: quosque ignaviæ ignorantia dedit, scientia restituat „ conditori: ut fide convertatur conscientia, & spe lætentur in gloria. (*a*).

(*a*) Sed nota, quod idem Brev. Moz. in orationibus secundæ, & tertiæ horum jejuniorum diei silet omnino de *erroribus Paganorum*. Idque nostris superioribus conjecturis favet: ac triduanam eorumdem jejuniorum institutionem post Conc. Turonense in Toletana Ecclesia invectam probat.

*ADNOTATIO XIX. pag.47.

* Cod. Veronen. pag.47. *VIII. Idus Jan. In die Apparitionis Domini*. Brev. Moz. Tol. pag. 49. col. 1. *In Festo Apparitionis Domini*. Gaudet Officio, & Hymno proprio.

*S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis. (a)

*HYMNUS. Ad primas Vesperas, peg. ead. col. 2

Illuminans Altissimus
Micantium Astrorum globum
Pax, vita, lumen, veritas.
Jesu, fave precantibus.
Seu mystico Baptismate
** Fluente Jordane retro*
Converso quondam tempore
Præsenti sacravit diem.
Seu stella Partum Virginis
*Cælo micans * signaverit,*
Et hunc adorandum diem
*Præsepe Magos * duxerit,*
*Vel * hydris plenis aqua*
*Vini saporem * infunderis,*
Hausit Minister conscius,
Quod ipse non impleverat.
Aquas colorari videns,
Inebriare flumina,
*Mutata elementa * stupent,*
Transire in usus alteros.
*Sic quinque * milia virorum*
Dum quinque panes dividunt,
Edentium sub dentibus
In ore crescebat cibus.
Multiplicabatur magis
** Sine dispendio panis suo,*
** Quem videns non mirabatur*
Juges meatus fontium.
Inter manus frangentium
*Panis rigatur * profluit*
*Intacta, quæ non * fregerat,*
*Fragmenta * subrepunt vivit.*
Gloria Tibi Domine,
Qui apparuisti hodie,
*Cum Patre, * Sancto Spiritu*
In sempiterna sæcula. Amen.

* *fluenta Jordanis, retro conversa quondam tertiò præsenti sacraris die.*
* *signaverit, & hac adorantum die.*
* *duxerit.*
* *hydris.*
* *infuderis*
* *stupet*
* *millibus virum,*
* *dispendio panis suo.*
* *quis hæc videns, mirabitur*
* *profluus*
* *fregerant*
* *subrepunt viris,*
* adde, &c.

(*a*) Concilium Toletanum IV. Canone XIII. de Hymnis canendis ita decrevit„ ... Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum, & Martyrum Triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos „ Beatissimi Doctores Hilarius, atque Ambrosius ediderunt, quos tamen qui- „ dam

„ dam specialiter reprobant, pro eo quòd de Scripturis Sanctorum Canonum, vel „ Apostolica traditione non existunt: respuant ergo & illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie, publico, privatoque officio in fine omnium psalmorum dicimus: „ Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in sæcula sæculorum Amen. „ Nam & ille hymnus, quem nato in carne Christo Angeli cecinerunt„: Gloria in excelsis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis:„ & reliqua, quæ ibi sequuntur, Ecclesiastici Doctores composuerunt. Ergo nec idem in Ecclesiis canendus est, quia in Scripturarum Sanctarum libris non invenitur? „ Componuntur ergo hymni, sicut componuntur Missæ, sive preces vel Orationes, „ sive commendationis, seu manus impositionis: ex quibus, si nulla dicantur in Ecclesia, vacant Officia omnia Ecclesiastica ..... Sicut igitur Orationes, ita „ Hymnos in laudem Dei compositos nullus vestrûm ulterius improbet; sed pari „ modo Gallia, Hispaniaque celebret: excomunicatione plectendi, qui hymnos „ rejicere fuerint ausi.

Item eodem die, pag.52. col.3.

* HYMNUS secundus.

* Cælii Sedulii Presbyteri. Vide Vet.Poet.p.568. v.23.

Hostis Herodes impie
Christum venire quid times?
*Non * arripit mortalia,*
Qui regna dat cælestia:
Ibant Magi, quam viderant;
Stellam sequentes præviam.
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Lavacra puri gurgitis
Cælestis agnus attingit:
Peccata, quæ non detulit,
Nos abluendo sustulit.
Novum genus potentiæ,
Aquæ rubescunt hydriæ,
Vinumque jussa fundere,
Mutavit unda originem.
*Quarto * die jam fœtidus*
Vitam recepit Lazarus,
** Mortisque liber vinculis;*
Factus superstes est sibi.
*Rivos cruoris * torridi*
Contacta vestis obstruit:
*Fletu * rigantes supplicis*
Arent fluenta sanguinis.
Solutus omni corpore
** Visu repentens artibus,*
Suis vicissim gressibus
Æger vehebat lectulum.
*Tum * quidem Judas carnifex*
Ausus Magistrum tradere
Pacem ferebat osculo,
*Quam non * gerebat pectore,*
Verax datur fallacibus:
Pium flagellat impius:
Crucique fixus innocens
Conjungitur Latronibus,
*Aromata * post sabbatum*
Quædam vehebant corpori,
*Quas * alloquuntur Angeli,*
Vivum sepulcro non tegi.
Hymnis venite dulcibus,
Omnes canamus subditum
Christi triumpho Tartarum,
Qui nos redemit venditus.
Zelum Draconis invidi,
Et os Leonis pessimi
Calcavit unicus Dei,
Seseque cælis reddidit. *
Gloria Tibi Domine,
Qui apparuisti hodie
*Cum Patre, * Sancto Spiritu,*
In sempiterna sæcula. Amen.

* eripit al, *abripit.*

* *ille*

* al. *habebat*

**quarta*:

* al. *cunctisque.*

* *horridi.*

* *rigante*

* lege, *jussus repente surgere.*

* al. *Xeromyrram.*

* *alloquutus angelus.*

* Hic explicit Hymnus Sedulii *de vita Christi.*

* supple *&*.

Celeberrima semper in Ecclesia Catholica fuit *Epiphaniæ* Festivitas, ut quæ vocationis Gentium primordia, gratissima memoria nobis perpetuò recolenda proponat. Plurimæ extant a S. Patribus habitæ hoc die Homiliæ. Gaudet Missa in Sacramentario, & Lectionario Gallicano; itemque in Missali Gothico. * De triplici „ apparitione semper Hispanos festum egisse diem vulgaris opinio est. Ait enim „ Johannes Tamayo de Salazar in Martyr. Hispano, To.I. pag.70. = Epiphaniæ, „ seu Theophaniæ Domini Solemnitatis antiquissima temporum revolutione apud „ Hispanos festivitas numeratur. Noster S. Isidor. lib. I. *de Eccles. Offic.* c.27. ab „ Apostolicis viris hanc fuisse solemnitatem introductam refert: *Epiphaniorum* (inquit) *diem proinde festa solemnitate viri Apostolici signaverunt, quia in eo est proditus stella Salvator, quando invenerunt Magi Christum in præsepi jacentem.* Ubi „ etiam de cultu ipsorum apud Occiduos meminit. Inter quos, & Hispania locum „ tenet præcipuum. Comprehendit hoc festum triplex mysterium, scilicet Magorum adorationem, Christi Baptismum, & ipsius primævum miraculum. Sic Isidor. nost. d. c.27. hisce verbis: *Epiphania enim Græcè, Latinè apparitio, vel ostensio dicitur. Tribus autem ex causis hic dies hoc vocabulum sumpsit, sive quod tunc in*

* Laterculum Polemii Silvii scriptum an.480. habet: *VIII. Id. Epiphania. Quo die, interpositis temporibus, & Stella Magis Dominum nuntiabat, & aqua vinum facta, vel in amne Jordanis Salvator baptizatus est.*

„ *Baptismo suo Christus populis fuerit ostensus : sive quòd ea de syderis ortu Magis* „ *est proditus : sive quòd primo signo per aquam in vinum versam multis est manifestatus*. Quod & Ecclesia Catholica in hymno Vespertino hujus festivitatis canit . „

* Vide Mabill. lib. II. de Liturg. Gallic. pag. 116.

In laudato quoque Lectionario Gallicano,* *in Epiphania ad Missam :*

Lectio Sancti Evangelii Secundum Matthæum .

„ (Tempore illo venit Dominus Jesus in Cana Galileæ in Jordane ad Johannem ut baptizaretur , &c. *Matth. cap.3. v.13. ad finem cap. Tum continuè subjungitur:* Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta , ut putabatur filius Joseph , *ex Luca cap.3. v.23. postea consequenter ex Johannis cap.2. v.1.* Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ , *ad v.11.* „)

Quo loci Johannes Mabillonius in notis, & observationibus suis, „ Observatione dignum est(inquit), quòd Evangelium pro Festo Epiphaniæ ex tribus Evangelistis contextum est, uti & Passio in die Sancto Parasceves ex quatuor. In vigiliis lectum fuerat ex dictis Evangelium ex Matthæi cap.2. de adoratione Magorum , cujus etiam fit mentio in Missali Gothico-Gallicano. Itaque triplex Christi Domini manifestatio hac die etiam tunc recolebatur, nempe Adoratio Christi per Magos, ejusdem baptismus , & primum miraculum , quod contigit in nuptiis apud Canam Galileæ. Tria hæc à Paulino memorantur in Natali IX. de Sancto Felice , ubi de Epiphania agit , eamque inter majores solemnitates numerat. Mozarabes legunt Evangelium ex Matthæi cap.2. de adoratione Magorum . „

Etiam Clarissimus Vir Edmundus Martenius in eandem ivit sententiam: scribit enim: „ Epiphaniæ festum , cujus mentionem faciunt acta S. Philippi Heracleæ „ Episcopi & Martyris apud Ruinartium , celeberrimum facit triplex Christi apparitio , seu manifestatio : adoratio scilicet ejus per Magos , baptismus , & primum miraculum, quod contigit in Cana Galileæ . Triplicem hanc Christi manifestationem semper hac die recoluisse videtur Ecclesia Latina , ut patet tum ex Hymno Prudentii , quem ad Divina Officia solet ex parte adhibere , tum ex Paulino Carmine 9. de S. Felice, ex Gregorio Turonensi lib.2. de miraculis S. Martini cap.26. & de Gloria Martyrum c.87. ex S. Isidori libro 2. de Divinis Officiis „ Cap.26. & aliis . Addit Ordo Romanus hac die etiam quinque milia Hominum „ a Domino refecta fuisse , id quod etiam habet vulgatus Alcuinus de Divinis Officiis Cap. de Baptismo Domini „ (& I. *Himnus Breviarii Mozarabici*) . Sed tantorum Scriptorum venia dico , ante S. Isidorum duplici tantùm apparitione hanc diem in Hispania solemnem fuisse ; quarum prima , ea erat , qua tribus Magis, stella indice, Christus apparuit: altera verò , qua in ejusdem baptismo tota ineffabilis Trinitas manifestata est , cùm Spiritus Sanctus in specie Columbæ descendit , & vox Patris intonuit,*Hic est filius meus dilectus &c.* De tertia namque apparitione, cum Christus aquam vinum fecit in Cana Galileæ, Aurelius Prudentius silet , ut legenti ejus Hymnum XII. cui titulus *Epiphaniæ*, satis superque constabit . Prudentio adstipulatur noster *Libellus Orationum Divinorum Officiorum antiquissimi Ritus Gothico - Hispani*, in quo Orationes omnes, & nominatim quæ incipiunt :

* Vide pag. 48.

* *Christe Filius Dei &c.*
Deus , Dei Filius &c.
Domine Jesu Christe &c.

de sola adoratione Magorum , & Christi Baptismo in Jordane loquuntur . Fucum fecit Doctissimis viris , quos superius memoravi , Hymnus quem Ecclesia in Divinis Epiphaniorum Officiis decantat. Sed Hymnus ille cento est, non integer fœtus Prudentii . Hic enim Hispanus Vates tertiæ apparitionis in Cana Galileæ ibidem non meminit : quoniam ejus memoria in Ecclesia in Dominica post Epiphaniam antiquissimis temporibus recolebatur . Græci moderni (teste Bollando Tomo I. Januarii pag.323.n.3.) solùm Christi Baptismum celebrant die *Theophaniorum* , ut vocant ; & XXV. Decembris una cum Christi Nativitate *Adorationem Magorum* . Ægyptii verò, ut hic in notis ad Martyrologium habet Eminentissimus Card. Baronius , uno eodemque die *Christi Natalem , & Baptismum agunt* . Nam ut Collatione X. cap.2. scribit Cassianus: *Provinciæ illius Sacerdotes, diem Epiphaniorum, vel Dominici Baptismi , vel secundùm carnem Nativitatis esse definiunt ; & idcirco utriusque Sacramenti solemnitatem non bifariè , ut in Occiduis Provinciis , sed sub una diei hujus festivitate* con-

concelebrant. Sed hæc satis. Constat ergo nostrum *Libellum Orationum* esse Isidorianis temporibus antiquiorem, utpote qui hoc Epiphaniorum die, de primo miraculo, quod contigit in nuptiis apud Canam Galileæ, nullam instituat mentionem.

* ADNOTATIO XX. pag. 52.

* Cod. Veron. pag. 52. *VII. Id. Januarii. Incipiunt Orationes de Festivitate SS. Juliani, & Basilissæ*. Br. Moz. Tol. pag. 330. col. 2. *In Natale SS. Juliani, & Basilissæ, vel comitum ejus.* Gaudet Officio, & Hymnis propriis.

HYMNUS primus. Ad primas Vesperas pag. eadem, col. 3.

INsigne Festum Juliani Martyrie,
Quocum adest Virginie consortium,
Cælorum adeptu sit supernus Incola:
Plebis dicatæ multitudo personet,
Fidesque plena singulorum nunciet.
Hic Julianus sorte clari germinis
Civis togatæ Urbis, imbutus omni
Disciplina artium, illustre pignus
Unicum parentibus, vitam
Gerebat consecratam moribus.
*Qui bis novennis *, annis recursibus,* (*leg. *annuis*)
Spem cum ferendæ prolis in se ostenderet,
Adsunt parentes: ire nuptum suggerunt,
Quò liberorum casta procreatio
Avos perenni consecraret nomine.
Sed ecce Christi servus ad Deum fuit
Septem diebus, noctibusque pervigil:
Quid ipse dicat, quid velit, jam consulit.
Adest Deus, docet fidelem servulum,
Jubens salutis appetere connubium.
Firmatus idem gratiæ oraculis,
Surgit, parenti lætior consentiens:
Ex more virgo tunc puella quæritur;
Mox Basilissa sorte huic desponditur,
Decus decori compar huic adjungitur.
Adest & ipse nuptiarum jam dies:
Urbis vocata multitudo convenit:
Plebes vicinæ civitatum confluunt;
Urbana lætè concinentes cantica, (* lege *perstrepentes*)
*Amore carnis * præstrepentis cymbala.*
Sparsis sonorum musicis conventibus,
Melos per omnem Civitatem personat, (*lege, si placet, *cantu sonora*)
*Cantus, * honora concrepabant organa,*
Lyræ strepentis tinniebant cordulæ,
*Clavis * plateæ præstrepebant cytbarie.* (* *claris*.)
Sed hæc Beatus gestiens contemnere,
Mentem futuræ præparat victoriæ:
At ipse victor, tradita cum Virgine,
Intrat sacratum jam thori cubiculum,
Illi reclives continentur mox Deum. (* *doni* .... *munera*.)
*Sed prima Virgo * dona sentit munere,*
Quibus, (a) beati mox odoris nectare ((a) Emendet felicior aliquis.)
Thoris refuso, jam sacrata horresceret:
Hinc fundamenta contremescunt lectuli,
Et luce clara innovantur cælibes.
Fulgore jam post hinc præeunte lampadum,
Rex Christus illis luce clara ostenditur,
Chori Angelorum, vel Sacrarum Virginum
Visum salutis intuentur cernui,
Jam tunc foventur, tunc docentur ampliùs.
Hoc Sacrosancto provocati munere,
Junguntur ambo junctione spiritus,
Et carnis actum nescientes lubricum,
Tenent beatum cælibes connubium,
Quo spiritales proferant partus Deo.
Functis deinde protinus parentibus,
Claro superstites liberorum nomine,
Fundos, domosque prædiorum dividunt,
Quibus virorum, virginumque fulgida
Dicanda Christo consecrant cœnobia.
Sed palma florens Juliani Martyris,
Decem virorum millibus prætenditur,
Isdem paterno quos regebat ambitu:
Hinc & chorais Basilissa Virginum
Stipata floret gratia carismatum.
*Erat futuro Martyri * proprium,*
Cùm Sacrosancta Basilissa conjuge,
Ut oris ejus igne tactus quispiam,
Statim supernam consecutus gratiam,
Terrena linquens, stringeret cælestia.
Sic sic docentes Plebium frequentiam,
Sic multa Christo consecrantes milia,
Duæ lucernæ candelabro impositæ,
Lucent sereno claritatis lumine,
Fulgens perhenni gratiarum lampade.
Hinc, Basilissa commonens virgines,
Columna lucis eminens apparuit,
Styli beatam scriptionem preferens,
Quæ deputatam Virginum frequentiam
Deo placentem prædicaret fulgidam.
Tui precatu virgo vota obtinet:
Premittit omnes jam locandas Virgines
Cælestis aulę in beato sydere,
Quas ipse claro fine mortis adsequens,
Orationi incubans, defungitur.
Sit Trinitati &c.

HYMNUS secundus. Ad easdem Vesperas, pag. 331. col. 1.

JAm passionis inchoandę gloria
*Fides * beati Juliani provocat,* (*leg. *fidem*.)
Quam Marcianus nunciatam non ferens,
Omnes fideles Martyrum Sacri corè
Flammis perurè per satellem precipit.
Ast Iulianum, quem rebellem pertulit,
Iubet stupendis verberari fustibus:
Sed unus ex his cęsor ausus pestifer,
Sacrata diris membra tundens ictibus, (* *carens ocellis*,)
** Carens cęli ultus est mox lumine.*
Quem Iulianus carne, cordeque inluminans,
Christo futurum preparabat Martyrem.
Ast ipse, tractus per plateas ducitur,
Torquendus omni sævitatie pondere,
Pœnisque duris vulnerandus acriter.
Iam turbulenta Presidalis optio
Sanctum cruentis vinxerat doloribus:
Et ecce tractus Martyr ad locum venit,
Quo dulce pignus educatur Presidis,
A Celso vocatus Celsius vocabulo.
Qui visionis glorioso lumine
Christi fidelem comminus mox intuens,

Fi-

Finosque vultus dirigens in Martyrem,
Stupet polorum legiones candidas
Blandis Beatum consolari affatibus.
Hoc rursus idem cernit aucta gloria,
Caputque supra Martyris coronam, jam
Gemmis coruscam, ponderantem, auream,
(a) *Trium virorum aureolis vultus*
Melos supernum concrepabant suavius.
Talique visu, ipse, cantica, quæ armonià
Concinebant suaviore, miratur idem:
Vestibus depositis cursu petivit
Martyrem Dei, celer se Christianum
Corde & ore profitens.
Subtractus ex hinc, Martyris vestigia
Calore Christi jam facer, deosculatur,
Plagas relambit, sacra lingit vulnera,
Se Juliani profitens asseclam;
Nomen parentum, vel honores abnegans.
Mox nunciorum contabescunt tædio
Mater, paterque: hinc dolore tobidi
Funebre factum non ferentes filii,
Clamore terras luctuoso complennt,
Planctu gemituque consolari nequeunt.
Sed ecce rursus Præsidis fremens minax
Furor, prolem jubet disgregari a Martyre,
Frustratur actu jussionis, immo
Videns, quod quisque vellet proficere,
*Contrahit vultus, ejulat, brachiis * plodet.*
Hinc noxiali claudit ambos carcere,
Quo furva essent tota, cæca, & fœtida:
Sed sydus illic lucis almæ splenduit,
Et luminoso nectar addit carceri;
Locusque horrens fit beatis clarior.
Quod rite factum pertremescunt milites,
Et lumen hujus continentes gratiæ,
Conversa Christo corda votis offerunt;
Sternuntur almis Martyris vestigiis,
Christum honorant, nomen ejus prædicant.
His convocatis ad fidem custodibus,
Bis dena quorum conflagrarant pectora,
Septem fideles stirpe clara proditi,
Quos sacra Christo vinxerat germanitas:
Claro utebantur hi Magistro Antonio.
Doctores tali præeunte Angelo,
Petunt ovantes claustra dira carceris,
Quibus beati consedebant Martyres;
Statimque flores Celsius, vel Milites
Baptisma Christi consecuntur candidum.
Hinc agmen unum Christiani Dogmatis,
Facti, Magistro Juliano, Antonio,
Uno tenentur mancipati vinculo,
Unius acti carceris custodia,
Finire vitam cum triumpho exæstuant.
Fides probata Juliani Martyris,
Probanda signis rursus & virtutibus,
Corpus sepulcro mancipandum suscitat,
Plebe obstupente, vel tremente insignia,
Terrena vincit, vincit & mox tartara.
Sed ecce surgens, voce clamans intonat
Accepta esse vota Christo Martyris.
Cujus precatu, glorioso munere
*Infernus omnis * contremens palluit,* * contremiscens
Vivum reportans, quem tenebat mortuum.
Truces ministros Inferorum viderat,
Quorum ducatu pronior per tartara
Deductus ipse, hinc abysso hæserat.
Hinc forte mortis liberatus exiens,
Christum fatetur, Juliano nectitur.
Qui consecutus gratiam baptismatis,
** Atleta Christi fortis idem factus est:* * Br. Moz. adleta.
Fide novatus, charitate fervidus,
Ex Sacramento dictus Anastasius.
*Agonis arcem cum beatis * unitur.*
Aurora fulgens jam diem reduxerat;
Parato pœna nunciatur Præsidi:
Cupæ minaces jam repletæ sulphure,
Picisque, stuppæ, copia bituminum
Suscepta membra non perurunt Martyrum.
Nam his cremandi Martyres depositi,
Adstante vulgo, Plebis & frequentia,
Probantur igne: mox, ut aurum fulgidum,
Clamore uno concrepantes singuli
Melos, ab igne carminis Davidici.
Consumptus ignis gloriosos Martyres
Ostendit, aucta dignitatis gloria;
Tantæque rei comprobans miraculum,
Præses, quod ante Marcianus spoponderat,
Matrem beato tradidit idem Celsio.
Hæc commorata promptior cum filio,
** Grates odorum nare fructus excipit:* *leg. gratos
*Hinc suavitatis jam refecti * nectere,* *lege nectare.
Oblivionem mox dolorum sustinet,
Confessa Christum læta corde & corpore.
Quæ tincta fontis sacrosancto gurgite,
*Et prole * natausa patre filio,* * nata sua, a patre filio
Calore fervens Christiani nominis,
Se persequentes cæcitate percutit,
Thorumque casta conjugale abnuit.
Tunc Marcianus hoc suorum funere
Percussus, adstans excipit vulnus novum:
Nam voce clara in precatu Martyrum
Submersa templi pulchritudo deperit;
Templumque ipsum Terræ latus absorbuit.
Ab hinc atrox jam Præsidis minax furor,
*Sanctis crematis, & * perenitis ceteris,* * lege peremptis
Mox Juliano, & beato Celsio
Cutem retusit gloriosi verticis;
Quos & ferarum mox subegit morsibus.
Hinc jam Theatro intromissi Martyres
Cum noxiali perditorum agmine
Mixto, mucronis enecantur verbere;
Sed condidato adprobantur sanguine
Munus piorum massa rubra corporum.
Nam quisque supra corporis sui thecam
Apparuere christiano cœtui,
In virginali dedicato stigmate;
Quorum cruor lacte respersus, probat
Hæc ipsa Terra, quæ operire nesciat.
Horum beata jam sepulta corpora
Fundunt perennem de sepulchris gurgitem;
Ex cujus undis fons sacratus gratiæ
Impletur amplis cursibus limphaticis,
Quibus stupenda prodeunt miracula.
Illic sacrato functionis tempore
Natalis horum baptizandi confluunt;
Decem leprosi mox salutem perferunt.
Huic vox tremenda de supernis intonat:
Fides meretur Juliani hæc omnia.
Jam jam beate Martyr audi supplices;
*Jam Juliane * confove servulos,* * confoveto
*Et * advoca Martyrum consortio:* * advocato
Fave redemptis; languidis jam subveni,
Adversa pellens, & secunda impertiens.
Tui sequaces adprobati, Sæculum
Discamus omnes moribus contemnere,
Iram domare, fluxa carnis spernere;

Nul-

(a) Filius Præsidis vidit tres viros albescentibus comis, aureoque vultu, in similitudinem aquilarum, super Julianum excubias celebrantes. *Surius*. Hi versus, sententia, & metro carent; maleque divisi sunt in Br. Tolet.

Nullo tenacis blandimento corporis
Uti, polorum perfruamur gaudiis.
Nullis gravati criminis contagiis,
Semper supernis concrememur ignibus;
Semper superna charitate fervidi,
Compunctionis innovemur munere;
Christum sequentes praestolemur Judicem,
Dies ut illa cum tremenda venerit,
Orbemque terror judicantis presserit,
Sponsore sacro te patrono vernulo,
Dextram tenentes, evadamus tartara;
Regno potiti vestiamur gloria.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honorque summus, & potestas inclyta:
Qua Trinitas Pater, Patrisque filius,
Cum Spiritu unus Deus substantiae,
Per cuncta regnat saeculorum saecula, Amen.

HYMNUS tertius, ad Laudes, pag. 333. col. 4.

JUliani vita Martyris
Amore Christi nobilis
Excelsa mundi respuens,
Arcem tenere vult caeli.
Jubetur a Parentibus
Accipere conjugium:
Nec Patri fuit obvius,
Nec Deo mente perfidus.
Consulto lucis auctore,
Jussa complere suggerit:
Laetus pater inducitur,
Basilissaque poscitur.
Junguntur fide compares;
Agunt caelestes nuptias:
Sed illi cordis organo
Renibus uri postulant.
Intrantes in cubicula
Odor rosarum infunditur:
Consentit virgo integrum
Servare contubernium.
Qui captus Antiochiae
Sub Marciano praeside
Torquetur membris omnibus;
Extinctum novat oculum,
Quo deprecante, perfida
Eversa sunt & Idola.
Resurgit Anastasius,
Conversus est & Celsius.
Cupas implent incendii,
Stupa, pice, & bitumine:
Inlaesi & hinc exeunt
Ac templa eversa diluunt.
Adquirit Matrem Puer:
Fit Filius Pater Matris;
Secundae Nativitatis
Filius Matrem regenerat,
Missus in Amphitheatro
Bestiis pardus leo blanditur;
Est percussus inde vulnere;
Raptus arce est in gloria,
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli filio,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna saecula, Amen.

Alphonsus * Villegas loquens de SS. Juliano, Basilissa, & Celso, usum se scribit antiquo S. Isidori Breviario, in quo S Juliani Vita & martyrium eleganti admodum * stylo, fusiùs quàm aliorum Sanctorum res gestae percensentur. Addit jam olim in Hispania celebrem fuisse ipsorum memoriam, ac varia eisdem dicata templa, quorum unum erat non procul a moenibus Urbis Toletanae in Monasterio Agaliensi Ordinis S. Benedicti, ut ex Concilio Toletano XI., anno Christi 675. habito, patet; ubi isthaec habentur: *Avila Ecclesiae Monasterii S. Juliani Agaliensis Abbas, haec gesta Synodica a nobis definita consentiens subscripsi.* In eo Monasterio S. Hildephonsus Archiepiscopus Toletanus, antè Abbas fuit; ut legitur apud Bollandum die 23. Jan. in ejus vita, descripta a Juliano Archiepiscopo quoque Toletano, qui fortè a S. Martyre nomen sortitus est. Acta Sanctorum Juliani, Basilissae, & Celsi antiquissima exstant, & ab iis, qui interfuere conscripta, uti verba in Praefatione num. 1. (apud eundem Bollandum die 9. Januarii pag. 575.) indicant: *Nos, quae vidimus oculis nostris, Sanctorum gesta scripsimus. Unde nobis aliquam portiunculam Beatitudinis credimus esse futurum.* Superfuit scriptor, dum, pace Ecclesiae restituta, sub Magno Constantino varia Martyribus hisce extruerentur templa, ut in fine num. 73. dicitur; nisi ea ab aliquo deinceps adjecta. Acta porro illa quacunque primum lingua conscripta sint, proximis Saeculis grecè, latineque passim vulgata sunt. Extant in plerisque antiquis manuscriptis; & cum orationibus nostri Libelli antiquissimi Ritus Gothico-Hispani mirè concordant. Meminit Actorum S. Juliani Eulogius Martyr, qui circa annum Christi 850. floruit, lib. 1. Memorialis Sanctorum, in quarta adversus Martyres objectione. Item S. Basilissae, Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis, qui vixit circa annum Christi 570. lib. 7. de Virginitate, Carmine IIII., quod & Ven. Beda lib. de Arte metrica retulit:

Hic Paulina, Agnes, Basilissa, Eugenia regnant,
Et quascunque sacer vexit ad astra pudor.

* Fortè intelligendus Villegas de superioribus Hymnis Breviarii Moz.

Fe-

Felices, quorum Christi contingit amore
Vivere perpetuo nomine fixa libro.

Cæsar Card. Baronius in notis ad Martyrol. Rom. scitè ait, Basilissam recensitam inter Martyres, licet Martyrium non obierit; quia multa graviaque passa est, & dux Martyrum extitit. Ipse VII. Id. Januarii * refert S. Julianum: & in notis addit: *sicut in Veteri Rom. Martyrologio, ita & in Manuscript. idem reperitur*. Vide eundem Card. Baronium ad an. 309. num. 36. & Pagium To. I. ad an. 303. num. 6.

In Lectionario Gallicano apud Mabillon. lib. II. de Liturgia Gallic. pag. 115. ita legitur:

„ XVIII. *Legenda in Vigiliis Epiphaniæ.*

„ Vita & passio Sancti ac beatissimi Juliani Martyris.

„ Igitur beatissimus Julianus, ex nobili familia, inlustris erat in sæculo, *&c.* „ *usque ad finem; ut apud Bollandum ad 9. Januarii, ubi acta Juliani, Basilissæ* „ *ejus conjugis, & sociorum Martyrum referuntur. Post hæc, in Lectionario sequi-* „ *tur Sermo quidam absque nomine auctoris, qui Sermo supponit lectum Evange-* „ *lium de adoratione Magorum, ut ex ejus exordio apparet.*

Quo loci laudatus Editor in notis & observationibus suis hæc literis consignavit. „ *Mirari subit, cur acta Sanctorum Julioni, & Basilissæ, qui Antiochiæ sub* „ *Diocletiano & Maximiano martyrium passi sunt, in ipsis Epiphaniæ Vigiliis lecta* „ *fuerint, maximè cum non die sexta, sed nona Januarii in Martyrologiis recense-* „ *antur. An verò tam longa historia in vigiliis illis, præter adinnctam homiliam,* „ *integra legebatur? Fortasse breviabatur ad nutum choro præsidentis, eum ad mo-* „ *dum, quo Carolus M. cum vigiliis interesset, finem lectionum nutu seu sibila si-* „ *gnificasse perhibetur à monacho Sancti-Gallensi. In Mozarabico celebris est etiam* „ *horum Martyrum Festivitas, sed die sequenti post Epiphaniam, ut ex Inlatione* „ *manifestum est* „ *atque ex nostro Libello Gothico-Hispano.*

*ANNOTATIO XXI. pag. 52.

* Cod. Veron. pag. 52. *Incipiunt Orationes in die allisionis Infantum*. Brev. Moz. Tol. pag. 32. col. 4. *In allisione Infantum, sive Sanctorum Innocentium*. Gaudet Officio, & hymnis propriis.

HYMNUS ptimus, Ad primas Vesperas. Ibidem.

Deus Sanctorum psallimus,
Christi canentes præmia,
Qui Sancto largus Spiritu
Triumphum dedit parvulis.
Ex ore quoque infantium,
Perfecta laude Domini,
Totum potens in omnibus,
Artes destruxit Zabuli.
Qui mentem Regis impii
*Vix * agens stimulis,*
Deum Regemque Dominum
Posse persuasit perimi.
Magi sequuntur indicem
Ducentis faciem syderis,
Qua arta sui luminis
Æterno serviret Regi.
Herodes natum metuit
Regem Judæa debitum;
In qua externus genere
Succedi timebat sibi.
Æditio Cæli posito,
Magis in terram territus,
Totius causam sæculi,
Cæcus ignorat ambiens.
Verbisque mitis primum,
Gaudere sese simulat,
Adoraturum pollicens,
Natum regressi ut prodeant.
Sed postquam Deo moniti,
*Dolis * Terra evanuit,*
Immane tentat facinus,
Cunctis ignotum Sæculis.
Christum Bethleem audierat
Divino nasci oraculo,
Urbis audito nomine,
Parente quo nascitur nescius.
Nascentis tempus computans,
Infra bimatum pueros,
Matrum raptos ab uberibus,
Necare jubet impius.
Quos testes sibi Dominus
Certo passuros tempore,
Pius Redemptor omnium
Laude sacravit perpetim.
*Oblatis * magnum fletibus,*
Ostendens feri lacrymis,
Ad futuram gloriam
Certis metetur gaudiis.
Memento salutis auctor &c.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine &c.

* *matrum*

HYM-

* *Caelii Sedulii Poet. vet.* p 568. B.7.
* *deflens*
* *victimam*
* adde *se*
* *Resuscitans*
* *Orat*
* *Flexus genu*
* *ambulans*

* HYMNUS secundus, ad Matutinum, pag.34. col.1.

*C*Aterva matrum personat,*
*Colliso * deflet pignora,*
Quorum Tyrannus milia
*Christo sacravit * victima.*
Miraculis dedit fidem,
*Habere * Deum Patrem,*
Infirma sonans corpora,
** Et suscitans cadavera.*
** Horat salutem servulo,*
** Nixus genibus, Centurio,*
Credentis ardor plurimus
Extinxit ignes febrium.
*Petrus per undas * ambulat.*
*Christi * levatus dextero;*
Natura quam negaverat,
*Fides paravit semitam. **
Honor matris & gaudium,
Immensa spes credentium,
Per atra mortis pocula
Resolvit nostra crimina.
Memento salutis Auctor,
Quòd nostri quondam corporis,
Ex illibato Virgine
Nascendo, formam sumpseris.
Gloria tibi Domine,
Qui natus &c.

* *levatur*

*Hic explicit Sedulii Hymnus de Vita Christi &c.

Apud Sanctum Fulgentium, qui circa annum 530. in pace quievit, post Sermonem Nativitatis Jesu Christi, alius habetur Sermo de Sancto Stephano Protomartyre, quem excipit tertius de Epiphania, seu de morte Innocentum, & adoratione Magorum. Prudentius quoque de SS. Innocentibus loquitur post Festum Epiphaniæ in Hymno XII.libri Catemerinon.Ex quo conjici licet ejusdem ætate de prædictis Martyribus Ecclesiam Hispanam Festum egisse diem post VIII. Idus Januarii, ut habetur in nostro libello Orationum antiquissimi Ritus Gothico-Hispani. Verùm in Kalendario Carthaginensi edito a Mabillonio legitur, *V. Kalendas Jan. SS. Infantes, quos Herodes occidit*. Et in Sacramentario Gallicano eorum Missa exstat post Festum S. Stephani. Apud Græcos autem SS. Infantum dies solemnis agitur IV. Kal. Jan., ut constat ex eorum Mænologio apud Canisium, Lect. Antiquatum die XXIX. Decembris, fol. 941. Tom.II. Vide mox laudatum Prudentium etiam in Hymno Peristephanon versu 735. & seqq. ubi agit de Martyrio Infantis, qui cum S. Romano passus est: Item Johannem Tamayo Salazar To.VI. Martyrologii Hispani, die 28. Mensis Decembris pag.597. Et Edmundum Martenium de Antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis offic. pag.100.

In Missali Mozarabico ad Missam, *lectio Hieremiæ Prophetæ*, Vox in Rama, *&c. Lectio secunda ex epistola 2. beati Pauli ad Corinthios cap.1.* Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi *&c. Evangelium ex Matthæi capite 18.* Oblati sunt Domino nostro Jesu Christo parvuli, &c.

* Cod. Veron. pag.55. *XII. Kal. Februarii Incipiunt Orationes in die SS. Fructuosi, Augurii, & Eulogii.* Breviarium Mozarabicum Toletanum pag.350. col.2. *Idibus Februarii. In Sanctorum Fructuosi, Augurii, & Eulogii.* Gaudet Officio proprio, & duobus Hymnis.

*ADNOTATIO XXII. pag.55.

* Prud. Hymn.VI. endecasyllabo:v.142. *excitatur*
* *Hiberis*
* *Circumstes*
* *hymnus*
* *mixtis*
* *ipsi*

(o)Pru.Hymn.VI. *Felix Tarraco, Fructuose, vestris Attolit caput ignibus coruscum*

HYMNUS primus. Ad primas Vesperas, pag. eadem col.3.

O Triplex honor, ò triforme culmen,
*Quæ nostræ caput * excitat urbis,*
*Cunctis Urbibus eminens * Hiberiæ,*
Quorum præsidio fovemur omnes.
** Circumstans Chorus ex utroque sexu,*
Vestrum psallite ritè Fructuosum:
*Laudans Augurium resultet * hymnis,*
** Mixtus Eulogium modis coæquans.*
Ii inter rapidos focos crepantes
*Intrant passibus, & minantur * ipsis*
*Flammarum * trepidantes caminis;*
*Quos olim * fugit perhennis ignis.*
Felices animæ, quibus per ignem
** Celso * candore contigit Tonantis?*
**Cunctisque pro populis rogate Christum;*
Ut nos Tartareo regat ab igne.
Æterno Genitori gloria,
Christo semper genito, sit tibi semper
Compar Spiritui, qui Deus unus
Polles perpetuis inclyto saeculis. Amen.

*trepidantibus, sive crepitantibus
* *fugiis*
* *celso scandere*
* lege, *Cunctis pro populis rogate Christum.*

(o) Item In Laudibus alius Hymnus pag.353. col.2.

** FOelix Terra, quæ Fructuoso vestiris,*
Ut tollis caput ignibus chorus
** Cum Leviticis geminis procul relucens,*
** His piis nos Deus aspicit benignus.*

* *Levitis*
* *Hispanos*

Arcem quandoquidem potens Hiberam
Trino martyre Trinitas coronat,
*Ardens Augurius * capescit æthera,*
*Nec non Eulogius simul * superum.*
*Christi lucidas * sedulò tendit.*
*Dux * prævius, & magister illis*
Ad tantum decus, ex Episcopali
Clarus nomine Fructuosus ibat.
*Accitus * qui à Præsidis * præsentis*
Jussu venerat ad forum sacerdos,
Levitis comitantibus duobus.
*Inde ad carceram * viro catenam*
Pastus sanguine Carnifex trahebat:
Gaudet currere Fructuosus ultro,
Ac, ne quis socios timor feriret,
Præceptor vehemens eundo firmat,
** Intenditque fidem calore Christi.*
Mecum state viri: vocat cruentus
Ad pœnam coluber Dei ministros:
Ne mors terreat, est parata palma.
Carcer Christicolis gradus coronæ est,
Carcer provehit ad superna cœli,
Carcer conciliat Deum beatis.
His dictis, adeunt specum reorum.
Exercent ibi mysticum lavacrum,
Et purgamen aquæ stupeat tenebræ.
** Ex hinc continuis latent diebus,*
Tandem stant trucis ad tribunal hostis.
Fratres tergeminos tremuns catastæ.
Judex Æmilianus imminebat
*Atrox, turbidus, insolens, * prophanus:*
** Iras Demonicas coli jubebat.*
Tu, qui doctor, ait, seris novellum
Commenti genus, ut leves puellæ
*Lucos * distituant, Jovem relinquant:*
*Damnes, si * sapis, * Augusti dogma.*
Jussum est Cæsaris ore Gallieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes.
*Hæc * fundo placidus refert sacerdos:*
*Æternum * coli principem, dierum*
Factorem, Dominumque Gallieni,
Et Christum Patre prosatum perhenni,
Cujus sum famulus, gregisque pastor:
Subridens ait ille: jam fuisti.
Nec differt furor, nec refrænat iram,
Sævis destinat ignibus cremandos:
*Exultans, prohibentque fiere * fulgum.*
** Quondam de populo videt sacerdos.*
Libandum sibi poculum offerentes:
Jejunamus, ait, recuso potum.
*Nondum nona * diei resignat hora,*
*Nunquam conviolabo * judicatum,*
Nec mors ipsa meum sacram resolvit.
Sic Christus sitiens crucis sub hora
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec librare volens, sitim peregit.
*Intrant interea locum * rotanda*
Conclusum cavea, madens ferarum
Multo sanguine, quem furor frequentat,
*Cum * expectacula * intrant cruenta.*
Ac vilis gladiator ense duro
*Percussus cadit, & fremit * volitans,*
** Hinc flammante pyra, niger minister*
Ardens supplicium parare jussus.
*Construxit * fascibus rogum * supremis.*
*Qui, * dum corporu * concremata solvit,*
Ferventes animas amore lucis
** Fracto carcere expedire atro.*
Certant officiis pii sodales:

* capessit æthram
* superbum
* ad sedile
* & prævius
* quia
* repente
* viros
* Incenditque
* Sex hic
* profanus
* Aras
* destituant
* sapias
* nuila
* fanitè
* colo
* vulgum
* quosdam
* diem
* jus dicatum
* rotunda
* spectacula
* perstrepunt
* voluptas
* Hic
* facibus
* supremi
* cum
* concremanda
* Fracto carceris expediret antro

Plantis calciamenta dissolutis,
*Pronus * destrare studebat unus:*
*Sed sanctus vetat * moram Fructuosus.*
*Inclita * præmii: facessite, inquit,*
Ne nostram graves obsequella mortem.
** Ut cum ipse meos pedes resolvam,*
*Ne vestigia præpedita * vinclo*
Tardis gressibus inruant in ignem.
Cur lamentata rigans genas madentes?
Cur vestri memor ut fiam rogatis?
Cunctis pro populis rogabo Cristum.
Vix hæc ediderat, relaxat ipse
Indumenta pedum velut Moyses
Quondam fecerat ad rubum propinquans.
** Ne calcaret sacram cremationem,*
Aut adstare Deo prius licebat,
Quàm vestigia puro figerentur.
** Calce mera: resultat ecce*
Cœlo spiritus, & ferit loquellam,
Quæ cunctos tremefecit audientes.
Non est, credite; pœna, quam videtis,
Quæ puncto tenui citata transit:
*Nec vitam * illa tollit, sed reformat.*
Fœlices animæ quibus per ignem
*Celsa scandere * contingit Tonantis!*
Quas olim fugiet perhennis ignis.
** Hic inter, rapidos focos crepantes*
** Intrat passibus, & minantur ipsi*
*Flammarum * crepitantes camini.*
Nexus denique, qui manus retrorsum
** Intergrum renovaverat revincta,*
Intacto ente decidunt adusti.
Non ausa est cohibere pœna palmas,
In morem crucis ad Patrem levandas:
Solvit brachia, quæ Deum precentur.
Priscorum specimen trium putares,
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes stupuit tremens Tyrannus.
*Illis sed pia flamma * tunc pepercit,*
Nondum tempore passionis apto,
Nec mortis decus inchoante Christo.
*Hos, cum difugeret * vaporeus ardor,*
Orant, ut celer ignis advolaret,
*Et finem daret anxiis * periculisque.*
** Exhortatur suos obire tandem*
Majestas famulos jubet, caducis
Missos corporibus, sibique reddi.
Vidit Præsidis ex domo Satelles
Cœlum Martyribus patere apertum,
Insignesque viros per astra ferri.
Quin & filiolæ monens herili.
Ostendit sceleris notam paterni,
*Cœlo vivere, quos * ferus peremit.*
** Hæc vitam virginitas palàm videre*
Perfidum meruit parentem cæcum.
Ut crimen Domini domus timeret.
Tunc de corporibus sacris favillæ,
** Perfusa mero legantur ossa,*
Quæ raptim sibi quisque vindicabat.
*Fratrum * tantus est amor demum referre*
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
** Sed & reliquias resuscitandas,*
*Et mox cum Domino simul * futuros,*
*Discretis * loco dividant sepulchris:*
** Cernui niveis stolis amicti,*
*Mandant restitui, * cadaveraque claudi.*
** Misto marmori pulvere sacranda.*
O triplex honor, o triforme culmen,

* detrahere
* ora
* inclinatu premi
* obsequela
* At quin ipse
* vinclis
* Non calcare
* pura
* Stabat calce mera
* rapit illa
* contigit
* Hæc inter rapidis
* Intrant
* trepidantibus caminis. Alii: crepitantibus caminis
* in tergum revocaverant revinctas.
* tum
* vaporus
* periclis
* exoratu suos
* fosum
* Hæc tum
* Per fudum meruit, parente cœlo,
* Prud. addit Et.
* tantus amor domum referre
* Sed ne reliquias
* futuras
* loca
* Cernuntur
* cavoque
* Mixtim marmora pulverem.

Quo sacrandum.

Que nostræ caput excitatur Urbis,
Cunctis Urbibus eminens Hiberis.
Exultare tribus libet Patronis:
Quorum præsidio favemur omnes
*Terrarum Populi * Piriaeorum,*
* *Pyrenearum* *Circumflet chorus en utroque sexu,*
*Heros, virgo, puer, senex, * ancila:*
* *unicla* *Vestrum psallite ritè Fructuosum.*
* *hymnus* *Laudans Augurium resultet * hymnis.*
Mixtis Eulogium modis coæquans.
Reddamus paribus pares Camœnas.
Hinc auratu foveat in arce tecta
* *littoris* *Blandum * litoris extet inde murmur,*
Et carmen freta feriata pangant.
Olim tempus erit ruente mundo, **Tarraco*
*Cùm te, * Terra Fructuosum solvet* *Fructuosus*
*Supplitio tegens ab igas, Fers * donabitur.* *acri solvet*
Et omnis medela tormentis *supplicio*
Date prosperante Christo, * *dignebitur*
*Dulces Endecasyllabos revolvens ** *& meis me-*
Atque trepudians calo amictus chorus *delam tor-*
Per sæcula vivens in æthera. *mentis dare*
Æterne Genitor, gloria Christo semper. *prosperante*
Compar Spiritui, qui Deus unus *Christo,*
* *Pellens perpetuis inclite sæculis.* * Hucusque
Amen. Prudentius

Prudentius itidem in Hymno 4. Peristephanon v.17. agens de SS. XVIII. Martyribus Cæsaraugustanis hæc cecinit: * leg. *Pollet*

Tu tribus gemmis diadema pulcrum
Offeres Christo, genitrix piorum
Tarraco, intexit cui Fructuosus
Sutile vinclum.
Nomen hoc gemmæ strophio inligatæ est:
Emicant juxta lapides gemelli,
Ardet & splendor parilis duorum
Igne corusco.

Auctor est Joannes Marietta lib.1. cap.22. & Franciscus Padilla Centuria III. cap.14. in plurimia Hispaniæ Ecclesiis recitari de SS. Fructuoso Episcopo, Augurio, & Eulogio diaconis Officium propriasque lectiones ex Actis concinnatas.

SS. Fructuosi, Augurii, & Eulogii Acta sincera ex compluribus Codicibus MSS.edidit Ruinartius pag.220. quibus hanc præposuit admonitionem. „ Beati Fructuosi Episcopi Tarraconensia, sociorumque ejus Augurii, & Eulogii diaconorum Acta authentica refert Bollandus ad diem vigesimam primam mensis Januarii, quæ etiam nos in aliquot codicibus MSS. invenimus; sed tantisper, absque ulla tamen sensus mutatione, fusiora, præterquam in codd. Colbertino, & RR. PP. Fuliensium Parisiensium, ubi eadem fere omnino ac in editis habentur. Ipsa autem eadem esse quæ olim in ecclesia Africana legebantur, facile probari potest ex iis quæ refert Sanctus Augustinus sermone 273. novæ editionis, aliaa 10t. de diversis, quem in eorumdem Sanctorum Natali habuit. Ejua aliquot fragmenta, sicut & Prudentii, qui hymnum sextum libri Peristephanon in ipsorum Martyrum honorem ex ipsissimet Actis pœne totum contexuit, suo quæque loco profert.

Passi sunt autem ii Martyres apud Tarraconem, celebrem olim Hispaniæ citerioris Metropolim, in hodierna Catalonia, Æmiliano, & Basso Consulibus, idest anno Christi CCLIX. feria sexta, vigesima prima die Mensis Januarii, qua die tum in novis, tum in veteribus Martyrologiis eorum memoria recolitur. Et quidem hac ipsa die 21. Januarii eorum Natale apud Hipponem-regium celebratum fuisse ex laudato S. Augustini Sermone patet, qui num.6. sic de iis loquitur. *Beati quorum passio recitata est: Beata Agnes Sancta, cujus Passionis hodiernus dies est.* Certum est enim Agnetem die 21. Januarii passam fuisse,quo reipsa die in Cod.Veron.ac in vet.Kalendario Carthaginensi jam sæpius laudato hujus Virginis festum recolitur. Unde mirum videri potest quod horum Martyrum festivitas,in Mozarabum Brev. & Missali Idibus Februarii annotetur.Cujus rei alia ratio non occurrit,nisi quod ista celebritas ob Sanctæ Agnetis festum, vel ob aliquam forte translationem in alium diem dilata sit. Eorundem Martyrum corpora in Italiam postmodum translata fuisse observat Joannes Bollandus ex Mariana Historia lib.4. cap.10. ibique asservari in Monasterio Ordinis Benedictini, non longe ab Urbe Genua Ligurum Metropoli distante. Falsus est Rabanus, qui in Martyrologio die 21. Januarii Regulam Monachorum, quæ ab alio Fructuoso, Braccarensium scilicet Episcopo, Sæculo septimo conscripta est, huic Fructuoso Martyri attribuit.

Nostrum Libellum Orationum Divinorum Officiorum antiquissimi Ritus Gothico-Hispani ad Ecclesiam Tarraconensem pertinuisse, ut omnibus sit exploratum, aliquot loca, quæ id apertissimo declarant testimonio, hic indicasse non pigeat. Igitur pag.55. in die horum Sanctorum Tarraconensium, Fructuosi &c. hæc habetur Oratio Completoria, ad Vesperum:

*Probata satis, Domine, tuorum trium est vita Sanctorum, * ut qui auri fulgidum radiantis metallum: quorum fidem dum probabili camino examinas, laudabili judicio tibi placiturum adsignas. Habes ergo in tribus * hi manipulis Sacerdotum, quos ad te* MATER NOSTRA *Ecclesia misit, discreta quidem ordinum, sed veneranda officia: in Fructuoso siquidem Pontificalis gratia fulgens; in * Augurium, & Eulogium Leviticæ dignitatis mynisterium clarens. Nostra ergo vota *, hii tuis obtutibus sanctificanda insinuent, ille * ut postrema Sacerdotii consecranda peroret: horum ministerio calicem salutaris sumamus ad vitam; illius invocatione sanctificati perducamur ad gloriam.*

* Br. Moz. *ut auri* &c.
* lege *bis*
* lege *in Augurio, & Eulogio.*
* lege *ii*
* Br. Moz. *ut pro te morte Sacerdotii consecranda perornet.*

Item in Dominico die *ad tollendas carnes*, post benedictionem ad Matutinum, COMPLETURIA POST EXPLICITAS (a) LAUDES, QUAS PSALLENDO VADUNT USQUE AD SANCTA HIERUSALEM, QUAE IN SANCTO FRUCTUOSO DICENDA EST.

*Lætare Jherusalem, quoniam * FILII tui collecti numerosæ collectionis tibi personant laudes: quæsumus proinde, Deus, ut in hujus sanctæ* MATRIS *gremio constituti, perpetuum tibi alleluja & spiritu & mente psallamus: sicque, quod nunc in peractione Matutini Officii per multiplicationem Laudum devotè consummantes persolvimus, post nostrum obitum cum Sanctis tuis omnibus tibi uberiùs decantemus.*

(a) nempe orationes allelujaticas, de quibus intra sermo instituetur *in Dominico ad tollendas carnes.*

Hæc sunt duo præcipua loca, quæ Ecclesiam Tarraconensem *nostrum Libellum Orationum Divinorum Officiorum* adhibuisse demonstrant: reliqua in notis ad singulos ejus solemnes dies explicabuntur.

* ADNOTATIO XXIII. pag.58.

* Cod. Veron. pag.58. *XI. Kal. Februarii. Incipiunt Orationes in die S. Vincentii.* Brev. Moz. Tol. pag.338. col.2. *In Sancti Vincentii Levitæ, & Martyris.* Gaudet Officio, & duobus hymnis propriis.

* Tamayo sub die 22. Jan. Tom. I. pag. 220.

* HYMNUS primus. Ad primas Vesperas pag. ead. col. 3.

* Totus iste Hymnus Toletanus videtur esse Prudentii *de Passione S. Vincentii Martyris*, quamvis octo priores strophæ non legantur in edito Hymno V. libri Peristephanon.

A Dest miranda passio
Levitæ Sancti Martyris,
Cui clara virtute flagrans
Corona Vincenti datur.
Beatus ille spiritus,
Quem post triumphum prælii,
Post vincla dira carceris,
*Cælestis aula * suscepit.*
Omnes mirantur perpetim
*Post * sattum cruorem Martyrem,*
*Quem testularum * fragmina*
Mucrone acuto vulnerant.
Dolore nullo frangitur,
Nullâque pœnâ vincitur,
Flammas ferens per ungulas
Robusta permansit fides.
Ex hinc reponunt mollibus
Christi fidelem militem
Carnis relicto pondere,
Ad astra migrat Spiritus.
Vesanus Imperator fe-
ris jactum cadaver mundat,
Custode corvo, corpore
Famis lupina pellitur.
Gravit Tyrannum incitat
Furor, jubetque Martyrem
Insutam parvo eculeo
Ponti profundo immergere.
*Honor summus * redditur*
Jubente Christo littori;
(a) *Refectis undis levibus*
*Prævenit omnes * remigeo.*
** Tu solus o bis inclyte,*
*Solus, * bravii duplicis*
** Palmas tulisti, tu duas*
Simul parasti laureas.

* *suscipit.*
* *sactum*
* *fragmina*

(a) Hæc, & sequentes strophæ habentur in edito Hymno V. Prudentii, quem vide versu 536. & seqq.
* *brabeii*
* *Palmam*

Adesto nunc, & percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad Thronum Patris.
Per te per illum carcerem,
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas, ungulas,
Per carceralem stipitem,
Per fragmen illud testeum,
** Coperta crevit gloria,*
** Et quem trementes posteri*
Exosculamur lectulum.
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputat.
Si ritè solemnem diem
Veneremur ore, & pectore:
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur:
** Parvulis per hunc inlabere,*
Christi favorem deferens,
** Sensus gravati ut sentiant*
Levamen indulgentiæ.
*Sic nulla * longe stat mora,*
** Cum excitatum nobilis*
Carnem resumat Spiritus,
Virtute perfunctam pari.
** Et quæ laborum particeps*
Commune discrimen tulit,
Sit & cohæres gloriæ
Cunctis in æternum sæculis.
Præstu, Pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

* *Quo parta*
* *Per quem*

* *Paulisper huc tu illabere*
* *Sensu*
* *jam restat*
* *Quin*

* *Ut*

HY-

* HYMNUS 2: in Laudibus pag. 340. col. 4.

BEate Martyr prospera
Diem triumphalem tuum,
Quo * sanguis merces tibi,
Corona Vincenti datur.
Hic te ex tenebris sæculi,
Tortore victo, & judice,
Evexit ad cælum dies,
* Christo quo ovantem reddidit (spiritum.)
Nunc Angelorum particeps,
* Nunc lucis insignis stola,
Quam testis indomabilis
Rivis cruoris laveras.
Cum te satelles Idoli,
Præcinctus atris legibus,
Litare * Diis Gentium
* Ferox catenis cogeret.
* Ac verbo Principum molli
Suadendo blande * effudit,
* In catastas ne vita
* Libera rapta decidat.
Rex, inquit, * maximus orbis,
Qui sceptra gestat * Romulea,
Servire sanxit omnia
Priscis Deorum cultibus.
Vos Nazareni adsistite,
* Fidemque & ritum spernite,
Hæc * saxa quæ princeps colit,
Placate fumo, & victima.
Exclamat hic Vincentius,
Levita de tribu sacra;
Minister altaris * Deum
* Ex columnis verum.
Tibi ista præsint numina:
Tu saxa, tu lignum colas:
Tu mortuorum mortuus
Fias Deorum Pontifex.
Nos lucis auctorem Patrem,
Ejusque Christum filium,
* Quem solum ac verum Deum,
Datiane * confitemur.
Hic ille jam commotior:
Audes ne * infelix, ait,
* Jussa Deorum & Principum,
Violare verbis asperis?
Jus * est sacratum, & publicum,
Cui cedit humanum genus,
Nec te * juvente fervide
* Infans periculum permovet?
Hæc namque decretum cape.
Aut ara, thure, & cespite
Precanda jam nunc est tibi,
Aut mors luenda sanguine.
Respondet ille altrinsecus:
Age ergo quicquid virium,
Quicquid potestatis tibi est,
Palam relucior, * exerce.
Vox nostra quæ sit, accipe,
* Est Christus, & Pater est Deus:
Servi hujus * & testes sumus.
Extorque, si potes, fidem.
Tormenta, carcer, ungulæ,
* Stridens flammis flamma,
Atque ipsa pœnarum ultima,
Mors Christianis ludus est.
* Vestra insaniis vanitas,

* Scutumque vestri Cæsaris,
Condigna vestris sensibus
Coli * jubetis numina.
Excissa fabrili manu,
Cavis recocta, & follibus:
Quæ voce, quæ gressu carent,
Inmota, cæca, * ligna sunt.
His sumptuosa * a splendido
Delubra crescunt marmore:
His colla mugientium
Percusso thaurorum cadunt.
Adsunt & illic spiritus:
* Sunt & magistri criminum,
* Vestræque salutis aucupes
Vagi, impotentes, sordidi:
Qui * nos latenter incitos
In omne campellunt nefas,
Variare justos * necibus,
Plebem piorum carpere.
Norunt & ipsi, ac sentiunt
* Pallere Christum, & vivere,
Ejusque * jam jam adfore
Regnum tremendum perfidis.
Clamant * patenter denique
Pulsi ex intebris corporum,
Virtute Christi, & nomine,
* Denique idem Dæmones.
His intonantem Martyrem
Judex prophanus non tulit,
Conclamat: os * obstruite
Ne plura jactet improbus.
Vocem loquentis claudite,
* Raptumque littores date,
* Illum seorsum canibus
* Pastum, manusque exercite.
* Iasinus in Prætorium
* Convitiatus sentiat,
Impunè ne * quos sibi
Diis * extruendis jusserit.
Tibi ergo soli contumax
* Turpe jam calcentur sacra?
Tu parro solus obteras
Romam, Senatum, * Cæsares?
Vinctum retortis brachiis,
Sursum, ac deorsum extendite,
Compago d.nec ossium
Divulsa, membratim * crepent.
Post hinc * diversis ictibus
Nudata * costarum sunt abdita,
Ut per lacunas vulnerum
Jecur retectum palpitet.
Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
* Quod fibra non profunditur
* Intraretque artus ungula.
Ac jam omne robur * artium
Eviscerando cesserat,
Nisusque * u venit solverat
* Fesso lacertorum toro.
Ast ille tanto lætior,
Omni vacantem nubila
Frontem serenam * lumine
Te Christe præsentem videns,
Quis vultus iste, proh pudor!
Datianus ajebat furens:

- * Prudentii Peristephanon Hymnus V. de Passione S. Vincentii. Mart.
- * sanguinis
- * Christoque ovantem reddidit.
- * Luces in insigni stola: Al. conluces insigni stola.
- * Divis.
- * Ferro, &
- * Ac verba primum mollia.
- * effuderat.
- * Captatores ut vitulum lupus
- * Rupturus, alludes primus.
- * Orbis maximus.
- * Romula.
- * Rudemque ritum
- * sacra,
- * Dei
- * Septem e columnis lacteis.
- * Qui solus ac verus Deus
- * Confitebimur.
- * non felix
- * Jus hoc
- * et
- * juvenca fervida
- * Instans periclum
- * exere
- * Est Christus, et Pater Deus
- * ac pro &
- * Stridensque flammis lamina.
- * O vestra inanis

- * Scitumque brutum Cæsaris.
- * jubentis
- * elinguia.
- * A Prud. abest præp. a
- * taurorum.
- * sed sunt
- * vestræ &,
- * vos
- * cædibus
- * Pollere
- * jam mox
- * fatentes
- * Divique & iidem
- * obtrudite
- * Rapeiunque lictores date
- * Illos reorum carnibus
- * Pastos manuque exercitos:
- * Jam faxo jus Prætorium
- * Convitiator
- * nostris sibi
- * destruendis luserit
- * Tarpeja
- * Cæsarem
- * crepet
- * bisulcis ictibus
- * Nudate costarum abdita
- * Quod fixa non profundius
- * Intraret,
- * fortium
- * anhelus
- * Fessos lacertorum toros
- * illuminat

Gau-

*Gaudet, * reviatius, & provocat.*
* *Tartorem torius acrior.*
Nil illa vis exercita
Tot noxiorum mortibus
Agone in isto proficit,
*Ars * Idoloram vincitur*
*Sed * vos alumni Carceris,*
* *Parcis invicto,*
Cohibete paulam dexteras,
Respiret ut laxus vigor.
* *Per sicca rursus ulcera,*
*Dum * sese cicatrix colligit*
Refrigerati sanguinis,
*Manus refulcans * diruit.*
*His contra Levites * revera*
* *Scimea tuorum prespicis*
*Languere virtutem **
* *Caunul ipse major carnifex.*
Ostende quo pacto queant
* *In recessus rescindere,*
Manus & ipse interfere,
Rivosque ferventes bibe.
*Erras, cruente, * scimea*
* *Reris pœnam sumere,*
Cum membra morti obnoxia
* *Dilaniata interficis.*
*Est alter * intrinsecus*
Violare quem nullus potest:
Liber, quietus, integer,
Exort dolorum tristium.
Hoc, quod laboras perdere
Tantis furoris viribus,
Vas est solutum, ac fictile,
* *Quoris frangendum modo.*
Quinimmo nunc enitere
* *Illud secare, ac plectere:*
* *Cum perstat intus, qui tuam*
Colcat, Tiranne, insaniam.
* *Hunc tu lacesse, hunc distorre*
*Invictum * insuperabilem,*
Nullis procellis subditum,
* *Soli hunc subiectum Deo.*
Hæc fatur, & stridentibus
Laniatur uncis denuo.
Cui Prætor ore subdolo
Anguinat verba & sibilat:
*Si tanta * callidi pectoris*
Præadurat obstinatio,
*Pulvinar ut nostrum * inane*
Abomineris tangere:
Saltem latentes paginas,
*Librosque opertos * deroga,*
* *Quibus sectam pravam seminas*
* *In istis crementur ignibus.*
His martyr auditis, ait:
Quem, tu maligne, mysticis
Minaris ignem litteris,
Flagrabis ipse hoc justius.
* *Nunne scimea cælestis*
*Vindex erit * voluntas,*
Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.
Vides favillas indices
Gomorrhæarum criminum:
* *Sodomitæ cladis einis*
* *Testes perennis funeris.*
*Exemplar hoc * semper tuum est;*
Fuliga quem mox sulpharis,
*Bitumen & * mista pice*

* *revidet provocat* * *Tortore* * *Et dolorum* * *vos* * *Par semper invictum mihi.* * *Præscicen* * *se* * *diruet* * *refert* * *Si jam tuorum perspicis* * *Age eanum* * *Age ipse* * *Imae recessus scindere.* * *si meam* * *Tu vere* * *dilancinata* * add. *est* * *Quocumque.* * *Illum* * *Qui* * *Hunc hunc lacesse* * *& insuperabilem,* Al. *& inexpugnabilem* * *Solique subjectum* * *Anguina verba exsibilat* * *callum* * *manu* * *detege* * *Quo Secta pravum seminane* * *Justie crematur* * *Romphea nam cælestium.* Al. *jum*, pro *nam* * *voluminum* * *Sodomitanee lacee cinis* * *Testis* * *serpeas* * *mistum*

Imo implicabunt tartaro.
His persecutor fantius
*Pallet, * labescit, & statim*
Insana torquens lumina,
* *Spumansque frendens egerit.*
* *Tunc deinde cunctatus diu,*
Decernit extrema omnium:
* *Ignis, grabati, & luminis*
Exerceatur quæstio.
Hæc ille sese ad munera
*Gradu citato * prorupit,*
Ipsosque pernix gaudio
Pene ministros prævenit
Ventum ad palestram gloriæ:
Spes certat, & crudelitas:
Luctamen anceps conserunt
* *Hic Martyr, * illic Carnifex.*
* *Serra lectulum regula*
*Dente * frequenti exasperant:*
* *Cum multa carbonum strues*
Vivum vaporat halitum.
Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus ore interrito:
* *Cœli & coronæ conscius*
*Celsum tribunal * scandere.*
Subter crepante aspergine
*Scintillat * excussus salis,*
Punctisque fervens stridulis
* *Sparsimque artus figitur*
Arvina post hinc igneum
*Impressa * cratem lambit,*
* *Vis unda foris fumida*
In membra sensim liquitur.
* *Hic interim immotus manet*
Tamquam dolorum nescius,
Tenditque in altum lumina:
Nam vincla palmas presserant:
Sublatus inde fortior,
Lugubre in antrum truditur:
*Ne liber * ortus luminis*
Animaret altum Spiritum.
Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior:
*Quem fana * versi fornicis*
Angusta clausum strangulant.
Æterna non illic latet,
Expers diurni Syderis:
Hic carcer orrendus suos
Habere fertur inferos.
*In hoc ba atrum * conjecit*
Truculentus hostis Martyrem,
Lignoque plantas inserit,
Divaricatis cruribus.
*Quin addit * ad hæc pœnam novam*
*Crucis * pericli artificis,*
Nulli tiranno cognitam,
*Nec saado * comperta retro.*
Fragmenta testarum jubet
* *Irta impolitis * angulis*
Acuminata, informia
*Tergo jacentis * sternere.*
Totum cubile spiculis
*Armant * dolore fauisque:*
Insomne qui subter latus
*Mucrone * pulses obvio,*
* *Hac ille versatur umbra*
* *Meditare artes, quas struxerat:*
*Sed * Belzebud callida*
*Commenta Christus * destruxit.*

* *rubescit, æstuat* * *spumasque* * *Tum* * *Igni, grabato, & luminis* * *proripit* * *Hinc * illiac* * *Serrata lectum* * *in frequenti exasperat:* * *Cui* * *Ceu jam coronæ* * *scanderet* * *excussus einie* * *Sparsim per artue* * *canterem lavit* * *Vis undæ voris fumidi* * *Hæc inter* * *usus* * *mersi* * *conjicit* * *Et*, loco, *ad hæc* * *peritus artifex* * *compertam* * *Hirta* * *angulis* * *sternerent* * *dolores annis* * *pulsent* * *Hæc ille versutus, vafra* * *Meditatus arta struxerat* * *Belzebulit* * *destruit*

Nam

	Nam carceralis cæcitas *Splendore lucis fulgurat,* *Duplexque morsus stipitis* *Ruptis * cavernis dissilit.*	*Quin & * frequenter Angeli* *Stant, ac loquuntur comminus:* *Quorum unus ore augustior* *Compellat his dictis virum:*	* *frequentes*
* Al. *cavernis*	*Agnoscit hic Vincentius* *Adesse, quod speraverat,* *Tanti laboris præmium,* *Christum datorem luminis:*	*Exsurge Martyr inclite,* *Exsurge securus tui,* *Exsurge * almis cœtibus* *Noster sodalis * addere.*	* *&*
	Cernit deinde fragmina *Jam testularum mollibus*	*Præsta Pater piissime,* *Patrique compar unice,*	* *addere*
* *vestire*	** Vestiri semet floribus* *Rodolente nectar carcere.*	*Cum Spiritu Paraclito* ** Regnas per omne sæculum. Amen.*	* leg. *Regnans*

Magna intèr celebres aliquot Hispaniæ Urbes de S. Vincentii gloriosissimi Martyris natalibus contentio est; dum eum sibi Cæsaraugustani vendicant, Valentini repetunt, Osca suum esse clamitat. Neque sanè hæc pietatis dimicatio reprehendi meritò potest. Nam, si de prophani Poetæ ortu septem olim urbes certarunt; cur non ex tam illustris athletæ cunabulis sibi Urbes nobilissimæ plurimùm & splendoris accedere censeant, & præsidii. Plures tamen videntur Scriptores secundùm Oscam pronunciare, ut scribit Bollandus hic To II. Jan. pag. 393.

Ruinartius * in admonitione in Martyrium S. Vincentii pag. 387. scribit, quod. *Tyrannorum impietas, quæ in extremis Ecclesiæ persecutionibus non minus adversus Christianorum codices, quam contra ipsos Martyres sæviebat, Acta, ut vocabant præsidialia, Sancti Vincentii nobis invidit. Verùm id grave damnum ab anonymo auctore Christiana resarcitum est, qui restituta Ecclesiæ pace, beati Vincentii Passionem litteris mandare curavit: cujus opus ita omnibus placuit, ut paullo post in Ecclesia lectum publice fuerit. Quod patet ex Augustini ferm.* 275. Voluptatem, *inquit*, interioribus oculis hausimus, cum beati Vincentii gloriosa Passio legeretur. *Ex ferm. præcedenti*: Longam lectionem audivimus . . . . . patienter audistis, & diu stando, & audiendo (*tunc in Ecclesia conciones stando audiebantur*) tamquam Martyri compassi estis. *Hanc vero Passionem, quam ibi laudat Augustinus, eam ipsam esse quæ ad nos usque pervenit, patet ex facta ipsius cum quatuor Augustini sermonibus collatione, id est cum Sermone 274. novæ editionis, tribusque sequentibus; qui quidem Sermones in ejusdem Martyris natali habiti post passionis lectionem, nihil aliud videntur esse, quam ipsius familiaris quædam ad populum expositio. Ad id probandum nonnulla loca proferenda sunt, in quibus Daciani sævitia, Martyris invictus animus, totusque Passionis scopus eodem modo, iisdemque sæpius verbis, ac in ipsa passione exponuntur. De Daciano hæc habet ferm.*275. *num.*2. Voces hujus hominis, oculi, vultus & turbulentus totius corporis motus indicabant, quàm graviora tormenta sentiret interius, quàm erant quæ Martyri infligebat exterius &c. *Et ferm. sequenti* num.3. Per furiosas Daciani voces, per truces oculos, & minaces vultus, & totius corporis motus &c. *De Vincentio autem sic ibidem loquitur*: Putares, quòd cum duraret flamma, non ureret, *& eodem ferm.*274. *num.*2. Quantò illa erant truculentiora & exquisitiora tormenta, tantò magis tortus de torquente triumphabat &c. *Et num.*1. Tanta pœna erat in membris, tanta securitas in verbis &c. *quæ fere repetit ferm. sequenti num.*2. *Quid vero Passio contineret, exponit his verbis ferm.*274. Cum Passio legeretur, erat videre invictam Martyris animam contra insidias antiqui hostis, contra sævitiam impii judicis, contra dolores mortalis carnis . . . Quas voces audierit, quas reddiderit, quæ tormenta devicerit, decursa lectio declaravit, & nobis tamquam in conspectu quæ gesta sunt posuit. *Hæc in specimen satis.*

Præter quatuor laudatos sermones, quintum habuit idem Augustinus in natali Sancti Vincentii, in quo nonnulla de ejusdem Martyris laudibus habet. Is est sermo 4. *qui de Jacob & Esau inscribitur. Omitto autem sermonem in veteri editione* 13. *de Sanctis, cùm in nova editione in Appendicem veluti suppostitius rejectus sit, & Quesnelius eum quoque Sancto Leoni Papæ abjudicaverit, cui in plerisque Mss. codicibus tribuitur. Qui quidem nihil aliud est, quàm totius passionis Sancti Vincentii compendium. Tandem proferri posset sermo IX. Sancti Fulgentii in nova editione, nisi is ipse esset, qui inter sinceros Augustini* 276. *numeratur, quod mirum est ab istius Patris Operum novæ editionis concinnatore non fuisse animadversum: quamvis dubitaverit in Præfatione, an iste Sermo pro sincera Fulgentii fœtu habendus sit.* Ex

* In Actis Martyrum sinceris.

Ex his omnibus nemo non videt, sancti Vincentii Passionem (sic cum Augustino appellamus) initio sæculi quarti, statim post restitutam Ecclesiæ pacem conscriptam fuisse, quam ex Mss. sex codicibus ad varias editiones callatam ad diem 22. Januarii Bollandus exhibet, eamdemque profert Ruinartius denuo ad multos alios Codices Mss. exactam, in quibus fere omnibus ita accurate descripta est, ut vix unius aut alterius voculæ diversitas in eis habeatur. Passioni subjungit hymnum Prudentii, cujus auctoritas, etsi alias jam veneranda, in hac tamen parte, ob locorum & temporum viciniam singularemque ejus in hunc beatum Martyrem affectum majoris momenti esse debet.

Mirum est quàm brevi temporis intervalla Vincentii fama totum orbem Christianum pervaserit. Testatur Augustinus sermone 276. *num.*4. *jam sua tempore, hujus beati Martyris Festum ubique terrarum celebratum fuisse.* Quæ, *inquit*, hodie regio, quæve provincia ulla, quò usque Romanum imperium, vel Christianum nomen extenditur, Natalem non gaudet celebrare Vincentii? *Hinc mirum non est, quòd ipsius memoria tam in Græcorum Menologiis quàm in Martyrologiis Latinorum celebraretur, die scilicet* 22. *Mensis Januarii: quo die, & quidem anno Christi CCCIV. ejus, martyrium accidisse existimamus. Ceterum præter Augustinum alii etiam Patres & Scriptores Ecclesiastici Sanctum Vincentium passim laudarunt, nimirum sanctus Paulinus Poemate* 27. *navæ edit. Gregorius Turonensis lib.*3. *Historiæ Francorum cap.*29. *ubi de sancti Martyris tunica, & lib.*1. *de gloria Martyrum cap.* 90. *&c. Fortunatus lib.*8. *Carmine* 4. *Sanctus Bernardus sermone* 66. *parvorum, & alii passim auctores, quos videsis apud Tamayum Salazar in Martyrologio Hispanico. His adjungendi sunt Hispanici Patres in Missali Mozarabum, & Africani in Kalendario Carthaginiensi sæpius laudato. Porro hic Vincentius distinguendus est ab allo Vincentio itidem Levita & Martyre, qui Agenni in Aquitania passus est, ut patet ex Gregorio Turonensi lib.*7. *Historiæ cap.*35. *& lib.*1. *de gloria Martyrum cap.*105. *de quo etiam Fortunatus lib.*1. *Carm.*8. *&* 9. *A nonnullis etiam male confunditur noster Vincentius cum altero Vincentio, qui sub eadem persecutione & eodem Daciano Præside cum sororibus suis virginibus Sabina & Christeta martyrium Abulæ consummavit. Sed & alii passim occurrunt Martyres sub Vincentii nomine, de quibus fusius agere non est nostri instituti.* Vide Baronium ad an. 303. n.137. Pagium To.I. ad eundem an. num.6. Martenium *de antiqua Eccl. disciplina in Div. celebr.Offic.* cap.31. pag.559. & Frauciscum Mariam de Aste in Martyrologium Romanum pag.39.

* ADNOTATIO XXIV. pag.62.

* Cod. Veron. pag.62. *VIII. Kal. Martii. Incipiunt Orationes de Caebedra S.Petri*. Brev. Moz. Tol. pag.354. col.3. *In Cathedra S. Petri Apostoli.* Gaudet Officio, & Hymno proprio.

HYMNUS Ad primas Vesperas.

O Petre, petra Ecclesiæ;
Isto beatus nomine,
(a) *Quo Petrus à Christo petrà,*
Non petra Christus à Petro.
(b) *Tu es Petrus, qui fidei*
Confessor es primus, Dei
Nunc (b) *primus in membris manens,*
Ob quod Cephas vocatus es.

Adest (c) *dies, quo * Romulea*
In Urbe consacratus es;
In quo Cathedra nobilis,
Scandens Thronum sustolleris,
Conlata *ergo gloriæ*
In te potestas affluens,
Ligata solvat crimina,
Portasque Averni obstruat.

* En Romanæ Cathedræ unà cum Antiochena com memoratio VIII. Kal. Martii.

Hic

(a) Codex Veron. in Oratione 4. ad Matutinum: *Christe, Filius Dei vivi, quem Petrus supra Petram solidatus verè confessus est, quia & utique non Petra à Petro, sed Petrus est vocatus a petra, in qua tua est fundata Ecclesia* &c. Vide Card. Baronium ad an. Chr.31. num.20.

(b) Et in Orat. I. ad Matutinum: *Jesu Salvator noster, & Domine, qui Primatum Apostolicæ dignitatis in Beatissimo Petro Apostolo tuo conferre dignatus es* &c. Item Orat.4. ad Matutinum: *per quem* (Petrum) *Doctrinæ sublimis exempla suscipimus*. Et in Benedictione: *Unigenitus Dei Filius, qui Beatissimum Petrum Caput voluit esse Ecclesiæ suæ..... & illi commisit Cathedræ Pontificalis fastigium.*

(c) Item in Oratione *Completoria* ad Vesperum: *Christe Dei Filius* &c. *da nobis ut in hac die, qua ille recturus Ecclesiam, suscepit Pontificalis gratiæ culmen.*

Hic Pastor ut piissimus
Oves gubernas creditas,
Intus forisque pervigil,
Nos sacramur protege.
Et clave illa celica
Solvens catenas criminum,
Illic reos inducito,
Quo claras extat Janitor.
Ut cum Polorum Principi
Recisa membra junxeris,
Sit Trinitati gloria
Per cuncta semper secula. Amen.

Quòd Cathedra Romana primis temporibus in Hispania unà eademque die cum Cathedra Antiochena VIII. Kal. Mart. publico cultu celebraretur, ex Cod. Veron. ex recitato hymno, atque ex Fragmento vetustissimi Kalendarii a Pinio editi liquet: & utriusque simul Prudentius meminisse videtur in Lib. Peristephanων, Hymno 2. *de Martyrio S. Laurentii* v.452. & seqq. ubi ait:

Absterge Christe, hoc dedecus;
Emitte Gabriel tuum;
Agnoscat ut verum Deum
*Errans Juli * cæcitas.*
Et jam tenemus obsides
Fidissimos hujus spei:
Hic nempe jam regnant duo
Apostolorum Principes.
Alter vocator Gentium;
Alter CATHEDRAM possidens
PRIMAM, recludit creditas
Æternitatis januas.

*Iulus, sive Ascanius Eneæ filius, a quo Romani ducunt originem.

Etiam in Kalendario Romano ab Ægidio Bucherio præsbytero Societatis Jesu edito, ac Liberii tempore, idest circa sæculi quarti medium concinnato, unica tantùm die Cathedræ S. Petri habetur mentio, *VIII. Kal. Mart. Natale Petri de Cathedra*; quam diem Gregorius Turonensis Historiæ Franc. lib. 10. c. 31. *Natalem S. Petri Episcopatûs* appellat. Consuevere scilicet Christiani Antistites Anniversarium susceptæ Pontificiæ Dignitatis diem publicà letitià & curatiore sacrorum pompà peragere, ac *Natalem* appellare. Hilarus id Papa testatur Epistola secunda ad Ascanium, & cæteros Episcopos Provinciæ Tarraconensis: *Lectis ergo* (inquit) *in conventu Fratrum, quos Natalis mei Festivitas congregaverat, litteris vestris &c.* atque ante Hilarum, Sixtus III. in Epistolà ad Cyrillum Alexandrinum: *ad Beatum Apostolum Petrum Fraternitas universa convenit. Ecce Auditorium congruens auditoribus, conveniens audiendis. Habuerunt Coepiscopi nostri illum gratulationis testem, quem habemus honoris exordium. Sanctæ namque & venerabili Synodo, quam Natalis mihi dies, favente Domino, congregarat, quia sic credendum est, ipse præsedit* = Idem ad Joannem Antiochenum = *Audivit universa Fraternitas, quæ ad Natalis mei convenerat diem, qualiter bono humani generis Apostolicæ Sedis me Præside gratulentur*. Et S. Ambrosius Epistola 60. quæ prima est lib. 8. ad S. Felicem Comensem ita scribit = *simul quia celebrem utrique nostrum annuntiasti diem adsore, quo suscepisti gubernacula Summi Sacerdotii* = Et paulo post = *Tum ego nostris fabulis intexui diem Natalis tui* = ac tandem = *Natalem tuum prosequemur orationibus: & tu nostri in tuis votis non oblivisearis* = S. quoque Leo Pontifex Max. anniversariam suæ Assumptionis diem *Natalem Cathedræ* nuncupavit: ait enim = *illi ergo* (Petro) *hunc servitutis nostræ Natalitium diem, illi adscribimus hoc Festum, cujus patrocinio Sedis ipsius meruimus esse consortes*, Serm. III.

S. Augustinus Serm. 15. de Sanctis, agens de Cathedra S. Petri, = *Institutio* (inquit) *Solemnitatis hodiernæ a Senioribus nostris Cathedræ nomen accepit, ideo quòd primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatûs Cathedram suscepisse referatur. Rectè ergo Natalem Sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit* =. Quod autem VIII. Kal. Martii celebraretur, ita sermo laudatus testatur: *Cum solemnitatem hanc in Ecclesiis meritò religiosa observatio introduxerit; miror, cur apud quosdam infidelet hodie tam perniciosus error increverit, ut supra tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant*: cum enim, ad abolendam superstitionem Gentilium, qui cibos ad sepulcra mortuorum afferebant, illa celebritas fuerit ab Ecclesia instituta

tuta, id factum primitus die 22. Mensis Februarii: quoniam ea die super mortuorum sepulcris cibos (ut diximus) collocare Gentes solebant; ut testantur idem Augustinus lib.6. Confessionum cap.2., & Concilium Turonense II. coactum anno Christi 570., quod C.23. habet: *Sunt qui in Festivitate Cathedræ Domini Petri Apostoli cibos mortuis offerunt: redeuntes ad domos proprias, ad Gentilium revertuntur errores; & post Corpus Domini, sacratas Dæmoni accipiunt escas. Contestamur illam sollicitudinem tàm Pastores, quàm Presbyteros gerere, ut, quemcumque in hac Festivitate persistere viderint, vel ad nescio quas petras, aut arbores, aut ad fontes, designata loca Gentilium, perpetrare quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab Ecclesia S. auctoritate repellant.* Ut autem animadvertit Eruditissimus Vir Cajetanus Cenni in insigni Dissertatione *de Romana Cathedra* num. III. (To.IV. Anastasii Bibl. pag.150.), in Kalendario Rustico, tum a Grutero, tum a Bucherio *de doctrina temporum* edito, *IX. Kal. Martii, seu die* 21. *Febr.* legitur, *Feralia*, quibus epulæ ad sepulcra ferebantur, eo quòd animas putabant iis vesci, nocte Festum præcedente: die verò ipsà Festivitatis 22. in eodem Kalendario est *Caristia*, quæ vox, ut observat Dufresnius in Glossario, idem sonat, ac *cara Cognatio*, eàdem die occurrens in Laterculo Polemii Sylvii; *ita dicto*, ajentis, *quia tunc, & si fuerint vivorum parentum odia, tempore obitus deponuntur.* Uno ergo & eodem die 22. Febr. antiquitùs utraque Cathedra (Antiochena scilicet, ac Romana) celebrabatur: idque non solum in Africa, & Hispania, sed etiam in universis Occidentis Ecclesiis, ut testantur Responsoriale S. Gregorii Papæ; Antiphonarium ab eodem ordinatum per circulum anni, quod Theodolinda Regina Langobardorum dono dedit Basilicæ S. Johannis Modoetiæ; & Capitulare Evangeliorum a Ven. Viro Josepho Maria Card. Thomasio in lucem editum: item Martyrologium Bedæ auctum, illudque ab additionibus Flori Diaconi Lugdunensis expurgatum, primò ab Henschenio & Papebrochio (Tomo II. Sanctorum Martii); deinde à P. Sollerio, in Præfatione ad Martyrologium Usuardi (Tomo VI. SS. Junii); demum a nobis, ope vetustissimi Codicis Veron. (Tom. IV. Anastasii Bibl.): nec non Martyrologium Senonense S. Columbæ, & illud celebre Vvandelberti Monachi Prumiensis in Diœcesi Trevirensi, quod circa dimidium IX. Sæculi scriptum est.

Petrus ergo Princeps Apostolorum, qui postquam ingentem Populi multitudinem Christo dedisse nomina audisset, primùm ivit Antiochiam, Syriæ totius Orientis Metropolim, Sedemque regalis sui Pontificii ibi ad tempus locavit; postmodum in Urbem Romam Pontificalem Cathedram transtulit; ob idque Cathedræ utriusque memoriam ferè universæ Occidentis Ecclesiæ uno eodemque die usque ad IX. Sæc. celebrarunt, scilicet VIII. Kal.Martii. Quod tam verum esse, quàm quod maximè, conceptis verbis docet etiam Johannes Beletus (cap.83. Explicationis Divinorum Officiorum), qui ante 500. ferè annos floruit: *Dicitur*, inquit, *Festum B. Petri Epularum. Fuit enim consuetudo veterum Ethnicorum, ut singulis annis Mense Februarii, certo quopiam die, epulas ad parentum suorum tumulos apponerent, quas nocte Dæmones consumabant; cum inde, non minus falsò, quàm ridiculè animæ refici credebantur. Putabant enim hujusmodi epulas ab animabus circa tumulos errantibus absumi. Hæc autem consuetudo, atque hujusmodi falsæ opinionis error a Christianis vix extirpari potuit. Quod quidem cum viri Sancti animadvertissent, Festum de Cathedra S. Petri, tam de illa quæ fuit Romæ, quam que Antiochiæ, idque illo eodem die, quo abominanda illa ab Ethnicis fiebant, ut solemni hoc Festo pravæ illius consuetudinis festum omnino extingueretur. Unde etiam ab illis epulis Festum hoc appellatum est Beati Petri Epularum.* Tot ergo tantisque omnium ætatum testimoniis id conficitur, quod mihi erat probandum. Sed non ideo certum est, VIII. Kal. Mart. S. Petrum, vel appulisse Antiochiam, vel in Romana Cathedra primùm consedisse; cùm ad agendam utriusque Cathedræ memoriam is lectus sit primitùs dies, quo sacrà solemnitate vetustæ superstitiones penitùs ex animis eraderentur. Silvii certè Laterculus, quem paulo ante nominavi, anno Christi 448. scriptus, ad hunc diem ista habet: *Depositio S. Petri & Pauli. Cara cognatio.* Quæ verba, ut scribit laudatus Cennius, nonnulli perperam interpretati, Apostolorum Martyrium innuere contendunt. At ipsorum opinionem strenuè confodit Tillemontius (*Hist. Eccl.* To. I.): & P. Conradus Januingus (*ad diem* 29. *Junii* in

in Comment. prævia, num.24. & seqq.) eandem opinionem perstringit, authoribus objiciens quæ leguntur in eodem Laterculo, III. Kal. Julii, seu die 29. Junii: *Petri in Catacumbas : Pauli Ostiense* : ea quippe Martyrium evidenter demonstrant. Cæterum, quòd Sylvius diem Cathedræ S. Petri, *depositionis* nomine indicaverit, tum ex Bollandi observatione evincitur, tum ex laudato veteri Martyrologio Bucherii, cui titulus: *Depositio Martyrum* Ita enim incipit: *VIII. Kal. Jan. natus Christus in Bethleem Judæ*; ubi Nativitas Domini inter *depositiones* numeratur, quemadmodum inter *depositiones* easdem *Martyrum*, paullo infra recensetur Cathedra; videlicet, *MENSE FEBRUARIO. VIII. Kal. Mart. Natale Petri de Cathedra*. Cl. Mabillonius in lib. II. de antiqua Liturgia Gallicana, * putat Romanæ Cathedræ Festum diem olim in Galliis celebratum fuisse etiam in Januario. Id equidem probare videtur Author Doctissimus; sed nescio an antiquitati Mss. Codicum, quos ipse allegat, ita consultum sit. * pag.120.

* Codex Veronensis pag.63. die Dominico *in Carnes tollendas*. Brev. Moz. Toletanum pag.74. col.4. *Feria IIII. in capite jejunii*, mutata veteri disciplina. * ADNOTATIO XXV. pag. 63.

Sex tantùm jejunii Quadragesimalis hebdomadæ numerantur in nostro Libello Orationum antiquissimi ritus Gothico-Hispani. Sunt autem,

1. *Dominica in carnes tollendas.*
2. *Prima Hebdomada Quadragesimæ.* * *quæ incipit die septimo jejuniorum Sacratissimæ Quadragesimæ.*
3. *Secunda Hebdomada Quadragesimæ.*
4. *Dies Vigesima.*
5. *Hebdomada post Vigesimam*, seu *Dominica de Lazaro.*
6. *Dominica in Ramos Palmarum.*

Quoniam verò * in Vesperis primi Sabbati ante Dominicam diem *primæ Hebdomadæ Quadragesimæ*, habetur; *Ecce dierum nostrorum decimas sanctæ tuo nomini annuis recursibus persolventes, SEPTIMUM nunc ex ipsis decimis peregimus DIEM*: item in illis secundi Sabbati *ante secundam Hebdomadam*:,,*quarti nunc & decimi diei de nostrorum dierum decimis curriculo jam peracto* ,, *&c.* & ad Vesperas tertii Sabbati, legitur iste titulus, *in Vigesima*: in Benedictione autem (ad Matutinum ejusdem Dominicæ) *dies Vigesima, medians* dicitur *tempus* jejuniorum Sacratissimæ Quadragesimæ; inde consequitur Hispaniam Gothicam quatuor illos jejuniorum dies, sex integris Quadragesimæ hebdomadibus additos, primitus non agnovisse. Porro Concilium Toletanum VIII. celebratum anno Christi 653., Canone IX. * in Cod. Veron.

De his qui esum carnium in Quadragesimæ diebus percipiunt,

,, Nonæ intentionis (inquit) admonitu detecta est ingluvies horrenda voracium, quæ dum fræno parsimoniæ non astringitur, religioni contraire (1) censetur. Nam dicente Scriptura: *Qui spernit minima, paulatim* (2) *decidet in maxima*: Illi (3) tanto edacitatis (5) improbæ sumptu grassantur, ut cælestia, & penè summa contemnere videantur. Etenim cum Quadragesimæ diea anni totius decimæ deputentur, quæ in oblatione Jejunii (6) Domini consecrantur, quibus etiam saluberrimè conditio humani generis expiatur, dum a quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur; (7) quatuor Elementis formatus, propter transgressionem Decalogi quaterdecies convenienter affligitur, (8) illi ausu temerario hæc omnia (9) contemnentes (10) voracitatis ingluviem non frænant, & (quod pejus est) Paschalia festa illicitorum esuum (11) præceptione profanant. (12) Quibus ex hoc adeo acerrimè interdicitur, ut quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum reus erit Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat (13) gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam a Sacerdote permissum (14) accipiant.,, Quamvis autem, ut scribit Morinus (*de pœnitentia* lib.7. cap.19. num.4. & 5.) ex iis verbis hujus Canonis, *propter transgressionem*

(1) *monstratur* (2) *decidit* (3) *tanta* (5) *improba* (6) *domino* (7) *& ex quatuor.* (8) *illi qui* (9) *contemnunt* (10) *nec voraci, ingl. frenant.* (11) *perceptione* (12) *deest Exc. Isopag. 15. cap. 89.* (13) *decst ...* (14) *percipiant.*

 De-

Decalogi quater decies convenienter affligitur, quadraginta diebus jejunatum fuisse in Toletanis Ecclesiis videatur; contrarium tamen evincitur ex præcedentibus, *cum Quadragesimæ dies, anni totius decimæ deputantur*. Nec obstat huic a nobis assertæ disciplinæ, quòd antiquissima Sacramentaria *feriam quartam* commemorent ut jejunii caput: & ita Amalarius lib. I. de Officiis Ecclesiasticis Cap. VII., Concilium Meldense an. 845. Cap. 76., & vulgatus Alcuinus de divinis officiis, sectione, cui titulus: *in capite jejunii*: Constat enim ex Homilia XVI. S. Gregorii in Evangelia jejunium Quadragesimale a Dominica prima Quadragesimæ, non a feria quarta præcedente, tunc temporis inchoatum fuisse: ait namque Sanctus Pontifex: *De Quadragesimali tempore est adhuc aliud quod possit intelligi. A præsenti etenim die usque ad Paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt; quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt. Ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta sex dies remanent. Dum verò per trecentos & sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus, ut qui nobis metipsis per acceptum annum vivimus, auctori nostro nos in ejus decimis per abstinentiam mortificemus &c.* Manifestum est ergo Sancto Gregorio incognitam fuisse feriam quartam in capite Quadragesimæ, & jejunii caput fuisse feriam secundam, jejunatumque Romæ 36. diebus non 40. Amalarius ipse in lib. quem superius allegvi, eadem Gregorii verba referens, scribit, videri eo tempore nondum jejunio Quadragesimali additos quatuor illos dies. Quam antiquam consuetudinem Ecclesia Mediolanensis ad memoriam usque Patrum nostrorum constanter observat. Hinc est quod in antiquo Rituali Ambrosiano in Liturgicis Pamelii, prima Dominica dicitur, *in capite Quadragesimæ*; Orationesque, & Præfatio illius Dominicæ nihil aliud sonant, quàm jejunii inchoationem, & primordia. Antiqua etiam Sacramentaria Gregoriana, licet nunc habeant feriam quartam in capite jejunii, & Missam jejunio accommodatam, testari tamen possunt antiquitus jejunii initium in feria secunda resedisse. Nam in orationibus primæ Dominicæ, quarum adhuc usus est, istiua initii verbis expressis fit mentio: *Deus, qui Ecclesiam tuam annua Quadragesimæ observatione purificas, &c.* Et in Secreta, *Sacrificium Quadragesimalis initii solenniter immolamus, Te, Domine deprecantes &c.* Et in Præfatione ejusdem Dominicæ, *Qui continuatis quadraginta diebus & noctibus hoc jejunium dedicavit &c.* Ad idem quoque initium tendunt feriæ secundæ orationes, & præfatio. Hoc autem sic contigit (ut infra etiam in Brev. Toletano videbimus) quòd, cum officium feriæ 4. & sequentium compositum est, & antiquo superadditum, nihil in novo est immutatum. Objici forsan posset Canon quidam Agathensi Synodo tributus; sed Agathensis Synodi non est, & Agathensi Synodo longè posterior. At ad Hispanicam disciplinam, rerum potientibus Gothis, revertamur. In recitato Canone 9. Concilii Tolet. VIII. pingui minerva dicitur, hominem *propter transgressionem Decalogi quater decies convenienter affligi*; ut in numeris sæpe fieri solet, ubi numerus integer, completus, & quadrans, pro incompleto usurpatur: præsertim, cum ad quadrantem & rotundum proximè accedit. Dixerat enim paulò ante, *Etenim cum Quadragesimæ dies Anni totius Decimæ deputentur, &c.* Quadraginta igitur dixit, pro triginta sex: sicut è contrario nonnunquam Auctores Ecclesiastici dicunt, jejunio Quadragesimali Decimas dierum offerri, ut Nicolaus I. c. 9. Respons. ad consulta Bulgarorum, Concilium Troslejanum in fine can. 6. & Theodulphus Aurelian. c. 37. cùm tamen constet eos omnes non. 36. dies, sed 40. jejunasse. Sed quid opus est conjecturis? Toletanorum Patrum mentem assequimur apertissimè ex can. 5. Concil. Bracar. II., in quo jubentur Parentes *mediante Quadragesima ex diebus 20. baptizandos Infantes ad Exorcismi purgationem offerre*. Item ex Can. I. ejusdem Concilii Toletani VIII. id diebus ante baptismum 20. faciendum esse ajentis, hoc est Dominicâ 4. Quadrag. quæ in Cod. Veron. appellatur *in Vigesima*; vel Feria sequenti ejusdem Hæbdomadæ. Medium igitur Quadragesimæ erat, vel feria illa, vel antecedens Dominica *in Vigesima*: ac propterea jejunium apud eos incipiebat a Vesperis primæ Dominicæ, quæ dicitur in nostro Cod. *in carnes tollendas*; sive à feria sequente, quæ ipsam jejunii actionem includit: non autem à feria 4. antecedente: alioquin vigesimus dies ante Pascha, non esset *media Quadragesima*, cum eum dies XXVI. integri præcedant. His accedit, quod ipsi Toletani Patres ad verba S. Gregorii in Decreto suo alludere videntur, qui ante dixerat: *qui erga per carnis desideria*

feria Decalogi mandatu contempsimus, dignum est, ut eandem carnem quater decies affligamus. Numerum completum, pro incompleto sumens. Statim enim rem per partes examinans, triginta sex tantùm dies computat. Ita intelligendus Concilii Toletani Canon, qui ad ejus verba, meutemque alludit, & ad esum carnium in Quadragesima prohibitum, etiam diebus Dominicis, sub gravi reatu, non urgente *inevitabili necessitate, aut fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate*; ut dicitur in eodem Canone, qui hasce tres solas causas eximendi ab onere ejus præcepti probat; exigitque præterea permissum Sacerdotis, dum ita concludit: *illi verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quàm a Sacerdote permissum accipiant*. Non minus ad rem nostram accuratè *totius anni decimas*, in Quadragesimali jejunio Domino persolutas, explicat Johannes Cassianus, qui in Collatione vigesimâ primâ, cap.24. Abbatem Germanum ita interrogantem inducit: *Quid causa est, ut sex hebdomadibus Quadragesima celebretur, licèt in quibusdam Provinciis religionis forsitan propensior cura adjecisse hebdomadam etiam septimam videatur; cùm neuter numerus, die Dominico, Sabbatoque subtracto, quadraginta dierum impleat summam. Sex enim & triginta dies in ipsis hebdomadibus tantummodo concludentur*? Cui interrogationi, post multa, ista reponit cap.27. *Porro quod dicitis, diverso more, idest sex, vel septem hebdomadibus per nonnullas Provincias Quadragesimam celebrari, una ratio, idemque jejuniorum modus diversa Hebdomadarum observatione concluditur. Hi enim sibi SEX hebdomadarum observantiam præfixerunt, qui putant* (ut Hispani) *die quoque Sabbata jejunandum. SEX ergo in hebdomada jejunia persolvant, qui eosdem SEX ET TRIGINTA DIES sexies revoluta consumant*. Mox addit, trigesimum & sextum illum dierum numerum totius anni decimas efficere, *quas solemni jejunio, & offerimus Deo, & consecramus*. Paria scribit S. Dorotheus Doctrina 15. Verùm, ne ab Hispanorum testimoniis discedamus, omnem dubitandi ansam præscindit Sanctus Isidorus lib. I. de Ecclesiasticis Officiis, cap.36. ubi, data opera, toto illo Capite, jejunii Quadragesimalis originem, tempus, & causas explicat. Non modo enim *Feriam IV. in capite jejunii* non commemorat, nec diem ullum esurialem ante Dominicam primam Quadragesimæ; sed ea, non secus ac Cassianus, Gregorius, & Dorotheus, edisserit, quæ cum illo jejunii principio consistere nullo modo possunt. *In supputatione* (inquit) *Quadragesimæ summa Legalium decimarum expletur. Totum enim anni tempus triginta sex numero dierum decimatur. Subtractis enim a QUADRAGESIMA DOMINICIS DIEBUS, quibus jejunia resolvuntur, bis diebus quasi pro totius Anni decimis ad Ecclesiam concurrimus, actuumque nostrorum operationem Deo in hostiam jubilationis offerimus*. Nunc inquirendum superest, quo primùm tempore cœperint illi quatuor jejuniorum dies ante I. Dominicam Quadragesimæ, ut inde statuatur ætas nostri Libelli Orationum primævi Ritus Gothico-Hispani. Ludovicus Thomasinus eruditus è Congregatione Oratorii Domini Jesu presbyter, in singulari Tractatu, quem de jejuniis inscripsit, parte 2. cap.2. existimat, necdum tempore Caroli Magni, sed occasione Photiani schismatis, & calumniarum, quas immeritò Latinis intulerunt Græci, institutos fuisse. Verùm huic opinioni (inquit) Martenius *de Antiqua Eccl. discip. in divi. celeb. Off.* pag.157. reflragantur antiqui manuscripti Sacramentorum Codices ante annos nongentos exarati, ac Carolo Magno æquales, quales sunt Codex Remensis, S. Remigii, Gellonensis, Regius unus, & Noviomensis, in quibus publica peccatoribus pœnitentia feria quarta in capite jejunii indicitur. Idem videre licet in regula Grodogangi Metensis Episcopi, qui circa medium sæculum octavum florebat, & in Egberti Eboracensis Archiepiscopi Libello pœnitentiali etiam antea scripto. Et sane, si ita recens fuisset illa quatuor jejunii dierum invectio, Amalarius, qui Ludovico Pio inscripsit libros *de divinis officiis*, ac consequenter ante schisma Photianum, illius non meminisset. VII. ergo exeunte sæculo Caput Jejunii a Feria IIII. ante Dominicam I. Quadragesimæ inchoatum videtur. Quoniam vero peculiares Hispaniæ ritus, diesque jejunio Quadragesimali ibidem specialiter consecratos jam exponere aggressus sum, nunc de *Quinquagesima*, quæ a jejunio, quod à Feria IIII. cinerum incipit, distinguitur, sermonem instituamus. Quinquagesima, non ex primaria Mozarabum institutione manavit, quamvis nunc exstet in Missali Toletano. Ad id probandum, satis erit advertere, nullam men-

mentionem fieri de ea (neque de feria quarta Cinerum) in Missali Gothico-Gallicano, aut in antiquissimo Lectionario itidem Gallicano, a Cl. Mabillonio vulgato ex codice Membranaceo celebris Monasterii Luxuviensis, lib. II. Liturg. Gall. pag. 106. & seqq. Immo Quinquagesima ante Pascha prohibetur in Conciliis Aurelianensibus primo, & quarto. Primum sic habet in canone 24.; *Id a Sacerdotibus omnibus decretum est, ut, ante Paschæ solemnitatem, non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur*. Et in quarti Canone 2. *Hoc etiam decernimus observandum, ut Quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur: neque Quinquagesimam, aut Sexagesimam ante Pascha quilibet Sacerdos præsumat indicere*. In Missali ergo Mozarabico Dominica *Quinquagesimæ*, quæ etiam *ad carnes tollendas* appellatur (sed non ex primaria iustitutione), sex Hebdomadibus Quadragesimæ postmodum fuit adjecta, ut meridiana luce clarius ex infra dicendis constabit. Lectionarium Gallicanum, (de quo supra) in capite Jejunii habet: *Legenda in initium Quadragesimæ*. Consonat titulus Missalis Gothici: *Ordo Missæ in initium Quadragesimæ*: item & Gallicani. Atque in utroque horum, septem dumtaxat Missæ exstant per Quadragesimam, usque ad Missam in Cœna Domini. Missa prima sic inscripta est: *Ordo Missæ in initium Quadragesimæ*, idest pro Dominica prima: nec dum enim (inquit Mabillonius *) Quadragesima tunc incipiebat a Feria IIII. Cinerum. Quatuor sequentes, hoc modo: *Item Missa jejunii*, absque designatione Dominicæ secundæ, tertiæ &c. Sexta, *item Missa in Quadragesima*. Septima denique, *Missa in Symboli traditione*, quæ fiebat in Dominica Palmarum, ut infra multis ostendam. Igitur, ad VII. usque sæculum, *Quadragesimæ dies* apud Hispanos *in oblatione jejunii Domina consecrati, anni totius decimæ deputabantur*; atque ipsi, ut legitimum dierum numerum adimplerent, hoc est 36. diebus jejunarent, a sexta Dominica ante Pascha jejuuium auspicabantur. Sed mutata postmodum disciplina, Missa Dominicæ ante diem Cinerum, in Missali Mozarabico *ad carnes tollendas* inscripta est: quam excepit alia Missa in Feria IIII. Cinerum, itidem non ex primaria institutione. Hoc mihi ex Br. Tolet. nunc est probandum.

* Liturg. Gall. lib. 2. num. 27. pag. 124.

* ADNOTATIO XXVI. pag. 73.

Breviarium Moz. Toletanum pag. 73. col. 4. Gaudet Officio, & Hymno proprio *in Dominica ante diem Cinerum*: sed in eo nulla fit mentio *de tallendis carnibus*.

* H Y M N U S

Ad primas Vesperas Dominicæ ante diem Cinerum, pag. 53 col. 1. Brev. Toletani.

Inventor rutili lux boni luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis:
*Mers o * solo Chaos ingruit horridum,*
Lucem redde tuis Christe fidelibus.
** Splendent præspicuo lumine ardua*
*Flammis * luminibus scilicet atria,*
*Absentemque diem lux agit * æmulam*
** Noctem illuminas fulgore prævio.*
Nos festis trahimur per pia gaudia
*Noctem * concilians, votaque prospera*
** Concenta parili, suavisonantibus*
Hymnorum modulis ora resolvimus.
*O res digna, Deus, quam tibi * residua*
*Noctis principio Grex tuus * offeret,*
** Lumen, quod tribuis nil pretiosius:*
** Luce quali tua præmia cernimus.*
** Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus*
*Intus tu speculum, * foris*
*Lumen quod * delibas plebs tua suscipe*
*Tinctum pacifici chrismatis * sanguine.*
Per Christum genitum summe Pater tuum,
In quo visibilis stat tibi gloria:
Qui noster Dominus, qui tuus unicus
Spirat e patrio corde Paraclitum.
Per quem splendor, honor, laus, sapientia,
*Majestas, bonitas, * & pietas*
** Tu Regnum contines nomine triplici,*
Texens perpetuis sæcula sæculis. Amen.

* Prudentius in libro Kathemerinon, Hym. V. *Ad Incensum Cerei Paschalis*.
* *sole*
* *splendent ergo tuis muneribus Pater*
* *mobilibus*
* *æmula*
* *Quam nox cum lacero victa fugit peplo*
* *concilii*
* *certatim vigili congerimus prece entrucloque agimus Sacrario.*
* *roscida*
* *offerat*
* *lucem quam tribuis*
* *lucem qua reliqua*
* *Tu speculum foris*
* *famulans offero suscipe*
* *unguine*
* *& pietas sua*
* *Regnum continuat*

At inquies: Initium Quadragesimæ in eodem Breviario ita consignatur: *Feria IV. in capite jejunii*. Cujus Officium totum est de Quadragesimali jejunio, ut ex consequentibus satis aperte liquet:

In *Capitula*, seu Oratione Completoria post primam Lectionem: *Erubescimus &c. petentes, ut in hoc nostræ afflictionis tempore nostrum jubeas peccatum emittere* &c. Et in Benedictione, ibidem: *Omnipotens Deus, cui ob indictum hoc jeiunium nostra pandimus crimina, ab omni nos delicto immunes efficiat*. ℟. Amen. *Suscipiens vestræ abstinentiæ precem, nunquam vos patiatur a suo dividi corpore*. ℟. Amen. *ut sicut ammonitio eius vos prævenit, qui divinæ animadversionis evasistis sententiam, ita miseratia subsequatur, qua perducamini ad coronam*. ℟. Amen.

Item

Item in Oratione ad Sextam, pag.77. col.3. *Desiderium tuum &c. paterna nobis indulgentia blandiaris, Et pro humiliatione præsentium, gaudia retribuas æternorum.*

Et post Lectionem Epistolæ B. Pauli ad Coloss., *memor esto omnis Sacrificii nostri, quod tibi non solum oblatione, atque afflictione dicamus; ut nos tibi humiles semper facias, & contritos attendas.*

Demum eadem die, legitur (pag.74. col.4.) *Sermo ad carnes tollendas*: & Lectiones Scripturales, cùm Veteris, tum novi Testamenti totæ sunt de capite jejunii Sacratissimæ Quadragesimæ. Ita quidem. Sed non ex primaria institutione. Iterum paulo attentius etiam Missale Toletanum Mozarabicum inspiciamus. In eo,

Feria IV: in Capite jejunii ita legitur.

„ *Antiphona*. Exaudi nos Deus, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in nos, Domine. ℣. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in sæcula sæculorum ℟. Amen. *Psal.* Exaudi nos Deus.

„ Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos „ *Psalm.* Deus misereatur nostri, *totum cum*, Gloria & honor Patri. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. Peccavimus cum patribus nostris ℟. Injuste egimus, iniquitatem fecimus. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat ℣. Dominus sit semper vobiscum.

O R E M U S.

„ Concede nobis, quæsumus Domine, præsidia militiæ &c. *Ut in Romano*. „ *Et postea Sacerdos benedicat cineres.*

„ Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram ℣. Dominus sit semper vobiscum ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio*. Deus qui non mortem, sed pœnitentiam &c. *Ut in Romano.*

O R A T I O.

„ Omnipotens sempiterne Deus, qui misereris omnium, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam; qui etiam misericorditer subvenis clamantibus ad aures clementiæ tuæ, bene✠dicere & sanctificare digneris hos cineres, quos super capita nostra, causa sanctæ religionis, & humilitatis pro peccatis nostris more Ninivitarum ferre constituisti: da per invocationem Sancti tui nominis, ut omnes qui eos ad precandam misericordiam tuam super capita sua tulerint, mereantur à te Domine JESU-CHRISTE, omnium delictorum suorum veniam percipere, & hodie sic sancta inchoare jejunia, ut ad diem resurrectionis, purificatis mentibus digne mereantur accedere, & in futuro perpetuam, & immarcescibilem accipere gloriam. Per Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM.

B E N E D I C T I O.

„ Benedictio ✠ Dei Patris omnipotentis, & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, „ descendat & maneat super hos cineres. ℟. Amen.

Hic aspergat aquam benedictam super cineres.

„ *Benedictis cineribus, incipiat cantor antiphonam*: Immutemur habitu &c. *Dicatur tribus vicibus. Deinde dicatur alia antiphona*. Inter vestibulum. ℣. Gloria & honor Patri. ℟. Emendemus &c. Adjuva nos &c. ℣. Gloria & honor Patri.

„ *Interim dum cantaverint clerici has antiphonas, accipiant clerici & laici cineres de manu Archiepiscopi, vel Sacerdotis, & dicat sacerdos, dum posuerit antiphonam*: Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris. Age pœnitentiam, & prima opera fac.

„ Hoc

„ *Hoc facto, eant omnes ad processionem. Finita processione, fiat sermo: quo* „ *finito, incipiant Missam*. His objectionibus ut fiat satis,

Nota primò, quòd in hac missa dicitur alleluja ad Laudem post evangelium, ad sacrificium autemseu offertorium unicus versus.

Nota secundò, quòd in eodem Missali, etiam *Officium Dominicæ Primæ Quadragesimæ ita incipit*.

NOTA. „ Ecce nunc tempus acceptabile, alleluja, ecce nunc dies salutis, alleluja. „ *Versus*. Dominus regnavit decorem induit, induit Dominus fortitudinem, & „ præcinxit se. *Deinde præcentor repetit*, ecce nunc die salutis. *Tum dicitur*, Glo- „ ria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in fæcula fæculorum. Amen. „ *Post*, Gloria in excelsis, *& orationem. Sequitur lectio ex Prophetia Isaiæ* „ *cap*. 55. Hæc dicit Dominus: Audite audientes me, & comedite bonum. &c. „ *Deinde post canticum trium Puerorum, & psalmum, & post Orationem pro pæni-* „ *tentibus, subsequitur lectio ex Epistola* 2. *ad Corinthios cap*. 5. Pro Christo lega- „ tione fungimur &c. *usque*, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. *Post-* „ *modum Evangelium ex Joannis cap*. 4. Dominus noster Jesus Christus reliquit Ju- „ dæam, & abiit in Galilæam &c. *usque*, quia hic est verè Salvator Mundi. „ *In posterum* Alleluja omittitur ad Pascha, ex præscripto Concilii Toletani quar- „ ti, canone XI.

*ANNOTATIO XXVII. pag. 79.

Nota tertiò, quod in Br. quoque Moz. Tolet. pag. 79. col. 4. *In primo Dominico Quadragesimæ*, quæ gaudet Officio, & Hymno proprio, ita legitur:

HYMNUS Ad primas Vesperas pag. 80. col. 1.

* edite

*Alleluya piis * edicte laudibus*
Cives ætherei, psellite unanimiter
Alleluya perbenne.
Hinc vos perpetui luminis accolæ
Ad summum resonate hymniferis choris
Alleluye perbenne.
Vos Urbs eximia suscipiet Dei,
Quæ lætis resonans cantibus, excitat
Alleluya perbenne:
Felici reditu gaudia sumite,
Reddentes Dominum glorificum melos,
Alleluye perbenne.
Almùm sydere jam Patriæ decus
Victores capite, quo canere possitis
Alleluye perbenne.
Illic Regis honor vocibus inclitis
Jocundum roboet carmine perpetim
Alleluye perbenne.
Hoc fessis requies, hoc cibus, hoc potus
Oblectans reduces haustibus affluens
Alleluya perbenne.
Nosque suavisonis conditor affatim
Rerum carminibus, laudeque pangimus
Alleluya perbenne.
Te Christe celebrat gloria vocibus
Nostris omnipotens, ac tibi dicimus
Alleluya perbenne. Alleluye perbenne.
Amen.

Et pag. 80: col. 2. ad Vesperas ejusdem diei, hæc habetur *Capitula*, seu Completoria.

CAPITULA.

„ Alleluja in Cælo, & in terra: in Cælo perpetuatur, & in terra cantatur. „ Ibi sonat jugiter: hic fideliter. Illic perhenniter, hic suaviter. Illic feliciter: „ hic concorditer. Illic ineffabiliter: hic instanter. Illic sine syllabis: hic mo- „ dulis. Illic ab Angelis: hic a Populis. Quam Christo Domino nascente in lau- „ de & confessione nimis ejus, non solum in Cælo, sed & in terra Cælicolæ ceci- „ nerunt: dum gloria in excelsis Deo, & pacem in terra bonæ voluntatis homini- „ bus nunciaveruut. Quæsumus ergo Domine, ut quorum ministeria nitimur imi- „ tari laudando, eorum mereamur consortium beatæ vitæ vivendo. *Pater noster* „ *Liberati a malo*.

BENEDICTIO.

„ Alleluja, quæ ineffabiliter concinitur in Cælis, efficacius declaretur in „ laudibus vestris. ℟. Amen. Et quæ illic sine intermissione decantatur ab Ange- „ lis, hic per momenta affectus concinatur a Populis universis ℟. Amen. Ut hæc „ ipsa, quæ laus dicitur Dei, in ea quæ nunc laude initiari populos facit, Æter- „ na

„ næ vos adſcribat ſocios manſioni. ℟. *Amen*. *Lauda*. Ibis, Alleluja. proſperum „ iter habebis, Alleluja. Et iterum cum gaudio revertaris ad nos, Alleluja. „ *V*. in manibus enim ſuis portabunt te: ne unquam offendas ad lapidem pe- „ dem tuum. *Et iterum V*. Gloria & honor *pſ. L*. Kirie el. ℟. Chriſte el. Kirie el. Pat.r noſter. *Preces*. Domine miſericordiarum obliviſcere peccata noſtra. In principio creaſti Cælum & terram. *pſ.* obliviſcere &c.

*Item pag.*81. *col.*3. *In Laudibus ejuſdem Dom.I. Quadrag.*

CAPITULA.

„ Alleluja, nomen, quod interpretatione tui laudem perſonas Dei, eſto „ conſummatrix Matutini Officii &c. (quæ habetur etiam in Cod. Veron. *pag.* 65.)

Lauda. Ibis, alleluja, proſperum iter.

BENEDICTIO.

„ Alleluja nomen pium, atque jocundum dilatetur ad laudem Dei in ora om- „ nium populorum. ℟. *Amen*. Sit in vocibus credentium clara, quæ in Angelorum „ oſtenditur concentibus glorioſa. ℟. *Amen*. Et quæ in æternis civibus ſine ſono- „ rum ſtrepitu enitet, in veſtris cordibus affectu pleniori fructificet. ℟. *Amen*. Per „ miſericordiam. *Lauda*. Angelus Domini bonus comitetur tecum, alleluya: & „ omnia bona præparet itineri tuo. *P*. Et iterum cum gaudio revertaris ad nos, „ alleluja. V. Mittat tibi auxilium de ſancto; & de Syon tueatur te. *P*. & iterum. „ ℣. Gloria & honor. *P*. Et iterum. HIC CLAUDITUR ALLELUJA. „ *Pſ.* Miſerere mei Deus &c. *totum cum* Gloria. *Poſtea* Kyrie el.

Hæc autem oſtendunt, nec Dominicam ante diem Cinerum, quæ in Miſſali Mozarabico *ad carnes tollendas* appellatur, nec ipſam Feriam IV. Cinerum, cui titulus *in capite jejunii*, ex primaria inſtitutione obtinuiſſe apud Hiſpanos. Atque ut utrumque etiam ex ipſa Miſſalis, & Breviarii Toletani apertiſſima interpolatione confirmem, memoriâ eſt recolendum, quod in Hiſpania (ut ex ſuperiori Benedictione probatum eſt) *Alleluja claudebatur* initio Quadrageſimæ, juxta decretum Concilii Toletani Quarti, Canone XII.

* „ Item cognovimus (inquit) quoſdam Hiſpaniæ Sacerdotes (1) qui in Qua- „ drageſimæ diebus Alleluja decantant, præter in ultima hebdomada Paſchæ, quod „ deinceps interdicimus fieri: ſtatuentes, ut in omnibus prædictis Quadrageſimæ „ diebus, quia tempus eſt, non gaudii, ſed mæroris, alleluja (2) non decantetur. „ Tunc enim opus eſt fletibus ac jejuniis inſiſtere, corpus cilicio & cinere induere, „ animum mœroribus dejicere, gaudium in triſtitiam vertere, quouſque veniat tem- „ pus reſurrectionis Chriſti; quando oportet Alleluja in lætitia canere, & mœro- „ rem in gaudium commutare. Hoc enim Eccleſiæ univerſalis conſenſio in cunctis „ Terrarum partibus roboravit. Quod & à nobis omnibus ut conſervetur per Hiſ- „ panias Galliaſque provincias, oportebit. In temporibus quoque (4) reliquis, id „ eſt Kalendis Januarii, quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino Alle- „ luja non decantetur: in quibus etiam, præter piſcem & olus, ſicut in aliis qua- „ draginta diebus, à cæteris carnibus abſtinetur, & à quibuſdam, nec vinum bibitur. „ Si quis igitur Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet ex Ordine „ Clericorum fuerit repertus, qui arbitrium ſuum huic conſtitutioni exiſtimet præ- „ ferendum, ordinis ſui officio carere cogatur, & à communione ejuſdem Paſchæ „ privetur.

*celebr. an. Chriſt. 623. Præſide S. Iſidoro.

(1) *quod*

(2) *ideo non dec.*

(4) *reliquorum*

Paria habet S. Iſidorus lib. I. de Eccleſ. Off. Cap. 13. his verbis: *Laudes, hoc eſt Alleluia canere, antiquum eſt Hebræorum, cuius expoſitio duorum verborum interpretatione, vel compoſitione conſiſtit, hoc eſt, LAUS DEO. Verùm apud nos, ſecundum antiquam Hiſpaniarum traditionem, præter dies jeiunorum, vel Quadrageſimæ, omni tempore canitur alleluja*. Ergo primitùs in Hiſpania *alleluja* intermittebatur ab initio Quadrageſimæ, uſque ad Paſcha. Quem morem in noſtro Libello Orationum religioſè ſervatum invenio. In Dominica namque *in carnes tollendas*, à qua jejunium Quadrageſimale ſumit exordium, *Laudes* allelujaticæ tolluntur ad Veſperas ejuſdem diei, ut legitur in rubrica ipſarum Veſperarum (pag. 65.): „ ITEM COMPLETURIA POST EXPLICITAS LAUDES, QUAS PSALLENDO VADUNT USQUE AD SANCTA JHERUSALEM, QUÆ IN SANCTO FRUCTUOSO DICENDA EST; „ & ut conſtat ex ſequentibus duabus Benedictionibus, ac Completoria, quibus Veſperæ ejuſdem Dominicæ terminantur.

„ Al-

BENEDICTIO.

„ Alleluja nomen pium atque jucundum, dilatetur in laudem Dei in ora
„ omnium populorum: sit in vocibus credentium clara, quæ in Angelorum osten-
„ ditur concentibus gloriosa: ut quæ in æternis civibus sine sonorum strepitu
„ enitet, in vestris cordibus affectu pleniori fructificet.

COMPLETORIA AD SANCTUM PETRUM.

„ Multimoda in laudum consummatione, tua Christe hodierni diei solemnia
„ peragentes, quæsumus, ut in ore nostro perfecta laus tua sine intermissione
„ fructificet, & cum effectu mentium nostro se dilatet in pectore: ut, quam
„ nunc concinendo peregrimus, ad gloriosum resurrectionis tuæ festum devotis
„ cordibus concinamus.

BENEDICTIO.

„ Deus, in cujus Laudibus hæc solemnia peregistis, gloriosos vos efficiat do-
„ no suæ laudationis; Laus quoque ejus in ore nostro semper speciosa appareat,
„ cujus gloriosa laudum hodierni festi peregistis officia: ut laus, quæ nunc
„ in consummatione officii in vestris vocibus declarata est dulcis, suavior re-
„ sultet in vestris cordibus tempore Resurrectionis.

Laudatus Sanctus Isidorus, libro Æthymologiarum 6. Cap. 19. *Alleluia* (inquit) *duorum verborum interpretatio est, hoc est** *LAUS DEI: & est Hebræum. Significat igitur laudare Deum cum jubilo, & lætitia, & cantu, unde in cælo auditur, ubi omnia Cantica sunt læta, & perpetuum alleluja* = & de Divinis Officiis, Cap. 13. *Laudes, hoc est alleluja canere*. Itaque, cùm Canone XII. laudati Concilii Toletani Quarti cavetur, „ *Laudes post Apostolum decantari, priusquam Evangelium prædicetur, dum Canones præcipiunt post Apostolum, non Laudes, sed Evangelium annuntiari*,,, fallitur Garsias Loaisa, qui *Laudum* nomine intelligit Hymnum trium puerorum. Nam certum est *Alleluja* significari hoc loco, ut animadvertit Mabillonius, & constat ex Vvalfrido Strabo, qui cap. 22. testatur: *Responsoria, & All., quæ ante Evangelium cantantur, deinde adiuncta videntur, postquam antiphonæ ad ingressum diei exspirarunt; quæ & videntur probibitæ canonibus Hispanorum, qui longo post tempore sunt constituti. In illis enim jubetur, ne aliquis hymnus inter lectionem Apostolicam & Evangelicam in ordine Missæ ponatur*. Quare signanter

*Etiam Codèx Veron. in toto Officio *Dominica in carnes tollendas* ita *Alleluja* Interpretatur.

„ Eminentissimus Card. Bona lib. 2. *Rerum Liturg.* Cap. 6. §. 4. „ Ad ritum (inquit)
„ Moz-arabicum, quo tunc Hispania utebatur, & longo post tempore ibidem vi-
„ guit, pertinet iste Canon *: quem ritum cum quidam Sacerdotes perverterent,
„ meritò in illos Toletani Concilii Antistites, Isidoro Hispalensi in eo præsiden-
„ te, animadverterunt. Sunt autem Laudes, quæ post Evangelium prisco more
„ Hispaniarum dicuntur, non Hymnus trium puerorum, ut ait in Notis ad præ-
„ citatum Canonem Garsias Loaisa, sed versiculus cum *Alleluja*, ei prorsus similis, qui
„ ritu Romano post Responsorium cantatur: ipsum verò Responsorium cantabant His-
„ pani post Lectionem veteris Testamenti, quæ in eodem Missali Epistolæ præmittitur.

*XII. Concilii Tolet. Quarti.

Sequiori tamen ætate cœpit a Septuagesima, propter primi hominis lapsum, quem in sacris vigiliarum lectionibus recenset Ecclesia, *Alleluja* deponi; ut eruditè demonstrat Martenius * his verbis:

* *De antiqua Eccl. discip. in divinis celebr. Off.* pag. 126.

„ In dimittenda autem hac lætitiæ voce non unus fuit omnium Ecclesiarum
„ usus. Nam ut ait Durandus lib. 6. c. 24. (*Quidam in ipso sabbato Septuagesimæ*
„ *dimittunt alleluja ad sextam, quidam ad nonam, quidam ad vesperas, quidam*
„ *verò ad nocturnum hujus Dominicæ, & quidam ad primam Dominicæ hujus diei:*
„ *quæ varietas provenit ex diversitate inceptionis diei. Rectius tamen dimittitur in*
„ *vesperis, quia tunc dies incipit quoad diurna officia, quia nox præcessit, dies au-*
„ *tem appropinquavit. Et hoc etiam statuit Alexander Papa II. ut ejus geminatio ad*
„ *finem præcedentis temporis pœnitentiæ, quam laus sequitur evangelica, referatur, &*
„ *ejus depositio luctui sequentis temporis assignetur. Unde & quædam Ecclesiæ depo-*
„ *nunt alleluja cum gaudio magno, aliæ vero cum gemitu & suspirio.*) Hactenus Du-
„ randus, ubi, quod ait de Alexandri Papæ II. decreto dimittendi ad Vesperas al-
„ leluja, confirmatur ex Micrologo, qui cap. 47. idem asserit. Verum à paucis
„ observatum fuisse testantur antiqui rituum libri diversarum Ecclesiarum, quos
„ percurrimus. Et quidem ex Silvanectensi ordinario ad completorium; ex Verti-
„ ensi, eo decantato, dimitti debet. Verum aliæ passim Ecclesiæ illud retinent &
„ ad

„ ad matutinum, & ad laudes. Quod addit Durandus, quasdam Ecclesias illud dimittere cum gaudio, confirmari potest ex variis ordinariis, & antiphonariis. Ordinarium Silvanectense jubet ut ad vesperas sabbatti psalmi singuli cum triplici alleluja, excepto tertio qui cum duplici tantùm, pro antiphona decantetur. Benedicamus verò cum duplici, ac deinceps ad completorium sileat. In aliis passim Ecclesiis in nocturnis vigiliis ad invitatorium, ad singulas antiphonas, & responsoria, in laudibus item ad singulas antiphonas summa cum animi jubilatione concinebatur. Maximè verò ad psalmum *Laudate Dominum de Cœlis*, ad cujus singulos versus repetebatur. Audiendum est ea de re Ecclesiæ Remensis ordinarium; *Laudate Dominum de cœlis*, hoc modo decurritur. Unus ex præsbyteris incipit antiphonam, & totam decantat ita: *Laudate Dominum de cœlis alleluja*; Primus chorus respondet: *Laudate eum in excelsis alleluja*. Alter chorus respondet cum duplici alleluja sic; *Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus alleluja alleluja*. Item primus chorus cum triplici alleluja sic: *Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ, & lumen alleluja alleluja alleluja*. Alter chorus canit quartum versum cum simplici alleluja *Laudate eum cœli cœlorum*: Quintus versus cum duplici alleluja canitur, sextus cum triplici alleluja, & sic usque in finem. In fine autem. *Sicut erat in principio &c. Amen. Alleluja alleluja alleluja*. Cum triplici alleluja finitur, & cum tono, nec antiphona reperitur. „ Idem erat usus insignis Ecclesiæ Cabilonensis & Turonensis S. Martini. Illius meminit Heticus in lib. miraculorum S. Germani Autissiodorensis cap. 10. ubi sic loquitur: „ Erat autem alleluja quod nostra Ecclesia Septuagesimæ tantum die Dominico cum suprememorato psalmo (*Laudate Dominum de cœlis*,) modulari consuevit, ut in primo versu semel, in secundo bis, in tertio tribus vicibus reciprocatum. In quarto demùm reiteratur à capite. „ Ex ordinario Cenomanensi „ in medio cujuslibet versus dicitur semel *alleluja*, & in fine cujuslibet versus ter *alleluja*, & in fine psalmi dicitur antiphona *alleluja*, & ita includitur *alleluja*) „ In Pontificali etiam Salisburgensi scriptum reperio ut (post matutinas per oratoria *alleluja* cantetur.) „ Antiphonarium S. Martini turonensis addit, ut in laudibus ad primam antiphonam dicantur decem *alleluja*, totidem ad secundam, septem ad tertiam, in fine quartæ tria, psalmus verò *Laudate Dominum de cœlis* eo, quo diximus modo decantetur: *Benedicamus Domino* cum duplici alleluja.

Sed antiquitus non fuit sic. Vidimus namque in Hispania hocce letitiæ signum usque ad initium Quadragesimæ recitatum.

Itaque, cum Missale Mozarabicum, *In primo Dominico Quadragesimæ* Missam inchoet: *Ecce nunc tempus acceptabile, alleluja, ecce nunc dies salutis, alleluja*: itemque Breviarium * Toletanum concinat eadem die illum lætitiæ plenissimum hymnum, quem paulo supra recitavi, * pag. 80. col. 3.

Alleluja piis edite laudibus;

Nemo amplius dubitaverit, Toletanam Ecclesiam, mutata veteri disciplina, Dominicam Quinquagesimæ, ac Feriam IV. in Capite jejunii, post Isidori tempora cum Missali tum Breviario Mozarabum addidisse.

Verùm ad LAUDES nostri Libelli Orationum antiquissimi Ritus Gothico-Hispani paulò diligentius attendamus; quoniam & ipsæ pluta, nec minus expressa Quadragesimalis initii confirmandi testimonia nobis suppeditant. In his luculentum est illud, quod retulimus ex fine Matutini *Dominicæ* in Carnes tollendas.

„ ITEM COMPLETURIA POST EXPLICATAS LAUDES, QUAS „ PSALLENDO VADUNT USQUE AD SANCVA JERUSALEM, QUÆ „ IN SANCTO FRUCTUOSO DICENDA EST. Sequitur namque:

* „ Lætate Jherusalem, quoniam filii tui collecti numerosæ collectionis tibi personant laudes; quæsumus proinde, Deus, ut in hujus sanctæ Matris gremio constituti, perpetuum tibi alleluja & spiritu & mente psallamus: sicque, quod nunc in peractione matutini officii per multiplicationem laudum devotè consummantes persolvimus, post nostrum obitum cum Sanctis tuis omnibus tibi uberiùs decantemus. * Cod. Veron. pag. 65.

„ ITEM COMPLETORIA DIE DOMINICO AD VESPERUM.

„ Ecce laus tua, Deus, quæ est alleluja, & cælos implet & terram: „ cum & supernorum ineffabili concentu, & terrenorum officiis declaratur; quæ-

„ sumus ergo, Deus, ut quum te in illa die viderint oculi nostri in gloria, lætetur cor nostrum super alleluja, ut per laudis hujus exhibitionem devotam, & hic promereatur criminum veniam, & post, æternam perducamur ad gloriam quum manifestata nobis fuerit facies tua.

„ ITEM, postBenedictionem, COMPLETORIA AD S. PETRUM *Multimodam &c.*

Harum enim *Completoriarum* Orationum verba, & tituli seu superscriptiones, indicare videntur triduanas illas *Processiones*, ac Litanias, quæ a Clero, & populo *per Sanctorum Basilicas ambulante* fiebant in Hispania initio Sacratissimæ Quadragesimæ. De quibus insignem habemus locum in Concilio Bracarensi secundo, celebrato anno Christi 572. dum statuit, ut per singulos annos a Metropolitano Episcopo Pascha pronuncietur.

(1) *omnimodis* (2) *intimetur* (3) *observare*

„ Placuit (inquit,) ut postquam omnia in Concilio Sacerdotum fuerint ordinata, illud (1) omnibus modis observetur, ut superventurum ipsius anni Pascha, quoto Calendarum die, vel quota luna debet suscipi à Metropolitano Episcopo (2) nuncietur. Quod ceteri Episcopi, vel reliquus clerus breviculo subnotantes, unusquisque in sua Ecclesia, adveniente natalis die Domini, adstanti populo post lectionem Evangelicam nuntient, ut introitum quadragesimæ nullus ignoret: in cujus principio convenientes in unum vicinæ Ecclesiæ, per triduum cum Psalmis per Sanctorum Basilicas ambulantes celebrent Litanias. Tertio autem die celebratis hora nona, sive decima missis dimisso populo, præcipiant Quadragesimæ (3) servare jejunia, & mediante Quadragesima ex diebus viginti baptizandos infantes ad exorcismi purgationem offerre.

Sed, & juxta nostrum Libellum, itum est a Clero, & populo Tarraconensi initio Quadragesimæ, ad S. FRUCTUOSUM, ad SANCTAM HIERUSALEM, & ad S. PETRUM, ut Sacri Baptisterii ostia cum LAUDUM CONSUMMATIONE clauderentur. Igitur in Hispauia jejunium a Quadragesima exordiebatur.

Si quæras causam hujus veterisHispaniarum disciplinæ; en ego testem non minus illustrem ac certum affero, Concilium nempe Toletanum XVII. celebratum anno Christi 694. quod Canone II.,

* observandis

*De * servandis ostiis Baptisterii in initio Quadragesimæ*,

„ Licet (inquit) in initio Quadragesimæ baptizandi generaliter claudatur mysterium, tamen Ecclesiasticæ consuetudinis ordo deposcit, & necesse est, ut ostia baptisterii in eodem die Pontificali manu annulo assignata claudantur, & usque in Cœnæ Domini solemnitatem nullatenus referentur: ob id videlicet ut & per signaculum Pontificum (excepto gravissimæ necessitatis obventu) in his diebus monstretur, per totum Orbem non licere fieri baptismum & sanctificationem: iterum Episcopali ad eam observatione referata, signetur Dominicæ patere mysterium resurrectionis, in quo ad vitam factus est aditus homini: ut quia per baptismum consepultus est in morte Christi, resurgat cum eo in gloria Dei.

„ Quod quia in aliquibus Ecclesiis minimè hæc sancta consuetudo ab Episcopis custoditur atque peragitur, ideo per hanc nostram sententiam sancimus atque decernimus, ut ita à totius Hispaniæ & Galliarum Pontificibus custodiatur, quatenus in prædicto die, initii videlicet Quadragesimæ, & ostia sancti baptisterii cum laudum consummatione claudantur, & ab Episcopis suorum signaculo obsignentur; ita ut nisi in Cænæ Domini celebritate, quando more solito altaria debent devestiri, ea debeant ostia referari. Inconveniens etenim res est, ut illic in præmemoratis Quadragesimæ diebus cunctis aditus pateat adeundi, ubi non licet debitum mysterium exerceri.

Luculentus est ad dilucidandum hunc Canonem insignis locus Gregorii Turonensis, lib. I. *de Gloria Martyrum*, cap. 23. in quo de Fontibus Hispaniæ sic loquitur: *Igitur cum dies sacer post curriculum anni decedentis advenerit, quo Dominus confuso proditore, mysticam discipulis præbuit cœnam, conveniunt in loco illo cum Pontifice cives, jam odorem sacri præsentientes aromatis. Tunc, data oratione, Sacerdos ostia templi jubet simul muniri signaculis, adventum virtutis Dominicæ præstolans. Die autem tertia, quod est Sabbati, convenientibus ad baptizandum populis, adveniens Episcopus cum civibus suis, inspectis signaculis, ostia reserat clausa, ac mirum dictu, pistina, quam reliquerant vacuam, reperiunt plenam, sed cumulo altiore refertam, ut solet super ora modiorum triticum aggregari: videasque huc illuc latices flu-*

fluctuare, nec parcè in diversa diffluere. Tunc-cum exorcismo sanctificatum conspersum desuper chrisma omnis populus pro devotione hauriet, & vas plenum domi pro salvatione reportat, agros vineasque aspersione saluberrima curaturus. Et cùm exinde multitudo amphorarum sine collato numero hauriatur: numquam tamen vel cumulum minuit, licet ubi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur,,. Ex his ergo Conc. Tolet. & Greg. Turon. testimoniis colligere nobis licet antiquum Ecclesiæ Hispanæ morem consignandi baptisterii, nomenque fontis Baptismalis, qui, ut a Sidonio Appollinari lib. 2. Epist. ad Domit., *Piscina* nuncupatur. Reddita nempe Ecclesiæ pace, statim cœperunt construi in Hispania Ædes publicæ, seu *Capellæ* ad baptismatis ministerium designatæ. Istiusmodi verò ædes, seu baptisteria, ut plurimùm, erant ab Ecclesiis distincta, sed tamen juxta ipsas posita; ut constat ex dictis Litaniis, quæ agebantur initio Sacratissimæ Quadragesimæ in claudendis ostiis eorundem baptisteriorum, itemque *ex Laudibus* expliciundis *in Sancto Fructuoso*, quas *psallendo ibant usque ad Sanctam Hierusalem*, & *Sanctum Petrum*, sicut legitur in nostro Libello Orationum Gothico-Hispano. Verùm non solum in Hispania, sed etiam alibi gentium idem optinuit baptisteria ab Ecclesiis separata condendi ritus, ut probat Martenius * ex S Paulini Epistola 12. ad Severum, ubi de ejus baptismali fonte ita canit: * *de antiq. Eccles. Rit. pag. 9.*

Dives opum Christi, pauper sibi pulcra Severus
Culmina sacratis fontibus instituit.

Et ex Fortunato libro 2. Carmine 12. ubi agit de baptisterio Moguntiæ ædificato; sed etiam ex Vita B. Altonis, cujus in Monasterio cum S. Bonifacius ecclesiam consecrasset ita, ut præter solitum morem feminis ad eam liber pateret aditus, attamen ,, *fontem quemdam in eodem loco, juxta ecclesiam positum, ea benedixit ratione, ut mulieri nulli liceret ad eum accedere* ,,. Idem videre est in pluribus Italiæ civitatibus, ut discimus ex Mabillonii Itinere Italico, in quo inter alia multa hæc lego; *Ecclesia Novariensis primaria in honorem Beatissimæ Virginis dedicata, separatum habet insigne baptisterium S. Johannis Baptistæ, uti Romæ, Florentiæ, Pisis, Parmæ, Patavii, aliisque in locis nonnullis*. Et infra ubi de Ravenna, *baptisterium antiqui operis extra ecclesiam* memorat. Idem etiamnum observare licet in Turonensi S. Martini ecclesia, quæ separatum quoque a Basilica baptisterium habet in Æde S. Johannis, qua pro Capitulo Canonici uti solent. Denique cernebatur olim baptismalis ecclesia in australi parte Cathedralis Hildesheimensis, ex Vita S. Godchardi num. 23. apud Bollandum 4. Maii.

Huc respicit Decretum illud Toletani Concilii à Gratiano 16. q. 1. c. 53. relatum: *Plures baptismales Ecclesiæ in una terminatione esse non possunt; sed tantummodo cum subditis capellis*. Scilicet primis temporibus, quoniam in solis ferè Cathedralibus Ecclesiis exstabant Baptisteria, ea de causa propè ipsas, propter necessitatem, subjectæ quædam Capellæ, Baptismati destinatæ, erigebantur. Cùm enim soli priscis temporibus baptizarent Episcopi, nisi periculum esset in mora, solæ etiam in quibus residebat Episcopus Ecclesiæ, Baptisteria habebant, cum nonnullis tamen vicinis Capellis, sub peculiarium Sanctorum titulo Domino consecratis, in quibus, ut inquit laudatus Martenius, * recens regenerati solebanr olim statim post susceptum baptisma Corpori, & Sanguini Domini participare. Hæc est origo altarium, quæ in sacris baptisteriis antiquitus erigebantur, ut nempe in ipsis Missa celebrari posset ad communionem renatorum. Hæc est causa nominum *Sanctæ Hierusalem*, & *Sancti Petri* prope Basilicam *S. Fructuosi* in nostro Libello Ritus Hispani. Hæc vetus denique condendorum Fontium baptimalium disciplina; ob quam Hilarus Papa tria fecisse dicitur Oratoria sive altaria in baptisterio Basilicæ Costantinianæ apud Anastasium, scilicet S. Jo: Bapt., S. Johannis Evangelistæ, & S. Crucis. Præterea in baptisterio Lateranensi oratorium S. Stephani. Et de Symmacho Papa idem auctor loquens, *ad fontem*, inquit, *in basilica S. Petri Apostoli Oratorium Sanctæ Crucis ex argento, confessionem & crucem ex auro* &c. Sed & in Pisano baptisterio fonti *adhæret altare cum globo super illud concavo, in quo Eucharistia olim ad usum, ut verisimillimum est, recens baptizatorum asservabatur*, ut refert supra citatus Mabillonius. * *de antiq. Eccles. Rit. pag. 11.*

Brev.

Brev. Moz. Tol. pag. 84. col. 2. *Hymnus dicendus per omnes dies Quadragesimæ ad Tertiam, vel Sextam, vel Nonam infra Hebdomadam. Fer. II.*

** Prudentii Cathemerinon Hymno VII. jejunantium.*

HYMNUS.

*O Nazarene, * lux Bethlem, Verbum Patris,*
Quem Partus alvi Virginalis protulit,
Adesto castis Christe parsimoniis,
Festumque nostrum Rex serenus aspice,
Jejuniorum dum litamus victimam.
** Nil hoc profecto purius mysterio:*
*Quo fibra cordis * expiatur vividi:*
Intemperata quo domantur viscera,
*Arvina * putredine refudans crapula*
** Ne strangulatæ mentis ingenium premat.*
** Hic subjungatur luxus, & turpis gula,*
Vini atque somni degener socordia:
*Libido sordens *, inverecundum lepos,*
Variæque pestes languidorum sensuum
** Parcam hanc disciplinam sentiunt.*
*Nam si licenter * defluens potu, & cibo,*
** Jejunate membra non * coerceant:*
*Sequitur, frequenti marcida * obletamine*
*Scintilla mentis ut * tempescat nobilis*
*Animusque pigris * restat præcordiis*
Honor potestas . . . . &c.

** Dum * Nihil * expiamur lividi * putrem ne refudans crapulam * Obstrangulatæ * Hinc*

** inverecundus * Parcam subactæ * diffluens * jejuna ritè * coerceas * oblectamine * tepescat * stertat ut*

Brev. Moz. Tol. pag. 84. col. 3. *Fer. III. Dominicæ primæ Quadragesimæ Ad Tertiam.*

HYMNUS

FRenentur ergo corporum cupidines,
*Detersa * & intus emicet prudentia:*
Sic excitato perspicax acumine,
** Liberque flatu * laxior spiritus*
Rerum Parentem rectiùs precabitur.
Helias tali crevit observantia,
** Recti Sacerdos, ruris hospes * nardi:*
*Fragore * ab omniqua remotum segregem*
*Sprevisse tradunt criminum * frequentium,*
Casto fruentem Syrtium silentio.
Honor potestas . . . . . &c.

** ut * libetque * lexiore * Elia*

** vetus * aridi * ab omni quem remotum & segregem * frequentiam*

Brev. Moz. Tol. pag. 84. col. 3. *Fer. IIII. Dominicæ primæ Quadragesimæ ad Tertiam.*

HYMNUS

SEd non in auras Igneis jugalibus,
** Cursuque raptu evolavit præpeti:*
Ne da propinquo sordium contagio
*Dirus quietum mundus afflaret * virus,*
Olim probatis inclytum jejuniis.
Non ante cæli Principem septemplicis
** Moyses tremendi fidus interpres * Doni*
Potuit videre, quàm decem recursibus
Quater volutis sol peragrans sydera
*Omni carentem cerneret * substanciam.*
*Victus precantis * solùm in lacrymis fuit:*
Nam flendo pernox irrigatum pulverem
Humi madentis ora pressit cernuo:
Donec loquentis voce præstrictus Dei,
Expavit ignem non ferendum visibus.
Honor potestas . . . . . &c.

** Curruque raptus * virum * Moses * Throni*

** substantia * solus*

Brev. Moz. Tol. pag. 84. col. 3. *Fer. V. Dominicæ primæ Quadragesimæ ad Tertiam.*

HYMNUS

JObannes hujus artis haud minùs potens,
*Dei perhennis * præcurris Filium:*
*Curvos viarum * retorsit tramites,*
*Et * famosa corrigens dispendia,*
Dedit sequendam calle recto lineam.
Hunc obsequellam præparabat nuncius;
*Mox * ad futurum * construes iter Deo,*
Inter clivosos pinis, anfractus ut lenibus
Converterentur, neve quicquam devium
Inlapsa Terris inveniret veritas.
Honor potestas . . . . . &c.

** præcucurrit * qui retorsit * flexuosa*

** adfuturo * construens * Clivosa panis, confragosa ut lævibus*

Brev.

Brev. Moz. Tol. pag. 84. col. 4. *Feria VI. Dominicæ primæ Quadragesimæ, ad Tertiam.*

HYMNUS.

NOn usitatis ortus hic natalibus,
*Oblita lactis jam * victo in pectore*
Matris tetendit servus Infans ubera:
*Nec ante * partum de senili effusus est,*
Quàm prædicaret Virginem plenam Deo.
*Post * hinc petente illo solitudines,*
Amictus hirtis bestiarum pellibus,
*Setisve tectus *, hispido velamine*
*Secessit, horrens inquinari, * ac pollui*
Contaminatis oppidorum moribus.
Illic dicata parcus abstinentia,
Potum, cibumque Vir severæ industriæ
** Usque serum respuebat vesperum,*
Parum locustis, ex favorum agrestium
*Liquore pastum * corporis victum daret.*
Honor potestat.... &c.

* quieto
* partu
* in patentis ille
* hispida & lanugine
* &
* Prud. add. in
* Parvum
* corpori suetus dare

Brev. Moz. Tol. pag. 84. col. 4. *Sabbatum Dominicæ primæ Quadragesimæ ad Tertiam.*

HYMNUS

HOrtator ille primus, & Doctor novæ
Fuit Salutis: nam sacrato in flumine
Veterum pietas lavit errorum notos:
Sed tincta postquam membra defæcaverat,
Cælo refulgens influebat spiritus.
** Post ex labe dempta crimina*
Ibant renati non secus, quàm si rudis
*Auri * cocta vena pulchrum splendeat:*
*Nites * metallis sive lux argenti,*
** Sudi polito prænitens purgamine.*
Honor potestat... &c.

* Hoc ex lavacro labe dempta criminum,
* recocta vena
* metalli
* argentei
* Sudum

Brev. Moz. Tol. pag. 84. col. 4. *Fer. II. Ad Sextam in Quadragesima.*

HYMNUS

*REferre prisci * Tema nunc Jejunii*
Libet, fideli proditum volumine,
Ut diruenda Civitatis incolis
*Fulmen * benignè mansuefactum Patris*
Piè repressis ignibus pepercerit.
Gens insolenti præpotens jactantia
Pollebat olim: quam fluentem nequiter
Corrupta vulgò solverat lascivia:
Et inde bruto contumax fastidio,
** Vultum superni negligebat numinis.*
*Offensa tandem jugis * indulgentia*
*Censura, justis * excitatus motibus,*
*Dextram perarmat * rompheolia incendia,*
Nimbos crepantes, & fragosos turbines
*Vibrans *, tonantium nube flammarum quatit.*
Sed penitendi dum datur diecula,
Si forte vellent improbam libidinem,
*Veteresque nugas, * condomare, ac frangere,*
Suspenditur hic tunc terror exorabilis,
Paulumque dicta substitit sententia.
Honor potestas.... &c.

* Stemma
* benigni
* Cultum
* indulgentia
* excitatur
* rhompheali incendio,
* tonantum
* condonare
* suspendit ictum

Brev. Moz. Tol. pag. 85. col. 1. *Feria III.* in Quadragesima ad Sextam.*

HYMNUS

JOnam Prophetam mitis ultor excitat,
Pœnæ imminentis iret ut prænuncius:
*Sed nosset * cum ille minacem Judicem*
Servare malle, quàm ferire, ac plectere,
*Tectam latenter vertit * in Tharsis fugam.*
Celsam paratis pontibus scandit ratem,
*Anchoræ * vincta fune puppis solvitur;*
Itur per altum: fit procellosum mare:
Tunc causa tanti quæritur periculi:
*Sors in fugacem missa * ãtem decidit.*
*Jussus perire solus * ex cunctis reus,*
Cujus voluta crimen urna expresserat,
*Præceps rotatur, * profundo immergitur,*
*Exceptus inde * bellua imis faucibus,*
*Alvi capacis vivus hauritur * specula.*
Honor potestas.... &c.

* ille cum
* in Tharsos
* udo revincta
* vatem
* e pro ex
* P. add. &
* belluinis
* specu

Brev. Moz. Tol. pag.85. col.1. *Fer. IIII. in Quadragesima ad Sextam.*

HYMNUS

TRansmissus raptim prædicans sordentium
Eludit ictus, incruentam transvolans
* Impugne linguam, ne retentam mordicus
Ossa molares dissicarent vividi:
Os omne transit, & palatum præterit.
Ternis dierum, ac noctium processibus
Mansit ferino devoratus gutture:
Errabat illic per latebras viscerum:
Ventris recessus * circuibat tortiles
* Ejus estis intus æstuantibus.
Intactus * exinde tercia noctis vice,
Monstri vomentis pellitur singultibus,
* Quo murmuranti fine fluctus frangitur,
Salsosque * cadens spuma tundit pumices:
* Ructatur, exit, seque servatum stupet.
Honor potestas ..., &c.

* Transmissa raptim præda cassa dentium
* Impone
* Ossam molares dissecarent
* circumibat
* Anhelus, extis intus
* Exin tertia
* Qua
* candens
* Ructatus

Brev. Moz. Tol. pag.85. col.2. *Fer. V. ad Sextam in Quadragesima.*

HYMNUS

IN Ninivitas se coactus percito
Gressu reflectit: quos ut increpaverat,
Pudenda Censor imputans opprobria,
* Impendit, inquit, ira summi vindicis!
Urbemque flamma mox cremabit, credite!
Apicem deinceps ardui montis petit,
Visurus inde conglobatum * turbine
Fumum ruinæ, cladis & dire strnem,
* Tectis flagellis multimodis germinis,
* Hic & repente perfruens umbraculo.
Sed mæsta postquam Civitas vulnus * novit
* Auxit doloris heu supremum, * palpitant?
Cursant per ampla Congregati mœnia
Plebs & * sauatur, omnis ætas Civium,
Pallens Juventus, ejulantes * fæmininæ.
Honor potestas .... &c.

* Impendet inquit ira
* turbidæ
* Tectus
* multim.di
* Nato &
* novi
* Haesit
* palpitat?
* Senatus
* fæminæ

Brev. Moz. Tol. pag.85. col.2. *Feria VI. ad Sextam, in Quadragesima.*

HYMNUS

PLacet frementem publicis jejuniis
Placare Christum: mos edendi * dispernitur.
* Clancos amictus induit monilibus
Matrona * Depretis, proque gemma, & serico
Crinem fluentem * sordidibus spargis cineribus.
Squallent reciocta veste pullati Patres,
* Sectasque plangens Turba * sumpsit tentiles,
Impexa villis Virgo bestialibus,
Nigrante vultum contigit velamine,
Jacens arenis & puer provolvitur.
Rex ipse * quoque æstuantem murice
Lænam * resulsam dissipabat fibulas,
Gemmas virentes, & lapillos futiles,
Insigne * fronti exuebat vinculum
Turpi capillos impeditos pulvere.
Honor potestas.... &c.

* spernitur
* Gaucos
* demptis
* sordidus spargit cinis
* setasque
* fumis
* Coos
* murices
* revulsa
* fibula
* frontis

Brev. Moz. Tolet. pag.85. col.2. *Sabbato ad Sextam in Quadragesima:*

HYMNUS

NUllus * vivendi, nemo vescendi memor:
Jejuna mensas pubes * omnes liquerant,
Quin & negato lacte vagientium
Fletu madescunt parvulorum cunulæ:
Saccum papillæ parca nutrix * derogat
Greges & * impos claudit * armentarius.
Solers virorum cura, ne vagum pecus
Contingat * rotulenta gramina,
Potum stupentis neve fontis hauriat,
Vacuis querellis * personat præsepibus.
Mollitus * his, & talibus, brevem Deus
Iram refrenat, temperans oraculum
* Prospero sinistrum: proba nam clementia
Haud difficulter * supplicem mortalium
Solvit reatum, sitque * sanctis flentium.
Honor potestas .... &c.

* habendi
* omnis liquerat
* Saccum
* denegat
* ipsos
* armentalium
* P.add.ore
* querelæ
* personant
* Propero
* prona
* supplicum
* fautrix

Brev. Moz. Tol. pag.85. col.3. *Fer. II. ad Nonam in Quadragesima.*

HYMNUS

SEd cur vetustæ gentis exemplum loquor?
Pridem caducis cum gravatus artubus
Jesus, * ditato corde jejunaverit:
Prænuncupatus ore qui prophetico
Emanuel est, sive nobiscum Deus.
Qui corpus istud molle naturaliter,
Captumque * lapso sub voluntatis jugo,
Virtutis arcta lege fecit liberum,
* Et mancipator servientis plasmatis;
Regnantis ante victor & cupidinis
In hospitali namque secretus loco,
* Qui in his diebus * otius labentibus,
Nullam ciborum vendicavit gratiam,
Firmans salubri scilicet jejunio
* Nos in perhenne invehit gaudium.
Honor potestas .... &c.

* dicato
* laxo voluptatum jugo,
* Emancipator
* Quivis
* ocius
* Vas appetendis imbecillum gaudiis.

Brev. Moz. Tol. pag. 85. col. 2. *Fer. III. ad Nonam in Quadragesima.*

HYMNUS

Miratur hostis, posse limum tabidum
Tantum laboris sustinere, ac perpeti.
Explorat arte sciscitator callida,
Deus ne membris sit receptus terreis;
Sed increpata fraude, post tergum ruit.
Hoc nos sequamur quisque nunc pro viribus,
*Quod * consecrasti tu Magister Dogmatis* (* *consecrati*)
Tuis dedisti Christe sectatoribus:
*Ut cum vorandi * vinxerit libidinem;* (* *vicerit*)
Latè triumphet imperator spiritus.
*Hoc est, quod atri * liber hostis invidet* (* *livor*)
Mundi, Polique quod Gubernator probat,
Altaris aram quod facit placabilem,
** Dormientis excitat cordis fidem,* (* adde, *quod*)
*Quod limat ægram * corporis libidinem.* (* *pectorum rubiginem*)
Honor potestas . . . &c.

Brev. Moz. Tol. pag. 85. col. 4. *Fer. V. ad Nonam in Quadragesima.*

HYMNUS

Perfusa non sic amore flamma extinguitur,
*Nec sic calente sole * tabescunt nives,* (* *tebescunt*)
*Ut turbidarum * scabra culparum seges* (* *scabra*)
*Vanescit almo trita * sunt jejunio,* (* *sub*)
Si blanda semper misceatur largitas.
*Est quippe * illud esca grande virtutis genus:* (* *Et illud grande*)
Operire nudos: indigentes pascere:
Opem benignam ferre supplicantibus:
Unam paremque sortis humanæ vicem
Inter potentes, atque egenos ducere;
Satis beatus quisque dextram porrigit,
*Laudis rapacem, * prodigus pecuniæ,* (* *prodigam*)
Cupio sinistra dulce factum nesciat:
Illum perhennes protinus complent opes:
Ditatque fructus fœnerantem centuplex.
Honor, potestas, plenitudo gratiæ
Deo perhenni, Trinitati simplici,
Æterna, cujus est beata gloria,
Replet globi, rerumque cuncta machina,
Tenetque Regnum perpetim per sæcula. Amen.

* ADNOTATIO XXVIII. pag. 66.

Cod. Veron. pag. 66. & 67. (a) *In Prima Hebdomada Quadragesimæ* Br. Moz. Tol. pag. 105. col. 1. *In II. Dominico Quadragesimæ*. Gaudet Officio, & duobus Hymnis propriis.

* HYMNUS ad primas Vesperas, pag. eadem col. 2.

(* In Missali Ambrosiano Dominica III. Quadragesimæ inscribitur, *de cæco.*)

Auctor luminis, Filius Virginis,
Paterque Matris, Filiusque Patris;
*Qui cæca sedenti * stipite petenti,* (* leg. *stipem*)
Lumen dedisti.
Sedensque cæcus tenebris oppressus,
Quem voluerat sic nasceretur cæcus,
In quem virtus sua omnibus credentibus
Comprobaretur.
Gaudetque cæcus, lumine recepto,
Quem visitabat medicus excelsus,
A Patre dilectus, ut ablueretur
Mundi delictum.
Plebs Hæbræorum simulque dixerunt:
Parentes ejus veniant, per quos quæsierunt
Qui cæcus est natus, à cujus virtute
Est inluminatus.
Parentes autem Hæbreorum fatentur:
Ex utero matris cæcus fuit natus:
Ætatem habet, ipsum interrogate
Dicat veritatem.
Confitetur cæcus, qui fuerat sanatus:
Ad me accessit Propheta, qui magnus,
Cujus virtute, oculo, & corde
Sum inluminatus.
Fecit qui lutum de sancto sputa,
*Tegmen oculorum linuit * à luto* (* *linivit & luto.*)
Jussit lavari Siloe, Piscina me
Clarificavit
Gloria Patri, Trino sempiterna
Gloria, Christo, Spirituique Sancto:
Prædicet Trinum pia voce nomen
Omne per ævum. Amen.

(a) Domin. II. Quadr. in Br. Moz. Tolet. *CAPITULA.*

Christe Deus luminis perenne principium, qui septimum diei curriculum sanctificatione potius quom operatione voluisti esse confitentium &c. ut habetur in Cod. Veron. hac hebdomada I. Quadragesimæ.

HYMNUS ad secundas Vesperas ejusdem diei, pag. 107. col. 2.

Deus, qui certis legibus
Noctem discernis, ad diem;
Ut fessa cures corpora,
Somnus relaxet ocibus.
Te noctis inter horrida
Tempus precamur, ut sopor
Mentem dum fessam detinet,
Fidei lux inluminet.

* lascivit.
Hostis ne soliax incitet
** Lasciviis curam gaudiis*
Secretam noctis advocans
Blandus in actus corporis.
Subrepat nullus sensui
* inludat
Horror timoris anxii,
** Inludis ne mentem fallax*
Imago visus ....
*Sed, cùm profunda * vixerit* * vexerit
Somnus, curarum nescius,
Fides nequaquam dormiat,
Vigilque sensus somniet.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna secula. Amen.

In Missali Mozarabum Missa Dominicæ secundæ Quadragesimæ incipit à duplici lectione ex veteri Testamento: una ex Proverbiis ab his verbis: *Fili in corde prudentis requiescit sapientia*, altera ex libro Genesis: *Post duos annos vidit Pharao somnium &c.* Quibus hæc subjiciuntur: *Dominus sit semper vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

Psallenda. *Quam pretiosa est misericordia tua, Domine Deus meus*.
℣. *Attrahe misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam rectis corde*. P. *Deus*. ℣. *Ne veniat mihi pes superbiæ, & manus impiorum non me commoveat*. P. *Deus*.

„ Hic dicat sacerdos sequentes preces.

„ Miserere & parce, clementissime Domine, populo tuo, quia peccavimus „ tibi. ℣. Prostrati omnes lacrymas producimus, pandentes tibi occulta quæ ad„ misimus: à te Deus veniam deposcimus. P. quia. ℣. Orationes Sacerdotum ac„ cipe, & quæque postulant affluenter tribue, ac tue plebi miserere Domine. „ P. quia. ℣. Furorem tuum adduxisti super nos, nostra delicta dira curvaverunt nos, „ & absque ulla spe defecimus. P. quia peccavimus ℣. Traditi sumus malis quæ nescivi„ mus, & omne malum irruit super nos & invocamus & non audimur. P. quia. ℣. Omnes „ clamamus, omnes te requirimus, te pœnitentes lacrymis prosequimur, cujusque iram „ ipsi provocavimus. P. quia. ℣. Te deprecantes, te gementes poscimus; te JESU „ CHRISTE, prosternati petimus: tua potestas jam sublevet miseros. P. quia „ ℣. Confessionem tuæ plebis accipe, quam lamentantes coram te effundimus, „ & pro admissis corde ingemiscimus. P. quia ℣. Pacem rogamus, pacem nobis „ tribue, amove bella, & nos omnes erue, humili prece postulamus, Domi„ ne P. quia. ℣. Inclina aurem, Deus Clementissime, jam abluentur delictorum „ maculæ, & à periculis te benignus exime. P. Miserere & parce totum Ora„ tio. Exaudi &c. *Lauda dicitur cum duplici versiculo Postea dicat sacerdos*: Pe„ nitentes orate &c. *Ut supra feria quarta primæ hebdomodæ: Ante orationem „ Dominicam & illius præfationem ita legitur: Ad confractionem panis, antipho„ na*: Fiat misericordia tua Domine super nos, sicut speravimus in te.

„ *Post benedictionem verò: Dicat presbyter ad accedentes, antiphonam*. Ego sum ostium, dicit Dominus, si quis per me introierit, salvabitur, & ingredietur, & regredietur, & pascua inveniet. ℣. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. P. Et ingredietur. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in sæcula sæculorum. Amen. P. Ego sum.

* ADNOTATIO XXIX. pag. 67.

Cod. Veron. pag. 67. *In II. Hebdomada Quadragesimæ*. Brev. Moz. Tol. pag. 128. col. 2. *In Tertio Dominico Quadrogesimæ*.

HYMNUS ad primas Vesperas, ibidem.

CHriste immense, dominator Sancte,
Custodi plebem, quam tu redemisti
Sanguine sacro tuo pernicioso;
Ipse salvasti.
Claritas fulget, dominusque fecit,
In Bethania ad Lazarum venit,
Quem suscitavit, & gloriam suam
Manifestavit.
Maria autem domi retenta,
Quem expectabat, pietas immensa
Illi occurrit, & annunciavit
Sororque Martha.
Magister adest: occurrunt sorores,
Et lacrymantes, Christum confitentes,
Sic meruerunt, ut viderent fratrem
Suum resurgentem.
Ad monumentum exclamabat Jesus:
Lazare veni, dominusque tecum.
Ille surrexit, & omnis caterva
Ibi convertitur.

In

* mulieri peccata
* magnam

In Samaria ut homo sitivit,
*Et mulierem * peccato dimisit,*
*Cæcus enim natus lumen * magnam*
Vidit in Siloe.
In Samaria fecit confitentes,
In Bethania Lazarum surgentem,
Surdos audientes, & mutos loquentes,
Quos visitavit.
Gloria Patri, trino sempiterno
Gloria, Christo, Spirituique Sancto:
Prædicet Trinum pia voce nomen
Omne per ævum. Amen.

In Brev. Moz. ad hanc diem, pag. 128., col. 3. *CAPITULA.*
Quarti nunc & decimi diei de nostrorum dierum decimis curriculo jam peracto, ad te levamus oculos nostros &c. ut Cod. Veron. in *II. Hebdomada Quadragesimæ.*

In secundis Vesperis ejusdem diei, pag. 130. col. 3.
* HYMNUS

*Cælii Sedulii. Poet. Vet. Ecc. pag. 569. A. 9.

Quarto die jam fœtidus
Vitam recepit Lazarus;
Mortisque liber vinculis,
Factus superstes est sibi.
Rivos cruoris torridi
Contacta vestis obstruit.
Fletu rigantem supplici
Urens fluenta sanguinis.
Solutum omni torpore
Jussit repente surgere,
Suisque vicissim gressibus
Æger vehebat lectulum.
Deo Patri sit gloria &c.

Cod. Veron. pag. 67. *in Vicesima.* Br. Moz. Tol. pag. 152. col. 4 *In Dominico IIII. Quadragesimæ.* * ADNOTATIO XXX. pag. 67.

In Cod. Veron. *ad Matutinum* hujus Dominicæ Quartæ, quæ ab ipso dicitur, *in Vigesima*, hæc exstat Benedictio *: * pag. 68.

„ Christus, Dei Filius, qui olim, MEDIANTE HUJUS DIEI FESTI „ TEMPORE, detrahentium se pertulit linguas, vestrorum omnium faciat esse „ disertas; & qui pro impiis passus est innocens, vos sibi efficiat sine fine con„ sortes; ut, cujus nunc passionem mæstificati excipitis, ad Resurrectionis ejus „ diem lætificatis cordibus accedatis.

Quæ concordat mirificè cum Can. IX. Conc. Bracarensis II. in quo jubentur parentes MEDIANTE QUADRAGESIMA ex diebus VIGINTI baptizandos infantes ad exorcismi purgationem offerre, ut diximus supra in Dominico *in carnes tollendas.*)

Et Libellis Ordinis Romani in quibus obscurissimus est locus de *Dominica Passionis, quam Sedes Apostolica MEDIANAM voluit nuncupari*, lucem mirificam affert.

Dominicæ *medianæ* appellationem inquirens V. C. Henricus Valesius in Socratis lib. V. cap. XXII., inde argumentum deducit ad confirmandam Socratis opinionem, Romanos tribus tantùm hebdomadibus ante Pascha jejunasse in Quadragesima; nec aliam causam, cur Dominica de Passione *mediana* dicta sit, se invenire ait, *quam quòd ex tribus hebdomadis, quibus Romani in Quadragesima jejunabant, hæc erat secunda Dominica, ac proinde media, seu mediana.* Verùm pace magni viri dixerim; * hæc ratio admitti non potest: tum quia sex hebdomadibus ante Pascha Romanos tum jejunasse constat ex Leone M. & Cassiano: tum quia hebdomada Dominicam Passionis præcedens, quæ in Socratis sententia fuisset Romanæ Quadragesimæ prima, æque *mediana* dicta est ab antiquis, ut à Pelagio Papa I. apud Holstenium in Collectione Romana: *Veniente mediana septimana Paschæ, unumquemque per officia, quæ prædiximus, promovere non differas*: &, ante eum, a Gelasio I. in epistola IX. cap. XI. *Ordinationes etiam presbyterorum, & diaconorum, nisi certis temporibus, & diebus, exercere non debent, id est quarti mensis jejunio, septimi, & decimi; sed & etiam Quadragesimalis initii, ac Medianæ Quadragesimæ die Sabbati jejunio circa Vesperam noverit celebrandas.* Ubi vides Quadragesimalis initii Sabbatum distingui a Sabbato Quadragesimæ medianæ: quod aliàs unum idemque fuisset in Socratis sententia. Cur ergo, inquies, dicta est hebdomada quarta Quadragesimæ *mediana*, eodemque vocabulo designata Dominica Passionis? Hanc opinor ob causam, quòd, cùm sex Quadragesimæ hebdomades in duas partes æquales dividi possint; prima secundæ partis hebdomada diei potest *Mediana*, quasi prima post mediam Quadragesimam. „ Optimè conjectatus est Cl. Mabillonius, ut ex infra dicendis constabit. Ipsi tamen adstipulari non possum, cùm addit: *& quia Quadragesimæ caput a Feria II. incipiebat, Dominica*

*inquit Mabil. Mus. Ital. To. II. pag. cxxvi.

Passionis, hebdomodam medianam subsequens, *itidem* Mediana *vocabatur*. In Ecclesiasticorum nominum originibus investigandis non raró comprobatum habemus effatum Concilii Sexti Toletani in Canone sexto, nempe *longinquitate sepe fieri temporis, ut non poteat ratio originis*. Id modo patebit exemplo nostri Libelli Orationum antiquissimi Ritus Hispani; cujus ope, sicut obscurum *Dominice mediane* vocabulum ex *Vigesime*, & *MEDIANTIS DIEI* terminis ortum esse inclarescit, ita in præsens investigandum superest, cur *Dominica mediana* dicta fuerit tàm quarta, quam quinta Dominica Quadragesimæ, ac utrique Passionis nomen commune sit. Distinguamus tempora, ut conciliemus omnia. Nomine *medione* primitus Romana Eccl. atque Hispana intellexerunt Dominicam quartam Quadragesimæ; quia ea erat, (ut & paulo supra, & *in Dominico ad carnes tollendos* jam satis multis ostendi) media, respectu Quadragesimalis tractùs.

Quoniam verò eadem IV. Dominica Quadragesimæ dicitur ab Ordine Romano *Dominica Passionis*, causam rei accipe ex nostro Codice Gothico-Hispano, qui nobis primævum ritum, moremque indicat vetustissimum. Ipse namque aperte declarat, a Dominica *in Vigesima* cœptum fuisse antiquitùs *Sacratissime Passionis* Officium in Ecclesiis Hispaniarum. Id ex locis, quæ proferam, unicuique constabit.

Cod. Veron. *In Vicesima, die Sabbato ad Vesperum, pag.*67. „ PASSIONIS „ tuæ FESTUM, Christe Dei Filius, devotis cordis officiis recursu temporis INCOHANTES, quo pro nobis, & linguas fuisti persequentium passus, „ & tradentium te vulneribus crucifixus, rogamus, atque exposcimus, ne te „ elonges a nobis: ut * qui, ad proximante tribulatione, non est qui adjuvet, „ tu solus Passionis tuæ nos subleves ope....... Quos ergo perspicis INITIATUM PASSIONIS TUÆ FESTUM devotis cordibus EXCEPISSE, „ facito eos Passionis tuæ communicare &c. „

BENEDICTIO, ibidem.

„ Christus Dominus, cujus Passionis vulnera gratissima devotione præcinenda suscipitis... participes vos efficiat regni sui: ut in cujus Passione amarescitis, in ejus Resurrectione plenissimè gaudeatis. „

Et *ad Matutinum in eadem Vicesima*, pag.68.

ORATIO, ibidem.

„ Exurge Domine,... ut Passionis tuæ vulneribus solentur credentes &c.

Item alia.

„ Exurge, Domine Jesu, qui pro nobis occisus es, & dormisti in Passionem &c. „

Item Completoria ad Matutinum ejusdem diei.

„ Deus Dei Filius, qui voluntariè decipulam venantium passus, voluntariè „ utique crederis crucifixus, concede nobis, & PASSIONIS TUAE EXCEPTIONE singulariter jucundari, & Resurrectionis tuæ gaudio fideliter adtolli; ut qui Passionis tuæ sollemnia devotis præcinenda Canticis INCOHAMUS, „ respectu lucis tuæ copiosiùs inlustremur.

ET BENEDICTIO.

„ Christus Dei Filius, qui olim MEDIANTE HUJUS DIEI FESTI „ TEMPORE detrahentium se pertulit linguas &c.

At S. Isidorus, & post eum Ætherius, & Beatus, Hispanici Scriptores, nonnullos cum Romanis communes ritus se habuisse testantur: ut etiam Mabillonius *', & Pinius in præcedenti Tractatu multis ostendunt: igitur in vetustioribus libellis Ordinis Romani Dominica mediana (*seu Vigesima*) *Passionis* nomine donata est, quia Romæ quoque antiquitus ea die Passionis mysterium incohabatur. Postmodum, mutatâ veteri disciplina, Romana Ecclesia in quintam Dominicam Quadragesimæ Festum Passionis transtulit, haud repudiato tamen nomine *Domini-*

* Lit. Gal. lib. I. cap. 4. num. 10.

ce

ca mediana, quod unà secum in Dominicam Quintam invexit. Jure ergo, sed non ex primaria institutione, Glossa in Canone *principalis*, distinct.63. asserit Dominicam medianam eam esse, quæ dicitur ad sitientes; idemque affirmat ad Canonem *in Parochia*, 16.quæst.1.„ Quod si opinio Glossæ (ut inquit Cl. Merattus) confirmatur ex auctoritate Ordinis Romani a Gavanto allegati, ubi lectiones Prophetæ Hieremiæ, quæ disponuntur in Dominica mediana, sunt illæ, quæ reperiuntur in Dominica Passionis in primo nocturno: „ id nihil officit.

Eædem sunt enim, quoniam unà cum Festo *Passionis*, quod Dominicà medianà (scilicet die vigesimà) agi primitus incohabatur, in sequentem Dominicam translatæ sunt. Nec veterem Romanum, atque Hispanicum ritum quis miretur. Græci namque Crucis adorationem festumque diem recolunt Dominicà Tertià Quadragesimæ, ut ex dicendis constabit. Sed quid opus est pluribus?

Ipsum BreviariumMozarabicum*Passionem*Christi singulari ratione recolere incipiebat antiquitus à Dominicà IV. Quadragesimæ, ut constat ex recitatis Orationibus nostri Libelli antiquissimi ritus Gothico-Hispani, quæ adhuc supersunt ea die in eodem Breviario, videlicet,

* Ex *Capitula*, pag. CLIII. col.1.

Passionis tuæ Festum, Christe Dei Filius, devotis cordium officiis recursu temporis incohantes &c.

Ex *Benedictione*, pag. eàdem.

Christus Dominus, cujus passionis vulnera gratissima devotione præcinentes suscipitis &c.

Item ex *Benedictione* ad Matutinum, pag.CLVI. col.2.

Christus Dei filius, qui olim MEDIANTE hujus diei Festi tempore detrahentium se pertulit linguis, nostrorum omnium faciat esse disertas... ut cujus nunc Passionem justificati excipitis, ad Resurrectionis ejus (diem) lætificatis cordibus accedatis.

Demum ex duobus Hymnis, quos hic subjicio.

* Br. Moz. Tol. *In III. Dominica Quadragesimæ, ad Vesperum.*

HYMNUS I.* Ad primas Vesperas, Ibidem.

* in IV Dominico Quadrag.

Verbum Patris, quod prodiit factum caro;
Agnus Dei peccata Mundi auferens:
Ad te venimus cernui, ut inclytum
Bibamus almæ Passionis sanguinem.
Ostende vulnerum Sacrorum stygmata;
Exurgat insignis crucis fortissimum
Signum; quod in vigore perpetim
Manens, credentibus salvationem conferat.
Arundo, clavi, sputa, potus myrreus,
Corona spinarum, flagella, lancea,
Impressa sunt damnationis verbera:
Jam nostra pro his cuncta dele crimina.
Fons vulneris Sacri riget præcordia,
Lavet cruor maliciæque contagia:
Sit vita præsens absque omni criminei
Futura detur in beata munere.
Ut, cum resurgendi dies effulserit,
Orbique regni claritas inluxerit,
Sequamur atheris viam, qua nos trahat
In se receptos jam perhennes incolas.
Honor sit æterno Deo, sit gloria
Uni Patri, ejusque soli Filio,
Cum Spiritu, qua Trinitas perenniter
Vivit potens in sæculorum sæculis. Amen.

Item ad Matutinum, pag. 155. col.4.

HYMNUS SECUNDUS.

Noctis tempus jam præterit,
Jam Gallus, canit vivis,
Gallo canente, spes redit;
Ægris salus refunditur.
Somno gravati surgite,
Cordis reatum pandite,
Jesuque laudem dicite,
Qui nos redemit sanguine.
Non ut fallax Discipulus,
Qui pacem ferens osculo,
Et dolum tenens pectore,
Turbis Magistrum tradidit.
Jesus captus ab Impiis;
Dispergentur Discipuli:
Locutus est ut Dominus,
*Noctem * ferens scandalum;*
Jesus suis Discipulis.
Dum crucem suam prædicat,
Negari seso præmonet:
Petrus futurus abnegat.
Petrus fervens spiritu
Sequitur in Prætorio;

* *feretis*

Sed

Sed agnitus Discipulus,
Negavit Christum Dominum,
Petrus jurabat omnibus
Se non novisse hominem;
Vox namque Galli resonat,
Et Petrus culpam meminit.
Jesus, dum Petrum respicit,
Fidem Petri dum suscipit,
Petrusque, flendo, recipit,
Quod ante paulò amiserat.
Et nos precamur, Domine,
Fidem Petri recipere,
Fidemque Apostolicam,
Flentes pro nostro crimine.
Gallo canente, venimus;
Laudes Deo persolvimus;
Confessionis propriæ
Dantes ei veram fidem.
Abscede Princeps Dæmonum
Cum noxiis fantasmatum;
Jam nos piavit veritas;
Jam probra tersit charitas,
Hinc te Deus deposcimus,
Ut pervagantes Dæmonas
Signo salutis destruas:
Nos à pavore libera.
Hac noctis hora præscius
David futuræ (noctis) gloriæ,
Deo preces multiplicat,
In matutinis excubans.
Hac nos oportet surgere,
Illo vigore corporis,
Illoque voto spiritus,
Quo expiemur sordibus.
Exurge, nobiscum Deus.
Laudes tuorum suscipe,
Lustrando corda lubrica
Lucis novellæ gratia.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Breviario consonat etiam Missale Mozarabum, in quo Tolet. Ecclesia in Missa Dominicæ IV. Quadragesimæ has preces canere in more habuit.

„ Vide, Domine, humilitatem meam, quia erectus est inimicus. P. Miserere, „ Pater juste, & omnibus indulgentiam dona. ℣. A patre missus veni perditos re„ quirere, & hoste captivatos sanguine redimere: plebs dira abjecit me. P. Mi„ serere. ℣. Prædictus a Prophetis, natus sum ex Virgine: adsumsi formam servi, „ dispersos colligere: venantes ceperunt me. P. Miserere. Mihi pro bonis mala „ reddita sunt plurima; adversum me dederunt iniqua consilia venditum pecunia. „ P. Miserere. ℣. Spineam coronam posuerunt capiti, sputis sordidato incluserunt „ impii afflictum crudeliter. P. Miserere ℣. Cum noxiis latronibus suspensum „ patibulo, amaro cibo pastus, & acerbo poculo, traditum supplicio. P. Mi„ serere. ℣. Quos veni liberare, hi accusaverunt me, flagellis verberatum cruci „ affixerunt me, lancea percusserunt me. P. Miserere. ℣. Qui impio latroni di„ misisti scelera, tu solve vincula nostra, & relaxa crimina: salva nos cruce tua. „ P. Miserere. ℣. Traditus sum sepulcro: confregi portas inferi: ejeci vinculatos, „ & reduxi ad superna; ostendi in victima. P. Miserere ℣. Dimitte illis noxia. „ Pater clementissime, cuncta dele peccata, & relaxa crimina, ignorant quid faciant. „ P. Miserere.

Ad has preces, ut, inquit Martenius *de antiq. Eccl. discipl.* pag. 184. referendum videtur id quod scribit Gregorius Turonensis lib. de Vitis Patrum cap. 6. de S. Gallo Arvernorum episcopo: *Rogationes illas instituit, ut media quadragesima, psallendo ad Basilicam B. Juliani martyris itinere pedestri venirent. Sunt autem in hoc itinere quasi stadia trecenta sexaginta.* Vide eundem lib. 4. hist. cap. 5. & 13.

Norunt omnes etiam Romæ itum ad Basilicam SanctæCrucis in Hierusalem hac Dominica IV. Quadragesimæ. Ob idque *Lætare* dicitur in Introitu Missæ, ut significetur in eo liberatio a tyrannica Idolorum servitute, inquit Durandus. Ac, si divinationibus locus esset, assererem, Romanam Ecclesiam (quæ primitùs, ut dictum estPassionisFestum Dominicà *medianà* incohabat)ob memoriam vivificæ passionis, *Rosæ* benedictionem hac die in mores invexisse. Antiquitus namque hæc cæremonia fieri solebat in memorata Ecclesia S. Crucis in Hierusalem, ut colligitur ex Sermone Innocentii III. eademDominicà habito. Solebant enim Romani Pontifices ea die tractatum ad populum habere: & hinc Pius II. sermonem pariter hac Dominica habuit, & Rosam ab eo benedictam, ad suam Senensem Patriam misit. Sixtus verò IV. in signum sui gentilitii stemmatis anno 1471. quercus aureæ ramum Cathedrali Sayonæ ejus Patriæ dono misit. Quæ solemnitas, quamvis non constet a quo Pontifice primùm fuerit instituta, est tamen antiqua, & ante Leonis IX. tempora, qui Romanam Cathedram moderabatur anno 1050. de qua Cencius Camerarius ait: quòd hic Pontifex pensionem annuam pro expensa hujus Rosæ super redditus Monasterii S. Crucis Lotaringiæ imposuerat. Sed hæc de Dominica *Passionis* apud Romanos Hispanosque sint satis. Nunc Græcos adeamus, Apud

Apud ipsos verò, ut dixi, præcedenti Dominicâ III. Quadrag. Crucis adoratio, ac Passio Christi solemni ritu recolebatur: *Tertia jejunii Quadragesimalis Dominica* (inquit Triodion) *pretiosæ vivificæque crucis adorationem celebramus, ut crux passionis Christi monumentum nos ad eam ferventius austeritatis tempore sequendam excitet, præteritos astinentiæ labores consopiat, ut velut paschalis hilaritatis pignus sese ipsam proponat*. Quonam ritu celebraretur illa crucis adoratio explicat Typicum S. Sabbæ his verbis: *Sanctorum jejuniorum tertia Dominica pretiosæ vivificæque crucis adorationem peragimus. Officium in ea majus celebratur. Cum verò officium persolvitur, Sacerdos vestes mutat, & accepto thuribulo sanctam mensam suffumigat & crucem. Ipsam verò thecam adhuc inclusam in disco repositam, capiti imponit, & è sinistra parte Sancti Tribunalis, egressus ad regias fores progreditur. Laudibus Deo persolutis, & ter Sancto hymno, Sacerdos dicit*: Sapientia. Recti. *Et dicimus modulum* Salva, Domine, populum tuum & benedic hæred tati tuæ. *Et cum pompa ad sanctas usque altaris valvas sacerdos ferens crucem procedit: ibidemque in mensa præparata ab eo sacra crux deponitur, & confestim incipimus canere*: Tuam crucem adoramus Domine, *& aperta theca loci prælatus adorationem auspicatur, & pariter sacerdos coram pretiosa cruce tribus factis reverentiis. Deinde crucem deosculati, rursus venerationem cruci exhibent, & versus utrumque chorum semel inclinant quibus peractis, ad crucem adorandam fratres reliqui procedunt*. Et Codinus in libro de Officiis Ecclesiæ, & aulæ Constantinopolitanæ cap.9. *Dominica quæ adorationi Crucis deputata est, consistente jam circumstatione pro consuetudine supradictorum festorum, circa finem affert Archidioconus cum cantoribus ex palatii Ecclesia Crucem, gestans solemne sibi sticharium, ferens etiam super ipso felonem, non tamen epitrachelium, sed orarium; canuntque illud*: Salvum fac Domine populum tuum & benedic hæreditati tuæ. *Et imperator, sic circumstante comitatu aulico, ob viam it usque ad januam, Crucemque in pulpito positam osculatur: quo peracto, revertitur, & stat in throno suo. Post missionem venit imperator, iterumque Crucem adorat & osculatur: quam statim tollunt, comitante eam imperatore usque ad triclinii januam, & non ulterius*.

Cod. Veron. pag.90. *in Dominico de Lazaro*, seu, *in Hebdomada post Vigesimam*. Br. Moz. Tolet. pag. 177. col. 2. *In V. Dominico Quadragesimæ*. Gaudet Officio proprio. *ADNOTATIO XXX. pag.90.

HYMNUS, ad primas, & secundas Vesperas,

Verbum Patris, quod prodiit factum caro &c. ut in primis Vesperis Dominicæ IV. Quadragesimæ, pag. 152. col.4.

Item alius ad Matutinum.

Æterne rerum conditor &c., ut in Dominico primo Adventus, pag.2. col.1.

In Missali Ambrosiano Dominica quarta Quadragesimæ inscribitur *Lazari*, quia legitur in ea Evangelium de Lazari resurrectione; quod in Missali Mozarabum assignatur Feriæ VI. ejusdem hebdomadæ. In antiquissimo verò Gallicanæ Ecclesiæ Lectionario a Cl.Mabillonio edito ex Ms.Cod.celebris Monasterii Luxoviensis illud Evangelium habetur in *Dominica Palmarum*, ut videre licet apud eundem Mabillonium, Lib. II. Liturgiæ Gallicanæ pag. 126. Et ita in Sacramentario Gallicano; quod in Missa

* *In traditione symboli*, hæc habet (pag.313. Mus. Italici):

„ *Lectio Sancti Evangelii secundum Johannem*.

„ In illo tempore, ante sex dies Paschæ venit Dominus Jesus Bethaniam, ubi „ fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, „ & Martha ministrabat: Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici preciosi, unxit pedes Domini Jesu, „ & extersit capillis suis pedes ejus, & domus impleta est ex odore unguenti. „ &c.

Sacramentario Gallicano concinit Missale Gothicum a Ven. Card. Thomasio vulgatum, in quo *Missa in Symboli traditione* hoc habet exordium:

* nempe in Dominica Palmarum, ut notat Mabillon. in *Missali*, & *Sacramentario Gallic.* itemque in *Missali Gothico*, & *Gallicano veteri*.

„ In

(a) Hæ ac duæ postremæ Orationes habentur etiam in Missali Gallicano veteri, ad Missam in Symboli traditione.

(a) „ In geminas partes diem hunc excolendum complectitur, Dominæ, nostræ „ servitutis famulatio, vel de jejunii cultu sacrato, vel de insignibus tuis, quæ „ hodie fulserunt, mirabilibus: quo Lazarum reduxisti post tartara, cùm ad vo„ cem tuam intonantem exsilivit; & quatriduani jam fœtentis funus vivificans ani„ masti; vel etiam causa miraculi obstupefacta plaudens turba Bethania occurrit „ cum palmis tibi obviam Regi. Exaudi nos in hoc geminato servitutis nostræ ob„ sequio, & præsta propitius atque placatus: ut animæ nostræ quæ tumulo sunt „ peccatorum conclusæ, & cicatricum morbida tabe corruptæ, revivifcant ex „ tua interiùs visitatione: sicut Lazari viscera a tuæ fuerunt animata voce, sal„ vat.

* Ibidem.

* „ *Collectio ad Pacem.*

„ Universorum ipse dominator qui conditor, creaturæ tuæ præstanter amabi„ lis & amator: cui Martha satagit, Maria pedes abluit, cum quo Lazarus redi„ vivus accumbit, (tota nempe domus est in amore:) annue plebi tuæ ita se „ exercitare per dilectionem, ut in te possit unita manere per pacem. Ministra in „ nobis illas lachrymas, quas Maria de multa dilectione protulit: flagrare oratio„ nem nostram facito; sicut unguentum pisticum, sacris plantis infusum, Mariæ „ flagravit, ut eam pacem consequamur per oscula nostra in alterutrum porrecta; „ quam consequuta est Maria, sui osculans Redemptoris vestigia, Salvator mun„ di.

* Ibid.

* „ *Ante Orationem Dominicam.*

„ Venerabilibus informati præceptis, incitati munere pietatis, qui Mariæ „ flentis lacrymas non spernis, Lazaro dignanter cognomentum fratris imponis, „ Ecclesiæ soboles appellas ore gratiæ coheredes: tibi supplices clamamus, & di„ cimus. Pater.

* Ibid.

* „ *Post Orationem Dominicam.*

„ Exercere liberator in nobis juris propii facultatem: qui Lazari virtutem, „ Mariæ pietatem, Marthæ laborem remuneras; favorem plebis excitas; & Pa„ tris voce concina gloriaris omnipotens Deus. Qui in T.

In Missali Mozarabico Toletano hæc *Dominica V. Quadragesimæ* incipit a duplici ex veteri Testamento lectione, & habet sequentes preces.

„ Insidiati sunt mihi adversarii mei magis gratis. P. Tu Pater Sancte mi„ serere & libera me. ℣. Portatus sum ut agnus innocens ad victimam, captus ab „ inimicis ut avis in muscipulam magis gratis. P. Tu Pater ℣. Aperuerunt omnes „ ora sua contra me dentibus fremuerunt quærentes deglutire me magis gratis. P. „ Tu Pater ℣. Sibilantes clamabant, & movebant capita, tractantes de me falsa „ proferre testimonia magis gratis P. Tu Pater. ℣. Suspensum cruci damnant, „ fixum clavis ferreis, venditum à Judæis pro triginta argenteis, magis gra„ tis. P. Tu Pater. ℣. In latere confossus gladio horrifico illico fluit latex „ cum sanguine innoxio magis gratis. P. Tu Pater. ℣. Omnes inundaverunt quasi „ aquæ super me, diversum in sepulcro, adposuerunt lapidem magis gratis. P. „ Tu Pater ℣. Confusa palluerunt cuncta Christi sydera, dies obtenebratur cum „ vidit pati Dominum magis gratis. P. Tu Pater. ℣. Sic Judæorum turba cæca „ diffidentia deposcunt à Pilato milites pro custodia magis gratis. P. Tu Pater. „ ℣. Tunc milites dividunt vestem meam sortibus cernentes in me flagra injusta „ & sævissima magis gratis. P. Tu Pater. ℣. Intende pie Pater & succurre mi„ seris pro quibus tam acerbis afficior suppliciis magis gratis. P. Tu Pater.

Scilicet ex primævà ætate in hac Dominicà quintà etiam Mozarabes Toletani Passionem Christi singulari ratione recolere consueverunt servatà veteri disciplina. Suam tristitiam & mœrorem palam facit Ecclesia, versum *Gloria Patri* in Responsoriis & invitatoriis ad officium & in missa ad introitum reticens. Singularis fortè videbitur consuetudo Ecclesiæ Rotomagensis, in cujus antiquo Missali præscribitur, ut ante communionem cum suavi vocis modulatione Sacerdos tenens Corpus Domini, cantet: *Hoc corpus quod pro vobis tradetur, chorus hoc idem repetat, & interim Sacerdos* Corpus Domini sumat: Quo sumpto, cantet, elevando modicum calicem, illud quod sequitur: *Hic calix novi testamenti est in meo Sanguine, dicit Dominus.* Chorus illud idem repetat producendo ad finem, & sacerdos inte-

interim sumat sanguinem Christi, & post ablutionem manuum dicat loco communionis: *Hoc facite quotiescumque sumitis in meam commemorationem*. Idem tamen in aliis ejusdem diœcesis Ecclesiis observarum fuisse videtur. Nam similia leguntur in ordinario Gemmeticensis monasterii. Ex præscripto ordinarii Silvanectensis Sacerdos debet incipere quidem, *Hoc corpus*; reliqua verò chorus prosequi. Itaque cum hæc Dominica V. Quadragesimæ in nostro Libello Orationum antiquissimi Ritus Hispani, non solum *Dominica* de Lazaro, sed etiam *de Traditione* appelletur, fortasse id nominis adepta est, ob peculiares aliquot Ritus, qui in Cœna Domini in traditione Corporis, & Sanguinis observabantur; vel in signum doloris & tristitiæ propter Judæ Iscariotis proditionem. Vide Orationem quæ incipit, *Domine Jesu Christe* & ad Tertiam Feriæ V. in Cœna Domini, pag.98.

Codex Veron. pag.68. = *Incipiunt Orationes de Responsoriis, sive de Antiphonis Psalmographis de* * *Traditione, quæ decantantur quotidie extra dies Dominicos a die secunda Ferià post Vicesimam, usque in Sabbato de Ramos Palmarum.* *scilicet *de Passione*.

* Ferià II. post Vicesimam,

AD MATUTINUM. * Cod.Ver. pag.68.

Oratio I. *Christe &c. da Ecclesiæ tuæ membris optabilem de adversis potestatibus ferre triumphum, quò, & persequentium mucro obsistente sibi veritate vanescat, & credentium te fides super inimicos suos invicta præpolleat.*

Oratio III. *Deus &c. aliquando ad te conversuri, doloris nostri sentiant cumulum, qui contra te loquuntur mendacium.* pag.69.

AD TERTIAM.

Oratio II. *Deus Pater &c. da in nobis speciale munus hoc gratiæ, ut adversis nesciamus ullo modo cedere; quò sic in furore tuo infidelitas conturbetur, ut ex tuo adjutorio nostra credulitas coronetur.*

AD SEXTAM.

Oratio IV. *Domine Deus, sperantem in te Ecclesiam tuam a prosequentibus omnibus libera.*

AD NONAM.

Oratio II. *Discedant a te, Domine, omnes maligni, quos utique infidelitatis suæ voraga a te discedere fecit &c.*

* Ferià III. post Vicesimam,

AD MATUTINUM. * pag.70.

Oratio I. *Erubescant & confundantur omnes inimici tui, Domine, qui, & irrisores sunt Crucis tuæ, & captatores orationis nostræ. Suscipe ergo orationem fidelium, & castra abjice externorum &c.*

Oratio III. *Destrue, Domine, inimicum, & defensorem; qui, dum fictè defensionis tuæ oraculo callet, inimicum veneni proculum abtegit melle &c.*

AD SEXTAM.

Oratio I. *Deus, cujus quædam membra inimicorum vulnerantur sagitta, tu Ecclesiam tuam ab omni hæreticæ pravitatis sagitta intemeratam conserva, & a simulatione oris pacifici libera &c. ne dolos forinsecus sibi præparatos laceranda excipiat.* innuit Arianos.

AD NONAM.

Oratio I. *Vana satis, Domine, de te loquuntur, qui te Dei Filium confiteri nefariis vocibus dedignantur &c.* Ariani.

 Ora-

Oratio III. *Christe &c. da nobis, ut nec jurando decipere proximos, nec noxiis moribus studeamus perdere nos metipsos; quin potius . . . internos externosque valeamus evincere hostes.*

*pag.71. * Feria IV. post Vicesimam.

AD MATUTINUM.

Oratio II. *Jesu Dei Patris ineffabile Verbum, quem insipientium corda verum Deum esse non credunt . . . cognoscant te & ipsi &c.*

AD TERTIAM.

Oratio I. *Prævaricatos in te Christe . . . inimicos tuos agnovimus; eosque contra te loquutos mendocium . . . idcirco quæsumus, ut Ecclesiam tuam in hujus vasti gurgitis fluctibus volutantem ita virtutis tuæ excubiis præmunire digneris, ut, & hit dolosorum arcus, ac jacula perversorum dogmatum inconcusso fidei colle pertranseat, & post ad te, nos omnes in sinus sui gremio retinens, lætabunda perveniat.*

AD SEXTAM.

Oratio II. *In tribulatione suo te . . . invocat Ecclesia tua. Petimus proinde, ut eam salves ab inimicis &c.*

Oratio IV. tota est adversus Gentiles.

AD NONAM.

Oratio I. *Auxiliare Domine, & adjuva Ecclesiam tuam, quam adversarius noster nititur suscipere devorandam . . . Exurge jam Domine, & nostros præveni inimicos &t.*

Oratio III. *Deus noster salva nos ab insurgentibus inimicis &t.*

*pag.73. * Feria V. post Vicesimam ad Tertiam.

Oratio I. *O Dei Patris Verbum, adversus quem falsiloquus suscitatus erigitur, & per quem lumborum tuorum pars lanceis impetitur &t. a præsenti nos libera malo &c.*

Oratio II. *Quia tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet, tu opportunum nobis è cælo auxilium mitte.*

AD SEXTAM.

Oratio I. *Omnes tuam, Christe, persequentes Ecclesiam, sub ejus vestigiis convertendos humilia, qui te in membris tuis persequuntur &c.*

Oratio IV. *Christe Dei Filius, quem hominem purum, non Deum credentes. vitulorum multitudo circumdat &t.*

AD NONAM.

Oratio III. *Ne tradideris, Domine, Ecclesiam tuam in persequentium se manu cruenta, ut insurgentes ab ea testes falsi resileant &c.*

*pag.74. *Feria VI. post Vicesimam.

AD MATUTINUM.

Oratio I. *Ne tradas, Domine, in persequentium manu animas tibi confitentium populorum &c.* Vide etiam Orat. II. ad Tertiam.

AD SEXTAM.

Oratio III. *Redime nos a circumdantium inimicorum muscipula.*

*pag.76. Hebdomada II. post Vicesimam.

* Feria II.

AD NONAM.

Oratio II. *Ne repellas Ecclesiam tuam, ut quæ contristata insligente inimico incedit, te sibi parcente, gratuletur se in persecutionibus dilatari.*

Fe-

* Feria III.

* pag.78.

AD TERTIAM.

ORATIO II. *Contristamur ecce Domine, a voce inimici, dum feralia super nos cadunt jacula odii &c.*

AD SEXTAM.

ORATIO I. *Quaesumus... ut eos qui nobiscum fraudulenta * esu communicant benignissimè toleremus.* * *Priscillianistae.*

ORATIO III. *Contristatur ecce Ecclesia tua in exercitatione sua, dum externorum hostium nititur spiculis contraire, & internorum simultates molitur compescere.*

ORATIO IV. *Miserere... nec conculcari nos ab inimico homine patiaris &c.*

AD NONAM.

ORATIO II. *Inimici nostri convertantur retrorsum, qui nos insano odio persequuntur.*

* Feria IV.

* pag.80.

AD MATUTINUM.

ORATIO II. *Eripe nos ab inimicis nostris... & ab insurgentium in nos libera usquequaque procella.*

ORATIO III. *Exaudi, Deus, Orationem Ecclesiae tuae, quò in sanctae fidei rectitudine gradiens, nec timore inimici frangatur, nec adversantium jaculis supplantetur; credens te unum Christum, hominem simul, & Deum &c.*

AD TERTIAM.

ORATIO II. *Frange & nunc, quaesumus, saevientium contra te inimicorum audaciam, quò ad nihilum velut decurrens aqua deveniant, qui malitiae suae gestiunt intra tuam Ecclesiam spargere documenta.*

ORATIO III. *Ad precem Ecclesiae tuae respice, & cruentum saevientis hostis de manu gladium tolle.*

* Feria VI.

* pag.82.

* AD TERTIAM.

* pag.83.

ORATIO II. *Egenti, & in laboribus consistenti Ecclesiae tuae, Christe, citus liberator occurre &c.*

* Sabbato.

* pag.84.

AD MATUTINUM.

ORATIO I. *Qui insurgunt in nos, Domine, confundantur &c.*

ORATIO II. *Saepe expugnatam a juventute sua Ecclesiam tuam, dexterà virtutis, Christe, exalta; ut, qui in illa cotidie pateris, tecum eam facias conlaetari in caelestibus.*

ORATIO III. *Ecce, Domine, supra Ecclesiae tuae dorsum iniquitas onerosa peccantium fabricata est superborum, cum incorrigibiles moribus membra tua atrociter premunt.*

Cod. Veron. pag.85. *Incipiunt Orationes Psalmographae, quae reliquae sunt de antiphonis, quae in Traditione dicuntur.*

ORATIO I. *Da nobis, ut nec circumdantium nos luxurians vitiorum multitudo deludat, nec taurorum scelerata auctoritas ad erroris nebulas pertrahat &c.*

ORATIO IV. *Eripe, Domine, gregem populi tui a laqueis viri iniqui, ut .... nec hominem iniquum simplicitas Christiana incurrat, nec linguae dolosae in causis Fidei jacula pertimescat.*

ORATIO V. ... *nobis dona, ut nec captantium nos possimus inlusionibus falli, nec * serpentini dogmatis veneno contingi.* * *Ariani.*

ORATIO VIII. *Tempera jam tandem miseriarum nostrarum erumnas: ac, ne gladio maligno nostrae feriantur cervices, gladio verbi tui nos reddito efficaces.*

 Cod.

Cod. Veron. pag. 86. *Incipiunt Orationes, & Benedictiones Completoriæ de Traditione per singulos dies.*

Feria II.

AD MATUTINUM.

COMPLETORIA. *Præsta, ut nec accusatori accusandi aditus pateat, nec plebs tua ejus decipulis acquiescat.*

AD TERTIAM.

COMPLETORIA. *Bellantium mucrones, quæsumus, Domine, victricis semper potestatis tuæ virtute retunde; & contra fortem tuam meditantes inania, veritatis tuæ corrige disciplina: quique adversus Christum tuum blasphemiam declamant, ad prædicationem veræ fidei sua corda convertant.*

AD SEXTAM.

COMPLETORIA. *Tu Leo de tribu Juda in ira tua exurge, & severitate judicii insidiosi hostis catervas interime.*

Feria III.

AD MATUTINUM.

COMPLETORIA. *Ad defensionem nostram, Domine, respice; &, ne doctrina patiamur letali, tu nos tua in æternum rege virtute.*

* pag. 88.

* Feria V.

AD MATUTINUM.

COMPLETORIA. *Intende, & exaudi nos Domine, quos vox frendentis inimici conturbat, & tribulatio persequentis exagitat; ut, dum cernis mentes in nos sævire rebelles, magnanimos nos efficias &c.*

AD TERTIAM.

COMPLETORIA. *Miserere nobis, Deus, miserere nobis, & in te confidentes exaudi: aversantium arma confringe, & laqueos nobis destrue præparatos.*

AD SEXTAM.

COMPLETORIA. *Tu da in tribulatione auxilium necessarium &c. & ipse tribulantem inimicum ad nihilum redigas.*

Feria VI.

AD MATUTINUM.

COMPLETORIA. *Erue nos de laqueo venantis invicta potentia.*

* pag. 89.

* AD SEXTAM.

COMPLETORIA. *Respice, Domine, in populum tuum, & super odientes te exaltare magnificus; & eos, qui adversum te fideles tuos declinare festinant, in præcipitem converte ruinam.*

*ANNOTATIO XXXI.

In celebrandis Divinis officiis omnes Ecclesiæ modum quendam in summa communem ab initio habuere: singulæ tamen, ritus aliquos singulares ac diversos. Hæc omnibus semper communia, nempe Lectiones Sacrarum Scripturarum, Psalmorum, Canticorum, Orationumque recitatio. At certarum ex Scripturis lectionum, Psalmorum, Canticorum, Orationum, aliarumque precum numerus, & definitio, pro locis ac temporibus extitit varius. Ecclesia Tarraconensis à Feria secunda post Vigesimam quotidianis Officiis vacare incipiebat, ut solemniori ageret ritu Passionis Dominicæ Sacramentum. Præcedentibus verò Quadragesimæ hebdomadibus, Christiana plebs solis Sabbatis, & Dominicis diebus ad Vesperas, & ad Matutinas laudes conveniebat. Hunc ritum in universa Hispania Gothica fuisse uni-

uniformem, manifestè colligitur ex Conciliis ibidem coactis, in quibus Ordo divinorum Officiorum concors ubique decernitur; sicut videre licet in præcedenti Tractatu Historico-Chronologico de Liturgia antiqua Hispanica, quem ex Pinio integrum dedimus in Prolegomenis. Quæres, cur in nostro Libello primævi ritus Gothico-Hispani ferè semper Arianos (sed præsertim in Quadragesima) furentes audacia, & cladem Tarraconensi Ecclesiæ minitantes intueamur. Historiam illorum temporum recolam, ut huic inquisitioni omni faciam satis. Gothi, post certamina cum Romanis, ac Barbaris habita benè multa, cæsis Alanis, ejectis Vvandalis, Suevisque in Gallæciam retrusis, suas in Hispania fixere sedes, summa ibidem rerum potiri. Ista vero Gothorum gens jam inde a Valentis Imperatoris regno pestifera Arianorum lue fuerat infecta, & ferè tota à Catholica religione desciverat. Nonnulli tamen Sanctissimos ritus, quos sæculo IV. ante Imperium Valentis, præmonstratore atque Magistro Ulfila, unà cum fidei rudimentis didicerant, sine dubio in Hispaniam detulere secum, quando stabitem ibidem sæculo V. fixere Sedem. Hinc duplex in divinis recitandis Officiis ratio tunc temporis illic usitata: altera quidem antiqua Hispanica, altera verò Gothica. Ex utraque verò nonnulli ritus nostri Libelli exorti sunt. Mansisse inter Gothos, etiam postquam fascino Arianorum seducti sunt, quamplures primævæ institutionis tenaces, & probè Catholicos, conficitur ex Epistola S. Jo. Chrysostomi ad Olympiadem, quæ est 14. in Editione Latina Operum ipsius Parisiis excusa, an. 1588. & in Græca Henrici Savilii, est ordine 13. ex qua illud etiam intelligi posse videtur, repertos fuisse Catholicos Arianis admixtos, dum irruptio in Hispaniam facta est, quos suus illuc secutus fuerit Divinorum Officiorum ritus. Turbulentis illis & Hispaniæ fatalibus temporibus, quibus sacra omnia, & profana sub barbaris nationibus sus deque vertebantur, vastationibus, deprædationibus, rapinis, cædibus, incendiis, sacrilegiis, ac profanationibus eorum exposita, quamplures Orationes nostri libelli conscriptæ sunt. Et quoniam illa miserrima rerum facies non obstitit, quominus Fides & Ecclesiastica disciplina in Ecclesia Tarraconensi incolumis servaretur, hinc est quòd in nostro Libello legitur ubique Tarraconensis Provinciæ farta tecta religio. Videsis Epistolam I. Episcoporum Tarraconensium circa annum 465. ad Hilarum Pontificem datam, quæ in Concilio Romano anni 465. lecta est. Conqueruntur in ea apud Pontificem de ordinarione Episcopi contra regulas, & canones; eumque consulunt de isto casu, ut illis abusibus velociter occurratur. *Et quamquam barbaricus furor* (ut pag. 226. notatur ex Binio) *Gothorum, Hispaniarum Ecclesias propè omnes devastantium, vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ relaxasset, Tarraconensem tamen Provinciam, custodem legum & Canonum permansisse; Romanum Pontificem observasse; omnes controversias ad eundem velut ad supremum Judicem & Pastorem Ecclesiæ detulisse, hæc Epistola manifestè satis indicat.* Cum quanta verò (inquit Pinius in laudato Tractatu), & quàm patheticis expressa terminis submissione ad Sedis Apostolicæ oraculum confugerint Tarraconenses, liquet ex his eorum in initio Epistolæ verbis: *Nos Deum in vobis penitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam; inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* In fine quoque Epistolæ sic dicunt; *Erit profectò vester triumphus, si Apostolatus vestri temporibus, quod S. Petri Cathedra obtinet, Catholica audiat Ecclesia, si novella zizaniorum semina fuerint extirpata.* Igitur, quod huc spectat, discere possumus ex illa Epistola, quòd, sicut Tarraconensis Ecclesia in summa aliarum Ecclesiarum devastatione, custos legum, & Canonum fuit; sic etiam una ista præ reliquis omnibus haud dubiè excelluerit in conservando Fidei, religionisque deposito; atque in id incumbendo nixè, ut nulla sui parte temeraretur. Quod ex recitatis orationibus primæ, & secundæ hebdomadæ post Vigesimam, quæ totæ sunt de irruptionibus Alanorum, Vvandalorum, Suevorum, Gothorumque Ariana peste infectorum, legenti nostrum Libellum antiquissimi Ritùs Hispani, satis superque constabit.

Cod.

* ANNOTATIO XXXII. pag.90.

Cod. Veron.pag.90. *Die Dominica in Ramis Palmarum.* (1) Br.Moz. Tol. pag. 202. col. 4. *In Dominica Ramis Palmarum*. Gaudet Officio proprio.

HYMNUS.

Noctis tempus jam praeterit &c.

ut in Dominica IIII. Quadragesimae, pag. 155. col. 4.

* De Antiq. Eccl. discip.cap.20. pag.188.

„ Benedictionis Palmarum (inquit Martenius *) nulla apparet mentio „ apud auctores ante saeculum octavum, aut nonum. Et sanè nullum apparet „ illius vestigium in pervetustis missalibus Francorum, & Gothorum à Thomasio „ vulgatis, nullum in antiqua Liturgia Gallicana ex MS. Bobiensi à Mabillo- „ nio eruta & edita tom. I. Musaei Italici, nullum in Ordine Gelasiano, nul- „ lum in S. Gregorii Sacramentorum libro Menardi notis illustrato, aliisque „ nonnullis ante annos nongentos exaratis, nullum denique in Egberti Ebora- „ censis Archiepiscopi Pontificali, sed neque apud Isidorum. Nec ullum „ Amalario Antiquiorem, qui illius mentionem fecerit, auctorem vidisse me „ memini. Ipse enim in lib. I. de Ecclesiasticis officiis cap. 10. quod est de „ Palmarum die, ita habet: *In memoriam illius rei, nos per Ecclesias nostras so- „ lemus portare ramos, & clamare Osanna*; quos ramos haud dubitamus aliqua „ benedictione fuisse consecratos „. Sed, antiquitatem ritus hujusce Benedictionis inquirens Cl. Meratus in notis ad Thesaurum Sacrorum Rituum Gavanti, pag. 1003. Martenianae sententiae refellendae totus incubuit. Ego utriusque Scriptoris cultor ex animo, hujusmodi concertationi esse cogor implicitus, quoniam Hispaniae Gothicae veterem disciplinam expendo.

Attamen non digladiabor; sed allegandis prius rationibus, quibus Meratus Gallicum Virum urget, insistam; dein utriusque sententiam conciliaturus accedam, ac neutram ex omni parte a veritate abhorrere testimonio veterum Codicum Sacramentorum ostendam. Quare antea ab ipso Merato accip sua ipsius rationum momenta.

Ait autem ad Gavanti num. 6. *in Benedictione* Ramorum &c.

„ Benedictionis Palmarum seu Olivarum, quae fieri praescribitur in hac Domi- „ ca, nulla apparet mentio, ait Martene *cap. 20. de antiqua Eccles. disciplina*, „ apud Auctores ante saeculum octavum, aut nonum. Verum fallitur sapientissimus „ Vir: etenim in Sacramentario S. Gregorii Magni a Clarissimo Menardo edi- „ to, hujus Benedictionis mentionem fieri apertissimè liquet in Oratione, quae „ Communionem praecedit, in qua Deo dicitur, quemadmodum fideles se illi „ offerebant eo die cum frondibus Palmarum, ac Ramorum, ut vellet eos post „ mortem recipere Palmis Victoriae praecinctos, & bonorum operum fructibus „ exornatos, &c. Quapropter mirari subit eruditissimum Martene affirmare po- „ tuisse nullum sollemnitatis Palmarum, & Ramorum vestigium extare in Sacra- „ mentario Gregoriano a Menardo vulgato. Dubitat tamen doctissimus Gran- „ colas, an predicta Oratio Sacramentario Gregoriano fuerit adiecta; sed va- „ na omnino est haec dubitatio: etenim in (*a*) Codice membranaceo Sacra- „ mentarii Gregoriani, qui reperiebatur in Bibliotheca Reginae Svetiae, supra „ octigentos annos exarato, haec leguntur a Doctissimo nostro Thomasio obser- „ vata. „ *Die Dominico in Palmis ad S. Joannem in Lateranis*. Benedictio in „ Palmis: *Deus, cujus Filius, &c.* „ Observavit haec Thomasius in notis MSS. „ ad Sacramentarium Pamelii, quas penes me habeo; ex quo manifestum est „ in (*b*) antiquissimo omnium Codice Gregoriano Benedictionem Palmarum ex- „ tare

(1) Nulla hac die Lectio *Passionis* innuitur, nec feria tertia, vel quarta sequente, in nostro Libello Orationum, juxta antiquissimum Lectionarium Gallicanum, atque primaevum ritum Ecclesiae Mediolanensis.

(*a*) Hujus Exemplar autographum extat in Bibliotheca foelicis recordationis Petri Card. Ottoboni, ex dono Alexandri Papae VIII. quod a me summa fide descriptum, in hac Thomasianorum Operum editione quam primùm publici juris fiet, unà cum uberi aliorum Sacramentariorum auctario. Ex ipso Ottoboniano Cod. Benedictionem Palmarum, Missamque Dominicae paulo infra recitabo, scilicet pag.cciv.

(*b*) In nonnullis Vaticanis Codicibus, qui Ottoboniano sunt antiquiores, Benedictio Palmarum non extat.

„ tare, ac proinde jam Gregorii ævo hujusmodi cæremoniam in Ecclesiæ Ro-
„ manæ disciplinam transiisse. Et sanè uno tantum post Gregorium sæculo hic
„ Ritus in Anglia vigebat, teste Aldhelmo Orientalium Saxonum Episcopo *lib.*
„ *de Laudibus Virginis cap.* 15. En Aldhelmi testimonium = *Aut frustra vocabu-*
„ *li privilegium participavit cum Advocato & Redemptore nostro, de quo lacten-*
„ *tes Evangelici consona vocis harmonia psallentes concorditer cecinerunt*: Bene-
„ dictus, qui venit in nomine Domini, *cujus rei regulam nostra quoque medio-*
„ *critas (authentica Veterum auctoritate subnixi) in Sacrosancta Palmarum so-*
„ *lemnitate, binis classibus canora voce concrepans, & geminis concentibus Hosan-*
„ *na postulans, cum jucundæ jubilationis melodia concelebrant*. In quo testimo-
„ nio illud sedulò animadvertendum, Scriptorem hunc affirmare, quod hujus-
„ modi cæremonia erat authentica veterum auctoritate submixta; Et revera
„ Grancolas *Comment. Hist. in Breviarium Romanum cap.* 53. ubi agit de hac
„ cæremonia, censet eam Romà fuisse in Angliam invectam. Itaque neces-
„ sario fatendum est, Anglos hanc disciplinam ex Augustino ipsorum Aposto-
„ lo, illuc à Gregorio Pontifice misso, accepisse; nisi Aldhelmo mendacii no-
„ tam velimus inurere, qui recentem Ritum, nobis tanquam veterem vendi-
„ taret. Quod si rem altius repetere placeat, eundem Ritum, etiam Grego-
„ rio antiquiorem in Ecclesia Occidentali fortasse inveniemus. Nam in Sacra-
„ mentario Gelasii (quidquid Martene dixerit nullam in eo reperiri mentio-
„ nem, nullumque vestigium præfatæ Benedictionis) Dominica 6. Quadragesi-
„ mæ habet hunc titulum. *Domin. in Palma de Passione Domini*. Quo titulo
„ sanè docemur, jam tunc in Romanam Ecclesiam Palmarum Ritum invectum
„ fuisse. Adrianus Baillet tom. 4. in historiam hujus diei putat, id etiam Ge-
„ lasiano Codici fuisse adiectum: sed ab ea opinione, sicut etiam a sua Granco-
„ las, & Martene profectò recessissent, si, antequam eam amplectarentur præ
„ oculis habuissent vetustissimum Kalendarium Ecclesiæ Romanæ, quod ipsemet
„ Martene postea evulgavit tom. 4. Thesauri Anecdot. quodque ipse eruditissi-
„ mus Vir, labente quarto, vel ineunte sæculo V. scriptum existimavit: in
„ quo quidem Kalendario hæc leguntur: *Dominica in Palmas, ad S. Joann. in*
„ *Lateranis*. Nulli itaque dubium esse debet, quin hic Ritus antiquissimus sit
„ in Ecclesia Romana. At, inquiunt adversarii, cur igitur nulla hujus cære-
„ moniæ mentio apud Isidorum, nulla in Gallicana Liturgia a Mabillonio edi-
„ ta ex Codice Bobiensi, nulla in Missali Francorum, atque Gothorum à Tho-
„ masio vulgato, nulla in Pontificali Egberti Eboracensis Episcopi? Nimirum
„ quia non omnes Ritus, quos suscipiebat Ecclesia Romana, non omes, inquam, in-
„ Gallia & Hispania vigebant; quod Viri illi peritissimi profectò non ignorant.
„ Quamvis ergo hæc Cæremonia apud Gallos ante Carolum Magnum in usu
„ non fuisset, ex hac tamen non licet inferre, in Ecclesia Romana, & in aliis Oc-
„ cidentis Ecclesiis non fuisse receptam. Posset id exemplis quamplurimis de-
„ monstrari; nisi res lippis, & tonsoribus nota esset. Præterire denique non
„ debeo, quod in Codice Ratoldi extat Benedictio Palmarum.

„ Antiquum quoque fuisse in OrientePalmarum,seu Ramorum Festum,quin im-
„ mo antiquius,quam in Occidente,deducitur ex vita S.Euthimii a Cyrillo Scytopo-
„ litano scripta, in qua legitur, quod Solitarii,qui in desertum secedebant post Epi-
„ phaniam,ut ad Festum Paschatis properareut,ad Monasterium suum revertebantur
„ ad Festum Palmarum celebrandum,quod erat in capite hebdomadæ,qua Dominicæ
„ Passionis Mysteria celebrantur.Et aClero proculdubio,ut benè ponderatGrancolas
„ supra *loc.cit.*Monachi illi didicerant hocFestum celebrare quinto sæculo inOriente.
„ Meminit pariter Sollemnitatis Palmarum Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *in*
„ *Cathechesi* 10.ut refertMenardus,*in Notis,& Observ. in librum Sacramentorum S.*
„ *Gregorii Papæ pag.* 56. *Et in pag. seq.* alia congerit pertinentia ad antiquitatem
„ hujus solemnitatis. Verùm ex ultima auctoritate S. Cyrilli Baillet *Tom.* 4.
„ *supra cit.* agens de historia Festi Ramorum *pag.* 194. §. 2. minimè vult in-
„ ferri sollemnitatem, de qua loquimur; sicut etiam, ex sermonibus qui S.
„ Epiphanio, & S. Jo. Crysostomo tribuuntur (in quibus Sollemnitas ista de
„ Palestina, in Cyprum, & Syriam transiisse dicitur) nihil certi deduci pos-
„ se adstruit, quia sermones prædictos Auctoribus multò recentioribus adjudicandos
„ esse opinatur; cui sententiæ accedit etiam Grançolas *loc.cit.* Hæc

Hæc Cl. Pater Cajetanus Maria Merati. Ego ramen, studio veritatis, medium iter ingredior, ac tota antiquitate suffultus sine ulla trepidatione pronuncio VI. Dominicam Quadragesimæ, dictam fuisse *in Ramis Palmarum* diu ante quàm ille benedicendi ritus in Ecclesiis ageretur. A primis nempe temporibus Palmarum nomen accepit, ob memoriam multitudinis, quæ Christo Jerosolymam ingredienti obviam occurrit; ut habetur in veteri Ordine Ms. Bibliothecæ Vaticanæ, quondam Reginæ Svecorum, (Codice 234. pag.25.) in quo lego: *cum turba, quæ venerat ad diem Festum, audisset quia Jesus pergeret Jerosolymam, acceperunt ramos Palmarum, veneruntque ei obviam, & clamabant: Osanna, benedictus qui venit &c. De hac die sciendum est, quod diversis vocabulis distinguitur, idest dies Palmarum, sive florum. Dies Palmarum ideo celebratur, quia hodie gloriam maximam dederunt pueri Hebræorum Christo. Capiti lavantium* (lege *capitilavium*, de quo infra) *ideo appellat vulgus hanc diem, quia &c.* Sed ante VIII. sæculum nulla suppetunt documenta, quæ comprobent, Benedictionem earundem Palmarum esse, vel Sancto Gregorio coævam, vel etiam vetustiorem. Antiquitatem nominis, Sacramentario Gelasii, Kalendario Romano V. sæculi, & nostro Libello Orationum primævi ritus Gothico-Hispani comprobatam, non impugnavit Martenius. Ritum solummodò benedicendi ramos (de quo loquitur Amalarius) ipse impugnavit; eumque S. Gregorio verè Magno asserit recentiorem, & primis VII. sæculis omnino dixit ignotum. Hoc verò latum discrimen, rei, & nominis, si tenebimus, lucebunt omnia. Quare ut complectar brevi, quicquid Cl. Meratus prolixa confutatione reponit Edmundo Martenio; firmum ratumque esse volo, authoritates omnes, quas ante VIII. Sæculum adversus Scriptorem Gallicum proferuntur, id unum adstruere, nomen Dominicæ in Ramia Palmarum esse antiquissimum. At ipsæ, ritum Benedictionis (de quo est controversia) jam tum institutum minimè persuadent. Id cuique eas percurrenti evidens erit. Hæc autem satis paratam nobis viam aperiunt, quam sequamur. Nostræ partes erant ostendere, nomen Dominicæ *in Ramis Palmarum*, quod legitur in Cod. Veron. antiquissimi Ritùs Gothico-Hispani, ante Saracenorum incursum obtinuisse: contrà verò, Ritum benedicendi Ramos ab Isidorianis temporibus longo distare intervallo. Utrumque jam ex nostri Libelli Orationibus liquet, in quibus, & de Benedictione Ramorum altum silentium, & *de Dominica in Ramis Palmarum* titulus habetur expressus. Id ipsum legitur in Sacramentario Gelasiano, in S.Isidoro de Div. Offic. cap.27. aliisque monumentis, quæ protuli. Hæc autem omnia non infirmantur vetusto eo Codice Sacramentorum, quem ego Ottobonianum appellavi, & Pater Meratus allegavit.

Quamvis enim in eo * habeatur;

* Exemplum hujus Cod. apud me exstat.

„ *Die Dominico in Palmis ad Sanctum Johannem in Lateranis.*

„ *BENEDICTIO IN PALMIS.*

„ Deus, cujus Filius pro salute generis humani de Cœlo descendit ad ter-„ ras, &, adpropinquante hora Passionis suæ, Hierosolymam in asino venire, „ & a turbis Rex appellari, ac laudari voluit, benedicere dignare hos Pal-„ marum, cœterarumque frondium ramos; ut omnes, qui eos laturi sunt, ita „ benedictionis tuæ dono repleantur, quatenus, & in hoc sæculo hostis antiqui „ temptamenta superare, & in futuro, cum palma victoriæ, & fructu bonorum „ operum, tibi valeant apparere. Per eundem.

ORATIO ad Missam.

„ Omnipotens sempiterne Deus, qui „ humano generi ad imitandum „ humilitatis exemplum Salvato-„ rem nostrum carnem sume-„ re, & crucem subire feci-„ sti; concede propitius, ut, & pa-„ tientiæ ipsius habere documen-„ ta, & Resurrectionis consortia „ mereamur. Per eundem.

Antiphona: Domine ne elong.
Responsorium: Tenuisti.
Tractus: Deus Deus meus, respice.
Offertorium: Improperium expect.
Commun. Pater, si non potest hic calix.

„ *Su-*

„ *Super Oblata*.

„ Concede quæsumus, Domine, ut oculis tuæ majestatis munus oblatum, „ & gratiam nobis devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis adquirat. Per.

„ *Ad complendum*.

„ Per hujus, Domine, operationem mysterii, & vitia nostra purgentur, & „ justa desideria compleantur. Per.

Super Populum:

„ Purifica quæsumus, Domine, familiam tuam, & ab omnibus contagiis „ pravitatis emunda; ut redempta vasa sui Domini passione, non spiritus immun- „ dus rursus inficiat, sed salvatio sempiterna possideat. Per.

Attamen Otthobonianus hic Codex non paucis additamentia fuit interpolatus, & post octavum Christi Sæculum scriptus. Id constat ex Necrologio Canonicorum Parisiensium eidem inserto, cui nomen inseritur ERCANRADI Episcopi. Ercanradum unicum inter Episcopos Parisienses agnoscunt Sammarthani, Galliæ Christianæ Tom.I. pag.407. eumque interfuisse ajunt Synodo Theodonis-Villæ, anno Christi 835. & vita functum circa annum 853.; Sed doctissimus Mabillonius libro sexto de Re Diplomatica pag.625. alium Catalogum Episcoporum Parisiensium ex Codice Bibliothecæ olim Thuanæ, modò Colbertinæ, ante annos septingentos exarato, evulgavit, in quo duo leguntur ERCANRADI, sive Erchenradi Episcopi Parisienses; quorum prior, dictus Erchenradus Senior, ommissus est a Sammarthanis. Vivebat autem iste anno 775. Alter Erchenradus Junior, cujus nomen in Codice Otthoboniano describitur post Inchadum ejus Decessorem, subscripsit anno 833. litteris Hildnini, quas laudatus Vir publici juris fecit numero 75. Præterea, in eadem Codicis pagina aversa, habentur nomina defunctorum Caroli, & Ludovici Imperatorum, Pippini Regis, & Lotharii. Sed huius postremi nomen diverso atramento scriptum videtur. Obiit autem Lotharius anno Christi 855. Hæc verò de Codice Otthoboniano sint satis. Nunc genuina, & fere nullibi interpolata Libri Sacramentorum exempla ex scriniis Vaticanis proferamus. In ipsis, Deo auspice, reperi insignem * Codicem octavo Christi sæculo exaratum, cui titulus: *In nomine Domini. Incipit Liber Sacramentorum de Circulo anni expositum, à Sancto Gregorio Papa Romano editum, ex authentico libro Bibliothecæ Cubiculi scriptum: Qualiter Missa Romana celebratur &c.* in quo ita legitur.

* Cod. Alexandrino-Vaticanus, signatus n. 337.

Die Dominica in Palmas, ad Sanctum Johannem in Lateranis.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi &c. ut in Otthoboniano.

Super Oblata.

Concede quæsumus Domine, ut oculis tuæ Majestatis &c. ut in eodem Codice.

Ad Complendum.

Per hujus Domine, operationem mysterii &c. ut supra.

At Benedictio *Palmarum*, & Oratio super Populum, quæ habentur in Codice Otthoboniano, in isto desiderantur.

Item in alio vetustissimo Codice Palatino-Vaticano, signato numero 485. (qui pag.49. inscribitur = *Ex authentico libro Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ Urbis Romæ*), Benedictio Palmarum in calce additur secundis curis a recentiori manu. Quare ex authenticis monumentis, & Otthoboniano Codice vetustioribus, constat, illam Benedictionem in Codices Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ post Magni Gregorii tempora illatam fuisse. Restat nunc, ut pauca de Competentium nominibus, eorumque inscriptione, ac præparatione ad baptismum

dd edisse-

ediſſeramus, quoniam hac die in Orationibus noſtri Libelli, etiam de Baptiſmo non obſcura exſtant veſtigia antiquiſſimi ritus Gothico-Hiſpani.

* ADNOTATIO XXXIII. pag 90.

Cod. Veron. pag.90. *Die Sabbato in ramis Palmarum.* Br. Moz. Tol. pag.202. col.2. *In Ramis Palmarum*, ingrediente Veſpera.

H Y M N U S.

Vocaris ad vitam, Sacrum Dei Genus;
Creator aſciſcens, amat quæ condidit:
Redemptor attrahit benigno ſpiritu;
Venite, dicit, veſter unus ſum Deus.
Damnationis vos jugum preſſit grave;
*Collum * dediſti ponderi nequitiæ;*
Os tranquillavit guttur, & pernicies;
Subſtate, quicquid affuit, totum ruit.
Prorſus relicto claritatis lumine
*Ingens chaos * vobis peſſimè concluſerat;*
Locus Beatitudinis jam non erat;
Cruenta terra quave mors intraverat.
En mitis adveni, creans, & recreans, Deus:
Potens, infirmitatis particeps veſtræ
Valenter vos feram, concurrite;
Ut jam receptet vos ovile gaudii.
Signo crucis frons prænotetur indito;
Aures, & os perfuſa ſignet unctio:
Præbete dictis cordis aurem; vividum
Confeſſionis perſonale canticum.
Omnes novo eſtote læti nomine;
Omnes novæ ſortis fovet hæreditas:
Nullus manebit ſervus hoſti ſubditus;
Entis unius Dei regnum manens.
Honor ſit æterno Deo, ſit gloria
Uni Patri, ejuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu; quæ Trinitas perhenniter
Vivit potens in ſæculorum ſæcula. Amen.

* leg. *dediſti*

* leg. *vos*.

Hic Hymnus, ut vides, reſpicit ad Dominicam in Ramis Palmarum, quæ ad Veſperas Sabbati præcedentis ingrediebatur. Totus eſt autem de Traditione Symboli, & Competentium adnotatione. Nunc ergo utrumque illius magni Scrutinii ritum breviter expendamus.

Quando Symbolum tradebatur, tunc quaſi partui vicini, *Competentes dicebantur; quoniam materna viſcera, ut naſcerentur, petendo pulſabant*, ut loquitur S. Auguſtinus Serm. 228. novæ editionis (*a*). His verbis concinit id quod in lib. de Fide & Oper. num. 9. dicit laudatus Doctor: *cum fontis illius ſacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur.* Tradebatur autem Symbolum in Eccleſia Tarraconenſi die Dominico in Ramis Palmarum, ut legitur in noſtro Libello antiquiſſimi Ritus Gothico-Hiſpani Oratione 3. 4. & 8. ad Matutinas laudes ejuſdem diei. Et ſanè, ut animadvertit etiam Martenius, hæc fuit Hiſpanicæ, Gallicanæ, & Mediolanenſis Eccleſiæ conſuetudo. De Hiſpanica, teſtia eſt oculatus S. Iſidorus lib. 2. de Divinis Officiis cap. 27. *de Dominica Palmarum*. „ *Hac autem die* (inquit) *Symbolum Competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paſchæ ſolemnitatem, ut, quia jam ad Dei gratiam percipiendam feſtinant, fidem, quam confiteantur, agnoſcant*. Qui etiam hanc diem a vulgo *capitilavium* dici ait, quia mos erat lavandi capita infantium, qui ungendi erant, ne forte obſervatione Quadrageſimæ ſordidati ad Baptiſmum accederent. Adſtipulatur Iſidoro Miſſale Gothicum, in quo ad Agendam hujus diei, quæ inſcribitur: *Miſſa in Symboli Traditione*, hæc habetur Collectio.

(1) MISSA IN SYMBOLI TRADITIONE.

(1) Id eſt, in Dominica in Palmis, ut notatur etiam in Miſſali Gallicano.

„ Collectio poſt nomina.

„ Ecce, Domine, de te Caiphæ Pontificis vaticinium ignarum ſibi ipſi, in „ populis eſt probatum, ut unus occumberes pro gente, ne cuncti pariter interi- „ rent: & tu ſingulare granum in terra morereris, ut ſeges plurima naſceretur. „ Supplices tibi ipſi, qui pro mundi ſalute es Hoſtia cæſus, deprecamur; ut nobis „ de te ipſo veniam dones, qui te ipſum obtuliſti pro nobis. Et hos, quos recita- „ tio commemoravit ante Sanctum altare, qui in pacem jam tuam ab his ſunt vin- „ culia corporeis tranſlati, quæſumus Domine, ut te habeant ereptorem, quem per „ Baptiſmum meruerunt Redemptorem habere. *Sed etſi qui inter hos adſtantes; qui* „ *ad Baptiſmi ſalutaris Sacramenta præparentur, quæſumus Domine Deus noſter,* *ut*

(*a*) Noſter Libellus hac die pag. 91. Oratione 4. ad Matutinum: *Hæc eſt, Domine, novella generationis inclyta fides, quæ te EXQUIRIT ut videat, quæ te concupiſcit, ut in te feliciter vivat &c.*

„ *ut imbutos in fide, instructos in sensu, confirmatos in gratia, ad percipiendam pleni-* „ *tudinem gratiæ tuæ, Spiritus tui munere jubeas præparari: ut sancti Lavacri fonte* „ *desiderato mereantur renasci. Quod.* „

Eodem spectant Lectiones hujus diei antiquissimi Lectionarii Gallicani, quæ optimè conveniunt cum symboli traditione. Nam *Prophetia Hieremiæ*: „ Dabo (inquit) legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.. Omnes cognoscent me à minimo eorum, usque ad maximum. „ *Lectio est ex Epistola Pauli ad Hebræos, ubi multa præclara de fide. Evangelium Johannis, in quo agitur de gentilibus, qui accesserunt ad Philippum, cupientes Jesum videre.*

De Gallicana item Ecclesia exstat concilii Agathensis hoc decretum cap. 13. *Symbolum etiam placuit omnibus ecclesiis una die, idest ante octo dies Dominicæ Resurrectionis publicè in ecclesia competentibus dari.* Ad Mediolanensem quod spectat, unius Ambrosii, insignis illius Ecclesiæ Antistitis, sufficere debet auctoritas. Sic autem loquitur in epistola 20. novæ editionis, ad Marcellinam sororem scribens: *sequenti die* (erat autem *Dominica Palmarum*, ut ex ipsa epistola clarum est) *post lectiones, & tractatum, dimissis catechumenis, symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ.* Idem generatim asserunt Rabanus libro 2. de Institutione Clericorum cap. 35. & vulgatus Alcuinus de Divinis Officiis, capite *de Dominica Palmarum.*

Hæc autem dicta sufficiant de magno scrutinio, seu symboli traditione. Nunc, quod est reliquum, de nominum adnotatione nonnulla dicamus.

In Hispania, peracto prolixo Cathecumenatus tyrocinio, hi qui baptismalis gratiæ participes esse cupiebant, hac Dominicà in Ramis Palmarum post Symboli traditionem tabulis ecclesiasticis inscribendum nomen suum dabant, ut videre licet in nostro libello Orationum ad eandem diem, pag. 91. ubi in Matutinis laudibus ista leguntur.

„ Hi sunt Domine, filii quos tibi parit vera mater Ecclesia, velut novella „ plantationis stabilita; introduc ergo eos, quæsumus, ad regnum gloriæ tuæ, „ *quos per adnotationem officii suscepimus in gremio Matris Ecclesiæ*: ut in regno, vel „ patria, in qua eos curamus adscribere, mereamur cum illis perenniter exsul- „ tare.

„ Ne obliviscaris, Domine, vocem quærentium te, ut superbià eorum, qui „ te oderunt, ascendente in sempiternum, *hi, qui per adnotationem officii gremio* „ *Ecclesiæ matris suscepti sunt*, ad sacri baptismi accedere gratiam mereantur: quo, „ & illis, talia optantes, perceptum, in nos lavacri non denegeremus mysterium, „ & ipsi nobiscum possideant gaudium infinitum.

Hujus antiquissimi ritùs dandi ominis ante baptismum non uno in loco Patres meminere: *Date mihi nomina*, inquit S. Gregorius Nyssenus in Oratione adversus eos qui differunt baptisma, *ut ego ea inscribam libris sensibilibus*. S. Cyrillus Hierosolymitanus in Præfatione ad suas Catecheses: *Quicumque hic nomina dedistis, cum ante horam exorcismorum ingrediemini, unusquisque vestrum pietatis verba proferat.* Et Catechesi 3. *Absit ut aliquis ex his qui nomina dederunt.... audiat*, amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? „ Concilium Carthaginense 4. can. 85. *Baptizandi nomen suum dent.* S. Augustinus l. 9. Confessionum: *Ubi autem tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeavimus.* Et sermone 131. *Ecce Pascha est, da nomen ad baptismum.*

Item Sermone 213. qui secundus est in Symboli traditione, cap. 7. hæc habet: Ecclesia *si non parit filios, quomodo dedimus nomina nostra, ut de ejus visceribus nasceremur.* In vulgato tamen Ordine Romano præscribitur, ut feria 4. hebdomadæ tertiæ quadragesimæ infantium & susceptorum eorum nomina scribantur. Et, ut animadvertit hic Cl. Martenius (*de antiq. Eccl. Rit.* pag. 70.) in Epistola Jesse Ambiensis episcopi ad suos parochianos, in Gellonensi libro Sacramentorum, & in alio veteri ecclesiæ Pictaviensis ab annis circiter 800. exarato, atque etiam in Pontificali ecclesiæ Salisburgensis, id feria 2. injungitur. Idem legitur in antiquo codice Ecclesiæ Noviomensis annorum circiter 900. & in Regio ejusdem ætatis, uti & in Ordine Gelasiano: In quibus tamen legitur missa Dominicæ tertiæ, & in ejus canone infra actionem nomina electorum recitari jubentur: quod etiam signum est, jam antea ibidem scriptis in tabulis fuisse relata. Obiiciet aliquis, quod in epistola Siricii Papæ ad Himerium

 Tar-

Tarraconensem Episcopum cap.2. reperiatur (*solis, per annum diebus* (Paschæ, & Pentecostes) *ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta, his dumtaxat electis, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint*:) Sed respondeo ibi Pont. Summum intelligendum esse de illo tempore, quò primùm, conversi ad Fidem, militiæ Cathecumenorum nomen dabant, ideft accensebantur. Antequam enim in Electorum, & Competentium numero constituti, per Symboli traditionem, & per *adnotationem officii gremio Ecclesiæ matris susciperentur*, longum Cathecumenatûs tyrocinium ingressuri, nomen dare debebant, atque se prodere. Fateor tamen illud Quadraginta dierum intervallum a Græcis fuisse observatum, atque id colligo ex S.Cyrilli Hierosolymitani Præfatione in Catecheses,in qua sic legitur: *Intrasti, eo loco dignus habitus, nomen tuum inscriptum est.... satis longum habes intervallum, cum pœnitentia quadraginta dierum tibi datur.* &c. Immo in epistola 3. S. Clementis Papæ decernitur, ut *accedat qui vult ad sacerdotem suum, & ipsi det nomen suum, ut tribus mensibus jam consumtis, in die festo possit baptizari*. At ego, nec Græcos mores quæro; nec Epistolam illam, S. Clementis fœtum esse consentio Hispanos ritus illustro.

Quare ex ea nominis inscriptione id solùm ut inferas velim,nomina olim in Hispania non in baptismo,ut nunc fit,sed in Dominica Palmarum imposita fuisse. Menardus inNotis ad librum Sacramentorum S.GregoriiPapæ pag.99.ostendit,moris fuisse apud veteres Romanos nono ab ipso natali die maribus, octavo feminis nomen imponere; apud veteres Francos die nono; apud Græcos decimo.

*ADNOTATIO XXXIV. pag.92.

Cod. Veron. pag.92. *Secunda Feria in hebdomada Majore*. Breviarium Mozar. Tol. pag.204. *Feria II. Majoris hebdomadæ*. Gaudet Officio proprio.

Hanc hebdomadam etiam S. Johannes Chrysostomus homilia 30. in Genesim, aliique complures *Majorem* apellarunt, propter majora mysteria, quæ his diebus Salvator noster pro salute humani generis operatus est. *Autentica* dicitur in antiquissimo Lectionario Gallicano a Mabillonio vulgato (ut passim apud Amalarium, aliosque Rerum Ecclesiasticarum Scriptores). Quanta esset in ea divinorum officiorum prolixitas, præsertim apud Græcos, (inquit Martenius *) vel ex solis lectionibus intelliges, in quibus integra quatuor evangelia incunctanter impendebant, idque infrà tres primos hebdomadæ dies. Audi quid ea de re præscribat eorum Triodion: *Legitur & Tetra-Evangelium secunda, tertia, & quarta feria, & completur & terminatur*. Et Typicum S. Sabæ: *Leguntur quatuor Evangelia feria secunda, tertiâ, & quartâ,& absolvuntur*. Ne quis verò suspicetur tantum partem aliquam ex quatuor Evangeliis pronunciatam fuisse, addit ejusdem Typici scriptor: *Scire oportet Evangelium S. Matthæi totum legi, similiter & S.Marci, & S. Lucæ. At evangelium S. Joannis legitur usque ad principium salutiferæ Passionis. Leguntur autem sic evangelia tribus diebus, nempe feria secunda, tertia, & quarta, & absolvuntur in horis. Evangelium S. Lucæ lectionibus præficitur, reliqua duobus, ut simul fiant lectiones & horæ novem,nihilque amplius.* Haud breviores erant Lectiones, quæ inEcclesia Latina recitabantur;cùm inMediolanensi,feria secunda majoris hebdomadæ integrum librum Job recitatum fuisse, videatur innuere S. Ambrosius in epistola 20. novæ editionis ad Sororem Marcellinam; ubi, exponens persecutionem ab Arianis, duce Justina, ad Dominicam Palmarum Ecclesiæ intentatam, *postera die* ita Sermonem adorsus est: *Audistis, filii, Librum Job legi, qui solemni munere est decursus & tempore*. Et sub finem ejusdem epistolæ docet, alterâ post die, scilicet feriâ quartâ, Librum Jonæ *de more* pronunciatum fuisse.

* de antiq. Eccl discip. pag.119.

In Mabillonii tamen Lectionario Gallicano, una tantùm, & perbrevis, habetur Lectio Feriâ II. hujus hebdomadæ, quam hìc subjicio:

In authentica hebdomada, secundâ feriâ ad Matutinos.

Lectio Danihel Prophetæ.

„ Tempore illo ego Danihel, cum orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israhel *&c. usque* .... ad consummationem & finem perseverabit dissolutio. „ *Daniel cap.9. ver.20. ad 27.*

Omnes hujus hebdomadæ dies in Hispania festi fuisse videntur.* Constitutiones, quas

* Gaudent enim Officio proprio

quas Apostolicas vocant, id certè statuunt lib. 8. cap. 33. *totà magnà hebdomada, & proximè sequente vacent servi, quia illa Passionis est, & hæc Resurrectionis*. Photius quoque in compendio Legum Imperialium, & Canonum idem testatur: *dies Festi sunt septem ante Pascha, & septem post Pascha*. Ac totidem enumerat Gregorius IX. in Decretali *de Festis*.

*ADNOTATIO XXXV. pag. 208.

Cod. Veron. pag. 92. *Fer. III. in hebdomada Majore.* Gaudet Officio proprio etiam in Breviario Mozarabico pag. 208. nec non in antiquissimo Lectionario Gallicano (*a*) apud Mabillonium pag. 128. Hoc tamen in tribus primis hujus hebdomadæ Sanctæ feriis unicam lectionem *ad Matutinos*, nullam ad Missam assignat. Nulla etiam Missa his diebus exstat in Missali Mozarabico, aut in Gallicano.

Lectionarium, de quo supra (*a*), hæc habet:

„ *Tertia Feria ad Matutinos in autentica hebdomada*.

„ Hæc dicit Dominus: Revertatur unusquisque a via sua mala *&c. usque*, animam „ pauperis de manu malorum, ait Dominus Deus. „ *Jerem. cap. 18. v. 11. ad v. 23. Deinde consequenter*: Seduxisti me Domine, & seductus sum *&c. a v. 7. cap. seq. ad v. 13.*

*ADNOTATIO XXXVI. pag. 212.

Cod. Veron. pag. 97. *die Mercoris, quando Cæna Domini ingreditur*. Br. Moz. Tol. pag. 212. *Feria IV. post Dominicam in Ramis Palmarum*. Gaudet Officio proprio, in quo post Sextam, sequuntur Vesperæ, cum sequenti Hymno.

HYMNUS, pag. 214. col. 3.

JAM legis umbra clauditur,
*Novumque * prediit,*
Cum vera lux in vesperum
*Mundi, * oborta promicat.*
Hinc Christus Rex post biduum
Cœnavit vetus convivium,
Quo Pascha pridem mysticum
In Pascha nostrum vertitur.
Audi fidelium preces,
*Qui * traditore passus es;*
Hac nocte nos illumina,
Carnem lava, cor præpara.

Ardor tuæ dulcedinis
Interna nostra concremet;
Fides paratos innovet,
Opusque ad Regnum vocet.
Ut suavitate gratiæ
Hinc advocati, in crastinum
Inebriemur poculis
Tui Sacrati Sanguinis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclyto,
Regnans per omne sæculum. Amen.

* supple *fœdus*
* *suborta*
* *traditorem*

Huic Hymno concinit Oratio Completoria ad Vesperum nostri Libelli Orationum Gothico-Hispani.

„ Propinqua Passionis tuæ solemnia, Christe Deus, plebs devota suscipiens, præparari tibi in hostiam vivam desiderat. Proinde, quæsumus, ut qui IN CRASTINO ad tuum accessuri sumus convivium, in susceptione hujus venerandæ noctis, & culparum tenebris careamus, & tui amoris ignibus inflammemur. „

Ad hujus Orationis oram ista notantur in Cod. „ *in hac Oratione*, ORATIO PATERNA *non dicitur; sed tantum Benedictio: & dicit Diaconus*, humiliate vos Benedictioni. „ Oratio Paterna, Dominicam Orationem significat: quam Benedictio excipiebat.

Officia nocturna, & Vespertina Breviarii Moz. Toletani, ex antiquissimo ritu, clauduntur Oratione Dominica. Hæc autem aliis diebus elata voce recitatur, Populo ad singulas petitiones respondente *Amen*, præter quam ad *Panem nostrum* &c. ubi respondetur, *quia Deus es*, ut in Missa. In fine, *in nomine Domini Nostri Jesu Christi proficiamus cum pace*. Ad quod respondet Populus, *Deo gratias*. Porro Beatus Abbas in lib. I. adversus Elipandum, de Officio apud Hispanos ante sæculum nonum usitato, hæc habet: *si in Vespertinis lucernarium ante Altare obtulerit, non potest aliter offerri, nisi dixerit*, in nomine Domini Nostri Jesu Christi lumen cum pace. *Si etiam completo Officio, non potest egredi sine hac solutione, nisi prius dixerit*, IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI EAMUS CUM PACE. *Sic in Vespertinis, sic in Matutinis, sic in omnibus horis, quibus necessaria officia vel canonica in Ecclesia peraguntur*. Quem Mozarabum

titum

ritum comprobat etiam Bohetius in secundo Commentario super Regulam S. Benedicti, cap. II. ubi ait: *Unde legitur, quod Isidorus Hispalensis condens Missæ Officium ordinavit, ut in qualibet petitione* Pater noster, *Clerus responderet*, Amen: *sed ibi*, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *responderet*, qui es Deus;,, quod hodie quoque in Toletana Ecclesia ex antiquo more observatur, & diu viguit in Gallia.

Nam Gregorius Turonensis in cap. 16. de vitis Patrum, de Venantio Abbate Turonico loquens, ad veterem Gallicanum ritum respexisse videtur, cum scribit: *Sed nec illud prætereo, quod quadam vice, dum, juxta consuetudinem, de Basilicis, quas orationis gratia adierat, repedaretur, & in Basilica ad MISSAS, Dominicæ Orationis verba decantarentur; cum illi dixerunt*, sed libera nos a malo, *audivit è tumulo cujusdam vocem dicentem similiter*, libera nos a malo.,, Quid sint hoc loco *Missæ* obscurum est. Sed quoniam Missarum vocabulum aliquando collectas seu Orationes significat, ut constat ex Regula S. Isidori cap.7. (ubi de nocturnis vigiliis scribens, inquit, *tres Psalmi Canonici recitandi sunt: deinde tres Missæ Psalmorum, quarta Canticorum, quinta Matutinorum Officiorum*) laudatum Gregorii Turonensis locum de Collecta libenter interpretor.

* ADNOTATIO XXXVII.

Diaconus (ut inquit noster libellus hic, & infra in Sabbato Sancto) præsentes clara voce admonebat, ut Benedictioni se inclinarent. Cæsarius in Sermone 285. novæ appendicis Augustinianæ num.2. ,, *Et hoc* (inquit) *admoneo simul, & rogo, Fratres, quotiens clamatum fuerit, ut vos benedictioni humiliare debeatis, non vobis sit laboriosum capita inclinare, quia non homini, sed Deo humiliatis*. Et S. Isidorus in lib. de Div. Offic. cap. *de Diaconibus*, pag. mihi 115. ait:

,, Diaconi clara voce in modum præconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendo genibus, sive in psallendo, sive in lectionibus audiendis: ipsi etiam ut aures habeamus ad Dominum clamant; ipsi quoque evangelizant. Nam sicut In Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est. Ille orare, hic psallere mandat: ille oblata santificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam Sacerdotibus propter præsumptionem non licet de Mensa Domini tollere Calicem, nisi eis traditus sit a Diacono.,,

*ADNOTATIO XXXVIII.

Benedictio metrica Codicis Veron. quæ habetur hac die Mercurii ad ingressum Feriæ V. in Cæna Domini, exstat etiam in Breviario Moz. Tolet. in hunc modum. (pag.214. col. 3.)

* Vide rubricam nostri Libelli.

* Pater noster. *Benedictio*.
,, *Passio nos conservet jure perenni*. Resp. *Amen*.
,, *Crimine nos hodie lavet, & eras munere ditet*. Resp. *Amen*.
,, *Quò, pulsis viciis, Pascha cum illo celebretis*. Resp. *Amen*.

Quamvis autem Ecclesia Hispana, a primis usque temporibus, Feria VI. in Parasceve publicam reconciliationem pænitentibus daret; attamen, quia non omnis populus erat pœnitens, solebat, Fer. IV. exeunte, criminum minus gravium remissionem concedere privata absolutione, communicaturis in Cæna Domini, ut innuunt postrema verba recitatæ Benedictionis. Hoc autem satis constat. Quare meum potius erit munus, illum, de quo dicebam, in reconciliandis pœnitentibus ritum illustrare Romæ, & in plerisque aliis Occidentis Ecclesiis, publica pœnitentium reconciliatio fieri solebat Feria V. in Cœna Domini. Ut enim Principes in natalium conviviorumque suorum celebratione, captivis libertatem, criminum Reis veniam clementer indulgent: sic Ecclesia natalem diem Sacerdotalia dignitatis, ac Cœnæ Dominicæ celebrans, filiis pænitentibus crimina remittit, eosque amanter amplexa in sinum recipit. In hunc finem * ab antiquo Ecclesia Romana feriam quintam in Cœna Domini elegit, ut testatur S. Innocentius *Epist.I.cap.7. De Pænitentibus verò, qui, sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus Pænitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat*. Hoc Decretum referunt omnes Canonum

*inquit Morinus de Pœnit. lib. 9. cap. 29.

num Collectores, Ansegisus, Benedictus Levita in Capitularibus, * Isaacus Lingonensis, Regino, Burchardus, Ivo, Gratianus; & ante hos omnes, Flaccus Alcuinus, & Amalarius. Ejusdem consuetudinis testis est S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum de morte Fabiolæ; de cujus publica pœnitentia sic loquitur. *Quis hoc crederet, ut post mortem secundi viri in semet reversa &c. saccum induceret, errorem publicè fateretur, & tota Urbe spectante Romana, ante diem Paschæ in Basilicam quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine Pœnitentium; Episcopis, & Presbyteris, & omni popolo collachrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squallidas manus, sordida colla submitteret.* Quamquam enim S. Hieronymus ipsum diem Jovis κατὰ λέξιν non notet, manifestum est tamen, de illo ipso die esse intelligendum.

* Canone XXXV.

Antiquus auctor inter S. Cypriani opera, qui scripsit de unctione Chrismatis, sic de hoc die Cœnæ loquitur: *Hodie reconciliantur Ecclesiæ peccatores, & ejecti foris ad matris ubera reducuntur, & exclusi à cœtu Sanctorum, ad communionem, qua caruerant, revertuntur; hodie patent carceres, & damnati libertate donantur. Severitate deposita, hodie Judices mansuescunt, &c.* Similia iterum scribit in fine tractatûs. Hujus rei testes sunt etiam variæ S. Eligii homiliæ eodem die ad Pœnitentes habitæ, ut *homilia* 4. & sequentes. Homilia verò octava hujus ritus rationem reddit. *Quo die etiam Pœnitentes reconciliantur; quia scilicet ipsa die, qua Sacramenta Corporis, & Sanguinis sui Dominus primùm confecit, ac discipulis tradidit, oportebat, ut hæc præsumenda Pœnitentes restaurarentur, eo videlicet tempore, qua Sanguinis Christi in remissionem omnium peccatorum fusus est.* Ita *Capit. lib.* 5. *cap.* 71. & *l.* 7. *cap.* 43. Isaac. Lingon. *tit.* 2. *cap.* 35. velut ex communi consuetudine, licèt illis locis Decreti Innocentii mentionem non faciant. His addi possunt omnes divinorum officiorum ordines, & omnia Sacramentaria, antiqua, & recentiora, quæ eo die, reconciliationis Penitentium vel ceremonias exhibent, vel memoriam celebrant. Hæc Morinus.

* ADNOTATIO XXXIX. pag. 97.

*Cod. Veron. pag. 97. *in Cœna Domini*. Br. Moz. pag. 214. col. 3. *Feria V. post Dominicam in Ramis Palmarum*.

Hac die in Hispania facta est Communio; ut ex Completoria Oratione Vesperarum præcedentis diei, atque ex Benedictione nostri Libelli antiquissimi Ritus Gothico-Hispani jam vidimus. Idem ex Oratione II. *ad Tertiam* (*a*) satis constat, quæ ait:

„ * Domine Jesu Christe, qui, Traditionis tuæ præscius horæ, apud „ quem, quove in loco celebraturus sis sollemnia Paschæ, discipuli missione „ voluisti significare; te quæsumus, ut ad nos venias, apud nos etiam Pascha facias, nec ullo modo a corde nostro recedas; quò in HAC præsenti „ TRADITIONIS tuæ SOLLEMNITATE TU NOSTER SIS CIBUS, „ TU ETIAM SUAVISSIMUS POTUS, qui pro nobis factus es advocatus. „

* Ant. *Ite ad Civitatem.*

Missa quoque Missalis Gothici *in Cœna Domini* tota est de Communione: quare supervacaneum puto ejus testimonia recitare. Idem dictum esto de illa Missalis Gallicani Veteris a Ven. Card. Thomasio vulgati.

Præterea in vetustissimo Lectionario Gallicano a Mabillonio vulgato ita habetur.

„ *Legenda IN CENA DOMINI ad Matutinos*.

„ *Lectio libri Exodi*.

„ Tempore illo, mense tertio egressionis Israhel de terra Ægypti, in die „ hac venerunt ad solitudines Sinai &c. *usque* & ut terror illius esset in vobis, „ & non peccaretis amplius. *Exodi cap.* 19. *v.* 1. *ad v.* 20. *cap. seq.*

Le-

(*a*) Prima nusquam in nostro Libello Orationum occurrit. S. Isidorus quoque in lib. Divinorum Officiorum, præter Vesperas, Completorium, Vigilias Nocturnas, & Matutinas Laudes, recenset tantùm Tertiam, Sextam, & Nonam, omisso semper *Primæ*, & *Auroræ* Officio, quod utrumque tamen in hodierno Brev. Toletano præscribitur.

„ *Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.*

„ Diebus illis dixit Dominus Jesus discipulis suis: scitis, quia post bi-
„ duum Pascha fiet ...... tumultus fieret in populo .... *Matth. cap.* 26. *v.* 2. „ Evangelium hujus feriæ V. mutilum est in isto Cod. Luxoviensi, quoniam avulsus est unus quaternio, in quo habebantur Lectiones ad Missam Cœnæ Domini, & ad Matutinos Feriæ VI.; ut Mabill. (Lib. 2. de Lit. Gal. p. 129.) ex vacuo duplici numero, & ex sequentibus colligit: *Duplex*, (sunt ejus verba pag. 136.) *ut jam dixi, marginalis numerus deest, ab officio Matutinorum pro Cœna Domini, ad officium Tertiæ pro Parasceve. Prior ex his aptandus videtur officio Missæ in Cœna Domini: posterior ad Matutinos diei sequentis. Quippe Evangelium, quod ex Matthæo legitur ad Cœnam Domini, existimo pertinere ad Matutinos, utpote quod agit de Christi comprehensione facta per Judæos. Aliud Evangelium ad Missam ex Evangelio Johannis de Cœna magis quadrat.*

Porro in Missali Mozarabico *in Die Coenæ* præscribitur Evangelium ex Lucæ cap. 22. incipiendo a celebratione Cœnæ, & desinendo in lacrymis Petri; in quibus lacrymis desiuit etiam laudati Lectionarii officium ad Matutinos diei sequentis.

Demum Communicandi ritus, Feria V. in Cœna Domini in nostro Libello præscriptus, non solum in Hispanicis, & Gallicanis vigebat Ecclesiis, sed etiam in Africanis. Docet namque Sanctus Augustinus in epistola 54. ad Januarium, ibidem quibusdam in locis ea die jejunium relaxatum fuisse ante Communionem, ad instar Cœnæ Domini. *Nonnullos*, inquit Præsul Hipponensis, *probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam Cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri, & accipere liceat Corpus & Sanguinem Domini*. Sed, cum illud perversa intentione violarent Priscillianistæ hæretici, impiam eorum agendi rationem Synodus in Trullo cap. 20. abrogavit, eamque anathemate perculit Concilium Bracarense II. Canone XVI. his verbis. *Si quis quinta feria Paschali, quæ est Cœna Domini, hora legitima post nonam jejunus in Ecclesia Missas non tenet, sed secundùm sectam Priscilliani, festivitatem ipsius diei ab hora tertia per missas defunctorum, soluto jejunio colit, anathema sit*. De nomine hujusce diei nunc pauca dicamus, quoniam de Communione jam satis.

Antiqui Patres hanc Feriam V. non solum *Coenam Domini*, sed etiam *Natalem Calicis* appellarunt; quia tunc Calix a profano usu ad Sacrificii Ministerium Christo auctore translatus est. Præclarè hoc innuit S. Eligius Noviomensis Episcopus: * *Vocatur hæc dies Coena Domini, vocatur & Natalis Calicis; quia hac eademque die mysticum Pascha Dominus cum Discipulis celebrans, Sacramenta Corporis, & Sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipsæ celebrationis initium fecit*.

* Homil. 10 in Cœna Domini.

* Mirabuntur nonnulli totum ferè Cœnæ Domini Officium in nostro Libello in recolenda Christi morte, Crucisque Passione versari; cum Feria VI. in Parasceve, teste ipsa Evangelica historia peculiariter fuerit Crucis Dominicæ sanguine consecrata. Sed antequam causam hujus Hispanici ritus detegamus, Orationem ejusdem Libelli, quæ habetur ad Tertiam in Officio de Cœna Domini, recitabimus.

* ADNOTATIO XL. pag. 97. & seqq.

„ * O bone Magister Jesu, Deus noster & Domine, quem ter negando
„ Petrus dilabitur, a quo respectus fletibus reparatur: præsta nobis, ut incon-
„ cussa fide PASSIONIS TUÆ GLORIAM PRÆDICANTES, nulla infi-
„ delitatis macula contingamur, nullisque occasionibus a tua caritate privemur;
„ sed PASSIONIS TUÆ COMMUNICANTES EXEMPLIS, DUM PRÆDI-
„ CAMUS GLORIAM CRUCIS, coronaturi perducamur ad gaudia Redempto-
„ ris. „ Hæc namque ad inquisitionem rei de qua agitur, nos veluti manuducet.

Patres Concilii Toletani IV. can. 7. nonnullas Ecclesias reprehendunt, ubi *in die sextæ Feriæ Passionis Domini, clausis Basilicarum foribus, nec celebratur Officium, nec PASSIO DOMINI POPULO PRÆDICATUR*. Utrumque hoc, de quo queruntur Toletani Patres coacti anno Chr. 623. prætermissum fuisse

fuisse in Ecclesia Tarraconensi Feria VI. in Parasceve, paulo infra videbimus: neutrum tamen prorsus omissum, sed ad præcedentem diem *Cœnæ Domini* præcoci celebratione retractum, quo die, ut inquit noster Libellus, PASSIONIS Dominicæ GLORIA populo PRÆDICABATUR. Hunc legendæ *Passionis* morem etiam in Ecclesia Mediolanensi viguisse novimus. Nam Feria V. de qua loquimur, ipsa legere consuevit Passionem Domini secundùm Matthæum, ad usque Petri fletum & pœnitentiam; reservatis tamen quæ sequuntur ex eadem Passione, in subsequentem feriam sextam. Idem est usus hodiernus Mozarabum, nisi quòd unicam ex quatuor Evangelistis Passionem conficiunt, cujus primam partem, usque ad Sancti Petri pœnitentiam, in Cœna Domini legunt, reliquam in Parasceve. Quo ritu videtur antiquior ille Liturgiæ Gallicanæ, in qua unica ex quatuor Evangelistis Passio pronunciatur feria 6. Porro in Missali Bobiensi sola secundùm Joannem Passio continetur. Ac etiam in Africa tempore S. Augustini unica legebatur Passio secundùm Matthæum, ut constat ex ejus Sermone 232. novæ editionis, in quo tamen hæc subdit: *Passio autem, quia una die legitur, non solet legi nisi secundum Matthæum. Volueram aliquando ut per singulos annos secundum omnes Evangelistas etiam Passio legeretur. Factum est. Non audierunt homines, quòd consueverant, & perturbati sunt.*

* Br. Moz. Tolet. hac die Feriæ V. in Cœna Domini (omissa hora VI., quæ deest etiam in Veronen. Codice) ita habet ad Vesperas, „ *post expoliata Altare*. „ *ADNOTATIO XLI.

Denudationis altarium meminit quidem primus & omnium antiquissimus Ordo Romanus. *A Vespera*, inquit, *hujus diei nuda sint altaria, usque in mane Sabbati*. At de ea S. Isidorus, & noster Libellus pœnitus silent. De lotione verò altarium (de qua est altum planè silentium in Ordine Gelasiano, in S. Gregorii Sacramentario, & in nostro Cod.) mentionem quidem facit idem Isidorus in libro 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 28. his verbis: *Hinc est, quod eadem die* (Cœnæ Dominicæ) *altaria templi, parietes, & pavimenta lavantur, vasaque purificantur, quæ sunt Domino consecrata*. Et S. Isidorum describit Rabanus in libro 3. de institutione Clericorum cap. 36. Hic tamen de eorundem altarium denudatione nihil, cum nostro Cod. habet. Ejus primùm meminit Concilium Tolet. XVII. celebratum anno Christi 694. Can. 2. ubi baptisterii ostia initio Quadragesimæ sigillo Episcopi obsignata, in Cœnæ Domini celebritate reserari jubet, *quando more solita altaria debent devestiri*. Hinc autem nostri libelli antiquitas mirabiliter elucet: quoniam veritati est valdè consentaneum, ipsum Ecclesiæ Tarraconensi diu ante relati Concilii Toletani celebrationem inservisse, quoniam de antiquo *solito more* denudationis altarium, nec dum primitus instituto, ipse conticuit.

Lotionem altarium excipit lotio pedum. Hujus quoque Br. Moz. Tol. mentionem facit non semel in Orationibus Vesperarum hujus Officii in Cœna Domini, & præsertim pag. 217. col. 4. ubi legitur ..... *qui Unigeniti tui humilitatem annuo recolimus opere, dum aqua fraternos pedes abluimus, humilitatem sedulo prosequitur*.„ Et S. Isidor. lib. I. *Offic. Ecclesiast.* cap. *De Cœna Domini*. ait: „ *Eo etiam tempore & die Salvator surgens à cœna, pedes discipulorum lavit, propter humilitatis formam commendandam; ad quam docendam venerat, sicut & ipse consequenter exposuit. Quod etiam docebat, potissimum ut facto doceret, quod observare discipulos præmoneret*. Inde autem in Africana Ecclesia usu receptum fuit, ut pedes lavarentur ante sumptionem Eucharistiæ: quod tamen abrogatum fuisse testatur Divus Augustinus Epist. CXIX. cap. 8. ubi inquit: *etsi Ecclesia, quod externum erat, remiserit, lotionem scilicet pedum; finem, & rem hujus signi retinet; probationem scilicet, & internam præparationem*. De ea in Cœna Domini lotione pedum noster Libellus Orationum nunquam loquitur. Quare ipsam in Ecclesia Tarraconensi ejusdem Libelli ætate jam desuevisse non levi ratione conjicio ex laudato Concilio Toletano decimoseptimo, quod Canone III. queritur, *partim desidia, partim consuetudine in quibusdam Ecclesiis in Cœna Domini* lotionem pedum prætermitti: statuitque, *ut deinceps non aliter per totius Hispaniæ, & Galliarum Ecclesias eadem solemnitas celebretur, nisi pedes unusquisque Pontificum, seu Sacerdotum secundum hoc Sacrasanctum exemplum* (Domini), *suorum lavare studeat subditorum*: *ADNOTATIO LXII.

additque, *quod si quisquam Sacerdotum hoc nostrum distulerit adimplere Decretum, duorum mensium spatiis sese noverit à Sancta Communionis perceptione frustratum*.

* ADNOTATIO XLIII. pag 99.

Cod. Veron. pag. 99. *Feria VI. in Parasceve caret Matutinis Laudibus, horis diurnis, & Vesperis.*

Olim nempe in quibusdam Hispaniarum Ecclesiis ante an. 633. nullum omnino celebrabatur officium in Parasceve. Quam negligentiam redarguit eodem anno Concilium Toletanum IV. Canone sexto: *Comperimus* (inquit), *quòd per nonnullas Ecclesias in die sextæ feriæ Passionis Domini, clausis Basilicorum foribus, nec celebratur Officium, nec Passio Domini populis prædicatur; dum idem Salvator noster Apostolis suis præceperit dicens*: Passionem, & mortem, & Resurrectionem meam omnibus prædicate. *Ideò oportet eodem die mysterium Crucis, quod ipse Dominus cunctis nuntiandum voluit, prædicari; atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare: ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ Resurrectionis, remissis iniquitatibus, suscipere mereamur; corporisque ejus, & Sanguinis Sacramentum mundi a peccatis sumamus*. Itaque noster Libellus Orationum, in quo Officium Passionis deest, videtur fuisse in usu ante laudatum Concilium Toletanum. IV. Nam si secus esset, ab ejus ordinationibus Ecclesia Tarraconensis, minimè discessisset, utpote sanctioris disciplinæ tenax, & cultos legum paternarum.

Ipsa namque, ea die, non obseratis, sed reclusis Basilicæ foribus, publicam Pœnitentibus reconciliationem ministrabat, atque *indulgentiam criminum clara voce omnis populus postulabat*; ut legitur in Oratione nostri Libelli *dicenda in Parasceven, post indulgentias explicitas*, eàdem pag. 99. quæ habet:

„ Ingeniti Patris unigenite Christe, qui pro nobis impiis hodie occideris „ innocens, tui sanguinis reminiscere prætium, & totius populi dele peccata. „ Quique pro nobis perferre dignatus es sputa, probra, vincla, colaphos „ alapas, & flagella, crucem, clavos, amaritudinem, mortem, lanceam, ac „ novissimè sepulturam; nobis miseris, pro quibus hæc passus es, Cælestis Re„ gni tribue beatitudinem infinitam; ut, qui PASSIONEM TUAM VENE„ RANDO PROSTERNIMUR, RESURRECTIONIS TUÆ GAUDIIS AD „ CÆLESTIA SUBLEVEMUR. „

Itidem paria habentur in alia Oratione, *eodem die dicenda ad Poenitentes*.

„ Exaudi, Domine, supplicum preces, & CONFITENTIUM tibi parce „ peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, INDULGENTIA tuæ miseratio„ nis absolvat.

* ADNOTATIO LXIV.

* Cod. Veron. pag. eàdem, *Orationes dicendæ in Parasceven post indulgentias explicitas ad Pænitentes*. Et ita Br. Moz. Tolet. quod Feria VI. in Parasceve pag. ccxx. col. 1., habet.

Ad Nonam, pro Indulgentia.

*popule

„ *Sono*. * Populus meus, quid feci tibi? in quo contristavi te? respon„ de mihi. *P.* Quia eduxi te de terra Ægypti, parasti crucem mihi? II. Au„ dite, quæ Dominus loquitur: Surge, & contende judicium adversus mon„ tes; & audiant colles vocem tuam. *P.* Quia eduxi. III. Audite montes „ judicium Domini, & fortia fundamenta terræ; quia judicium Domini cum „ populo suo; & cum Israel altercabitur, dicens. *P.* Quia eduxi te. IIII. „ Populus meus, quid feci tibi? aut in quo te contristavi? aut in quo tibi mo„ lestus fui? responde mihi: quia eduxi te de terra Ægypti? & de domo „ servitutis liberavi te? & misi ante faciem tuam Moysem, Aaron, & Ma„ riam? *P.* Quia eduxi te. V. Si affliget homo Deum; quia vos * confregistis „ me, & dixistis: in quo confiximus te? invaluerunt super me verba vestra; „ & confligit me gens tota. *P.* Quia eduxi te. VI. Quod dignum offeram „ Domino? curvabo genua Deo excelso: nunquid offeram & holocaustum arie„ tem, vitulum anniculum? nunquid placari poterit Dominus in milibus arie„ tum? aut in multis milibus hircorum pinguium? *P.* Parasti Crucem. VII. Nunquid dabo

*confixistis.

„ dabo primogenitum meum pro scelere (meo) ventris mei, pro peccato animæ meæ? „ *P.* Parasti Crucem. VIII. Indicabo tibi homo, quod sit bonum: aut quid Dominus quærat a te: utique facere judicium, & diligere misericordiam; & sollicitè ambulare cum Deo tuo. Parasti Crucem. *Prologum*. (*a*) „ *Pro susceptione matutina. Vigesimus primus Psalmus ipsius. In finem II.* „ Longè a salute mea verba delictorum meorum. III. Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi. *Silentium facite. I.* Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. II. Omnes, qui videbant me, subsannabant me: locuti sunt labiis, & moverunt caput. III. Speravit in Domino; eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum. *Silentium facite*. Quoniam tu es, qui eduxisti me de ventre: spes mea, ab uberibus matris meæ. II. Jactatus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discedas a me. III. Quoniam tribulatio est proxima; & non est qui adiuvet. *Silentium facite*. I. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. II. Aperuerunt in me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens. III. Sicut aqua effusus sum; & dispersa sunt omnia ossa mea. *Silentium facite*. I. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei II. Exaruit, sicut testa, virtus mea; & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in pulverem mortis deduxisti me. III. Domine, circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me. *Silentium facite*. Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. II. Ipsi verò consideraverunt, & conspexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta mea; & super vestem meam miserunt sortem. III. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: ad deffensionem meam, Deus meus, respice. *Silentium facite*. I. Eripe a framea animam meam; & de manu canis unicam meam. II. Libera me, Domine, de ore leonis; & a cornibus unicornium humilitatem meam. III. Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te, Domine. *Silentium facite. Preces*. Pænitentes orate: flectite genua Deo. Deprecemur Dominum Deum nostrum, ut Indulgentiam criminum, & remissionem peccatorum nobis donare dignetur. Erigite vos: orate, flectite genua Deo. Deprecemur Dominum Deum nostrum, ut lapsis manum porrigat; & præsidium, quod ab eo * inquirit, clementer impertiat. Erigite vos: orate, flectite genua Deo. Deprecemur Dominum Deum nostrum, reminiscentes mala quæ gessimus, & deinceps vitemus insidias inimici; ut, quos diabolus persuasione sua ab altario Dei subtraxerat, patrona revocet effusio lachrymarum. Erigite vos; completa oratione nostra. Omnes pari voce indulgentiam a Domino postulemus. „

*leg. *inquirunt.*

„ * Prosternamur ad preces. *Trecentis vicibus indulgentiam.* o.o.o.o.o.o.o.o.o.o.o. „ *Hoc trecentis vicibus*. ℞m. „

* Br. Moz. *Prosternimus.*

„ Tu Pastor bone, animam tuam pro ovibus posuisti. Tu Pastor bone, „ *repetatur tribus vicibus. Preces*. Prosternimus preces ante faciem tuam: exaudi; placare: indulge Domine, & miserere nobis. *Post hæc dicit Diaconus hanc precem*: Deprecemur Dominum, ut remissionem peccatorum & pacem nobis propicius donare dignetur. *Deinde dicit Archidiaconus has preces*: Te deprecamur, Domine. P. Indulgentia. ℣. Procedat ab Altissimo. *P.* Indulgentia. ℣. Succurrat nobis miseris. *P.* In. ℣. Delicta purget omnibus. *P.* In. ℣. Præstetur pænitentibus. *P.* In. ℣. Patrona sit lugentibus. *P.* In. ℣. Errantes fide corrigat. *P.* In. ℣. Lapsos peccatis erigat. *P.* In. ℣. Te deprecamur, Domine. *P.* In. *Post hæc dicit Diaconus &c.*

O R A T I O.

„ Unigenite Filius Dei Patris, cujus caro preciosa a Judæis damnatur, „ ab ingratis inluditur, &, crucifigenda, latronum corporibus comparatur; „ ex cujus latere sanguis, & aqua profluxit; & sanguine non miror aqua „ verum ex eo quod intelligo non mirabor. Illa est enim utique aqua, quæ „ nos quondam per Adam mortuos * vivificabit regeneratos, procedens ex „ mortuo. Clementiam ergo tuam quæsumus, ut sicuti pro amore generis hu- „ mani

* leg. *vivificavit.*

(*a*) lege, *in finem pro susceptione matutina Psalmus ipsi David*.

„ mani non dedignatus es assumere mortem nostram, ita etiam, resurgens a mor-„ tuis, obtinere nos facias de triumphato hoste victoriam. ℟. Amen. Per mi-„ sericordiam tuam, Deus noster, qui vivis cum Deo Patre, & regnas cum „ Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen. *Qua expleta, exclamat Diaconus* „ *indulgentiam ducentis vicibus C. C. indulgentias*. o. o. o. o. o. o. o. o. o. o. *Hoc* „ *ducentis vicibus*. ℟m. Tu Pastor bone, animam tuam pro ovibus posuisti. „ Tu Pastor bone, *repetatur duabus vicibus. Preces*. Peccavimus tibi Deus, re-„ cedentes a te: nobis confusio est, tibi clementia, & propiciatio. *Preces*. „ Deprecemur Dominum, ut remissionem peccatorum, & pacem nobis propi-„ cius donare dignetur. *Preces*. Te precamur, Domine. *P.* Indulgentia. ℣. Nos „ Patri reconciliet. *P.* In. ℣. Conformet Sancto Spiritui. *P.* In. ℣. Pestem, „ & famem abluat. *P.* In. ℣. Medelam ægris conferat, *P.* In. ℣. Captivos red-„ dat patriæ. *P.* In. ℣. Vices aerum temperet. *P.* In. ℣. Te deprecamur, Do-„ mine. *P.* In.

O R A T I O.

„ Unigenite Filius Dei Patris, qui tantam rediturus gratiam, in terris „ dignatus es nasci, ut nos elevares ad * Cælo: qui ideo in ligno Crucis „ manus proprias extendisti, ut nos ad lignum vitæ * opicius revocares; de quo „ Adam gustare non meruit, postea quam crimen prævaricationis incurrit. Crux „ ergo tua, Deus, vitæ arbor est: in æternum vivificet quemcumque ex ea gu-„ staverit. Tuam ergo clementiam petimus, ut auferantur ab oculis tuis mala „ nostra præterita; & bona futura nascantur: hujus mundi lux infida negliga-„ tur; & perennitas tuæ a nobis æternitatis requiratur. ℟. Amen. Per mise-„ ricordiam &c. *Post hæc decantatur hic Ps.* Miserere mei Deus &c. *cum* „ *antiphono sua, ab Episcopo imposita*. *Antiph.* Parce Deus, quia. *Ps.* L. *Post* „ *dicto psalmo, unà cum* Gloria Patri, *dicit Diaconus tercio*, *indulgentiam*, non „ *plus quam centum vicibus*. *Et dicit Episcopus hunc responsum*: Tu Pastor bone. „ *Et Diaconus voce: per singulos autem versiculos psalmi*, Miserere mei Deus, se-„ cundum &c. Qui das post peccata indulgentiam. *Antiphona*. Parce Deus, „ quia sprevimus præcepta tua, qui das post peccata indulgentiam. *Ps.* L. Mi-„ serere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum mul-„ titudinem mi. &c. *Post quemlibet versum repetatur*, Qui das post peccata in-„ dulgentiam. *Post dicto Psalmo*, *unà cum* Gloria Patri, *dicit Diaconus ter: in-* „ *dulgentia non plus quam centum vicibus* o. o. o. o. o. o. o. o. o. o. o. *Hoc centum* „ *vicibus*. ℟m. Tu Pastor bone &c. *Deinde Diaconus voce*: Miserere nobis Deus, „ qui omnia potes. Tu enim dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. „ *Deinde Diaconus dicit hanc precem*: Deprecemur Dominum, ut remissionem „ peccatorum, & pacem nobis donare dignetur. *Preces*. Te precamur, Domi-„ ne. *P.* Indulgentia. ℣. Restituat Paradiso. *P.* In. ℣. Claustra Cœlorum, „ *P.* In. ℣. Removeat supplicium. *P.* In. ℣. Extingat gehennæ incendium. „ *P.* In. ℣. Defunctis donet requiem. *P.* In. ℣. Locum quietis conferat. „ *P.* Indul. ℣. Sanctis consortes faciat. *P.* Indulgentia. ℣. Te precamur, Do-„ mine. *P.* Indulg.

* leg. *Cælos*.
* leg. *propitius*.

O R A T I O.

„ Unigenite Filius Dei Patris, de quo ante tam innumeros annos Pro-„ pheta cantavit hunc versum, *in medio duorum animalium cognosceris*, cogni-„ tus planè es, non solùm inter duos latrones pendens in ligno, vel duo-„ rum testamentorum in medio, verùm etiam fugà solis, occasu diei, concus-„ sione terrarum. Tu Christe descendisti ad inferos, & Sanctorum Sepulchra „ laxarunt. Pietatem ergo tuam quæsumus; ut intelligere possimus, quantum „ nobis resurgens præstiteris nobis in Regno, qui nos moriens resuscitasti cum „ gloria de Inferno. Pater noster, qui es in Cælis. ℟. Amen. Sanctificetur &c. „ *Dicat Presbyter*. Eruti a malo, stabiliti semper in bono, tibi adhærere me-„ reamur Deo & Domino nostro Jesu Christo. Da veniam peccatis nostris, & „ re-

„ requiem famulis tuis omnibus fidelibus defunctis. Frange, & percute omnes „ insidias inimici nostri: defende nos ab omnibus operibus malis, & confirma in „ cunctis bonis. Accipe jejunium, vel votum nostrum; & exaudi orationem no„ stram in his diebus, & in totis temporibus. Tribue nobis, pacem, & securitatem, „ pietatem, & sinceram caritatem, ac gratiam, stigmate passionis tuæ Deus „ noster, Filius Dei; qui vivis cum Deo Patre, & regnas cum Spiritu Sancto in „ Trinitate unus Deus, permanens in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Do„ minus sit.

Breviario, concinit etiam Missale Mozarabum, quod itidem hic proferre juvabit; quoniam alicubi est varium, & ab ipsius Breviarii Toletani institutione recedit.

* „ *In Parasceve ad Nonam pro Indulgentia.*

* Missale Mozarabum.

ORATIO.

„ O Santa Crux, in qua salus nostra pependit, per te Introibimus ad Pa„ trem: veniam mereamur per te apud Christum: habeamus indulgentiam, & ve„ niam. R. Amen.

„ *Mox autem Episcopus, cum Presbyteris, & Diaconibus, decincti juxta consuetudi„ nem, cum ascenderint ad sedes; & Levitæ in ordinem suum, qui supra notatus est, in „ via sacra steterint, à clerico incipiatur prophetia.*

„ Lectio libri Proverbiorum. Fili, si dormieris, salvus eris. Quiesces, & sal„ vus erit somnus tuus. Ne paveas repentino terrore, & irruentes tibi po„ tentias impiorum. Dominus erit in latere tuo, ut custodiat pedem „ tuum, ne capiaris à malo. ℟. Amen. *Post hæc, ab Archidiacono dicatur:* „ Erigite vos. *Deinde salutat Episcopus, dicendo:* Dominus sit semper vobiscum. „ ℟. Et cum Spiritu tuo. Deinde dicat Episcopus. ℣. Popule meus, quid feci tibi, „ aut in quo contristavi te, responde mihi? Quia eduxi tè de terra Ægypti, parasti „ crucem mihi.

„ *Respondetur à clero caput similiter per singulos versus.* ℣. Audite quæ Do„ minus loquitur: surge, & contende judicium adversùs montes, & audiant col„ les vocem tuam. P. Quia eduxi te. ℣. Audite montes judicium Domini, „ & fortia fundamenta terræ; quia judicium Domini cum Populo suo, & cum „ Israel altercabitur, dicens: P. Quia eduxi te. ℣. Popule meus, quid feci tibi, „ aut in quo te contristavi, aut in quo molestus fui? responde mihi: quia „ eduxi te de terra Ægypti, & de domo servitutis liberavi te, & misi ante „ faciem tuam Moisem & Aaron & Mariam? P. Parasti crucem mihi. ℣ Si „ affliget homo Deum, quia vos confixistis me, & dixistis: in quo confiximus „ te? invaluerunt super me verba vestra, & confixistis me gens tota. P. Pa„ rasti crucem mihi. ℣. Quid dignum offeram Domino? curvabo genua Deo ex„ celso. Numquid offeram ei holocausta mota, aut vitulo anniculo? numquid „ placari poterit Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum „ pinguium? P. Parasti crucem mihi. ℣. Numquid dabo primogenitum meum „ pro scelere meo, fructus ventris mei pro peccato animæ meæ? Parasti cru„ cem. ℣. Indicabo tibi homo quid sit bonum, aut quod Dominus quærat à „ te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum „ Deo tuo. P. Parasti crucem.

„ Lectio Isaiæ Prophetæ. ℟. Deo gratias.

„ Hæc dicit Dominus: Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & ele„ vabitur, & sublimis erit valde &c. *usque* & pro transgressoribus rogavit. „ ℟. Amen.

„ *Deinde ascendit cantor cum sociis ad sedes, & dicit singularis hunc Pro„ logum voce.* Pro susceptione matutina vigesimus primus:„ in finem Psalmus ipsi „ David. „

„ *Fi-*

„ *Finito, dicant hunc psalmum, tacentibus omnibus in choro, duo psallendo:* Deus Deus meus, intende in me, quare me dereliquisti? ℣. Longe à salute mea verba delictorum meorum. ℣. Deus meus clamabo per diem, nec exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi. *Dicat presbyter*. Silentium facite. ℣. Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. ℣. Omnes qui videbant me, subsannabant me, loquuti sunt labiis, & movetunt caput. ℣. Speravit in Domino; eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum. *Dicat presbyter*. Silentium facite. ℣. Quoniam tu es qui eduxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ. Deus meus es tu, ne discedas a me. ℣. Quoniam tribulatio proximà, & non est qui adjuvet. *Dicat presbyter*. Silentium facite. ℣. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. ℣. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. ℣. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. *Dicat presbyter*. Silentium facite. ℣. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei. ℣. Exaruit sicut testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxisti me. ℣. Quoniam circundederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. *Dicat presbyter*. Silentium facite. ℣. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. ℣. Ipsi verò consideraverunt, & conspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. ℣. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me; ad defensionem meam Deus meus respice. *Dicat presbyter*. Silentium facite. ℣. Eripe à framea animam meam, & de manu canis unicam meam. ℣. Libera me, Domine, de ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis. In medio Ecclesiæ laudabo te. *Dicat presbyter*. Silentium facite.

„ Sequentia Epistolæ Pauli Apostoli ad Corinthios. ℟. Deo gratias.

„ Fratres, non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quod modicum fermentum totam massam corrumpit *&c. usque*, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri JESU-CHRISTI, & in Spiritu Dei nostri. ℟. Amen.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

„ Mane facto, cœna pura, quod est ante Sabbatum, concilium fecerunt Summi Sacerdotes & Seniores populi de JESU, ut interficerent eum. Et vinctum eum duxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. Tunc Judas traditor cum videret quoniam ad judicium perductus est, pœnitentia motus &c. *Sequitur altera pars historiæ Dominicæ passionis conflatæ ex variis Evangelistis, definitque in hunc modum*: Ad JESUM cum venissent, ut viderunt eum mortuum, non fregerunt crura ejus; sed unus ex militibus lancea latus ejus pupugit; & exivit continuò sanguis, & aqua. Et, qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus: & nos credimus quia verum est, ut credentes vitam habeamus in nomine ejus. ℣. Amen.

E V A N G E L I U M.

„ Tunc venit quidam homo dives ab Arimathia nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat JESU. &c. *ut apud Matthæum; usque*, signantes lapidem cum custodibus.

„ *Dicat presbyter preces*. Pœnitentes orate, flectite genua Deo, deprecemur Dominum Deum nostrum, ut indulgentiam criminum, & remissionem peccatorum nobis donare dignetur.

„ *Reiteretur à Choro*. *Postea presbyter dicat*: Erigite vos, orate, flectite genua Deo, deprecemur Dominum Deum nostrum, ut lapsis manum porrigat; & præsidium, quod ab eo requirit, clementer impertiat. ℟. *Pænitentes*:

„ Eri-

„ Erigite vos, orate, flectite genua Deo: deprecemur Dominum Deum „ nostrum, ut reminiscentes mala quæ gessimus, deinceps vitemus insidias ini- „ mici; ut quos diaboli persuasione sua ab altario Dei subtraxerant, patrona revocet „ effusio lacrymarum. ℟. *Pœnitentes*.

„ Erigite vos, completa oratione vestra, omnes pari voce indulgentiam a Do- „ mino postulemus.

„ *Impleta voce, exclamat Archidiaconus*. Indulgentia.
„ *Similiter & omnis clerus, vel populus non plusquam trecentis vicibus.*
„ *Posteà dicat preces*.

„ Tu, Pastor bone, animam tuam pro ovibus posuisti. *Reiteretur a choro*, „ Tu Pastor bone. *Diaconus dicat*: Prosternimus preces ante faciem tuam: „ exaudi, placare, indulge Domine, & miserere nobis. P. Tu Pastor bone. „ *Archidiaconus dicat*: Deprecemur Dominum, ut remissionem peccatorum, & pa- „ cem nobis propitius donare dignetur. *Episcopus dicat*. Te deprecamur, Domine. „ P. Indulgentia. ℣. Procedat ab Altissimo. P. Indulgentia. ℣. Succurrat no- „ bis miseris. P. Indulgentia. ℣. Delicta purget omnibus. P. Indulgentia. „ ℣. Præstet pœnitentibus. P. Indulgentia. ℣. Patrona sit lugentibus. P. In- „ dulgentia. ℣. Errantes fide corrigat. P. Indulgentia. ℣. Lapsos peccatis erigat. „ *P*. Indugentia. ℣. Te deprecamur Domine. P. In.

Post hæc, dicat Diaconus: Erigite vos.
Et Sacerdos dicit orationem.

„ Unigenite Fili Dei Patris, cujus caro pretiosa à Judæis damnatur, ab „ ingratis inluditur, & crucifigenda latronum corporibus comparatur; ex cu- „ jus latere sanguis & aqua profluxit: Sed sanguinem non miror ex carne: „ aquam verò ex eo quod intelligo non mirabor? Illa est utique aqua, quæ „ nos quondam per Adam mortuos vivificavit regeneratos, procedens ex mor- „ tuo. Clementiam ergo tuam, quæsumus, ut sicuti pro amore generis non „ dedignatus es adsumere mortem nostram; ita & resurgens à mortuis obtinere „ nos facias de triumphato hoste victoriam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam, „ Deus noster, qui vivis cum Deo Patre, & regnas cum Spiritu Sancto in sæcula „ sæculorum. Amen.

„ *Qua expleta, exclamat Diaconus*: Indulgentiam secundò. *Suscipiunt cle- „ rici pariter, & * clamantes non plusquam ducentis vicibus CC. Et post hæc Sa- „ cerdos dicit preces*. Tu Pastor bone, *ut supra scriptum est*. *Et diaconus di- „ cat*: ℣. Peccavimus tibi, Deus, recedentes à te: nobis confusio, tibi clemen- „ tia & propitiatio. P. Tu Pastor. *Post hæc dicat Archidiaconus*: Deprecemur „ Dominum. *Episcopus dicat*: Te deprecamur. P. Iudulgentia. ℣. Nos Patri „ reconciliet. P. Indulgentia. ℣. Christi conformet gratia. P. Indulgentia. „ ℣. Confirmet Spiritu Sancto. P. Indulgentia. ℣. Pestem & famem abluat. P. In- „ dulgentia. ℣. Medelam ægris conferat. P. Indulgentia. ℣. Captivos reddat „ patriæ. P. Indulgentia. ℣. Vices aerum temperet. P. Indulgentia. ℣. Te de- „ precamur Domine. P. Indulgentia.

Post hæc dicit Diaconus. Erigite vos.
Et Sacerdos legit hanc orationem.

ORATIO.

„ Unigenite Fili Dei Patris, qui * cælum rediturus, in terris dignatus „ es nasci, ut nos elevares ad cælos: qui ideo in ligno crucis manus proprias „ extendisti, ut uos ad lignum vitæ propitius revocares. De quo Adam gu- „ stare non meruit, posteaquam crimen prævaricationis incurrit. Crux ergo tua „ Deus, vitæ arbor est: in æternum vivificet quemque ex ea gustaverit. Tuam „ ergo clementiam petimus, ut auferantur ab oculis tuis mala nostra præterita, & „ bo-

" bona futura nascantur. Hujus mundi lux infida negligatur, & perennitatis " tuæ à nobis æternitas requiratur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, qui vivis cum Deo Patre, & regnas cum Spiritu Sancto in sæcula seculorum. " ℟. Amen.

" *Post hæc decantant hunc psalmum cum antiphona sua ab Episcopo imposita.* " *Antiphona*. Parce Deus, quia sprevimus præcepta tua: qui das post peccata indulgentiam. *Psal.* Miserere mei Deus secundùm magnam.

" *Dicto psalmo, una cum* Gloria Patri, *dicit Diaconus tertiò*, Indulgentia " *non plusquam centum vicibus*. C. *Et Episcopus dicat*: ℣. Tu pastor bone &c. " Miserere nobis Deus, quia omnia potes: tu enim dissimulas peccata hominum " propter pœnitentiam.

" *Deinde dicat presbyter*: Deprecemur Dominum &c. *Dicat Episcopus*: Te " deprecamur, Domine. P. Indulgentia. ℣. Restituat Paradiso. P. Indulgentia. ℣. Claustra Cœlorum referet indulgentia. P. Indulgentia. ℣. Removeat supplicium. P. Indulgentia. ℣. Extinguat gehennæ incendia. P. Indulgentia. ℣. Pro defunctis donet requiem. P. Indulgentia. ℣. Locum " quietis conferat. P. Indulgentia. ℣. Sanctis consortes faciat. P. Indulgentia.

Etiam in Ecclesia Mediolanensi, publica Pœnitentium reconciliatio Feriâ VI. in Parasceve fieri consuevit. Ita intelligendus S. Ambrosius *Epist.* 33. ubi narrat sorori tumultum Mediolani excitatum, ne Basilica Catholica Arianis traderetur: *Condemnationes illicò gravissimæ decernuntur, primò in corpus omne mercatorum. Itaque sanctis diebus hebdomadis ultimæ, quibus solebant debitorum laxari vincula, stridunt catenæ, imponuntur collo innocentium &c.* Nam præfinitum diem, quo peccata solebant Pœnitentibus dimitti, in fine ejusdem Epistolæ indicat: *Nuntiatur Imperatorem jussisse, ut recederent milites de Basilica &c. Quæ tunc plebis totius lætitia fuit? Qui totius populi plausus? Quæ gratia? Erat autem dies, quo sese Dominus pro nobis tradidit, quo in Ecclesia Pœnitentia relaxatur.* Quod certè videtur non aliter intelligi posse, quàm de sancta in Parasceve die, qua Christus passus est.

Evidentius verò (prosequitur Morinus *de Pœnitentia* l. 9. c. 29.) idem S. Ambrosius id tradit *cap. ult. lib. 5. Examerì*: Cùm enim multas galli proprietates enarrasset, dicit ideò Sermonem protraxisse, ut illis quoque gallus cantaret, & peccatorum remissionem impetraret, & Sermo finiretur instante die peccatorum indulgentiæ. Concionabatur autem in primis Parasceves Vesperis; deinde Gallus, ad quem alludit, & cujus cantus peccatorum indulgentiæ nuntius est, nocte cecinit, quæ in feriam sextam illucescit. Itaque illa peccatorum indulgentia, quam testatur Ecclesiam solemniter concedere solitam, in alium quam Veneris diem incidere non potest. *Consultò*, inquit, *sermonem protraximus, ut nobis quoque gallus cantaret, & loquentibus subveniret, quò, si quod delictum obrepsisset in verbo, culpam Christe donares &c. Sed jam tempus est, quo finire sermonem, & claudere debeamus. Tempus est, quo melius, aut tacetur, aut fletur; tempus est, quo celebratur indulgentia peccatorum &c. Approperet Jesu Domini passio, quæ quotidie delicta nostra condonat, & munus remissionis operatur*: tandemque his verbis finit: *Gratulemur, quod factus est nobis Vespere dies quintus, fiat nobis manè dies sextus.* Huic consuetudini favet etiam Ambrosianus Missarum ordo: nam orationes feriæ sextæ in Parasceve, quæ ad Missam pertinent, omnes propè nihil aliud, quàm remissionem, & indulgentiam peccatorum loquuntur: quæ verò ad feriam quintam in Cœna Domini, nihil ejusmodi continent. Romanum morem diversum fuisse vidimus pagina ccx.

ADNOTATIO XLV. Demum verba illa, *post indulgentias explicitas*, quæ in nostro Libello præfiguntur geminis Orationibus dicendis *in Parasceven*, tempus indicant Vespertinum, quod eâdem die erat in Hispania reconciliandis pœnitentibus constitutum. Id colligo non obscurè ex Concilio Tolet. IV. quod Canone 7. de aliquibus malæ frugis hominibus loquens, ait: *Quidam in DIE ejusdem DOMINICÆ PASSIONIS ad horam Nonam jejunium solvunt, conviviis abutuntur, &, dum sol ipse eodem die tenebris palliatus lumen subduxerit, ipsaque elementa turbata mœstitiam totius Mundi ostenderint, illi jejunium tanti diei polluunt, epulisque inserviunt.* Huic enim malo remedium aliquod afferre cupiens idem Concilium hæc addit: *& quia totum eundem diem universalis Ecclesia propter Passionem Domini in mœrore, & abstinentia pe-*

peragit; quicumque in eo jejunium, præter parvulos, senes, & languidos, ANTE PERACTAS INDULGENTIÆ PRECES resolverit, a Paschali gaudio repellatur; nec in eo Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini percipiat, qui diem Passionis ipsius per abstinentiam non honorat. Ita verò loquuntur Toletani Patres, quia nonnulli Feria VI. in Parasceve vescebantur ad horam nonam (seu, ut alii Codices habent, *ab hora nona*), contra leges Quadragesimalis jejunii, quod singulis diebus usque ad Vesperas protrahi oportebat, nimirum usque ad transactas integrè tres horas post Nonam, seu (quod idem est) usque ad sex horas post meridiem. Quæ cum ita sint, nullus dubitandi locus relinquitur afferendi, INDULGENTIAS fuisse valdè prolixas, & EXPLICUISSE tantùm ad Vesperas diei, de quo loquimur; cùm Synodali decreto laudatorum Patrum cautum sit, ne jejunium in Parasceve, *ante peractas indulgentiæ preces* resolvatur.

Cod. Veron. pag.99. *Oratio, quæ die Sabbato ad benedicendam Lucernam in Sacrario dicitur.* Exaudi &c. * ADNOTATIO XLVI.

Item alia, quæ in eodem die ad benedicendum Cereum in Sacrario similiter dicitur. Offerimus &c.

Item alia, quæ in eodem die post lumen levotum ante Altare dicitur. Prima tibi &c.

Item alia, quæ post Benedictionem lucernæ ante Altare dicitur. Deus, qui filios &c.

Item alia, quæ post benedictionem Cerei ante Altare dicitur. Expectati temporis &c.

De Benedictione Lucernæ,& Cerei exstatCanon nonusConcilii Tolerani IV. *Lucerna*(inquit),*& Cereus in pervigiliisPaschæ apud quasdam Ecclesias non benedicuntur: & cur a nobis benedicantur, inquirunt. Propter GLORIOSUM enim NOCTIS IPSIUS SACRAMENTUM sollemniter hæc benedicimus, & SACRÆ RESURRECTIONIS CHRISTI MYSTERIUM, QUOD TEMPORE HUJUS VOTIVÆ NOCTIS ADVENIT, IN BENEDICTIONE SANCTIFICATI LUMINIS ACCIPIMUS. Et quia hæc observatio per multarum loca terrarum, Regionesque Hispaniæ in Ecclesiis commendatur; dignum est, ut propter unitatem pacis in Gallicanis Ecclesiis conservetur. Nulli autem impunè erit, qui hæc statuta contempserit, sed Patrum regulis subjacebit.* Quæ Canonis verba cum Oratione ultima nostri Libelli, dicenda *post Benedictionem Cerei ante Altare*, mirificè quadrant: eamque propterea afferunt eodemTol.Conc.vetustiorem. Habet enim Ver.Cod.pag.100.

„ *Expectati temporis, dilectissimi Fratres, Festa sollemnitas, ET ANNUUM PER SÆCULA SACRÆ RESURRECTIONIS ARCANUM VOTIVÆ NOCTIS ADVENIT. HOC ILLUD EST, quod in perennem memoriam consecratum credentibus populis altissima de Cælis gratia spiritalis adtribuit. Hilares vigilias gloriosis laudibus perferamus .... Præconia Dominicæ Passionis indefessis precibus celebremus &c.* „

In Hispaniis (inquit Mabillonius lib. II. de Liturg. Gallic. pag.141.) *antiquum esse benedicendi cerei morem, ex Prudentio nonnulli colligunt, cujus hymnum* ad incensum cerei Paschalis *compositum laudant. Et hunc quidem hymnum ad benedictionem cerei paschalis exhibet vetus Ordo Romanus, & Hymnarium antiquum Romæ à Ven. Thomasio impressum. At quia hymnus iste, qui in Cathemerino quintus est, inscribitur in membranaceis libris* Hymnus ad incensum lucernæ, *non* cerei Paschalis; *hinc Sirmundus in Notis ad Ennodium, & Menardus in Concordiam Regularum inferunt, eumdem hymnum ad accendendas in Lucernario seu Vesperis quotidianis lucernas compositum fuisse. In eadem sententia est Nicolaus Heinsius in novâ Prudentii editione, ubi cerei paschalis ritum Prudentii ævo ignotum fuisse censet colligi ex antiquitatibus Ecclesiasticis. Verùm* lucernæ *vocabulum in titulo hymni non sufficit probando id, quod hi viri docti intendunt: quandoquidem in vigilia Paschæ benedictio etiam lucernæ fiebat, ex dictis. Deinde in illo hymno fit mentio de Christi Domini resurrectione, quod priori sententiæ confirmandæ quoddam robur addere potest. Sed alia ratio, quam Menardus noster affert, melius probat, hymnum hunc de Lucernario quotidiano interpretandum, nempe ipse titulus libri* Cathemerinon, *quo significantur ea, quæ per diem aguntur. Idem suadet etiam libri* * ADNOTATIO LXVII.

 ipsius

ipsius ordo, in quo primus hymnus est ad galli cantum; *secundus* matutinus; *tertius* ante cibum; *quartus* post cibum; *quintus* ad incensum lucernæ; *sextus* ante somnum: *ubi quintus, de Vesperis indubiè intelligendus est, in quibus sollemni more in dies accendi lucernas tunc mox erat, ut rectè Menardus ibidem probat, nimirum in caput 24. Concordiæ Regularum §. 2. Neque tamen propterea tam novus est Cerei in vigiliis Paschalibus benedicendi ritus, uti Heinsio visum est. Cum Ennodius Ticinensis ante annum DXX. Episcopus, geminam Cerei paschalis benedictionem scripserit.*

Hæc Cl. Mabillonius. Ejus tamen acre judicium (quod semper feci plurimùm) hac in re sequi nequaquam possum; & cogor in diversam ire sententiam. Lectorem attentum volo, dum Hymnum Prudentii edo, ac brevibus notis illustro. Titulus ejus neminem moveat; quandoquidem, apud Hispanos in Vigilia Paschæ, primò accensio Lucernæ fiebat, secundò Cerei. Utramque simul sacer Poeta descripsit, sed volens tituli brevitati consulere, utriusque in fronte Hymni non meminit. Noster Libellus Orationum antiquissimi ritus Hispani testis fide dignus accedet; & quoniam ad ipsum non solùm Aurelius, sed etiam Ennodius respexisse videntur, amborum benedictiones ad incensum Lucernæ, & Cerei pro coronide recitabo.

AURELII PRVDENTII CLEMENTIS
Hymnus V. Lib. Cathemerinon.

Ad incensum Lucernæ.

(a) *INventor rutili, Dux bone, luminis,*
Qui certis vicibus tempora dividis,
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem redde tuis, Christe, fidelibus:
Quamvis innumero sydere regiam,
Lunarique polum lampade pinxeris;
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere:
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis unde genus venit.
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis aut facibus pascimus aridis:
Quin & fila favis scirpea floreis
Presso melle prius conlita fingimus.
Vivax flamma viget, seu cava testula
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.
Nectar de liquido vertice fervidum
Guttatim lacrymis stillat olentibus:
Ambustum quoniam vis facit ignea
Imbrem de madido flere cacumine.
(b) *Splendent ergo tuis muneribus, Pater,*
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentemque diem lux agit æmula
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.

Sed

(a) Cod. Veron. in Oratione I. dicenda *ad benedicendam lucernam in Sacrario* habet. „ *Exaudi nos lumen indeficiens, Domine Deus noster, unici luminis lumen, fons luminis, lumen auctor luminum, quæ creasti, & inluminasti &c.* „

(b) Cod. Veron. in eadem Oratione „ *Benedic hoc lumen, o lumen; quia, & hoc quod portamus in manibus, tu creasti, tu donasti. Per hæc lumina, quæ accendimus, de hoc loco excellimus noctem.* Vide etiam in eodem Cod. Orationes ad benedictionem Cerei.

(c) *Sed quis non rapidi luminis arduam,*
Manantemque Deo cernat originem?
Moses nempe Deum spinifera in rubo
Vidit conspicuo lumine flammeum.
Fœlix, qui meruit sentibus in sacris
Cælestis solii visere Principem,
Jussus nexa pedum vincula solvere,
Ne sanctum involucris pollueret locum.

(d) *Hunc ignem populus sanguinis incliti*
Majorum meritis tutus & impotens,
Suetus sub dominis vivere barbaris,
Jam liber sequitur longa per avia.
Qua gressum tulerant, castraque cærula
Noctis per medium concita moverant,
Plebem pervigilem fulgure prævio
Ducebat radius sole micantior.
Sed Rex Niliaci litoris, invido
Fervens felle, jubet prævalidam manum
In bellum rapidis ire cohortibus,
Ferratasque acies clangere classicum.
Sumunt arma viri, seque minacibus
Accingunt gladiis: triste canit tuba.
Hic fidit jaculis, ille volantia
Præfigit calamis spicula Gnosiis.
Densetur cuneis turma pedestribus,
Currus pars, & equis, & volucres rotis;
Conscendunt celeres, signaque bellica
Prætendunt tumidis clara draconibus.
Hic jam servitii nescia pristini
Gens Pelusiacis usta vaporibus,
Tandem purpurei gurgitis hospita
Rubris litoribus fessa resederat.
Hostis dirus adest cum duce perfido,
Infert & validis prælia viribus.
Moses porro suos in mare præcipit
Constans intrepidis tendere gressibus.
Præbent rupta locum stagna viantibus,
Riparum in faciem pervia: sistitur
Circumstans vitreis unda liquoribus,
Dum plebs sub bifido permeat æquore.
Pubes quin etiam decolor asperis
Irritata odiis, Rege sub impio,
Hebræum sitiens fundere sanguinem
Audet se pelago credere concavo.
Ibant præcipiti turbine percita
Fluctus per medios agmina regia:
Sed confusa dehinc unda revolvitur
In semet revolans gurgite confluo.
Currus tunc, & equos, telaque naufraga,
Ipsos & proceres, & vaga corpora
Nigrorum videas nare satellitum,
Arcis justitium triste tyrannicæ.

(c) Cod. Veron. in Oratione II. *ad benedicendum cereum in Sacrario* dicenda: „ *Offerimus tibi, Domine, Cerei hujus rutilantis speciem divino igne succensam &c.*

(d) Cod. Veron. in Oratione IV. *post benedictionem Lucernæ ante Altare* dicenda: *Deus, qui filios Israel educis ex Ægypto, palpabiles Ægypti tenebras relinquendo: Deus, qui duce luminis gratia, pondus horrendæ noctis exterminas: Deus, qui præcedente Angelo tuo in columna nubis in diem, eodemque in columna ignis in noctem posteriora servante, curam nostræ salutis exequeris &c.*

Quæ tandem poterit lingua retexere
Laudes, Christe, tuas? qui domitam Pharon
Plagis multimodis cedere præsuli
Cogis justitiæ, vindice dextera.
Qui pontum rapidis æstibus invium
Perfultare vetas, ut refluo in salo
Securus pateat, te duce, transitus,
Et mox unda rapax ut voret impias.
Cui jejuna eremi saxa loquacibus
Exundant scatebris, & latices novas
Fundit scissa silex; quæ sitientibus
Dat potum populis axe sub igneo.
Instar fellis aqua tristifico in lacu
Fit ligni venia mel velut Atticum.
Lignum est, quo sapiunt aspera dulcius:
Nam præfixa cruci spes hominum viget.
Implet castra cibus tunc quoque ninguidus,
Inlabens gelida grandine densius.
His mensas epulis, hac dape construunt,
Quam dat sydereo Christus ab æthere.
Nec non imbrifera ventus anhelitu
Crassa nube leves invehit alites,
Quæ difflata in humum quum semel agmina
Fluxerunt, reduci non revolant fuga.
Hæc olim patribus præmia contulit
Insignis pietas Numinis unici,
Cujus subsidio nos quoque vescimur,
(e) *Pascentes dapibus pectora mysticis.*
Fessos ille vocat per freta sæculi,
Discissis populum turbinibus regens:
Jactatasque animas mille laboribus
Justorum in patriam scandere præcipit.
Illic purpureis tecta rosariis
Omnis fragrat humus, calthaque pinguia,
Et molles violas, & tenues crocos
Fundit fonticulis uda fugacibus.
Illic & gracili balsama surculo
Desudata fluunt, raraque cinnama
Spirant, & folium, fonte quod abdito
Prælambens fluvius portat in exitum.
Felices animæ prata per herbida
Concentu parili suave sonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos,
Calcant & pedibus lilia candidis.
Sunt & spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres (f) *sub Styge feriæ*
Illa nocte, (g) *sacer qua rediit Deus*
Stagnis ad Superos ex Acheronticis:
Non sicut tenebras de face fulgida
Surgens Oceano Lucifer imbuit,

Sed

(e) Hæc de Communione Paschali intelligenda esse quis inficiabitur? Vide supra pag. ccxiv, Canonem VI. Concilii Toletani quarti; nec non quæ diximus ad Fer. V. in Cæna Domini. Cod. Veronensis in Oratione post benedictionem Lucernæ: *fac nos divinitatis tuæ fieri consortes, & larga sua pietate ex invisibilibus bonis, visibilia dona concede &c.* Item in sequenti, quæ post benedictionem Cerei ante altare dicitur, mentionem facit Eucharistiæ.

(f) Vide S. Augustinum Enchiridion cap. CXII.

(g) Hic quoque de Resurrectione Christi manifestissimè Prudentius loquitur.

Sed terris Domini de Cruce triſtibus
Major ſole novum reſtituens diem.
Marcent ſuppliciis Tartara mitibus,
Exultatque ſui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent ſolito flumina ſulphure.
(h) *Nos feſtis trahimus per pia gaudia*
* *Noctem conciliis; votaque proſpera*
Certatim vigili congerimus prece;
Extructoque agimus liba ſacrario.
(i) *Pendent mobilibus lumina funibus,*
Quæ ſuffixa micant per laquearia
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perſpicuo flamma jacit vitro.
Credas ſtelligerum deſuper aream
Ornatum geminis ſtare Trionibus,
Et qua Boſpareum temo regit jugum
Paſſim purpureos ſpargier Heſperos.
(k) *O res digna, Pater, quam tibi ruſcidæ*
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil pretioſius:
Lucem, qua reliqua præmia cernimus.
Tu lux vera oculis, lux quoque ſenſibus,
Intus tu ſpeculum, tu ſpeculum foris:
Lumen, quod famulans offero, ſuſcipe,
(l) *Tinctum pacifici chriſmatis unguine.*
Per Chriſtum genitum, ſumme Pater, tuum,
In quo viſibilis ſtat tibi gloria,
Qui noſter Dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde Paraclitum.
Per quem ſplendor, honos, laus, ſapientia,
Majeſtas, bonitas, & pietas tua
Regnum continuat Numine triplici,
Texens perpetuis ſæcula ſæculis.

* Ergo ratio Menardi petita ex titulo libri Cathemerinon, quo ſignificantur ea, quæ per diem aguntur, nihil probat. Idem de illa, quam Mabillonius addit, dictũ eſto. Vide ſupra pag. ccxxi.

MA-

(h) Cod. Veron. in Orat. *ad Benedicendum Cereum in Sacrario* dicenda: „*ſicut hic Cereus exuberans larga viſione, noctis hujus jugulat cæcitatem, &* DEVOTISSIMÆ PLEBIS TUÆ *reſplendet obtutibus* &c. Et in illa, *quæ poſt lumen levatum ante altare* dicitur: „ *in nobis quoque PERVIGILEM devotionem flagrantia ſpiritali ſuccendens*. &c. Item in Orat. *poſt Benedictionem Cerei ante altare*: „ *Hilares VIGILIAS glorioſis laudibus perferamus ...... Præconia Dominicæ Paſſionis INDEFESSIS PRECIBUS CELEBREMUS, intendentes auditu LECTIONIBUS SANCTIS, AC SEDULIS OBSECRATIONIBUS PATIENTIAM NON NEGANTES; ut ille regalis ſolii habitator altiſſimus a ſede arcis ætheriæ POPULO SUO, qui SOLLEMNIA redditurus ad hæc FESTA CONVENIT, per Spiritum ſuum Sanctum clementer inlapſum, placabilis ac propitiatus adſpiret.* „

(i) Cod. Veron. in Orat. poſt Benedict. Cerei: „*funalibus crebris Eccleſia Sancta reſplendens, coruſcat in lumine.* „

(k) Cod. Veron. in Orat. poſt lumen levatum ante altare: „ *Prima tibi, & principalia Deus PATER Omnipotens, hæc luminum MUNERA IN EXORDIO VENERANDÆ HUJUS NOCTIS OBTULIMUS, quæ unigenitus Filius tuus Dominus noſter adventùs ſui faciat myſteriis luminata per quem te, Deus, ſupplices exoramus, ut HOC SANCTUM MUNUS libens accipiens &c.*

(l) De Cereo Paſchali hic quoque Prudentium loqui quis ambigat? Cod. Veron. *in Oratione ad benedicendum Cereum in Sacrario* habet: „ *Offerimus tibi, Domine, Cerei hujus rutilanti, ſpeciem divino igne ſuccenſam, quum per multimodam materiam nutu tuo produci juſſiſti apibus. Eum indignis manibus noſtris oblatum accendimus, precantes bonitatem tuam, ut emiſſione Spiritus Sancti ...... eum benedicere, & ſanctificare digneris &c.*

MAGNI FELICIS ENNODII (a) EPISCOPI TICINENSIS

(b) Benedictio Cerei.

Dignum, & justum est. Verè dignum, & justum est, ut quod a te, Domine accepimus, prece saltem, & voce solvamus. Et licèt nostra lingua auctoris sui beneficiis digno nequaquam respondere possit affatu: vult tamen divino mysterio profecisse, quod facta est. Nam cum cæteris animalibus hebetam caligantium crassitudo sit sensuum, vernat in hoc, dispositione Dominica, hominum factura præstantior, quòd sola uberiùs potest sentire factorem. Quæ tamen cernuis est socianda rectè pecudibus, si cœlestis ignara muneris, velut elinguis, beneficia divinitùs concessa concludat. Nam ut absolvit a crimine in holocaustis mysticis, non habere quod offeras; ita digna piaculo res est, offerenda subtrahere. Parili namque judicio censendus est, & qui nunquam loquitur per naturam, & qui quod loquitur, non reddit auctori. Idcirco, Domine, stupendi hujus opifex elementi aliquam tibi a nobis reddi credimus humili satisfactione particulam, quod totum cognoscimus nos debere. Quis enim alius præter te Mundi fabricam perpendiculo repentinæ jussionis exactam bifida auctoritate solidavit; cum primum præcepti tui miraculo terra coagularetur in pelagus: & deductis deinde aquarum impressionibus illa naufraga, post sitiret? Cujus etiam, nisi tuæ investigabilis sotu jussionis suscepta germina nutriuntur? qui calorem gignit infusis, qui humorem stillat arentibus? Qui, nisi Deus noster, succidua jungit temporibus tempora, quorum terræ fœtus nunc igne fervescant, nunc glacie temperentur, nunc tepore animentur, nunc bibulo liquore conspergantur? Quis hæc omnia & fecit ex nihilo, & per lucis januam a perpetuæ noctis furva densitate discrevit, fecitque perenniter laudanda dispositione piissimus, post lucis claritatem non horreri tenebras revertentes per dierum dies? Quis te vel dignus aut facundus laudator eloquitur, cujus terminata distributio succedente varietate fit gratior: quo jubente dulcior lux est, quæ aliquando definit, quàm si jugiter permaneret? Ecce illa nox, quæ Mundum hactenus jugocrudelissimæ deditionis oppresserat, populos * a nexibus violentæ conditionis absolvit, & fit libertatis altrix, quæ mater fuerat servitutis. In hujus tibi, Domine, sanctissimæ noctis ministerio hoc (c) Cereum lumen offerimus, per quod caligo vetusta pellatur: in quo species trino compaginata consortio, societatis propemodum mysticæ glutino conjungatur. Quarum ceram paravit nectareis partubus fœta virginitas, papyrum ad alimenta ignium lympha transmisit, lumen adhibetur e cælo. Nihil hic habet vox humana, quod consecret, ubi totum dirigit superna cognitio. Agnoscit hìc odorem suum salutiferæ Virginis Filius, ubi sine coitu nascitur, quicquid offertur. Non enim hic thuricremis Panchæus adoletur ignis altaribus: non ad triste ministerium extremum mugiens bos percussa litatur: non bidentum fœtus carnificis potius, quàm Sacerdotis mucro descœuit. Sufficit ad reparationem æternitatis perditæ, quod non a nobis, sed pro nobis, Agnus occisus est. Procul hinc aberit lanista Judaicus, qui per cicatrices inguinum animas sibi acquisitas tot solet numerare, quot vulnerat. Christi nostri libamina insucata simplicitate compleutur. Peragit dedicationem corporis nostri, Crux, unda, confessio. * Te ergo quæsumus, Domine, ut sicut typico prisca mysterio, ita renovanda agmina ducat hæc columna trans gurgites. Æstuet nobis semita præparata per maria, & sitiat callis pulverulentus in fluctibus. Nihil hìc est, in quo discrepent antiqua novis, aut moderna veteribus. Tu semper idem Dominus, & Sacerdos, memoratus per Prophetas. Hic

* Vide Prudentium in recitato Hymn. ver. 40. & seqq.

* Vide eundem Hymnum Prudentii versu 80. & seqq.

* Vide inter Ipsius Sirmondi Opuscula de duobus Amalariis Epistolam ad Constantinum Cajetanum Abbatem S. Baronti.

(a) Obiit anno Domini DXXI. *Depositus sub die XVI. Kal. Augustas, Valerio V. C. Consule*; ut legitur In Epitaphio, quod hodieque Ticini in Æde D. Michaelis, parieti qui Sacrario cohæret, insertum in tabula marmorea videre est.

(b) Harum benedictionum alteram, quæ posteriore loco posita est, primùm Sirmondus edidit. Pertinent autem (inquit) ad priscam & solemnem in Ecclesia Cerei Paschalis consecrationem, cujus auctorem Zosimum Papam faciunt Ritualium librorum Scriptores Alcuinus, & * Amalarius, non Episcopus Trevirensis, ut vulgò nuncupatur, sed Diaconus, qui Episcopo ætate suppar, Ludovici Imperatoris jussu id opus contexuit.

(c) Cod. Veron. in Orat. ad benedicendum Cereum in Sacrario: *offerimus* (inquit) *tibi, Domine, cerei hujus rutilantis SPECIEM DIVINO IGNE SUCCENSAM &c.*

Hic est, ad cujus precatum fluenta ficcentur, ut Hebræua transeat, Ægyptius deprimatur, & mersis in aqua corporibus, sola sentiat culpa naufragium. * Hoc autem tibi, Domine, castæ operatricis munus, & hanc intactæ matris sobolem commendamus; per quam meretur habere terra, quod cæli est: quæ per domos cereas divino stipant mella compendio: quibus causa est numerosæ progeniei nescisse conjugium: ne, dum copularum nexibus occupantur, laborandi tempua effugiant, & expectent, ut prolem suam turgida alvus effundat, quam herbarum lucro diligentiua possunt ore profligare, quàm femine. In hujus autem Cerei luminis corpore te, Domine, postulamus, ut supernæ benedictionis munua accomodes, (*d*) & si quis hinc sumpserit, adversus flabra ventorum, adversùs spiritus procellarum, tua jussa faciens, sit illi singulare profugium: sit munus ab hoste fidelibus. Simul etiam quæsumus te, ut quia ad vernantis anni faciem Passionia, ac Resurrectionis tuæ tempus aptasti, cum post concretas hyemali torpore glebaa, & infrænata glacie flumina, novellas frondium tunicas gemma conscendit, & cum auctore germinum Domino nobis omnia reviviscunt: da multiplices fructua in terris, nostrum effice quod ostendis, & Sacerdotia nostri, vel totius Cleri incolumitate servata, ubertatem temporum sine adversa tempestate concede.

* Item ver. 15. & seqq.

Item alia Benedictio Cerei

MAGNI FELICIS ENNODII.

Dignum, & justum est. Verè dignum & justum est, ut principe loco (*a*) fores beatæ noctis, adhibito præsenti ministerio, digna quasi clave reserentur: ut nobilia nuntius vitæ testetur adventum, ut præconis merito secutura ponderentur, sacris fidem mysteriis veuerandus præcessor accomodet. Justum est ut proximitatem salutaria aquæ flamma manifestet: elementorum diversitas in peregrina pace conveniat: lympharum in promptu esse remedia sacer ignis ostendat: agnoscatur non esse naturæ, sed redemptionia, quòd concordat unda cum lumine. Lætetur in operibus suis fabricator ille cælestis, cum (*b*) benedicit ipse, quod tribuit: cum illud, quod secreti sui producit origine, nobilitat sacramento. Intelligat linguæ nostræ ministerio specialem quam nobis concessit distantiam. Mancipetur laudibus ejus quicquid a cæteris animalibus jussit in homine esse præstantius. Quia optimi conditoris aperta sunt beneficia; & ira a pietate non discrepat, quando, & artem nos supplicandi docuit, & suia muneribus vult placari. Ipse enim hominem sibi

---

(*d*) Mos enim erat, quem Ritualium librorum Scriptores tradunt, ut ex Cereo Paschali, qui Sabbato Sancto conceptis precibus sacratus fuerat, particulæ decerperentur, ac populo die Dominica in Albis, post Sacram Communionem distribuerentur, unde suffitum in ædibus suis facerent, vel agros vineasque munirent adversus Dæmonum præstigias, aut contra fulgura, & tonitura. Quò etiam spectant illa ejusdem Ennodii Benedic. II. *sumptam ex hoc, contra procellas, vel omnes incursus, fac dimicare particulam*. Cæterum hic mos olim extra Urbem dumtaxat. Romæ enim Cerei Paschalis vice, ceram oleo perfusam benedicebat Archidiaconus, inde particulas in Agnorum effigiem expressas asservabat, populo similiter die, qua dictum est, dividendas. Quæ res nimirum originem dedit cereis agni cælestis imaginibus, quæ a Pontificibus ipsis augustiore postea ritu consecrari cœperunt. Hæc Sirmondus. Cui adstipulatur Mabillonius *de Liturgia Gallicana* lib. II. pag. 142. Ego Agnorum Dei Cereorum institutionem ad VIII. vel VIIII. Sæculum referendam puto. Idque in Editione Ordinum Romanorum, omnium locupletissima, multis, Deo auspice, ostendam.

(*a*) Prudentiua in superiori hymno ad incensum Lucernæ, versu 150.

O res digna, Pater, quam tibi roscida
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil pretiosius:
Lucem, qua reliqua præmia cernimus.

Et Cod. Veron. in Orat. post lumen levatum ante altare: *Prima tibi & principalia, Deus Pater Omnipotens, hac luminum munera in exordio venerandę hujus noctis obtulimus &c.*

(*b*) Cod. Veron. in Orat. ad benedicendum Cereum in Sacrario: *Offerimus tibi, Domine, Cerei hujus rutilantis speciem divino igne succensam, quem per multimodam moteriam nutu tuo produci jussisti apibus. Eum indignis manibus nostris oblatum accendimus, precantes bonitatem tuam, ut eum benedicere, & sanctificare digneris. &c.*

bi templi vice Dædala provisione formavit. Ipse penetralia cordis nostri sancto eruderata pandit introitu, nisi per propositum libertatis fœdo obstruantur interna contagio. Quare universis rerum liquet arcanis, vitalem per sapientiam factoris machinam, nisi per suum studium, non perire. Qui nos & ad meliora formavit, & quibus itineribus salus peteretur ostendit. Cum enim ex humo hominem fingeret; cum terra victuram migraret in formam; cum putre solum novam transiret in faciem; cum insuflatione spiritus sui moverentur arva vestigiis, & tellus respiceret possessorem ex propriis abstractum finibus inopina dote præstantem, habentem quod ipsa, quæ mater putabatur esse, non dederat; eum referret gloriam nobilitata per sobolem; imperfectio erat, si actuum callem non suo jure disponeret. Cotidianus tamen, Domine, beneficiorum tuorum successus munera seniora transcendit, & æstimatione sequentium vetusta superantur. Ille enim perpetuam destinatus ad vitam, ille de parente limo cæli civis effectus, ad originem voluntario errore detrusus est. Et quia, dum liceret, noluit sectari meliora, sublimitatem perdidit, quam feliciter degenerans dono conditoris acceperat, & ad prosapiem duce culpa revocatus exilium flevit. Hunc nisi omnipotentia tua, Domine, regeneraret perditum, parum posset prodesse quod feceras; & nisi opem ferret & numero & prosperitate secunda nativitas, prima in qua mortem error peperit, non juvaret. Postremo, nihil esset quod ad fabricam nostram materiam humus præbuit, nisi unda succurreret. Unicum nobis sacramenti hujus solatium contulisti, quod aquæ diluunt peccata telluris. Ergo jam typus recedat, & qui imaginibus adnuntiaverunt sequentia, conticescant. In veritate tenemus, quicquid colorata legis umbra promiserat. Tempus est, quo corpora nostra, vel animæ Redemptori Christo feriato mucrone dedicentur: quo salus per vulnera non quæratur: quo sacerdotis dextera lanistæ opus abjuret: quo consecrationem impleat fides, lympha, signaculum: quo humanum genus undè decidit, fons reducat. In hujus ergo suspiciendæ noctis officio, venerandis compactam elementis facem tibi, Domine, mancipamus: in qua trium copula munerum primum de impari numero complacebit. Quæ quod gratis Deo veniat auctoribus, non habetur incertum. Unum, quod de fœtibus fluminum accedunt nutrimenta flammarum: aliud quod apum tribuit intemerata fœcunditas, in quarum partubus nulla patitur damna virginitas: (c) ignis etiam cælo infusus adhibetur. Redemptor enim proprio aquas dedicavit baptismate: integritatem diligit, quam & nascendo in Matre servavit: ut (d) à Propheta posset inspici, innocui corpus suscepit incendii, cum frondibus in rubo crepitantibus nulla frutex detrimenta sentiret; cum arida pabulum flammis, dum lamberentur, ligna non fierent. Ergo proprium tibi est, Domine, quicquid in hoc Cereo servorum tuorum præparavit obsequium. Serenis in isto respice oculis, quod contulit cælum, fluenta, pudicitia. Tu ad tribuendam benedictionem evocatus ministerio humani sermonis, inlabere. Tu Resurrectionis tuæ tempore, quo vernat anni reviviscentis infantia, sumptam ex hoc contra procellas, vel omnes incursus, fac dimicare particulam: ut Sacerdotis nostri votiva omnibus, vel totius Cleri ejus incolumitate concessa, ubertatem terrarum, cum actuum innocentia, & prosperitate concedas.

Item *alia* (a) *Benedictio Cerei*, nunc primum in lucem edita ex Codice Alexandrino-Vaticano signato num.337. qui scriptus videtur circa VIII. sæculum.

Deus, Mundi conditor, auctor luminis, syderum fabricator; Deus qui jacentem Mundum in tenebris, luce perspicuà retexisti; Deus, per quem ineffabili potentia omnis claritas sumpsit exordium, Te in tuis operibus * invocantes, in hac sacratissima noctis Vigilia de donis tuis Cereum ruæ suppliciter offerimus ma-

* Cod. *invocante*.

(c) Vide Orationem Codicis Veron. dicendam *ad benedicendum Cereum in Sacrario*.
(d) Paria habet Prudentius in recitato hymno, versu 30. & seqq.
(a) Auctoris nomen desid eratur in Cod.

majeſtati, non adipe carnis pollutum, nec profanà unctione vitiatum, non ſacri-
lego igne contactum, ſed cerà, oleo, atque papyro conſtructum, in tui nomi-
nia honore ſucceoſum, obſequio Religioſæ devotionis offerimus. Magnum igitur
myſterium, & noctis hujus mirabile ſacramentum dignia neceſſe eſt laudibus cu-
mulare; in quo, Dominicæ Reſurrectionis miraculo, dicm ſibi introductum te-
nebræ inveteratæ ſenſeruot; & mors, quæ olim fuerat æicrna nocte damnata,
inſerto veri fulgoris lumine, captivam ſe trahi Dominicis triumphis * obſtupuit. * Cod *obſtipuit.*
At quod, * prævaricante primo-plaſto tenebroſa præſumptione, fuerat in ſervitu- * Cod. *prævaricanti.*
te damnatum, hujus noctis miraculum ſplendore libertatis ioradiat. Ad hujus
ergo Feſtivitatia reverentiam, fervore ſpiritus * deſcedentia, quantum devotio
humana exigit, tibi Deo, fulgore flammarum placida luminaria exhibemus; *lege, ſi placet, *deſcendentes.*
ut, dum hæc fide integrà perſolvuntur, creaturæ tuæ etiam præconia extollan-
tur. Flammæ lux quippe dicenda eſt, per quam poteſtas Deitatis Moyſi appa-
rere dignata eſt; quæ de terra ſervitutis populo exeunti ſalutifero lumine du-
catum exhibuit; quæ tribus pueris in camino ſententia * tyranni depoſitis,
vitam blandimentia mollioribus reſervavit. Nam, ut præcedente hujua luminia * Cod. *tyrannidi.*
gratià tenebrarum horror excluditur, ita, Domine, luceſceote majeſtatis tuæ
imperio peccatorum ſarcinæ diluuotur. Cum igitur hujus ſubſtantiæ miramur
exordium, apum neceſſe eſt laudemus originem. Apea verò ſunt frugales in
ſumptibua, in procreatione caſtiſſimæ. Ædificant cellulas cereo liquore fundatas,
quarum humanæ peritiæ ara magiſtra non coæquat: legunt pedibua flores, &
nullum damnum in floribus invenitur: partus ooo eduot, ſed ore legentes,
coocepti fœtua redduot examina; ſicut exemplo mirabili Chriſtus ore paterno
proceſſit: fæcunda eſt ſine partu virginitas, quam utique Dominus, digoatua
carnalem ſe matrem habere, virginitatis amore conſtituit. Talia igitur, Do-
mioe, digna ſacris Altaribua tuis munera offeruntur, quibus te lætari Religio
Chriſtiana non ambigit. Veniat ergo, Omnipotens Deus, ſuper huoc (*b*) in-
cenſum larga tuæ benedictionis infuſio; & hunc nocturnum ſplendorem inviſi-
bilis regoator inteode: ut non ſolùm ſacrificium, quod hac oocte litatum eſt,
arcana luminia tui admixtione refulgeat, ſed quocumque loco * ex hujus ali- * Cod. *&*
quid ſanctificationis fuerit myſterio deportatum, expulsà diabolicæ fraudis ne- * Cod. *virtutis.*
quitià *, virtute tuæ majeſtatia aſſiſtat. per Dominum.

gg Sed

(*b*) Cereum, ante benedictinnem ſuam olim fuiſſe accenſum, ſatis conſtat, cùm ex noſtro Libello Orationum antiquiſſimi ritus Gothico-Hiſpani, tum ex hac anonymi benedictione. Et id ipſum eruitur etiam ex benedict. Miſſ. Romani, quæ incipit: *Exultet &c.* ipſa namque ita ait: *Gaudeat & tellus tantis inradiata fulgoribus, & æterni Regis ſplendore illuſtrata, totius Orbis ſe ſentiat amiſiſſe caliginem. Lætetur & Mater Eccleſia tanti luminis adornata fulgoribus ..... tam miram hujus luminis claritatem.* Porro primus Ordo Romanus, qui cæteris præſtat antiquitate, verbis clariſſimis noſtras opinationes confirmat num. 3. *Accenſo* (inquit) *Cereo, procedant ſimul omnes de Sacrario cum ipſo Cereo*: & paulò infra: *inde verò accedit* (Diaconus) *in conſecrationem Cerei decantando quaſi Canonem. Inde verò accenduntur in duobus candelabris duo Cerei, & de ipſo igne accendunt in omni domo, quia omnis anterior extingui debet.* Fucum fecit nonnullis nomen *incenſi*, quo ſignificari putarunt grana thuris, quæ nunc eidem cereo inſiguntur. Sed antiquitus non fuit ſic; & nomine *incenſi*, Cereus inceoſus veniebat: quod ex titulo recitati hymni Prudentii, atque ex noſtri Libelli, ac Breviarii Mozarabici orationibus liquet. Quid quod & etiam laudatum Sacramentarium Romanum in ſua Benedictione idem ſatis ſuperque commonſtrat, dicens: *in hac igitur noctis gratia ſuſcipe, Sancte Pater, Incenſi hujus ſacrificium Veſpertinum, quod tibi in hac Cerei oblatione ſolemni per miniſtrorum manus de operibus apum ſacroſancta reddit Eccleſia.* Si ergo ſacrificium illud *incenſi* de operibus apum conſlatum eſt, profecto thus eo loco non eſt *incenſi* nomine intelligendum; quoniam apes non thus, ſed ceram operaotur. Simili ferè modo (inquit Mayer in Explicatione Hiſtorica Ceremoniarum Eccleſiaſticarum, parte III. cap. 10. pag. 479.) Oratio illa, qua in benedictione ignis, grana thuris nunc benedicimus, ad ignem incenſum potius, (vel ad lucernam) quàm ad thus ſpectare videtur. Eſt autem hæc Oratio: *Veniat quæſumus, Omnipotens Deus, ſuper hoc incenſum larga tuæ benedictionis infuſio, & hunc nocturnum ſplendorem inviſibilis regenerator accende..... Arcana luminis admixtione refulgeat.* Non eoim thure, ſed igne, vel lumine utimur ad illuminandas noctis tenebras. Magis hoc argumentum confirmant Veteres Ordines, Librique Pontificales, in quibus eadem Oratio dicitur ad benedicendum ignem, ubi tamen thus non benedicitur: qui mos etiam nunc permanet in Eccleſiis Rhemenſi, Rothomagenſi, & Cluniacenſi. Accedit, quod in antiquis Ordinibus nulla fit mentio de quinque granis thuris in Cereum mittendis. Eccleſia tamen ſpiritu Dei plena circa X. ſæculum de incenſo in Cereum mittendo cogitavit, fortaſſis, ut grana thuris omiſſæ thurificationi ſupplerent.

Sed ut Prudentii hymnum, magis magisque de Lucerna ac Cereo Paschali, non verò de quotidiana Vespertini luminis incensione intelligendum esse confirmem, jam demum quid esset illud lucernarium quotidianum videamus. Lucernarii quotidiani hora erat sub finem diei; ipsum verò duobus tantum Psalmis, qui in lucernarum accensione, & gratiarum actione vespertini luminis legebantur, constabat. Audiamus Loaisam in notis ad Conc. Tol. I. cap. 19. Lucernarium (inquit vir doctissimus) antiquis dicebatur pars prima vespertini officii, quæ nunc Vesperæ dicuntur. Id constat ex Isidoro in Regula Monachorum cap. 6. * *In Vespertinis* (inquit) *officiis, primo lucernarium, deinde psalmi duo, responsorius unus, & (a) laudes, hymnus, atque oratio dicenda est.* Hæc Isidorus. Continebat verò totum vespertinum officium quatuor psalmos, ut ex Regula D. Benedicti liquet, cap. 17. *Vespertina autem Synaxis* (inquit) *quatuor psalmis cum antiphonis terminetur*. Quia verò duo priores in lucernarum accensione, & gratiarum actione vespertini luminis legebantur, inde illa prima pars vespertini officii *lucernarium* appellabatur. Post vespertinum autem officium, Completorium Isidorus ibidem ponit, & lib. I. *De Ecclesiasticis officiis.* Ex his itaque patet, lucernarium ad initium Vesperarum pertinere: ut etiam probatur ex Concilio Emeritensi cap. 2. his verbis: *Vespertino tempore, post lumen oblatum, prius dicitur vespertinum, quàm sonum in diebus festis. Lucernarium* ergo dicitur *à lucernis* accensis. Nam Vespertinum officium eo tempore antiquitus fieri consuevit, ut esset diurni officii finis, & diei; ut testatur idem Isidorus libro *De Ecclesiasticis officiis*, capite, de Vespertinis: *Vespertinum divini officii, diurnæ & alternæ lucis occasus est*. Et infrà: *Vespertinum enim nominatur à sydere, quod vesper vocatur, & decedente sole exoritur*. Et libro Ethymologiarum, capite ultimo: *Vespertinum officium est in noctis initio, vocatum à stella* vespere, *quæ surgit oriente nocte*. Divus etiam Hieronymus in explicatione Psalmi 119. *Hora tertia oramus, hora sexta oramus, nona lucernarium facimus*. Ubi nonam pro ultima posuit. Idem habet Augustinus in Regula secunda. Divus autem Benedictus in Regul. cap. 41. totum Ecclesiasticum officium luce diei concludendum præscripsit. *Vespero* (inquit) *sic agatur, ut lumine lucernæ reficientes non indigeant, sed luce adhuc diei omnia consumentur*. Basilius lucernarium fieri lib. de Spiritu Santo cap. 29. in exortu Luciferi docet: *Visum* (ait) *est patribus nostris, vespertini luminis gratiam haud quaquam silentio arripere, sed mox ut apparuit, gratias agere. Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non possumus: populus tamen antiquam profert vocem: neque quiquam visi sunt impietatem committere, qui dicunt: Laudemus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*. Hactenus Basilius. Ex quibus Sanctorum Patrum testimoniis efficitur quod quærebamus, nempe lucernarium ad nostras Vesperas pertinere, atque ita dictum à lucernarum accensione. In Concilio prohibetur lucernarium in villa legi, nisi præsente Episcopo, presbytero, vel diacono; quia, ut inquit Isidorus in Regul. Cap. 6. *Post vespertinum, congregatis fratribus, oportet vel aliquid meditari, vel de aliquibus divinæ lectionis quæstionibus disputare, conferendo piè ac salubriter, tanquam meditando, disputandoque immorari; quousque Completorii tempus possit occurrere*. Eundem morem in Cypro, & Cæsarerea Capodociæ observatum tradit Nicephorus lib. 12. cap. 34. Ecclesiasticæ historiæ: *Cùm similiter* (inquit) *in Cypro, & Ce-*

(a) Illud, quod ab Isidoro vocatur *Laudes*, est sonus. Id clarè constat ex Breviario Toletano, quod Moz-arabum dicitur: ubi in Regula, *De Vespertino officio*, sic legitur: *Dies, sive sit festivalis, sive privata, semper horæ incipiunt à Vespertinis, ante diem; & principium fit per invocationem Jesu Christi, oratione Dominica precedente, submissa voce dicendo,* " *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster. Et alta voce, In nomine Domini Jesu Christi, lumen cum pace, hoc est lumen oblatum. Respondetur à circumstantibus, Deo gratias. Et Presbyter dicit, Dominus sit semper vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Et ordo Vesperorum, sive sit festum, sive non, sequitur per hunc modum. Primò dicitur Psalmus, sive Vespertinum, quod idem est: quo finito, presbyter dicit, Dominus sit semper vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Statim dicitur sonus, si sit festum; eo quod dies ferialis caret sono: nisi in tempore Resurrectionis, propter solemnitatem dicitur. Hæc Regula*. Sonus est, „ *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. Vers. Preoccupemus faciem Dei in confessione, & in psalmis jubilemus Deo* „ fortè dictus, quia sonora voce decantabatur. „ Card. de Aguir. Conc. Hisp. To. II. pag. 637.

* De Officio.

& Cæsarea Cappadocum, in sabbato, & in Dominico die, vesperi post lucernarum accensionem Episcopi, & presbyteri Sacras Scripturas populo exponant. Cum igitur post lucernarium statim Scripturæ interpretatio subjungi solita fuerit & id munus Episcopo imprimis, atque presbytero, vel, iis deficientibus, diacono, incumberet; meritò à Patribus cautum est, non nisi aliquo eorum præsente lucernarium fieri oportere.

Igitur quotidianis vespertinis officiis, & Lucernario (seu præcationi ad lumen oblatum) convenire nullatenus possunt quæ scribit Prudentius in recitato Hymno *ad incensum Lucernæ*, præsertim à versu 125. ad finem; quoniam ibi valdè prolixas Sabbati Sancti vigilias noctis describit, cùm ait:

Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaque prospera
Certatim vigili congerimus prece,
Extructoque agimus liba sacrario &c.

Quare firmum ratumque sit, hymnum illum, ad incensum lucernæ & cerei Paschalis respicere, non ad per breve lucernarium quotidiani officii vespertini, ut ferè omnea recentiores hactenus opinati sunt.

Sed quid Lectorem pluribus moror? Ritum jam Ecclesiæ Toletanæ ad benedicendam lucernam & cereum ex Missali Mozarabum proferamus quoniam nostrum Libellum illustrat mirificè.

Missale Mozarabum.

In Vigilia Gloriosæ Dominicæ Resurrectionis.

Sabbato, hora diei nona, signum sonat, & congregatis omnibus, induunt semetipsos diaconus, vel Clerici albis cum aneboladiis, & ingrediuntur processum, atque a primiterio accipiunt diacones in ordinem suum lectiones, quæ in tribunal ab ipsis legendæ sunt. Dum verò secundum, & tertium quoque sonaverit signum, &, juxta consuetudinem posita sede Pontifici in processu, atque eo sedente, accedunt abbates, presbyteres, diacones, clerus, omnisque populus per gradus suos ad Episcopum, & accipiunt ab eo ceram: Diacones verò locale accipiunt ab eo, & duodecim cereos: &, stantibus in locis suis, ingreditur Episcopus cum Diaconibus tantum in sacrarium, & clausis ostiis, vel fenestris, ac velis, ut nec modicum quidem lumen a foris videatur, offertur verò Episcopo petra, & esca, & excussorium ignis. Et cum mox ipse manu sua ignem excusserit, accendicur Huppa, & inde candela, & ex ea iterum lucerna, tenente eam Diacono, qui post eam in eboro benedicturus est: & nullo suo cereo concedente: sed præcedentes Diacani lucernam, & Episcopus sequens eam, ingreditur processum. Et mox, posita pontificis sella, priùs accendet cereum suum, ac deindè accendit omnis clerus ad lucernam, & accendunt cerea sua. Post hæc accedens Diaconus cum lucerna ad Episcopum, det ei benedictionem episcopus, quam voluerit. Ille verò osculetur Episcopo manum.

Oratio ad benedicendam Lucernam.

Exaudi nos, lumen indeficiens, Domine Deus noster, unici luminis lumen, fons luminis, lumen auctor luminum; qui creasti & illuminasti lumen Angelorum tuorum, Sedium, Dominationum, Principatuum, Potestatum, & omnium intelligibilium; qui creasti lumen Sanctorum tuorum. Sint lucernæ tuæ, animæ nostræ. Accendantur a te, & inluminentur abs te: luceant veritate, ardeant * veritate: luceant, & non obtenebrescant; ardeant, & non cinerescant. Benedic hoc lumen, o lumen, qui & hoc, quod portamus in manibus, tu creasti, tu donasti: ac sicut per hæc lumina quæ accendimus, de hoc loco expellimus noctem, sic & tu expelle tenebras de cordibus nostris. Simus domus tua, lucena de te, lucena in te, sine defectu luceamus, & te semper colamus, in te accendamur & non extinguamur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, qui vivis, & omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. In nomine Domini nostri JESU CHRISTI sanctificatum permanet cum pace. ℟. Deo gratias *tribus vicibus*.

* leg. *caritate*.

*Deinde * benedicat quinque grana thuris, infigenda in cerea benedicendo; incipiens absolutè:*

* Hic ritus circa X. sæculum fieri cœpit.

Veniat quæsumus omnipotens Deus, super hoc incensum larga tuæ bene- di-

dictionis infusio, & nunc nocturnum splendorem invisibilis regenerator accende, ut non solùm sacrificium, quod in nocte hac litatum est, arcanâ luminis tui admixtione refulgeat, sed in quocumque loco hujus sanctificationis mysterio fuerit deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ majestatis assistat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Benedictio Dei Pa ✠ tris omnipotentis, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat, & maneat super hoc lumen & incensum istud. ℟. Amen.

Et cum tota cera accensa fuerit, præcedunt clerici, & levitæ lucernam, & lucerna episcopum, atque presbyteros: & vadunt per bubata ad chorum; dumque ascenderint juxta tribunal, ab episcopo imponitur antiphona: Lumen verum inluminans omnem hominem in hunc mundum venientem. ℣. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. P. inluminans. ℣. Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in sæcula sæculorum. Amen. P. Lumen verum.

Cumque venerit Episcopus cum Presbyteris, & Diaconibus, & clero psallendo ad altare, ponitur lucerna à Diacono in stillo, dicanturque à clero hi versus, Populus qui sedebat, *stantes in locum ubi solent sacrificium canere, cui suscipitur à clero, qui in choro sinistro juxta vestibulum adstant*, Lumen verum. *Qua expleta, caput supradictæ antiphonæ replicatur*, Lumen verum. *Et statim egrediuntur clerici, & psallendo veniunt ad chorum. Dum hæc antiphona secundò fuerit replicata, accedet Episcopus, vel Sacerdos ad altare, & dicat sequentem Orationem.*

Ad Cereum benedicendum Oratio.

Offerimus tibi, Domine, cerei hujus rutilantia speciem divino igne succensam, per quem multimoda materia nutu tuo produci jussisti: atque his eum indignis manibus nostris oblatum incendimus, precamiea bonitatem tuam, ut emissione Spiritus Sancti, qui quondam in similitudinem ignis, divisionemque linguarum Apostolorum tuorum corda perspicuus fulgensque apparuit, eum bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris. Et sicut hic cereus exuberans larga visione noctis hujus jugulat cæcitatem, & devotissimæ plebis tuæ resplendet obtutibus; ita & nos Domini nostri JESU CHRISTI filii tui splendore repleti, internis mentibus fulgeamus, & peccatorum cæcitate detersa, lux in nobis sempiternæ fidei perseveret. ℟. Amen.

* Ad enarranndam LAUDEM Cerei.

*Oratio ad * benedicendos diacones.*

Prima tibi, & principalia Deus Pater omnipotens hæc luminum munera in exordio venerandæ hujus noctis offerimus, & ob honorem Dominicæ Resurrectionis lucernam, & cereum claritatis aptavimus, quam Unigenitus Filius tuus Dominus noster JESUS CHRISTUS adventus sui faciat mysteriis inluminatam. Per quem te, Domine, supplices exoramus, ut hoc sanctum luminis munus libens accipias, pervigilem in nos devotionem flagrantia spiritali succendas. Simulque, omnipotens Deus, commendamus pio devotionis affectu sanctos fratres nostros & condiacones N. & N. tuæ majestatis laudes inenarrabiles narrare cupientes, ut in eis scientiæ, ac sapientiæ de tuis thesauris accommodes plenitudinem, ut quicquid ita mente concœperunt, aut sensu excogitaverunt, vel certè meditationibus crebris memoriter tenuerunt, oblivionis caligine depulsa, titubationisque formidine calcata, dicant voce canora, & oratione depromant luculentissima. Nihil, quæsumus, in eis humanitatis operetur fragilitas, sed totum eis subministret tuæ clementiæ largitas. Dona eis post pallores * genarum, rubicundam sinceritatem; linguæ volubilitatem, lacertorum firmissimam soliditatem: & in omnibus tuorum beneficiorum adjutorium sentientes, benedictionem lucernæ, cereique immurmurent, & depromant maximam laudem. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, & vivis &c. *Dicat presbyter:* Dominus sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. In nomine Domini nostri JESU CHRISTI votum vestrum sit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias.

* Editio genarum.

Post hæc vadit Episcopus post altare, & sedit in sellam: presbyteri verò juxta eum stantes, ac deinde diacones ante vestibulum juxta cancellos adstant in ordinem suum. Si-

Silentium admonet septies. Post hæc accedunt diacones, & benedicent Lucernam hac benedictione.

Benedictio Lucernæ.

Dignum & justum est. Vere dignum & sanctum est, nos tibi semper gratias agere, laudesque referre, Domine sancte, Pater omnipotens, & Christe Deus, quo mihi tribuas, ut in tuis laudibus semper resonent fauces meæ, qui erigis à terra inopem, & ab stercore exaltas pauperem. Da directum & benesonantem in ore meo ministrari sermonem. Omnipotentem Deum, substantiæ vitalis exordium, creaturæ universalis auctorem Deum, salutarem opificem, vocalis ecclesiæ personet canora laudatio: ut ipsi rependat lingua mysterium, de cujus imperio sumpsit officium. Dignum est ut sponsi coruscantis adventum accensis præstoletur fidelis turba luminibus, ne nuptialis habitaculi respuat habere consortes. Quis sub veterum umbraculo peccatorum invenerit dormientes? quid dignius? quidve sublimius quam ut tibi vigilet in spe æternitatis resuscitata mortalitas? Cui totum ex origine, totum debet ex munere, vel quod formatur ex nihilo, vel quod reparatur ex perdito. Tu vas, quod pronum culpa dederat in ruinam, figuli miserantis affectu de favillis cineribusque collectum spiritu vivificante salvasti; ut faceres ex adoptione liberos, quos retineri videras ex prævaricatione captivos. Tu novellæ vitis germina fœcunda plantasti, ut antiquorum tabesceret suavitas amara pomorum: nunc de cibo sumitur, vita non labitur; solvit gratia, quos vinxit inlecebra. De arbore creata nox criminis, sed de ligno genita lux salutis. Vetuisti opera manuum tuarum, clemens operator, interfici perpetuæ mortis excidio. Paradisi januam, quam piaculum letale damnaverat, dextera mysterii cœlestis aperuit. Id perfectæ judicans esse pietatis, ut quibus ad vitam fueras largitus introitum, tribueres & regressum: mortificantur ex lapsu, qui vivificantur ex pretio, redempti clementius, quam creati; namque ibi Deus operatus est, ut prodesset: induit carnem, sed non exuit majestatem: nostram substantiam expetens; sed propriam non derelinquens: cum corpore editus; sed intemerato pudore conceptus: temporalis ex virgine, sed coæternus ex Patre: humilians divina, ut possit elevare terrestria: cui tanti fuit salvatio, ut ne nos perderemus cœlum, ille pateretur infernum. Suscepit mors, quem tenere non potuit, amplificata successu, sed evacuata spolio. Exultavit in raptu, sed occidit in trophæo: in se refusa defecit extremitas, postquam vitæ appetere tentavit auctorem; & dum ambit illicita, perdidit acquisita. Adest nox lumine donata perpetuo, Dominicis sanctificata victoriis, quæ recidivum mundi sortita natalem, debellata funeris regione, triumphos Christi resurgentis excepit: quæ transgressionis maculas fluenta lavacri salutaris absterſit: quæ veternosa criminis indumenta tactu liquidi resolvit elementi: in qua mercedem sanguinis præsentat unda baptismatis; & dum vetus culpa decidit, novus homo consurgit.

Oratio ante Altare dicitur.

Deus, qui filios Israel educis ex Ægypto, palpabiles Ægypti tenebras relinquendo. Deus qui duce luminis gratia pondus horrendæ noctis exterminas. Deus qui præcedente angelo tuo in columna nubis in diem, eoque in columna ignis in noctem posteriora servantem euram nostræ salutis exequeris, teque nobis in eo præstas, in quo lucere nos lumine scientiæ tuæ jubes. Fac nos divinitatis tuæ fieri consortes, & larga tua pietate ex invisibilibus bonis, visibilia bona concede, quæ nos & offerri doceant, & tuam in omnibus compleri faciant voluntatem. ℞. Amen.

Hæc quinque grana incensi à diacono insiguntur cerea in modum crucis. Post hanc explicitam, accedet diaconus ipse, & de ipsa lucerna accendit cereum. Post hæc à diaconibus tribus vicibus silentium datur. Deinde accedent diaconi ad cereum, qui ad dexstrum cornu altaris adstat. Benedicent eum benedictione hac. Sicque alii duo cerei cum eo accenduntur, unus juxta cornu altaris à parte sinistra, & alius post altare adstantes.

Be-

Benedictio Cerei.

Æqnum & justum est. Vere, Domine, satis dignum & pulcrum est, in quantum nos munere tuo inlustras, tibi semper gratias agere, apud quem est fons vitæ, in cujus lumine videbimus lumen: prævia tot tantisque virtutibus circa tuæ majestatis resplendens altaria serenat lux cerei; præmittunt judicia ignea, miracula secura lympharum: nunciatur ex lumine, quod nascatur ex fonte. Patescunt actu, quæ fuerant figurata mysterio. Instar columnæ veteris fomes iste perfulget: aquis populum docet esse salvandum, per quas & liberatio tribuitur ad salutem, & regeneratio donatur ad requiem. Accedat, Domine, in conspectu gloriæ tuæ obsecratio devota famulorum. Visitentur benedictionis dono, qui sacro dedicantur obsequio. Non hic * thureis adoletur flamma virgultis, nec in Sabbæicis proscinduntur ligna nemoribus, quæ suavitatem cinnami rorantes exhalant: sed cera famulatur ex lumine, quæ non polluitur ex parente: cujus natura de flore: cujus ortus ex virgine: cui illa dat genitrix nativitatis originem, quæ corruptionis nescit errorem. Papyrus cum etiam niveo adoperata sub tegmine flammarum exequitur incremento. Neque hoc sine cælestis agitur operatione virtutis, quod favet ignibus res nutrita gurgitibus. Agnoscunt cuncta te Dominum, tibique se sciunt deberi, quod uata sunt. Dedisti pie opifex, creaturæ sensum, quæ suum possit intelligere & honorare factorem. Intende propitius, Domine, ad hujus cerei devotissimam servitutem, ut qui flammam gignire cernitur, usuale tuæ benedictionis serenatus ex lumine cunctis sit expedibilis ad salutem. Resolvit gravium fomenta languorum, asperitates casuum remedii tranquillitate confringat. Omnia votis largiantur humanis, qui de tuis benedictionibus sumpsere officium. Tribue etiam, Domine Sancte, Pater Omnipotens Deus, ut dies hujus solemnia sacræ paschatis, in qua Redemptoris nostri gloria prædicatur & gratia cum antistite nostro N. cum gloriosis principibus, cum presbyteris & diaconibus, clero atque omni fideli populo sub multorum celebrare curricula annorum ℟. Amen. Præsta per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM Filium tuum, cum quo tibi est una & coæqualis essentia in unitate Sancti Spiritus in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Amen. Amen. Amen ad te ascendat. ℟. Amen. Pax in cœlo. ℟. Amen. Pax in terra. ℟. Amen. Pax & plenitudo tua, Domine, super nos descendat. ℟. Amen. Pax Regibus & potestatibus fidelibus sæculi hujus. ℟. Amen. Pax Ecclesiæ tuæ Catholicæ, quæ est in hunc locum constituta, & per universum orbem in pace diffiusa. ℟. Amen.

* Hæc præcedentem rubricam *de granis thuris* esse valde recêtem probant. Vide quæ diximus, pag. ccxxix.

Deinde dicat Episcopus orationem ante altare.

O R A T I O.

Expectatl temporia, dilectissimi fratres, festa solemnitas, & annuum per sæcula sacræ Resurrectionis arcanum votivæ noctis advenit. Hoc illud est, quod in perennem memoriam consecratum credentibus populis altissima de cælis gratia spirituali attribuitur. Hilares vigiliis gloriosis laudibus perferamus, diemque vincentes, qua funalibus crebris Ecclesia Sancta resplendens coruscat in lumine, præconia Dominicæ passionis indefessis precibus celebremus. Intendentes auditu lectionibus sanctis, ac sedulis obsecrationibus patientiam non negantes, ut ille regalis solii habitator altissimus à Sede arcis etheriæ populo suo, qui solemnia redditurus ad hæc festa convenit, per spiritum suum Sanctum clementer inlapsum placabilis ac propitiatus adspiret. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus noster, qui vivis & omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Dominus sit Semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde legatur prophetia. Lectio libri Genesis. Deo gratias. In principio creavit Deus &c. *usque* quia cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus, ut faceret. ℟. Amen.

Dicat diaconus. Pro solemmitate Paschali flectamus genua. Levate.

ORA-

O R A T I O.

Pro solemnitate Paschali flexis genibus, te Pater omnipotens, obsecramus, ut mors Unigeniti tui Domini nostri, qui vitam omni contulit Mundo, toti gratiam conferat populo Christiano. Resurrectio quoque ejus nos ad cælestia sublevet, & a corruptione vitæ hujus ereptos, immortalitati æternæ consociet. ℟. Amen. Per misericordiam tuam, Deus noster, qui es benedictus, & vivis, & omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Lectio libri Genesis. ℟. Deo gratias.

In diebus illis Noe, cum quingentorum esset annorum *&c. usque*, Odoratusque est Dominus odorem suavitatis. ℟. Amen.

Dicat Diaconus. Pro his qui variis necessitatibus detenti, Paschæ interesse non possunt, flectamus genua. Levate.

O R A T I O.

Deprecamur te, Pater æterne omnipotens Deus, pro his qui diversis necessitatibus detenti solemnitate Paschali interesse non meruerunt; ut quia gaudio præsentium sunt exsortes, mereantur sanctorum meritis adesse participes; ut sicut Passio Unigeniti Filii tui Domini nostri pro * multorum salute occurrit: ita & hæc celebritas annuæ festivitatis, & præsentibus tribuat gloriam, & absentibus conferat veniam. ℟. Amen. Per misericordiam tuam Deus, qui vivis, & omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

* Hæc desunt in Oratione 5. nostri Libelli. Vide pag. 501.

Lectio libri Genesis. R. Deo gratias.

In diebus illis locutus est Dominus ad Abraham, dicens: Abraham, Abraham, *&c. usque*, Et habitavit ibi. ℟. Amen.

Pro Sacerdotibus, ac ministris flectamus genua. Levate.

O R A T I O.

Sacerdotes tuos, Domine, indue justitiam, & ministri tui lætentur: Illos doctrinis, & vitæ exemplis munifica, hos sanctitatis cultu, officiique locupleta; ut dum utrique à te augmenta virtutum perceperunt, sine offensione tuis altaribus famulentur. ℟. *Chorus*, Amen. *Dicat presbyter*: Per misericordiam tuam, Deus noster, qui vivis, & omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Lectio libri Exodi. ℟. Deo gratias.

In illis diebus locutus est Dominus ad Moysem, & Aaron in terra Ægypti, dicens: Mensis iste vobis principium mensium *&c. usque*, Et comedetis festinanter; Pascha enim Domini est. ℟. Amen.

Postea dicat diaconus. Pro unitate fidei Catholicæ flectamus genua. Levate.

O R A T I O.

Ecclesia tua, Christe, quæ dilatata per universam terram diffusa est, * omnis tua gratia in unitatis gremio colligat; & quamvis semetipsam in Gentium varietate diffundat, fidei tamen divisionem non sentiat. Dissolve hæresis schismata, quæ subvertere cupiunt fidem, quæ nituntur corrumpere veritatem: ut sicut tu in cœlis, atque in terra unus atque idem dignosceris Dominus, ita tibi in unitate fidei serviat cunctorum gentium populus. ℟. Amen.

* lege, *omnes*

Lectio

Lectio libri Exodi. ℟. Deo gratias.

Quinta progenie ascenderunt filii Israel de terra Ægypti *&c. usque*, Tunc cantavit Moises canticum hoc Deo, & dixit. *Tractus*. Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est. ℣. Equum & ascensorem projecit in mare. P. Gloriosè. ℣. Hic Deus meus, & honorificabo eum: Deus Patris mei, & exultabo eum. P, Gloriosè enim honorificatus est.

Prosequatur prophetia ab acolytho.

Sumsit Maria soror Aaron propheriffa tympanum in manu sua; & exierunt cum ea universæ mulieres cum tympanis, & choris: præibat autem eas Maria, dicens:

C A N T I C U M.

Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est.
Diaconus dicat. Flectamus genua. Levate.

O R A T I O.

Pro Virginibus flectentes genua, te, Pater Omnipotens Deus; postulamus, ut hanc illustrem portionem Christi tui, in qua maxime gaudet Catholica Ecclesia, ampliori fœcunditate enutrias, ut quanto plus numerosior & incorruptorum numerus exstat, tantum gaudium matris Ecclesiæ augeat. ℟. Amen.

Lectio libri Esaiæ Prophetæ. ℟. Deo gratias.

Verbum Domini, quod vidit Esaiss filius Amos Propheta super Judam & Jerusalem *&c. usque ad*, Tunc cantavit Esaias Propheta canticum hoc Deo: & dixit. ℟. Amen.

C A N T I C U M.

Cantabo nunc dilecto meo canticum dilectæ vineæ meæ: vinea facta est dilecto in cornu & in loco uberi. ℣. & maceria circumdedi, & circumfodi, & plantavi vineam Soreth, & ædificavi turrim in medio ejus. ℣. Et torcular fodi in ea, & sustinui ut faceret uvas, fecit autem spinas. ℣. Et nunc homo Judæ, & qui habitatis Jerusalem, judicate inter me & vineam meam. ℣. Vinea enim Domini Sabaoth domus est Israel, & domus Juda novellum dilectum. ℣. Sustinui ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem, & non justitiam, sed clamorem.

Dicat Diaconus. Pro his qui eleemosynas faciunt flectamus genua. Levate.

O R A T I O.

Deprecamur te, Domine, pro his qui misericordiæ fructibus egentium subsidia conferunt, ut mereantur ex hac terrena dispensatione cœlestem percipere remunerationem, & quicquid in usibus indigentium conferunt, proficiat illis ad fructum cælestium præmiorum. ℟. Amen.

Lectio libri Ezechielis Prophetæ. ℟. Deo gratias.

Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Dominus *&c. usque* requiescere vos faciam super humum vestram. ℟. Amen.

Dicat diaconus. Pro peregrinantibus, & navigantibus flectamus genua. Levate.

ORA-

ORATIO.

Concede, Pater omnipotens, eunctos peregrinantes patriæ fieri reduces, & quoscumque turbulenti maris prævenit fluctus, ad rranquillitatis revoca portum. Mereantur in hac solemnitate utrique, & terræ exilium, & maris evadere exitium, ut commune hujus lætitiæ votum cunctis generale sit gaudium. ℟. Amen.

Lectio libri Abacuc Prophetæ. ℟. Deo gratias.

Visio quam vidit Abacuc Propheta *&c. usque*, Tunc cantavit Abacuc canticum hoc Deo, & dixit:

CANTICUM.

Domine, audivi auditum tuum & timui; consideravi opera tua, & expavi. ℣. In medio duorum animalium cognosceris; dum appropinquaverint anni, innotesceris. ℣. Deus à libano veniet, & sanctus à monte opaco & condenso. ℣. Operuit cœlos virtus ejus, & laudis ejus plena est terra.

Dicat diaconus. Pro ægroto flectamus genua. Levate. Miserere Domine his, quos corporalis ægritudinis valetudo involvit. Sana cunctos in nobis mentis corporisque languores, atque omnibus indulgens, solitam impertire medelam, ut tibi cuncti in salute ministerium expleant fidei, tibique referant laudes, qui solus, & peccata cordis emundas, & languorem corporum sanas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam, Deus noster, qui vivis, & omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Lectio libri Jonæ Prophetæ. ℟. Deo gratias.

Factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens: surge, & vade contra Ninivem *&c. usque*, Quia magnum est nomen meum. ℟. Amen.

Dicat diaconus. Pro pœnitentibus flectamus genua. Levate.

ORATIO.

Cunctorum pœnitentium, Pater omnipotens, suscipe fletus; & quos hactenùs diabolus variis vitiorum sordibus inquinavit, respectu pietatis tuæ purifica. Tribue cunctis præterita peccata deflere, & futura non admittere: ab illis, misericordia tua præveniente, mundentur, ab istis, tua custodiente gratia, liberentur. ℟. Amen. Per misericordiam tuam, Deus noster, qui vivis, & omnia regis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Lectio Danielis Prophetæ. ℟. Deo gratias.

In illis diebus Nabucodonosor Rex fecit statuam auream *&c. usque*, glorificabant, & benedicebant Dominum in fornace, dicentes:

BENEDICTIO.

Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis & superexaltatus in sæcula. ℟. Amen. ℣. Benedicite omnia opera Domini Dominum, hymnum dicite, & superexaltate eum in sæcula. Amen. ℣. Benedicite Sacerdotes Domini Dominum, hymnum dicite, & superexaltate eum in sæcula. ℣. Benedicite sancti & humiles corde Dominum, hymnum dicite. P. & . ℣. Benedicite Anania, Azaria, & Misael Dominum. P. Hymnum.

 Proſe-

Prosequatur Prophetia.

Tunc Nabucodonosor Rex obstupuit *&c. usque*, Et potestas ejus in generatione & generationem. ℟. Amen.
Diaconus dicat. Pro pace populi, & Regum flectamus genua. Levate.

ORATIO.

Pro Regibus seculi hujus, atque Principibus tibi, Pater, flectentea genua, obsecramus, ut tribuas illis moderamen justitæ, amorem pacis, virtutem pietatis, studium bene regendæ plebis; ut in correptione & rectitudine eorum pax simul & requies fidelium proveniat populorum. ℟. Amen.

ADNOTATIO LXVIII. * Huc usque Missale Mozarabicum, Breviarium verò itidem Mozarabicum in Sabbato Sancto caret Officio proprio, & habet tantùm Vesperas, quæ, expleta Lucernæ ac Cerei benedictione, consummatisque sacris Lectionibus noctu legendis ante Missam in gratiam baptizandorum, demùm exordiebantur. Eas hic libenter evulgo, ut Sacratissimæ noctis Dominicæ Resurrectionia ritus omnis, qui in Toletana Ecclesia observatur, magis magisque inclarescat.

„ Sabbato Sancto ad Vesperas. *Lauda*. Dicant qui redempti sunt a Domino: „ in æternum. *P.* Quos redemit de manu inimici: in æternum, & in seculum se„ culi. ℣. Populus qui sedebat in tenebris & umbra mortis, vinctos in mendicitate „ & ferro. *P.* Quoa redemit. ℣. Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos con„ fregit. *P.* Quos.

ORATIO.

„ Dominus noster Jesua Christus filius tuus, qui * solua verbo virtutis cuncta „ moderans, & omnia crucis * destina portans, vectes ferreos comminuit, portarum„ que ærearum claustra perfregit, tartari profunda descendit, sedentibus in um„ bra mortis ignotæ lucis claritate resplenduit; & Sol justiciæ de tumulo, corpo„ re suscitato, procedena, radiia suis tenebras nostras mirabiliter inlustravit. „ ℟. Amen. Per misericordiam &c. *Lauda*. Alleluja. Ego sum primus, & ego no„ vissimus: & fui mortuus. *P.* Et ecce sum vivens: in secula seculorum, alleluja. „ ℣. Dignus es, Domine Deus noster, accipere librum, & solvere signa ejus, „ quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lin„ gua. *P.* Et ecce. ℣. Gloria &c. *P.* Et ecce. *Lauda*. Alleluja. Angelus Domini „ descendit de cælo. *P.* Et accedens, revolvit lapidem ab ostio monumenti. Al„ leluja, alleluja. ℣. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est „ in caput anguli. *P.* Et accedens. ℣. Gloria & honor. *P.* Et accedens. Dominus „ sit semper. ℟. Et cum. *Lauda*. Erat aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus „ candida quasi nix;& dixit mulieribus:nolite timere.℣.ConfitemiuiDomino,quoniam „ bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. *P.* Et accedens. ℣. Gloria, & honor „ Patri. *P.* Et accedens. Dominus sit semper. ℟. Et cum. *Lauda*. Hic est pania ve„ rus Dei, qui de cælo descendit, & vitam tribuit Mundo: qui manducaverit „ ex eo, permanet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro „ Mundi vita. *P.* Qui credit in me, non esuriet, neque sitiet unquam. alleluja, „ alleluja. ℣. Ecce disponam vobis, sicut disposuit mihi Pater, regnum; ut edatis, „ & bibatis super mensam meam in Regno meo. *P.* Qui credit. ℣. Gloria, & ho„ uor. *P.* Qui credit.

CAPITULA.

„ Excellentissimam in hac nocte tuæ Resurrectionia celebrantes solennitatem, „ in qua Christe nobis dies, novo de tumulo surgens, veternosam antiquæ noctis „ caliginem, celestem convertisti in claritatem, te, quibus possumus, lachrymo„ sis rugitibus imploramus; ut qui nos redemisti precio tui sanguinis, instituta a

te

a te præcepta acceptes nostræ orationis. Sit indulgentia criminum; concedatur etiam & cælestis gloriæ summa virtutum. Memento, Domine, quia terra sumus; & accipe contritionem nostri spiritus; ut qui carnis infirmitate ad terram prosternimur, ad cælos castigatione spirituali jejuniis sublevemur. Et quia ex nostro est quod cadamus, ex tuo sit, ut surgamus, Te jubente, dicimus: Pater noster. Et ne nos. Liberati a malo. Humiliate vos benedictioni. Dominus sit semper. ℟. Et cum.

BENEDICTIO.

Christus Dominus, qui ascendit patibulum Crucis, sua vos redemptione, & passione conservet a malis. ℟. Amen. Detque vobis suæ dulcedinis sapientia renovari, qui se amaro permisit fellis poculo propinari. ℟. Amen. Ut cujus LAUDES Ecclesia cuncta celebravit ovando, ejus conservari mereatur magno Crucis vexillo. ℟. Amen. Per misericordiam ipsius Dei nostri &c. *Lauda*. Alleluja, locutus est Angelus Domini mulieribus, dicens: *P.* Scio, quia crucifixum quæritis: surrexit, sicut dixit. Venite, & videte ubi positus erat Dominus. ℣. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. *P.* Scio quia crucifixum quæritis. ℣. Gloria & honor Patri, & Filio. *P.* Scio, quia.

ORATIO.

Expletis, Domine, in hac sancta sollennitate nostræ servitutis officiis, gratias tibi, laudesque referimus, dono tuæ miserationis adjuti; precantes te, Deus, ut a peccatis nos abluas, & in tuis semper laudibus exultare concedas. ℟. Amen. Per misericordiam tuam &c. In nomine Domini. „

*ADNOTATIO LXIX. pag. 99.

Benedictio Lucernæ, quæ legitur in nostro libello antiquissimi Ritus Gothico-Hispani pag. 99. *ante Prudentii tempora moribus obtinuisse videtur in Ecclesia Tarraconensi. Illa verò, quæ exstat in Missali Mozarabico Toletano, auctorem habet* S. Isidorum, *teste Elipando Episcopo Toletano, qui ex ea hæc verba refert in Epistola ad Alcuinum*: Nam & ipsi canimus in vigilia Paschæ, Beato Isidoro dicente: „ Induit carnem, sed non exuit majestatem; nostram substantiam expetens, sed propriam non relinquens. „ *Quæ totidem verbis in Mozarabico leguntur ad benedictionem lucernæ. Alia quoque testimonia ibidem ex Missali Toletano profert idem Elipandus ad hæresim suam confirmandam, quorum aliqua in Mozarabico non exstant* (nulla verò minus sanæ doctrinæ), *nempe quæ ex Missa in Cœna Domini, & quæ ex feria tertia Paschæ, item quæ ex Missa Sancti Sperati, & quæ ex Missa defunctorum. Alia quidem ab ipso prolata reperiuntur in ipso Missali; ut quod habet ex feria quinta Paschæ: at in Illatione ejusdem feriæ loco* adoptivi, *in editis legitur* assumpti; *itemque in Missa de Ascensione* assumptionem, *non* (*ut ipse legit*) adoptionem. *Has omnino emendationes suggesserunt in libro secundo adversus Elipandum Leidradus, Nefridius Episcopi, & Benedictus Abbas, seu potiùs Alcuinus duplicis istius libri Scriptor*, ut inquit Mabil. Litur. Gallic. lib. II. pag. 140.

*ADNOTATIO LXX.

Ex antiqua Ecclesiæ Hispanicæ disciplina Cerei paschalis benedictio canebatur a pluribus diaconis (*a*). Secus in Italia. In Ecclesia namque Rom. & * Ravennatensi, ut observat Martenius, ista benedictio ab ipso Episcopo peragi solebat: hinc S. Gregorius lib. 9. epist. 28. Mariniano Episcopo scribens, jubet ut propter graves, quibus ille laborabat infirmitates, *preces, quæ super Cereum in Ravennatensi Civitate dici solent, vel expositiones Evangelii, quæ circa Paschalem solemnitatem à SACERDOTIBUS fiunt, per alium dicantur*; quas proinde, si convaluisset, ipse Marinianus dixisset. Nescio an in Hispania Diaconi,

* De antiq. Eccl. disc. pag. 106.

h h 2 prius-

(*a*) Cod. Veronensis in Oratione *post lumen levatum ante Altare*, ait: *supplices exoramus, ut hoc sanctum munus libens accipiens, HIS FAMULIS TUIS, quos ad ENARRANDAM LAUDEM DESTINAVIMUS LUMINIS* &c. Similia habentur in Mozarab. in Oratione dicendâ super Diaconos ad enarrandam Laudem luminis destinatos, quæ inscribitur, *ad bene-*

priusquam benedictionis preces cantare inciperent, vel in *chartula*, vel in ipsius Cerei stipite annos Dominicæ Passionis & Resurrectionis stilo imprimere consueverint (*a*), ut Romæ factum constat ex antiquis libris Missarum. Hujus laudandæ consuetudinis antiquitas repeti potest ex iis, quæ scribit Beda in libro de temporum ratione capite 45. ubi ait, Romanam Ecclesiam testari *indiculis, quos suis in cereis annuatim scribere solet, tempus Dominicæ passionis*, (nempe numerum annorum) *triginta semper & tribus annis minorem, quàm ab ejus incarnatione Dionysius ponat. Denique* (inquit) *anno ab ejus incarnatione juxta Dionysium septingentesimo primo, indictione quarta decima, fratres nostri, qui tunc fuere Romæ, hoc modo se in Natali Domini in Cereis Sanctæ Mariæ scriptum vidisse, & inde descripsisse referebant: A Passione Domini nostri JESU CHRISTI anni sunt DCLXVIII.* Quibus ex verbis patet, inscriptionem olim in Paschate adhibitam, per totum annum in Cereo conservatam fuisse...... In quibusdam locis inscriptioni præmittebantur duæ hæ litteræ græcæ Α & ω. Præter annum Passionis & Indictionis, nonnulli plura addebant, quæ in tabella cereo benedicendo appendenda inscribebantur: cujusmodi sunt ea quæ in cereo Paschali Ecclesiæ Remensis anno 1585. appensa sunt sequenti ordine.

EX RITUALI

PROVINCIÆ REMENSIS EDITO ANNO 1585.

Tabula annualis pro Ecclesia Remensi vel N. anno Domini 1585.

BEnedictus est hic cereus in honorem & laudem Domini nostri JESU CHRISTI, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

An-

---

nedicendos Diacones, & habetur supra, pag. ccxxviii. An Benedictio Cerei seu ENARRATIO LAUDIS, quæ innuitur in nostro Libello orationum, & a Diaconibus canebatur eadem esset ac illa, quam Venerabilis Vir Joseph Maria Thomasius publici juris fecit pag. 467. in Missali Gallicano ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ vetustissimo, nec annis mille inferiori, (& habet titulum *Benedictio Ceræ Beati Augustini Episcopi, quam adhuc Diaconus cum esset, edidit, & cecinit*. „ Exultet jam Angelica turba Cœlorum „) definiri nullo modo potest, quoniam in eodem nostro Libello desideratur. Eam Zosimo Papæ adscribunt Amalarius libro I. de Divinis officiis cap. 18. vulgatus Alcuinus, Pontificale Apamiense, Ordinarium Rotomagense, & Missale Tolosanum cum nonnullis auctoribus recentioribus. Sed, ut inquit Martenius *de antiq. Eccl. discip.* pag. 405., in veteri Codice Ecclesiæ Noviomensis ante annos 900. scripto, in Regio num. 3866. ejusdem, uti videntur, ætatis, in Missali Gallicano quod ex Codice Bobiensi ab annis circiter mille exarato edidit Mabillonius Musæi Italici Tomo I. idem istius Benedictionis est titulus, ac ille qui legitur in Missali Gallicano veteri Thomasiano mox laudato scilicet *Benedictio Ceræ Beati Augustini Episcopi* &c. Huic autem oponioni, quæ S. Augustinum LAUDIS Cerei facit auctorem, favere potest id quod ipse scribit in libro 15. de Civitate Dei cap. 24. *In Laude quadam Cerei breviter versibus dixi*.

Hæc tua sunt, bona sunt, quia tu bonus ista creasti.
Nihil nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes.

Equidem scio hæc verba desiderari in Benedictione Cerei Paschalis, quæ nomen Augustini præfert: At emendatam fuisse docet vetus Pontificale insignis Ecclesiæ Pictaviensis, in quo ita legitur: *Usum benedicendi Cereum a Beato Augustino repertum tradit Ecclesia, qui benedictionem illius perficiens, a Sancto Hieronymo reprehensus est, cur Virgiana verba inseruerit, sed sicut a beato Hieronymo emendata tunc fuit, ita nunc per Ecclesias canitur.*

(*a*) Vide pag. 103: Orationem Completoriam nostri Libelli dicendam *in Pascha die Dominico* &c. quæ habet: *Deus cujus unum hunc ex omnibus duximus diem* &c. . . . . . *qui Dominicæ & operationis primus, & Resurrectionis idoneus revolutus in circulo, & reductus in calculo* &c. Eadem Oratio legitur etiam in Br. Moz. pag. 223. col. 3. cum titulo, *Capitula ad Vesperas Lætationis diei Paschæ*; Sed alicubi discrepans, ait: *quique Dominicæ, & operationis primus, & Resurrectionis idoneus revolutus, & reductus in CARTALO PASCHALI solemnitatis inciperet mysterium, & concluderet Sacramentum* &c.

Annus ab origine Mundi juxta Hebræorum supputationem est	V.M.V.C.LIX.
Annus ab Incarnatione Domini	M.V.C.LXXXV.
Annus à Passione ejusdem	M.V C.LII.
Annus à Nativitate B. V. Mariæ	M.V.C.LXXXXIX.
Annus ab Assumpsione ejusdem	M.V.C.XXXVI.
Annus Calendarii Gregoriani reformati	IV.
Littera Dominicalis usque ad Circumcisionem est F. & deinceps toto sequente anno erit E.	
Aureus numerus est 9. anni verò sequentis est 10.	
Epacta est 29. & anni sequentis est 10.	
Epacta eo ipso die cui respondet in Calendario, novam lunam in singulis mensibus indicat.	
Epacta lunæ paschalis semper quærenda est inter octavum diem Martii, & quintum Aprilis.	
Dies Paschæ hoc anno incidebat in 14. Aprilis, sed ne Judæos sequi videamur, differtur in 21. diem. Anno sequenti erit 6. Aprilis.	
Annus Cycli solaris	XXVI.
Annus Indictionis	XIII.
Annus Pontificatus Sanctissimi D.D. N. Papæ Gregorii est	XIII.
Annus à conversione & baptismo Clodovei primi ex Francorum Regibus Christianam fidem complexi	MLXXXVI.
Annus ætatis Christianissimi nostri Regis Henrici tertii	XXXIV.
Annus regni ejusdem undecimus.	
Annus Archiepiscopatus Reverendissimi DD. Ludovici à Guisia	XI.

Lucernæ, ac Cerei Pascalis Benedictionem sequuntur in Missali Mozarabico, ac in nostro * Libello Gothico-Hispano *Orationes*, *quæ per singulas Lectiones in Vigilia Paschæ dicuntur*. Sunt autem pro omni statu hominum; ac singulæ suis *Collectionibus* terminantur, præmonente Diacono plebem, & *clamante*, pro quibus & in quem finem sit orandum, hac formula: *Pro* &c. *precemur Dominum*. Ad has Orationes non dicitur *flectamus genua*, ad instar Missalis Gothici, antiquissimi Sacramentarii Gallicani, atque (teste Martenio *) *omnium ad unum antiquorum Galliarum Regni librorum Ritualium*, *atque Missalium*, *qui hujusmodi genuflexionem fieri vetant*. Id moris ubique a Gallia Narbonensi ortum duco, quæ antiquitus Hispaniæ ritibus inserviebat. Romæ tamen ad singulas orationes pronunciat Diaconus *flectamus genua*, & Subdiaconus *levate*, juxta Ordinem Rom. primum, qui omnium est antiquissimus. Exstat etiam alius Ordo Romanus usui Corbejensis Monasterii ante annos 800. accommodatus, in quo inter alia hæc leguntur: *& interrogavimus nihilominus Domnum Apostolicum Hadrianum, secundùm vestra mandata, si in Paschali Sabbato debent flecti genua, dum lectiones recitantur. Et ipse respondit, hæc debere omnimodis fieri*. Verùm mos ille in Galliis haud quaquam fuit receptus, aut saltem diù non viguit.

*ANNOTATIO LXXI. pag. 100.

* de Antiq. Eccl. disc. pag. 410.

Undecim Orationes, cum totidem collectionibus, ad singulas lectiones dicendæ exstant in nostro Libello, quarum undecima est *pro spiritibus pausantium*. Duodecim verò sunt, cum pari numero collectionum, in Missali Gothico edito a Ven. Card. Thomasio, atque in Sacramentario Gallicano a Jo. Mabillonio evulgato. Et quo-

*ANNOTATIO LXXII. pag. 100.

quoniam in utroque istorum diversę sunt aliquantulum inter se,& tam à Br.Moz.quàm a Cod. Ver. ferè ubique discordant, eas hic referre juvabit, ut ostendantur eorundem Sacramentariorum preces sæpe sæpius ab Hispaniæ Gothicæ precibus abeuntes.

Missale Gothicum a Vener. Card. Thomasio editum pag. 328.

Orationes Paschales duodecim cum totidem collectionibus.
Oratio pro gratiarum actione.

Præfatio.

Expectatum, Fratres carissimi, & desideratum nobis Paschæ diem adepti, gratias agamus omnipotenti Deo Patri, quòd nos in hanc eandem diem per Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum (quem pro nobis Hostiam dedit in salutem æternam) vocavit: ob hoc fideli gratiarum actione laudemus, benedicamus, honorificemus benedictum & beatum nomen Dei Patris in Filio, Filiique in Patre, & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum.

Oratio sequitur.

Sancte Domine omnipotens Pater, exaudi, tuere, ac sanctificare plebem tuam * præmonitam signo Crucis, Baptismate purificatam, Chrismate delibutam; quos ad celebrandam præsentis Solemnitatis beatitudinem congregasti: universisque notitiam Tui, participationem Sancti Spiritus propitius infunde. Per.

Orat. pro Exulibus.
Præf.

Unianimes, & unius corporis in Spiritu Dei Patris omnipotentis, Domini misericordiam deprecemur pro fratribus, & sororibus nostris captivitatibus elongatis, carceribus detentis, metallis deputatis: ut eis Dominus adjutor, protector, & consolator existat: neque deesse sibi reputet eos, qui fideli in se innocentia perseverant.

Orat. seq.

Tribue Domine relegatis Patriam, vinctis absolutionem, captivis libertatem: ut plebs tua & in hoc sæculo, & in futuro misericordiæ tuæ munere liberetur. Per.

Orat. pro Sacerdotibus.
Præf.

In Sanctorum Sancta admissi, & Altaris cœlestis Sacerdotii æterni participes effecti, Dei Patris omnipotentis misericordiam deprecemur: ut Sacerdotes suos, ac ministros donis repleat spiritalium gratiarum.

Orat. seq.

Domine Deus virtutum, justifica, & sanctifica Pastores & Præpositos ovium tuarum: ut adversarius noster diabolus fide eorum & sanctitate superatus, contingere Dominicum gregem ac violare non audeat. Per resurg.

Orat. pro Virginibus.
Præf.

Incorruptæ æternitatis Deum, & inviolabilis naturæ Dominum unianimiter deprecemur, orantes pro fratribus nostris, qui gloriosam virginitatem corpore ac mente voverunt: uti eos usque ad consummationem propositi sui, misericordiæ Spiritus prosequatur. Per. Ora-

Oratio sequitur.

Respice Domine Virgines sacras, & Spadones voluntarios, idest prætiosas Ecclesiæ margaritas: ut corpora eorum ac spiritum inlæsa castitatis conscientia, pari exæstimatione custodiant. Per. resurg.

Orat. pro Eleemosynas facientibus:
Praef.

Sanctum ac benedictum retributionis Deum unianimis, Fratres dilectissimi, oratione deprecemur, obsecrantes pro fratribus & sororibus nostris, quorum ministerio atque sumptu inopiam non sentiunt, qui in Eccleba sunt indigentes: ut iisdem Dominus spiritales divitias communicet; qui fidelium animarum inopiæ, sæcularis substantiæ participant facultatem. Per resur.

Oratio sequitur.

Piis servornm tuorum precibus annue misericors Domine: ut quicunque præceptornm cœlestium memores pauperibus tuis quæ sunt necessaria, subministrant, incorruptibili & cælesti gloria miserationis tuæ & misericordiæ coronentur. Per.

Orat. pro Peregrinantibus:
Praef.

Cælestium, & terrestrium, & infernorum Dominum Deum Patrem omnipotentem, Fratres dilectissimi, deprecemur, obsecrantes uti fratres nostros ac sorores, quicunque peregrinationum necessitatibus subjacent, omnipotens Deus auxilio suo comes adjutor reducat ac protegat. Per.

Coll. sequitur.

Restitue Domine peregrinis desideratum Patriæ solum: ut contemplatione misericordiæ tuæ dum ad præsens agunt beneficiis tuis gratias; cives esse Sanctorum, ac tui domestici concupiscant. Præsta per resurg.

Orat. pro Infirmis.
Praef.

Universæ salutis Deum, & universæ virtutis Dominum deprecemur pro fratribus & sororibus nostris, qui secundùm carnem diversis ægritudinum generibus insultantur: ut his Dominus cæleste medicinæ suæ munus indulgeat. Per.

Orat. seq.

Domine, cui vivificare mortuos, facile est, restitue ægrotantibus * pristinæ sanitati: ne terreni medicaminis remedia desiderent, quicunque medelam cælestis misericordiæ tuæ deprecantur. Per resurg.

* leg. *pristinam sanitatem.*

Orat. pro Pœnitentibus.

Confitentes bonitatis ac misericordiæ Deum, qui peccatorum mavult pœnitentiam, quam mortem, communicatis precibus ac fletibus pro fratribus ac sororibus nostris, Domini misericordiam deprecemur: ut eos peccati sui crimina confitentes, à bonitatis suæ venia non repellat. Per.

Ora-

Oratio seq.

Rex gloriæ, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat; da nobis peccatorum labe pollutis pœnitentiam: simul ut flere cum flentibus & dolentibus, & cum gaudentibus gaudere possimus. Per res.

Oratio pro Unitate.
Præf.

Unum Deum Patrem, ex quo omnia fuut, & unum Dominum nostrum Jesum Christum, per quem omnia, Fratres carissimi, deprecemur: ut unitatem Ecclesiæ suæ concordi congregationis nostræ voluntate confirmet. Per res. Fil. s.

Coll. sequitur.

Omnipotens Domine, qui es Deus bonitatis & totius consolationis; te supplices deprecamur: ut Hæreticos & Infideles à perpetuis gehennæ ignibus manifestatione tuæ veritatis eripias: quoniam vis omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Per.

Oratio pro Pace Regum.
Præf.

Dominum dominantium, & Regem regnantium, Fratres Karissimi, oratione unianimes deprecemur: ut nobis populo suo pacem Regum tribuere dignetur: ut mitigatis eorum mentibus, requies nobis congregationis istius perseveret. Per.

Coll. sequitur.

Carnis spirituum totius sator, cunctorumque Regnorum mundialium indultor, da Regum culmini Religionis prosperitatem & pacis: ut nobis regno tuo cælesti in terris adhuc positis liberiùs liceat deservire. Per resurg.

Oratio pro Spiritibus pausantium
Præf.

Deum Judicem universitatis, Deum cælestium, & terrestrium, & infernorum, Fratres dilectissimi deprecemur pro spiritibus carorum nostrorum, qui nos in Dominica pace præcesserunt: ut eos Dominus in requiem * collocare; & in parte primæ resurrectionis resuscitet. Per.

* leg. *collocet.*

Oratio sequitur.

Jesu Christe, vita & resurrectio nostra, dona Consacerdotibus & caris nostris, qui in tua pace requieverunt, exoptatæ mansionis refrigerium: & si qui ex his dæmonum fraude decepti, errorum se multis maculis polluerunt, Tu Domine, qui solus potens es, peccata eorum * concede: ut quos damnationis suæ participes diabolus gloriabatur effectos esse, per misericordiam tuam socios tuæ beatitudinis ingemiscat. Sal.

Oratio pro Catechumenis.
Præf.

Precem spei Fratrum nostrorum, Karissimi, unianimes adiuvemus: uti Dominus omnipotens ad fontem eos beatæ Regenerationis suæ euntes, omnis misericordiæ suæ auxilio Spiritus prosequatur.

Ora-

Coll. ſequitur.

Creator omnium Domine, & fons aquæ vivæ, qui per lavacrum Baptiſmi peccata eorum deles, quibus jam donaſti Reſurrectionis fidem, ut mortem hujus ſæculi non timeant: reple eos Spiritu Sancto; ut formari in illis Chriſtum ac vivere glorientur. Per.

Sacramentarium Gallicanum a Cl. Mabillonio evulgatum Muſæi Ital. To. II. pag. 320.

Incipiunt Orationes in Vigiliis Paſchæ.

I.

Inter prima celebrandæ Paſchæ ſollemnia, votorum conſecratio ex gratiarum actione ſumat exordium: ut paſſum & immolatum pro nobis Chriſtum credentes, & ſacri miniſterii principem confitentes, conſono ore proſequamur.

II. *Oratio pro his, qui cuſtodiarum vinculis & captivitate detenti, Paſchæ intereſſe non poſſunt.*

Dei Patris Omnipotentis clementiam, cariſſimi, deprecemur, ut eos quos invidus diabolus captivitatis ſervitio premit, Dei noſtri miſericordia in ſtatum priſtinum libertatemque conſtituat.

III. *Pro Sacerdotibus ac miniſtris Eccleſiæ.*

Deum ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro Sacerdotibus ac miniſtris Eccleſiæ ſuæ, fratres cariſſimi, ſupplices deprecemur: ut ingreſſi Sancta Sanctorum, totiuſque participes altaris, ſpiritalium gratiarum donis, abundantiaque multimoda repleamur.

IV. *Pro Virginibus.*

Deum Patrem omnipotentem, fratres cariſſimi, ſupplices oremus: ut in fratribus ac ſororibus noſtris, qui ſanctam & maximè acceptabilem Deo virginitatem dicarunt, bonæ conceptum mentis propoſitum tenentes; immaculati jugiter perſeverent.

V. *Pro his qui eleemoſynas faciunt.*

Deum Patrem miſericordiæ ſuppliciter oremus: ut in ſanctos & hujus ſæculi pauperes effuſa largitio in cæleſtium divitiarum opes refluat, & carnalium participatio ſocietatem poſſit munerum ſpiritualium promereri.

VI. *Oremus pro Peregrinantibus.*

Cæleſtium & terreſtrium Deum Patrem ſupplices deprecemur: ut omnes fratres noſtros, qui peregrinationum neceſſitatibus ſubjacent, potentia auxilii ſui protegat atque defendat.

VII. *Pro Ægrotis.*

Univerſæ ſalutis Dominum deprecemur pro fratribus & ſororibus noſtris, qui ſecundum carnis infirmitatem diverſis ægritudinum vexantur incommodis: ut is qui ſolus poteſt, pro ſua pietate omnibns adeſſe dignetur.

VIII. *Pro Pœnitentibus*,

Deum ſpei noſtræ, fratres cariſſimi, deprecemur: ut temeratæ præceptionis reos, reverſos in viam rectam, ab aſpectu ſerenitatis ſuæ non rejiciat, neque in adventu ſuo a regni cæleſtis janua condemnandos excludat.

IX. *Pro unitate Eccleſiæ*.

Bonorum omnium fontem, auctorem humanæ ſalutis Dominum deprecemur: ut unitatem Eccleſiæ inviolatam cuſtodire dignetur, ut in præſenti protectionem, & in futuro perennis vitæ ſtipendia conſequi mereamur.

X. *Pro pace Populi*, & *Regum*.

Deum ac Regem univerſæ conditionis Dominum ſuppliciter oremus: ut Regibus ac Poteſtatibus hujus mundi, eorumque miniſtris, ſupplicem inter ſe amorem & concordiam largiatur.

XI. *Pro ſpiritibus pauſantium*.

Deum Patrem omnipotentem, fratres cariſſimi, pro commemoratione defunctorum ſupplices oremus: ut eiſdem Dominus, adtenuatis quæ merito aſpera ſunt culpæ piaculis, clementiſſimæ remiſſionis ſuæ refrigeria largiatur.

XII. *Pro Competentibus*.

Dei Patris miſericordiam pro Competentibus, fratres cariſſimi, ſupplices deprecemur, ut eos Dominus omnipotens ad fontem ſuæ regenerationis euntes omni cæleſtis miſericordiæ auxilio proſequatur.

Collectio.

Auctor univerſitatis ac Domine te deprecamur & quæſumus, ut mortificatos terrenis vitiis in novum hominem tibi ſervire patiaris per reſurgentem a mortuis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

ANNOTATIO LXXIV. Duodecim omnino Lectiones primitus habebantur in antiquiſſimo Lectionario Gallicano edito a Mabillonio: ſed nunc tres primæ in ſemeſo Codice deſunt. Eædem fermè ſunt in Mozarabico, nec multum differunt a modò uſitatis. Tria inſeruntur Cantica, nempe Moyſis poſt ſeptimam, Jonæ poſt undecimam, trium Puerorum poſt duodecimam, ut ferè in eodem Mozarabico; niſi quòd, loco Cantici Jonæ, eſt Canticum Habacuc poſt lectionem ex eodem Propheta. Duodecim quoque Lectiones totidem Orationibus, & Collectionibus præmiſiſſe Eccleſiam Tarraconenſem, mihi pro certo eſt; quamvis in Cod. Veronenſi, Antiquarii dormitantis incuria, duodecima Oratio nunc temporis deſideretur. Etiam Ordo Gelaſianus XII. Lectiones complectebatur, & tamen editus decem dumtaxat nunc continet. Cum Lectionario Luxovienſi Gallicano, quoad duodenarium numerum lectionum, concordat quoque antiquus Codex inſignis Monaſterii S. Dionyſii in Francia ante annos 800. ſcriptus, ac Miſſales libri Narbonenſes, & Auguſtodunenſes, teſte Cl. Martenio *de antiq. Eccl. diſcip.* pag. 411. ubi diverſos Eccleſiarum mores deſcribens, hæc addit:

„ De Lectionum numero ſcribit Joannes Belethus In Explicatione Divinorum Officiorum cap. 106. *Tandem vero viginti quatuor in quibuſdam Eccleſiis leguntur lectiones. Ac Romæ quidem hoc pacto fieri ſolet, ut duodecim recitentur græcè, & totidem latinè. In nonnullis autem Eccleſiis legunt tantum duodecim, & in nonnullis dumtaxat ſeptem. At qui viginti quatuor legunt, duodecim ob id græcè recitant, propter auctoritatem Septuaginta Interpretum*, „ *quorum*

„ *rum auctoritas quondam in Græcia maximè floruit, atque etiam in illa parte Italiæ, quæ magna olim dicebatur Græcia. Verùm duodecim ideo dicuntur latinè, propter auctoritatem Translationis Hieronymi. In minimis tamen Ecclesiis non habent nisi sex, ob senarium numerum, qui quodammodo perfectus est.* Et Durandus libro 6. Rationarii cap. 81. *Lectiones autem in quibusdam Ecclesiis leguntur quatuor, in quibusdam sex, in quibusdam duodecim, & in quibusdam quatuordecim.* Certè quatuor lectiones, & non plures recenset Amalarius libro I. cap. 19. Vulgatus Alcuinus, Rupertus lib. 7. de Divinis Officiis, Codex Ecclesiæ Turonensis ante annos 800. scriptus, alter ejusdem Ecclesiæ codex annorum 600. Rituale S. Martini, Carnotensis liber Sacramentorum monasterii S. Petri annorum circiter 700., Ordinarium Lugdunense, & Argentinum Pontificale, & Missale Arelatense, Parisiense, Bituricense, Autisiodorense, Pictaviense, Glandatense, Sarisberiense, Ordinarium Remense, Silvanectense, Laudunense, Cenomanense, Rituale Svessionense, Missale Catalaunense, & Ordinarinm Canonicorum regularium Cruciferorum. Lectionem quintam addit unus codex Turonensis annorum 800. Ordinarium Uticense, Carnotense S. Joannis, & Gastinense cum Missali Tholoniensi. Sex exhibet codex Ms. Bibliothecæ Colbertinæ num. 6198. cum Missali Tolosano. Totidem leguntur in Missali Ambrosiano. Totidem Gregorii Sacramentarium à Menardo editum.

„ At, si vetustissimo Pontificali Pictaviensi fides fit, qui Gregorianum ordinem sequebantur, quatuor dumtaxat; qui Gelasianum, duodecim lectiones pronuntiabant.

Codex Veron. pag. 101. *Item quarta Oratio* (post quartam lectionem in Vigilia Paschæ dicenda) *ADNOTATIO LXXV. pag. 101.

„ Pacem Dominicam, pacem quoque nostram, Deum Patrem Omnipotentem, qui pacis auctor est, postulemus, UT ADSIT IN ORDINATIONE SUA CATHOLICIS DUCIBUS, ET SARBARAS GENTES REFRÆNET: quatenus rebus omnibus sua lege compositis, ejus solummodo imperiis serviamus, cujus regnum. DEINDE DICIT DIACONUS. Pro prosperitate Principum, & tranquillitate temporum precemur Dominum.

COLLECTIO EJUSDEM.

„ Deus qui fidelium pace lætaris, dona servientibus tibi pacem, omnesque eorum actus, qui tibi servire cupiunt, placabili miseratione compone; quia Deus es pius in sæcula sæculorum.

Hæc Oratio, quoniam Libellum nostrum esse antiquissimi ritùs Gothico-Hispani satis superque demonstrat ex Ducibus, qui inter præcipuas Palatinorum dignitates, rerum potientibus Gothis, in Hispania numerabantur, paullo diligentius illustranda est ope Notarum Cardinalis Aguirrii To. II. Conc. Hisp. pag. 555. qui Ducum Officium ita describit: Dux apud Gothos semper primum locum obtinuit, vocatusque a Justiniano *spectabilis Dignitas*, cujus, ut vis nominis ostendit, id potissimum munus erat, ut in Provinciis bello ducendo gerendoque præficeretur. Unde Germani ex nobilitate Duces, & ex virtute sumebant, ad illosque in illa Provincia summa rerum deferebatur. Is enim fuit Gothorum mos Paulo Æmilio teste lib. 1. *Hist. Franc.* in Chereberto, cuique Urbi Magistratum dare, qui Dux appellaretur. Eum autem, quem Romæ præficiebant, vocabant Præsidem. Hinc Dux Tripolitanæ, & Byzantinæ Provinciæ, & Mauritaniæ, ac Numidiæ leg. final. Cod. *de Offic. Præfec. Præt.* Sic etiam Dux Rhaetici apud Vopiscum *in Bonoso*, & Dux limitis Scythici, Illyriciani, Thracii, & Orientalis apud eumdem in Aureliano. Ita & Claudius sub Witterico, Dux Emeritensis; Paulus sub Wamba, Dux Narbonensis. Patet id ex Cassiod. lib. 7. *In formula Ducatus Rhaetiarum* his verbis. „ *Ideoque validum te ingenio ac viribus audientes, per illam indictionem, Ducatum tibi credimus Rhætiarum, ut milites & in pace regas, & cum eis fines nostros so-*

„ *lenni alacritate circumeas. Quia non parvam rem tibi respicis fuisse commissam, „ quando tranquillitas Regni nostri tua creditur sollicitudine custodiri. Ita tamen „ ut milites sibi commissi vivant cum provincialibus jure civili: nec insolescat. „ animus, qui se sentit armatum; quia clypeus ille exercitus nostri quietem de- „ bet præstare Romanis.* „ Ex lib. 1. Cod. *de offic. Præfec. Afric.* Lib. 2. mandat Justinianus Ducem in Sardinia ordinari, ut Gentes Barbaricas ab ea militibus suis arceret, Provinciamque ab omni ostium incursu tueretur illæsam.

Habebat etiam Dux cum belli muniis civilem administrationem conjunctam; idque cùm ex aliis, tum ex Cassiodoro colligere licet, apud quem lib. 4. Variar. Theodoricus Rex Ibæ Duci in hunc modum scribit: *Præsenti tibi auctoritate præcipimus, ut possessiones Narbonensis Ecclesiæ, secundum præcelsæ recordationis Alarici præcepta a quibuslibet pervasoribus occupata teneantur, æquitatis facias contemplatione restitui. Quoniam versari nolumus in Ecclesiæ dispendio præsumptiones illicitas; dum nostra deceat tempora sedare confusa. Esto contra talia omnino sollicitus: ut qui es bello clarus, civilitate quoque reddaris eximius. Sic & arma tua, Deo juvante, corroboras, si justitiam mediocribus servare contendas. Improbis enim potuisse resistere, non prævales excusare; quando omnes tibi libenter cedunt, quem gloriosum in bellorum certamine cognoverunt.*

Idem etiam Cassiodorus indicat lib. 1. Variar. ubi Theodoricus Rex Servato Duci Rhætiarum scribens Epistolam II. jubet, ut mancipia, quæ Maniario cuidam a Breonibus ablata ferebantur, sua auctoritate sine mora curaret restitui, & lib. 5. Ep. 33. Wilitancho Duci Theodericus Rex expresse mandat, ut in adulterum Brandilam, secundum legum præscripta inquirere ne differret. Constat id idem ex Legum Wisigothorum lib. 2. tit. 1. leg. 17. qua cavetur, ut Dux Provinciæ, eos qui non accepta potestate ausi sunt judicare, acriter per se, vel per alium coerceat. Et lege sequenti jubetur Episcopus, qui honore Sacerdotali fretus, admonitionem Judicis contemnens, pro persona sua assertorem dare distulerit, confestim a Iudice negotii, seu a Provinciæ suæ Duce, vel Comite compulsus, quinquaginta solidorum damnum excipere.

Duces, Comites, & Gardinghi, erant tres dignitates Palatinæ apud Gothos præcipuæ, ut patet ex Leg. Wisigoth. lib. 9. tit. 2. leg. ult. ubi ita habes: *si majoris loci persona fuerit, idest Dux, Comes, sive etiam Gardingus.* Et infra lege eàdem, atque alibi sæpe, hi tres ceu eminentiores conjunguntur. Et ideo inquit Lex: *Id de cætera speciali decreto decernimus, ut quisquis ille est, sive sit Dux, sive Comes, atque Gardingus &c.* Atque hæc de Ducibus dicta sufficiant.

ADNOTATIO LXXVI. pag. 103.

Cod. Veron. pag. 103. *Orationes de Resurrectione Domini.* Brev. Moz. Tol. pag. 222. col. 1. *In Lætacione diei Paschæ.*

HYMNUS In Laudibus pag. 223. col. 1.

HIC est dies verus Dei
Sancto serenus lumine,
Quo diluit sanguis sacer
Probrosa Mundi crimina.
Fidem refundens perditis,
Cæcosque visu illuminans;
Quo nos gravi solvit metu,
Latrone absoluto.
Qui præmio mutans Crucem,
*Jesu brevi adquisivit * fides;* * leg. *fidem.*
Justoque brevior gradu
Pervenit in Regnum Dei.
Hoc opus stupens Angeli,
Pœnam videntes corporis;
Christoque adhærentem reum
Vitam beatam capere.
Mysterium mirabile!
Ut abluat Mundi luem,
*Peccata * tollas omnium,* * fortè leg. *tollit.*
Carnis vicia mundans caro.
Quid hoc potest sublimius?
*Ut * culpa quærat gratiam,* * leg. *culpam* . . . *gratia*
Metumque solvat charitas,
Reddatque mors vitam novam.
*Hamum * sibi mors devoret,*
Suisque se nodis liget;
Moriatur Vita hominum;
Resurgat Vita omnium.
Cum mors per omnes transeat,
Omnes resurgunt mortui;
*Consumpta mors * ictu suo*
Perisse se solam gemat.
Quæsumus, auctor omnium,
In hoc Paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis;
Cum Patre, Sancto Spiritu,
In sempiterno sæculo. *Amen.*

Quo.

Quo tempore Pascha foret celebrandum, olim dubitabatur in Hispania. Quare Metropolitani, ad omnes Episcopos literas dirigebant de die, quo Festum hoc celebrandum esset. Id constat ex Concil. Toletano IV. in quo statuitur, ut Metropolitani Sacerdotes ante tres menses Epiphaniorum literis se invicem inquirant, ut communi scientia edocti, diem Resurrectionis Christi Comprovincialibus suis insinuent. Item ex Conc. Tolet. X. in quo Cap.I. ita decernitur: *Cum nihil Fidei sinceritas per diversitatem incurrat, ut unitatem Catholicæ regulæ varietas nulla discerpat, est tamen, quod nisi temporum unitas conservetur, & discidium indiscissæ unitati parturiat, & Sacramentorum unitate constare non valeat. Hinc est, quod Paschale festum nisi uno die celebremus, & tempore, in Judaicum decidamus errorem.* Vide S. Isidorum lib.I. *de Officiis Ecclesiasticis.* Item num.54. *de Doctrina & Fide Ecclesiasticorum Dogmatum.* *ADNOTATIO LXXVII.

De brevitate Matutinorum officiorum Dominicæ Resurrectionis diei, non est quod miremur; quandoquidem post Lucernæ, ac Cerei benedictionem, postque celebratas media nocte solemni ritu vigilias, Cathecumeni, qui ad Ecclesiam processerant symbolum reddituri, ultimum scrutinium subire debebant; ac demum, exorcismis, & abrenuntiationibus consummatis, recitatoque symbolo, solemni ritu baptizabantur. Hæc est causa verissima, cur in nostro Libello tres tantùm Orationes, cum Benedictione, & Completoria ad Matutinum hujus diei habeantur. Pluribus nempe reliquum tempus esse non poterat, cùm nocturnæ vigiliæ, ut diximus, in multam noctem protraherentur, & reliqui Baptismi celebrandi ritus, qui mane agebantur, cum Officiorum prolixitate componi minimè possent. Etiam in antiquissimo Lectionario Gallicano a Mabillonio edito, ex notis numericis apparet, nullas pro Dominica Paschæ Lectiones ad Matutinum assignatas fuisse. *ADNOTATIO LXXVIII.

Quoniam Baptismus, ut præfatum est, hac die Cathecumenis conferri consuevit, videndum superest, an alia tempora eidem ministrando essent in Hispania Tarraconensi ætate nostri Libelli consecrata. *ADNOTATIO LXXIX.

Qui de VeteriEcclesiæ disciplina(ut inquitMartenius de antiq.Eccl.Rit.pag.2.) ex hodierno usu dijudicare solent, ii non nisi reluctanti animo audire fortè poterunt, duo dumtaxat olim in toto integro anno ad recipiendum Baptismum designata fuisse tempora: Paschalem scilicet solemnitatem, & Pentecosten: cum ex hujusmodi consuetudine evidenti damnationis æternæ periculo complurium animarum salus exponeretur. Et tamen constans est & indubitata apud eruditos sententia; quam infinitis prope veterum Scriptorum testimoniis comprobare possemus. Insignis est hanc in rem noster Libellus, qui in Orationibus suis ea duo tantùm tempora designat, vigilias scilicet Paschatis, & Pentecostes. In Vigiliis Paschalibus, Lectiones propter Cathecumenos pronunciatæ id satis superque demonstrant: atque opera creationis, seu sex dierum, in tota illa Paschali hebdomada per ordinem commemorata, (etiam in Br. Mozar. Toletano) ad regenerationis spiritualis pertinent Sacramentum. Præterea idem patet ex Oratione Completoria ad Matutinum Feriæ V.pag.105. ejusdem hebdomadæ, quæ expressè de Paschali Baptismate ita mentionem instituit:

Lucidi exortùs diei quinti primordium contuentes, in quo vivarum reptilia animarum, & volatilia tu, Deus noster, formare dignatus es, te poscimus, te rogamus, ut quos vivificans renovasti Baptismatis undà, hos resuscitando a vitiis pertrahas ad superna; & qui te valdè diluculo a mortuis surrexisse gaudemus, nos semper ad cælestia evolasse Resurrectionis tuæ munere gratulemur.

Huic addas & illam ad Vesperas * ejusdem Feriæ, quæ itidem sacro fonte renatos Deo conditori commendat: pag. 106.

Deus, qui in operatione quinti diei reptilia animarum vivarum, homines scilicet renovatos per Sacramentum Baptismatis, condidisti: & volatilia cæli, animas videlicet Sanctorum ad superna volantes manifesta virtutum luce, formasti; præbe animabus nostris invictum de tua Resurrectione solacium; ut per te renovati resurgamus ad gloriam, per quem regenerati sumus ad vitam.

In Vigiliis verò Pentecostes non minus aperta de Baptismo sunt nostri Libelli testimonia; sed quoniam longum esset ire per singula, unicum ex Benedictione ad pri-

*pag.116. primas Vesperas * tantæ Solemnitatis mutuatum in medium proferam . — *Spiritus Paraclitus, qui olim in Discipulos manifesto ignis est declaratus in munere, ignis sui calore a cunctis vos peccatis emaculet; & qui mæstificatis eorum cordibus clemens consolator occurrit, magno vos sui instruat gratia sacramenti; quique tunc Apostolos docuit veritatem, vos, & nunc enutriat fide, & post æternam perducat ad requiem.*

Exstant illis & plura Concilia, quæ idem expressè decernunt, ut Gerundense (an.517. coactum) Canone 4. & alia; sed ab iis allegandis supersedeo. Silere tamen haud possum, quòd cùm hisce Paschæ, & Pentecostes diebus, etiam Apostolorum, Martyrumque dies festos addidissent nonnulli Hispaniarum Episcopi sub finem quarti sæculi; ea de re commotus Siricius Papa scripsit ad Himerium Tarraconensem in hæc verba: *Sequitur deinde baptizandorum, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis & emendanda confusio, quæ à nostris Consacerdotibus, quod commoti dicimus, non ratione auctoritatis alicujus; sed sola temeritate præsumitur; ut passim, ac liberè in Natalitiis Christi, seu Apparitionis, nec non & Apostolorum, seu Martyrum festivitatibus, innumeræ, ut asseris, plebes baptismi mysterium consequantur: cum hoc sibi privilegium & apud nos, & apud omnes ecclesias, Dominicum specialiter cum Pentecoste sua Pascha defendat.* Idem etiam cum præsumpsissent Episcopi per Campaniam, Samnium, & Picenum constituti, non minori eos zelo redarguit Leo Magnus Epistola 136. novæ editionis, sic scribens: *Magna indignatione commoveor, & multo dolore contristor, quod quasdam ex vobis comperi ita esse apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos; ut præter Paschalem festivitatem, cui sola Pentecostes solemnitas comparatur, audeant sibimet, non aliqua humana infirmitatis necessitate cogente, sed sola indisciplinati arbitrii libertate, jus baptismatis vindicare, & in Natalitiis martyrum regenerationis celebrare mysteria.* Noster Libellus Orationum Siricii Papæ decretum fartum tectum fuisse ostendit adhuc sæculo VI. vel VII. quo ad usum Ecclesiæ Tarraconensis ipse literis mandatus est.

*ADNOTATIO LXXX. pag.103.

Cod. Veron. pag.103. Oratione prima (a) *ad Matutinum de Resurrectione Domini*, habet: „ *Incomparabili, Christe Deus noster & Domine, gaudiorum serenatur ex* LUCE *Conventus omnis Ecclesiæ &c.*

Item Oratione secunda:„ *Christe, qui olim gloriosæ noctis hujus* DILUCULUM *Resurrectionis tuæ mysterio consecrasti &c.*

Item Oratione Completoria ad Matutinum: *Christe Dei filius, qui venerabilis hujus* DIEI *excursum, & prius a te conditæ lucis, & post tuæ Resurrectionis mysterio consecrasti .... da .... ut peccata nostra amodo nobis nullatenus dominentur, ut qui Matutinum sacrificium pro nobis ipse oblatus es, in hoc Resurrectionis tuæ* TEMPORE MATUTINO *ob omni nos jubeas purificari peccato.*

Item in Benedictione ad Matutinum: *Christus Dominus, qui* HODIERNI DIEI CURSUM, *& in creationis principio lumine, & nunc Resurrectionis suæ mysterio dedicavit &c.*

(a) MATUTINI vocem pro Horis nocturnis adhibet nunc Ecclesia: & ita ubique semper noster Libellus Gothico-Hispanus. Quoniam verò illam Officii partem, quam LAUDES dicimus, etiam MATUTINUM appellant Sancti Benedictus, Aurelianus, & Isidorus in Regulis suis; Et Cassianus, Matutinum pro Laudibus, & pro Officio *Primae* non semel usurpat; nonnullis videri poterit idem dicendum esse etiam de nostro Libello, in quo, & *Laudes*, & *Prima* nusquam occurrunt; præsertim, cùm *Matutinum* in Ecclesia Tarraconensi ad primæ lucis exortum semper recitaretur, ut non solùm ex paulo superius prænotatis locis satis constat, sed etiam ex sexcentis aliis in toto ejusdem Libelli Cursu occurrentibus. Sed notandum est *primò*, Nocturnum Officium quod antiquissimis temporibus Tarraconе a media nocte circiter, initium ducebat, abrogatis postmodum ineunte Sæculo Sexto antelucanis conventibus, ad primam luminis claritatem fuisse protractum, exceptis Sabbati Sancti, Natalis Domini, & Sacratissimæ Pentecostes solemnioribus pervigiliis, in quibus nocturni cœtus retenti sunt. *Secundo* notandum est, eodem Sæculo sexto in Hispania solis Sabbatis, (ante solis occasum) atque Dominicis, aliisque Festis diebus Sanctorum in nostro Libello adnotatis, ad solas Vesperas, & ad Matutinum itum a Populo, actumque in Ecclesia conventum: reliquis verò hebdomadæ diebus per anni circulum, minori cum solemnitate, ac solo Clericorum interventu, Divina per-

peracta Officia. Utrumque colligo ex Concilio Tarraconensi, anno Christi 516. celebrato, in quo titulo 7. sic dicitur: *De Diœcesanis Ecclesiis, vel Clero id placuit definiri, ut PRESBYTERI, vel DIACONI, qui inibi constituti sunt, cum CLERICIS SEPTIMANAS OBSERVENT: idest, ut presbyter unam faciat HEBDOMADAM: qua expleta, succedat ei Diaconus similiter; ea scilicet conditione servata, ut omnis Clerus DIE SABBATO ad VESPERAM sit paratus: quo faciliùs DIE DOMINICO SOLLENNITAS CUM OMNIUM PRÆSENTIA celebretur: ita tamen, ut OMNIBUS DIEBUS VESPERAS, ET MATUTINAS CELEBRENT; quia desistente Clero (quod est pessimum) comperimus in Basilicis nec luminaria ministrari*. Igitur Festis tantùm Sanctorum, *Dominicisque* diebus (quæ ad Vesperas Sabbati præcedentis ingredicbautur) *solemnitas cum omnium præsentia celebrabatur*; reliquis verò temporibus anni Circuli, *Vesperas*, & *Matutinas* agebant Clerici *Privato Officio*, de quo fit mentio etiam in Concilio Tolet. IV. Can. 10. Quoniam verò in laudato Concilio Tarraconensi solas *Vesperas*, & *Matutinas* nominatas invenio, ac de ipsis tantùm habetur Officium etiam in CURSU nostri Libelli, præterquam a Mediana Quadragesimæ usque ad Resurrectiouem Domini, hinc aliud afferendæ antiquitatis ejusdem Libelli nascitur argumentum. In Concilio etenim Gerundensi septem Episcoporum, anno Christi 517. habito, inter multa, ista notantur: *De institutione Missarum, ut quomodo in Metropolitana Ecclesia fuerit, ita in Dei nomine in omni Tarraconensi Provincia, tam ipsius Missæ Ordo, quàm PSALLENDI, vel MINISTRANDI consuetudo observetur*; ac demum ita concludit: *Ita nobis placuit, ut omnibus diebus, post MATUTINAS, ET VESPERTINAS, Oratio Dominica a Sacerdote proferatur*. Concilium quoque Barcinonense, anno circiter Christi 540. celebratum, Canone 2. statuit; *ut Benedictio in MATUTINIS, Fidelibus, sicut in VESPERA, tribuatur*. Item Synodus Bracarensis, quæ apud Eminentissimum Aguirrium To. II. pag. 292. notatur *prima*, apud Labbeum verò Tomo V. col.836. *secunda*; & signatur an.561. celebrata, capitulo primo ita decrevit: *Placuit omnibus communi consensu, ut unus, atque idem psallendi Ordo in MATUTINIS, vel VESPERTINIS Officiis teneatur*. Denique Concilium Toletauum IV. (cui apud eundem Aguirrium To. II. pag.478. præfigitur hic titulus: *Gesta Synodalia in Toletana Urbe, in Concilio LXII. Episcoporum, Hispaniæ, & Galliæ* (Narbonensis seu Gothicæ) *Provinciarum, edita anno tertio, regnante gloriosissimo Domino nostro Principe Sisenando, die IX.* (a) *Decembris Æra DCLXXI.* (idest anno Christi 633.) Canone secundo sic sancit: *Placuit, ut omnes Sacerdotes ... nihil ultra diversum aut dissonum in Ecclesiasticis Sacramentis agamus .... Unus igitur Ordo orandi, atque psallendi nobis per omnem Hispaniam, atque Galliam conservetur; unus modus in Missarum sollemnitatibus; unus in VESPERTINIS, MATUTINISQUE OFFICIIS: nec diversa sit ultra in nobis Ecclesiastica consuetudo, qui in una fide continemur, & regno: hoc enim & antiqui Canones decreverunt, ut unaquæque Provincia & psallendi, & ministrandi parem consuetudinem contineat*. Hæc sunt quæ de Vespertinis, & Matutinis Officiis antiqui Cursus Hispani in Conciliis reperire nobis licuit. Ex quibus intelligimus, apud illas Ecclesias morem psallendi reliquas, *Cursus* horas seriùs admissum fuisse; saltem in publico Fidelium conventu; qui, ut diximus, non quotidie, sed tantùm Sabbatis, Dominicis, aliisque Festis diebus habebatur ad solas Vesperas, & Matutinum. His omnibus lucem afferet Cl. Mabill. qui in disquisitione de Cursu Gallicano pag 420. De nocturnis (inquit) Officiis id statuit anno DLXVII. Concilium Turonense secundum, canone 18. *Ut in diebus festis ad Matutinum sex antiphonæ binis Psalmis explicentur ... Septembri septem antiphonæ binis Psalmis: Octabri octo binis Psalmis; Novembri novem ternis psalmis; Decembri decem ternis Psalmis: Januario & Februario itidem usque ad Pascha*. Ubi obiter adverte, annum desinere iu Pascha. Sed quid sibi volunt (inquit) hæc similiaque verba? *Sex antiphonæ binis Psalmis explicentur*. an plures autiphonæ, quàm Psalmi? Immo bini aut terni Psalmi pro singulis antiphonis. Id ex consequentibus intelligitur ubi additur, ut vel *duodecim Psalmi* expediantur ad Matutinum. Ergo sub singulis antiphonis bini Psalmi canebantur.

Quid Patres Synodi Turonensis *Matutini* vocabulo hic significent, non levis est difficultas. Quidam hunc locum de uocturuo Officio interpretantur, quidam de

(a) Ita etiam apud Labbeum: sed apud Harduinum, *die Nonas*.

de solis Laudibus matutinis, quas *Matutinorum* nomine sanctus Benedictus, aliique veteres designare solent. Jam superiùs præmisimus, *Matutinum*, seu *Matutinos* ambiguæ esse significationis, quo nomine aliquando Laudes (ut vocamus), aliquando Primæ Officium exprimitur apud Cassianum; aliquando verò ipsum nocturnum Officium, quod matutinis horis celebrari mos erat in Dominicis diebus & festis minoris sollemnitatis. Duplicis quippe generis erant nocturnæ preces: aliæ *Vigiliæ* in sollemnioribus festis usitatæ, sic dictæ, quòd ab ineunte, aut certè a media nocte circiter initium ducerent: aliæ *Matutinæ* in profestis, & Dominicis, quibus tardiùs nocturnæ preces persolvebantur. In hoc significatu *Matutinum* sumitur in Concilio Venetensi anni CCCCLXV. canone 14. ubi præcipitur, *ut clerici qui in civitate fuerint, matutinis hymnis intersint*; & in Concilio Turonensi præmisso. Hanc enim esse istius Concilii sententiam persuadet primo Patrum exemplum, ex Cassiano petitum ad probandum duodecim psalmorum numerum apud Ægyptios monachos receptum tam *in nocturnis*, quàm *in Vespertinis conventiculis*. Deinde nequaquam verisimile est, solum Laudum Officium, omissis precibus nocturnis, à Patribus Turonensis Synodi fuisse institutum. Ad hæc non is erat Laudum ritus per id tempus in Gallicanis Ecclesiis, qualis in eo Concilio assignatur. Nam ad Officium *temporis matutini* seu Laudum Gallus Arvernorum Episcopus, morti proximus, recitavit *psalmum quinquagesimum*, *benedictionem* seu canticum trium Puerorum, & *Alleluiaticum psalmum*, id est psalmum 148. & duos sequentes, qui *Alleluia* pro titulo habent, testante Gregorio de vitis Patrum cap. 7. Præterea idem Gregorius nocturnas publici officii preces non uno in loco *Matutinos* appellat. Primus locus est in lib.I. de miraculis sancti Martini cap.33. *Tertio autem nocte, postquam advenimus ad sanctam basilicam, vigilare disposuimus, quod & implevimus.* Has vigilias Gregorio cum suo clerico privatas fuisse constat ex contextu narrationis. *Mane autem facto*, subdit Gregorius, *signo ad* MATUTINAS *commoto, reversi sumus dormitum*. En signum publicarum de nocte precum, quæ hic *Matutinæ* vocantur. Alter locus est apud eumdem Gregorium in lib. de vitis Patrum cap.8. ubi Nicetius Lugdunensis Antistes, cùm aliquando *surrexisset* ad MATUTINUM, *expectatis duabus antiphonis, egressus dicitur in Sacrarium: ubi dum resideret, Diaconus responsorium Psalmum canere cœpit*, nimirum post lectionem.

* ADNOTATIO LXXXI. Hora Divinorum Officiorum quæ dicitur *Prima*, in nostro Orationario nullibi occurrit. De ea verò etiam S. Isidorus silet. Cæsarius Arelatensis Episcopus, teste Cypriano Episcopo Tolonensi in libro primo de ejus vita Tertiam, Sextam, ac Nonam in suam Ecclesiam primus invexisse videtur: sic enim ibidem legitur n.110. *De profectibus itaque cunctorum sollicitus & providus Pastor statim instituit, ut quotidie Tertiæ, Sextæque, & Nonæ opus in Sancti Stephani basilica Clerici cum hymnis cantarent: ut si quis fortè secularium vel pœnitentium sanctum opus exsequi ambiret, absque excusatione aliqua quotidiano interesse posset Officio*. Et num. sequenti: *Adjecit etiam, atque compulit, ut laicorum popularitas Psalmos & hymnos pararet, altaque & modulata voce, instar clericorum, alii græcè, alii latinè prosas antiphonasque cantarent: ut non haberent spatium in ecclesia fabulis occupari*. Idem Sermone 140. Appendicis novæ Augustinianæ: *Et ideo rogo vos, fratres carissimi, ad Vigilias matutinas surgite: ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia convenite. Nullus se à sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis necessitas tenuerit occupatum. Nec solum vobis sufficiat, quod in ecclesia divinos lectiones auditis: sed etiam in domibus vestris, aut ipsi legite, aut alios legentes requirite, & libenter audite*. Ita Cæsarius ad laicos homines Civitatis Arelatensis.

Nullam his locis vides fieri mentionem de *Primæ* Officio; sicut nec in Constitutione Injuriosi Episcopi Turonensis. Cassianus quidem, qui medio Sæc. V. Massiliæ floruit, lib.3. Institutionum cap.4. ait *Matutinam solemnitatem in Occiduis vel maxime regionibus* observatam. Atque, ut docet idem Mabillonius de Cursu Gallic.pag.406. illa Matutina solemnitas, *Primæ Officium* est. Sed Cæsarius, Cassiano inferior ætate, nullam, ut vidimus, *Primæ* facit utrobique mentionem. Reponet aliquis ipsum in appendice Regulæ suæ eam Diebus Dominicis ac festis apertè præscribere, cum inquit: *Deinde dicenda est Prima cum Psalmis sex, & hymnus, FULGENTIS AU-*

AUCTOR ÆTERIS: *Lectiones duæ, una de Veteri, alia de novo Testamento & capitellum. Hoc modo Dominica, vel Sabbato, & majoribus festivitatibus fieri debet.* Ut locorum discrepantiam conciliem, respondeo, *Primæ* Officium Clero Turonensi, de quo agit Injuriosi Constitutio, non fuisse præscriptum, sed tantum Monachis (de quibus Cassianus loquitur), & sanctimonialibus fœminis, quas Cæsarius in Regula attingit.

Aliarum verò Horarum, quæ postmodum Vespertinis, ac Matutinis Officiis accesserunt, & in nostro Libello non habentur, præterquam tempore Quadragesimæ a *Vigesima* ad Feriam V. in Cœna Domini, mentionem quidem facit S. Isidorus; de Ecclesia tamen Turonensi, quæ tertia est Lugdunensis, memoriæ prodidit Gregorius sub finem Historiæ suæ, laudatum Injuriosum Episcopum *Tertiam, & Sextam* tantummodo ibidem instituisse. *Quod modò*, subdit, *in Dei nomine perseverat.* Hæc sub annum DXXX. Paullo post, id est anno DLXVII. Concilium Turonense Secundum ordinem psallendi præscripsit, qui tam *in ipsa basilica Sancta* Beati Martini, *quàm* in aliis *ecclesiis* servaretur. Hujus rei gratia conditus est Canon 18. in quo quid singulis anni mensibus *ad Matutinum* psallendum sit, definitur, nulla aliarum Horarum mentione facta, nisi Sextæ, & Duodecimæ, sed tantùm comparando veterum de Sexta & Duodecima institutum cum Matutini observatione, quam Concilii Patres instituerunt, nempe ut non minùs quàm sex Psalmi in Matutino, id est in Nocturno Officio, persolvantur: cùm ad Sextam, & Duodecimam totidem Psalmos *Patrum statuta* præceperint, scilicet Ægyptiorum, de quibus Cassianus in libro secundo suarum Institutionum capitibus 5. & 6. ubi *hunc numerum* duodecim Psalmorum, tam in Vespertinis, quàm in *nocturnis conventiculis* custodiendum *Angeli magisterio* institutum fuisse dicitur. Ubi *nocturno conventicula* non alia sunt quàm *Matutinum* Concilii Turonensis, cujus Patres ad hunc locum respexerunt. Itaque ad Tertiam, & Sextam, quas Injuriosus in dies ordinaverat, Concilium adjecit singulis etiam diebus Matutinum. Ante id tempus sub Perpetuo Metropolita habitum est anno CCCCLXV. Concilium Veneticum, cujus canone 15. sancitum est, *ut idem ordo sacrorum & psallendi observaretur intra Provinciam, & sicut unam*, inquiunt Patres, *cum Trinitatis confessione fidem tenemus; unam & Officiorum regulam teneamus*. Et Canone 14. *ut clerici, qui in civitate fuerint, Matutinis hymnis intersint*. Jam ergo in provincia Turonensi ordo psallendi erat institutus, sed fortasse non pro singulis diebus, sed pro diebus festis. Unde Injuriosus in dies feriales Tertiam, & Sextam instituit. Hæc Mabillonius loco citato.

Lucernarium (de quo S. Isidorus Regulæ Cap.7.) erat precatio quædam ad accendendas Lucernas. Vesperarum namque Officium in Ecclesiis Hispaniæ tribus constabat partibus, Lucernario videlicet, Vespertino, & Sono; de quibus Concilium Emiritense Can.2. hæc habet: *Sicut in Fide Sancta, nostra est unanimitas, ita pro Sancto Dei Officio debet esse intentio* (fortè *consensio*) *summa. Oportet igitur, ut sicut in aliis ecclesiis vespertino tempore, post lumen oblatum, prius dicitur Vespertinum, quàm Sonum in diebus festis; ita & à nobis custodiatur in nostris Ecclesiis.* *ADNOTATIO LXXXII. pag.105.

Huc respicit Completoria ad Vesperum Feriæ IV. post Resurrectionem Domini quæ legitur in nostro Libello pag.105.

Ecce, Domine, vesperum quarti hujus diei OFFICIOSIS LUMINARIBUS frequentamus, in quo luminaria in firmamento cæli, quasi in solidamento legis insigniens, quattuor videlicet Evangelistorum uno voce canentium corda inlustrare dignatus es: quò te in quattuor mundi partibus, & mortem pro nobis gustasse, & a mortuis surrexisse, unitis vocibus nunciarent. Te ergo petimus, te rogamus, ut in hujus vitæ obscuritate ita resurrectionis tuæ in nobis præfulgeat gratia, ut resurrecturi mereamur pertingere ad coronam. Paria habentur in Completoria ad Vesperum *in die S. Hippolyti*, pag.131. Plura vide in nostris adnotationibus supra, pag.CCXXX.

Diximus supra pag. CCVIII. in Adnotatione XXXIV. totam fortasse hebdomadam Paschæ Domini festivo ritu in universa Hispania fuisse antiquitùs celebratam. Certè apud Ecclesiam Tarraconensem eum morem obtinuisse Sæculo VI. vel VII. ex nostro Libello Orationum satis constat, in quo habetur Officium proprium *ADNOTATIO LXXXIII. pag.107.

 ad

ad singulos illius hebdomadæ dies, atque *ad Matutinum de Octavis Domini* hæc legitur Completoria pag. 107.

Decurso, Christe Domine, Paschalis sollemnitatis officio, & tuæ resurrectionis gaudio consumato, quo verum lumen mundo de tenebris effulsisti, qua cæcis mentibus coruscasti; adoramus, ecce prasternimur ante te Deum, qui veteris fermenti malitiam azimis sinceritatis & veritatis excludens, omnem corruptionem adulterinis permixtionibus intra puritatem ac simplicitatem fidei non relinquis, & azimorum diem nobis ipse absque humani seminis fermento azimus dedicasti: petentes, ut publica fidei vota arbiter devotionis aspicias: ut completum passionis ac resurrectionis tuæ cultum pius propitiator intendas; & quoniam per te gratia & veritas facta est, veritate tua instruas ad intellectum, quos gratia perduxit ad cultum.

* celebrati anno 694. Porrò Sæculo VII. insigne exstat hac de re Concil. Tolet. XVII. * testimonium. *Si quis (inquit) in Clero constitutus ab Ecclesia sua diebus solemnibus defuit, idest Nativitate Domini, Sancta Epiphania, Pascha, vel Pentecoste; dum potius secularibus curis studet, quàm servitia suo parere convenit, triennio à communione suspendetur: Similiter Diaconus, vel presbyter* SI TRES HEBDOMADAS *ab ecclesia sua desuerit, huic damnationi succumbat.*

Concilium item Matisconense Secundum statuit canone 2. ut istis sanctissimis sex diebus, qui Paschæ diem subsequuntur, *nullus servile opus audeat facere: sed omnes simul coadunati, hymnis Paschalibus indulgentes, perseverationis nostræ præsentiæ quotidianis sacrificiis ostendamus, laudantes creatorem, & regeneratorem nostrum Vespere, mane & meridie.* Avitus Viennensis Episcopus in feria Sexta Paschæ sermonem habuit, cujus fragmenta extant. Vide Cl. Virum P. Leodegarium Mayer in Explicatione Litterali Ceremoniarum Ecclesiasticarum parte III. cap. 13. pag. 517. & seq.

Iisdem quoque VII. diebus Paschalis solemnitatisquotidiana Communio Tarracone in usu erat, ut liquet ex alia Completoria nostri Libelli ad Vesperas Sabbati ante *Octavas Domini*.

pag. 107. * *Christe, Dei Filius, nostrarum requies animarum, qui atium Sabbati requiescent in tumulo complevisti: ut in quo olim requieveras ab omni opere facienda, in eo etiam requiesceres in sepulcro, hunc nobis veraciter sanctificans diem, cujus vesperum in prima nobis Sabbati, quæ & octava est, die lucescit: ut, qui dixeras de tenebris lumen splendescere, manifestè a mortuis resurgens appareres in carne; dirige cursum vitæ nostræ in viam sanctificationis omnimodæ, qualiter ita in his septem diebus, quibus mundus iste peragitur, & in quibus cotidie nobis Agnus occiditur, & Pascha cotidie celebratur, salubriori vitæ curriculo conversemus: ut absque fermenta malitiæ verum Pasca mereamur cotidie celebrare: & ita ab omnibus operibus nostris sanctificatione tibi placita quiescamus, ut octavi illius æterni diei de resurrectionis gloria consolemur.*

Lege etiam Completoriam ad Vesperas ipsius Resurrectionis diei, pag. 103.

*ADNOTATIO LXXXIV. pag. 107. Cod. Veron. pag. 107. *Die Sabbato de Octavis Paschæ.* Br. Moz. Tol. pag. 229. col. 3. *Sabbato in Octavas Paschæ.*

H Y M N U S, ad Vesperum, pag. eadem col. 4.

TE centies milia legionum Angelorum
Concentu plaudunt, & canora jubilant,
Christe Jesu Alpha & Omega omnipotens,
Sepultus olim, & vivens in sæcula,
Testis fidelis, & verum principium.
Qui mundi hujus dejecisti Principem,
Redimens Orbem tuo almo Sanguine;
Sanctus & verus genitus ingeniti,
Reserans clausum, & apertum obstruens,
Faciens nos Deo Regnum, Sacerdotiumque.
Tu verus agnus solus sine macula,
Qui dextram Patris conlocatus Solio,
Solus egressus ab arco Dominica,
Similis Jaspidi, & Sardino lapidi,
Tris per girum, smaragdus circuit.

Tu Dei pignus, hominisque Filius,
Septies librum signatum signaculis
Solvere signa dignus repertus es:
Agnus occisus septem pollens cornibus,
Septeno fulgens & lumine flammeo.
E Throno prodeunt fulgura, & Tonitrua,
Septem ardentes ante Thronum lampades,
Septem ubique missi Dei Spiritus,
Septem stellæ micant agni dextera,
Septem cui adstant candelabra aurea.
Sedentes circum qualiter seni Primates,
Amicti cuncti niveis cicladibus,
Et laureati diademis aureis,
Aureas vehunt fialas aromatum,
Aureis psallunt modulis, & citharis.

Stan-

Stante Throno nitet mare vitreum,
Bis bini fore idem animalia:
Homo per genus, leo voce præstrepit,
Juvencus ore promit Sacerdotium,
Petens ad astra more volantis aquila.
Quattuor formis senis alii singulis,
Ante & retro cuncta plena oculis,
Vigilant semper, sine requie Vi-
cissim, Sanctus, ter clamantes jugiter;
Illi, qui erat, est, & qui venturus.
Gloria Patri, laus, sapientia
Agno sedenti supra Thronum in cælis;
Cum Patre regnat & cum Sancto Spiritu,
Connexa simul tribus una Deitas,
Per infinita saeculorum sæcula. Amen,

In Missali Mozarabico omnes primæ Lectiones ad Missam, a Paschate ad Ascensionem, ex Apocalypsi desumptæ sunt. In antiquissimo Lectionario Gallicano ita passim, non tamen semper. Idem dictum esto de nostro Libello antiquissimi ritùs Gothico-Hispani, in quo antiphonæ benè multæ, ac Orationes ad Apocalypsim rediguntur. Concilium Toletanum IV. Canone XVII. sub gravi interminatione definit, ut liber Apocalypsis a Paschate usque ad Pentecosten Missarum tempore in Ecclesiis prædicetur: ait enim *Apocalypsim librum multorum conciliorum auctoritas, & Synodica Sanctorum Præsulum Romanorum decreta, Joannis Evangelistæ esse præscribunt, & inter Divinos prædicare contendunt. Si quis enim deinceps, aut non receperit, aut à Pascha usque ad Pentecosten, Missarum tempore in Ecclesia non prædicaverit, excommunicationis sententiam habebit.*

Cod. Veron. pag. 107. *De Octavis Paschæ*. Br. Moz. Tol. pag. 230. col. 2. *Dominica in Octavis Paschæ &c.* exeunte Vespera.

Vide Aurelii Prudentii Hymn. VIIII. Libri *Cathemerinon*, cui titulus, *Omnis Horæ*.

H Y M N U S ad Vesperaa. pag. 231. col. 2.

*PSallat altitudo cæli, * psallant omnes angeli,*
Quicquid est virtutis usquam psallat in laudem Dei:
*Nulla linguarum silescat, * vox sed omnis consonet.*
*Da puer plectrum, choreis * canam fidelibus*
Dulce carmen, & melodum, gesta Christi insignia,
Hunc Camena nostra solum pangat, hunc laudet lyra.
Christus est, quem rex sacerdos adfuturum protinus
Infulatus concinebat voce, chorda, & tympano,
** Spiritu cælo fluentem per medullas hauriens.*
Facta nos, & jam probata pangimus miracula.
Testis est orbis; nec ipsa terra quod vidit, negat,
** Quominus Deum docendis proditum mortalibus:*
Corde natus ex parentis, ante mundi exordium,
Alpha & ω cognominatus; ipse fons, & clausula
** Omnia, quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt.*
*Ipse jussit, & creata *; Ipse dixit, & facta sunt:*
Terra, cælum, fossa ponti, trina rerum machina,
Quæque in his vigent sub alto solis, & lunæ globo;
*Corporis * forma caduci, membra morti obnoxia*
*Induit, ne gens periret * primoplausti ex germine,*
** Miserat quem lex profundo * noxiali tartara.*
*O beatus ortus ille, Virgo * quæ puerpera*
Edidit nostram salutem, fæta sancto spiritu;
*Et puer Redemptor orbis * consacratum protulit.*
Gloria & honor Deo usquequaque altissimo,
Una Patri, Filioque, Inclito Paraclito;
Cui laus, & potestas per æterna sæcula. Amen.

* Prud. in laudato Hymno vers. 22. habet, *psallant te.*
* Prud. *Vox & omnis*
* adde, *ut*, ex Prud.
* *Spiritum cælo influentem*
* *cominus*
* *Omnium*
* Dixit ipse
* *formam*
* *primoplausti* Prud. *protoplasti*
* *merserat.*
* *noxialis tartaro.*
* *cum*
* *Os sacratum*

Dominica *in Octavis Paschæ*, dicitur CLAUSUM PASCHÆ in antiquissimo Lectionario Gallicano edito a Mabillonio, itemque in Missali Gothico. Et sic fortasse legendum apud Gregorium Turonen. in Histor. lib. 10. cap. ultimo, ubi *clausum Pascha* legitur. Id nomen nactum dicit Cangius ex eo, quod hac die (a nobis *Dominica in Albis* nunc dicta) *Paschalium solemnitatum solemnitas clauditur.* Sapienter quidem. Noster tamen Libellus duplicem hujusce nuncupationis afferre videtur rationem: in Completoria enim ad Matutinum inquit: *Decurso, Christe Domine, Paschalis Solemnitatis Officio, & tuæ Resurrectionis gaudio consummato ... adoramus, ecce prosternimur ante te Deum ... petentes .... ut completum Possionis*, *ac*

* ADNOTATIO LXXXV. pag. 107.

et Resurrectionis tuae cultum pius propitiator intendas &c. Et in Benedictione, quæ consequitur, ait: *Christus Dominus, qui clausis ad Discipulos ingressus est januis &c.*

*ADNOTATIO LXXXVI. pag. 107.

In nostro Libello Divinorum Officiorum Gothico-Hispano quatuor Dominicæ numerantur post Octavas Paschæ: quinque verò in antiquissimo Lectionario Gallicano (ut colligitur ex numericis notis, tametsi amisso uno quaternione desint Missæ tres, & media pars Lectionum pro Dominica quarta): sex demum in Missali Mozarabico recensentur. At in Breviario itidem Mozarabico Dominica secunda caret officio. Mirum est in Missali Gothico nullam Missam adnotari post CLAUSUM PASCHÆ de Dominicis consequentibus.

*ADNOTATIO LXXXVII. pag. 113.

Cod. Veron. pag. 113. habet partem Officii *de Cruce*, quod caret initio, & titulo. Brev. Moz. Tolet. die III. Maji pag. 365. col. 2. *In Festo Inventionis Sanctæ Crucis*. Gaudet Officio, & Hymno proprio.

H Y M N U S.

Pange lingua gloriosi
Prælium certaminis,
Et super Crucis trophæum
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor Orbis
Immolatus vicerit.
De parentis protoplasti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morte morsu corruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.
Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret:
Et medelam ferret inde,
Hostis unde læserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus Orbis conditor:
Atque ventre Virginali
Carne factus prodiit.
Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia:
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat:
Et manus, pedesque, crura
Stricta cingit fascia.
Lustra sex, quę jam peracta*
Tempus implens corporis,
Se volente, natus ad hoc,
Passioni deditus,
*Agnus * in Cruce levatur,*
Immolandus stipite,
Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, clavi, lancea:
Mite corpus perforatur,
Sanguis, unda profluit:
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavantur flumine!
Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis:
Nulla talem sylva profert
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulcem clavum,
Dulce pondus sustinet.
Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa viscera:
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas:
Ut superni membra Regis
Miti tendas stipite.
Sola digna tu fuisti
Ferre precium sæculi:
Atque portum præparare
Nautæ Mundi naufrago,
Quem sacer cruor perunxit,
Fuso Agni sanguine.
Laus tibi per omne tempus
Trinitas indifferens:
Laus, honor, virtusque summa,
Singularis gloria:
Quæ te Deum sæculorum
Personet in sæcula. Amen.

* lege, *qui jam peregit.*

*magis placet, *in Crucis.*

Cod. Veron. post *Orationes, quæ ad Matutinum usque ad Ascensionem dicendæ & replicandæ sunt*, pag. 113. habet Officium Matutinale de Cruce, sed, ob avulsum folium, (ut dixi) est mutilum; & nescio an inscriberetur, *In Inventione S.Crucis*, ut in Br. Moz. Tolet. & in Missali Gothico. Hujus Missam hic exscribo, quæ supplebit nostrum mancum Codicem.

* Missale Gothicum, *in Inventione S.Crucis.*

* „ Gloriemur in Cruce Domini Nostri Jesu-Christi, Fratres Carissimi, & „ tota mentis exultatione lætemur: & hujus diei festivitatem cum grandi reve„ rentia, & spiritali gaudio celebremus in qua Cruce ipse Dominus Noster & Sal„ vator pro nostra salute pependit, & Diabolum triumphavit. Per hanc ergo „ Crucem, malæ concupiscientiæ adpetitum, quod dulcedo arboris inlexit, „ amaritudo fellis coercuit: & gulæ desiderium, quod suavitas pomi decepit, ace„ ti asperitas refrenavit. Sal.

COL-

COLLECTIO.

„ Dona nobis omnipotens Pater per mysterium Crucis Unigeniti tui : ut venenum serpentis antiqui (quod fidelibus nititur propinare) per illud medicamentum, quod Christi manavit latere possit à fidelium pectoribus expurgari : quosque transgressio præcepti de Paradiso expulit, confessio nominis Christi in Paradiso reformet. Sal.

POST NOMINA.

„ Domine Jesu Christe, qui in patibulo Crucis suspensus, Patrem, ex forma servi quam susceperas, ut quid te dereliquerit, adclamasti : & ut persecutoribus veniam tribueret postulasti : tuam supplices implotamus clementiam : ut quod tunc pro suscepta carnis humilitate a Patre expetere videbaris : nunc cum eodem, connexa semper Divinitatis potestate, consistens præstate digneris. Sal.

AD PACEM.

„ Deus, qui Ecclesiam tuam catholicam, quam tuo sancto Sanguine redemisti, numquam derelinquis ; nobisque indignis in eadem concurrentibus, criminum indulgentiam placatus concedis : & qui Latronis tecum in Cruce pendentis confessionem justificate dignatus es ; quæsumus, ut omnium in te credentium fidem augeas, multiplices, & solita pietate pacem, quam custodire jussisti, inlibatam in nos conservare digneris. Sal.

CONTESTATIO.

„ Dignum & justum est, omnipotens Deus, tibi sacrificiorum vota persolvere, te in laudis præconio indesinenter adtollere, ac utriusque, & illius scilicet habitatoris Paradisi, & istius Redemptoris humani generis exempla proponere. Ille quidem prior, sed iste melior : ille terrenus, iste cælestis : ille de limo factus, iste verbo conceptus. Tunc diabolo suadente, Eva decipitur ; nunc Angelo nunciante, Maria clatificatur. Tunc per invidiam Serpentis homo qui fuerat creatus, perimitur : nunc per misericordiam redimentis homo, qui perierat, liberatur. Tunc homo mandatum non custodiendo, de Paradiso pellitur ; nunc Latro Christum Dominum confitendo, Paradisum meretur. Unde supplices rogamus, clementissime Pater, per inclytæ Crucis inenarrabile Sacramentum, & per Domini Nostri Jesu-Christi Filii tui admirabile regnum : ut ejus festivitatem celebramus, hodiernum diem, in quo Crucis nos omnes cum lætitia spiritali, & modesta exultatione peragere, & inter cælestium Virtutum laudes, humilitatis nostræ voces suscipias, multiplici confessione ita dicentes. Sanctus.

Hoc festum item præscriptum est in Otdine Gregoriano, & antiquissimum esse probat Pamelius, ob illa quæ ait Micrologus.

Cod. Ver pag. 114. *In Die Ascensionis Domini*. Brev. Moz. Tol. pag. 235. col. 1. *In Ascensione Domini*. Gaudet Officio & Hymno proprio. *ADNOTATIO LXXXVIII. pag. 114.

* Auctoris incerti. Vide *Poet. Vet Eccl.* p. 799. A. 1. & Hymnar. Ven. Card. Thomasii pag. xxxiii.

* HYMNUS, Ad primas Vesperas.

Æterne Rex Altissime,
Redemptor & Fidelium,
Quo mors soluta deperit,
Datur Triumphus gratiæ.
Quem lex subacta Tartari,
Marcens Averno dispulit ;
Carens macrone pessimo,
Throno remisit Patris.

Scandens Tribunal dexteræ
Patris : potestas omnium
Conlata Jesu est cælitus,
* *Qui non erat humanitus.*
Ut trina rerum machina,
Cælestium, Terrestrium,
Et infernorum condita
Flectant genu jam subdita.

* *Quæ*

Nec

Nec sit salus ullo modo
Tuo foris vocabulo;
A quo creata cuncta sunt,
Et recreata sancta sunt.
Hac tanta Christi gratia
Nexum tulit peccaminum;
Sumpsitque corpus proprium,
Totumque possidet Polum.
Tremunt videntes Angeli,
*Versa vice * mortalium,*
*Culpat caro *, & purgat caro,*
Regnat Deus Dei caro.
Quæ præminet virtutibus
Summis procul cælestibus:
Deus caro, atque spiritus,
Plenus Deus, verusque homo.
Dicunt ex astris Angeli,
Demum reverti hujusmodi,
Quem nos redire credimus,
Regnare prorsus novimus.

* add. hoc
* deest &

*Tu * Christe nostrum gaudium,*
*Manens * Olympo prædictum;*
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.
Hinc te precantes quæsumus,
Ignosce culpis omnibus;
Et corda sursum subleva
Ad te superna gratia.
Ut cum rubente cœperis
Clarere nube Judicis,
Pœnas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.
Da nobis illuc sedula
Devotione tendere,
Quo te sedere cum Patre,
In arce regni, credimus.
Gloria Tibi Domine,
Qui scandis supra sydera;
Cum Patre, sanctoque Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

* esto nostrum
* Olympi prævium

Codex Veronensis in Benedictione ad primas Vesperas diei Ascensionis Domini pag. 114. hæc habet: *Christus Dominus, qui adsumtum hominem paternam ascendendo perduxit ad sedem, perducat vos ad æternæ gloriæ libertatem; Quique, si exaltatus esset a terra, promisit omnia trahere ad se ipsum, nullum ex vobis patiatur a suo esse corpore separatum; sed sibi vos in fine coronandos statuat, qui SOLUS in vestro corpore ascendendo cælorum penetravit secreta.* Item in Oratione undecima ad Matutinum: *Jesu, Dei Patris Filius, qui te post Vulnera Crucis ascensurum ad Patrem esse testaris; dignare in nostris cordibus ascensus beneplacitos tibi disponere: ut qui nostra SOLUS ascendendo es glorificatus in corpore, ad eum, qui tibi natura, nobis adobtione est Pater facias nos quandoque placituros ascendere.* Arduum est definire, utrum ii qui unà cum Christo *surrexerunt, & exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis*, secundò obierint, an potius simul cum corpore ascenderint cum Christo in Cœlum. Sunt in utramque partem non opiniones tantum, sed & Auctoritates Divinarum Scripturarum, atque Sanctorum Patrum testimonia. Sanctus Ignatius Martyr in sua ad Magnesios Epistola, ut animadvertit Clarissimus Augustinus Calmet in dissertatione *de Resurrectiane Sanctorum Patrum*, ita Resurrectionis Prophetarum meminit, quasi beneficii absolutissimi, neque subjectos illos iterum morti vel leviter quidem insinuat. Origenes quoque in Matthæum Tractatu 35. innuit viros illos sanctos Resurrectionis Jesu Christi comites, euntem pariter in Cælum esse sequutos. Et luculentiùs in Canticum Canticorum * asserit, Illum è mortuis resurgentem unà secum ad vitam revocasse eos, quos mortis captivos detineri comperit; secum autem in Cælum non spiritus tantùm, sed & corpora illorum rapuisse, ut (ait ille) docet Evangelium, ex quo multos viros Justos vitæ restitutos in sancta civitate Dei viventis visos intelligimus. Accedunt his aliorum Patrum testimonia, quibus persuasum est viros illos Sanctos ad vitam immortalem revocatos fuisse, atque in corpore pariter & in anima cælesti beatitudine donatos. Verùm opposita huic sententia, docens Viros illos in corpore Cælo receptos non fuisse, juxtà laudatum Calmet alteri præstat, tum Sacræ Scripturæ locis, tum Patrum auctoritatibus, tum denique rationum momentis, quæ vide in ejus Dissertatione præfixa Commentario Literali Evangelii Sancti Matthæi. Sanctus Ambrosius Capite VII. in Job asserit Jesum Christum gratiam futuræ Resurrectionis nobis promeruisse; *Sed* (ait) *tunc solus ipse resurrectione perpetua resurrexit*. Quæ verba cum Orationibus nostri Libelli superius recitatis mirè concordant. Porrò Sanctus Augustinus, qui revocat in examen argumenta ferè omnia in utramque partem prolata, libratis demum omnium rationum momentis, statuit Epist. 164. minus sibi persuaderi, justos ad vitam revocatos cum Jesu Christo, ad Cœlos in corporibus ascendisse. Aliter credit ipse dari non posse Christo nomen *primogeniti mortuorum*; neque aliter constare locum Apostoli *, Deum nimirum providentiæ suæ consilio id voluisse, ut Patriarchæ perfectam operum suorum mercedem ante nos nequaquam acciperent. Addit tandem, im-

* pag. 545.

* Heb. XI. 40.

imbecilliorem futuram alioqui vim argumenti S. Petri, qui è sepulcro Davidis, in Judæa sua adhuc ætate spectato, Judæis demonstrat, Davidem ipsum corruptionis expertem non fuisse, ac proinde alio planè spectare Textum Psalmi secundi. Hæc scribenda erant, ut ii, quibus secunda sedet opinio, Ecclesiam Tarraconensem eidem adhæsisse cognoscant. De Deipara Virgine hic quæstio non est, quoniam eam *Assumptam* in Cælum post transitum indubiè tenemus.

In Lectionario Gallicano, ut observat Mabillonius, prima lectio Missæ Ascensionis est ex novo Testamento, id est ex Actibus Apostolorum: in Mozarabico ex capite 4. Apocalypsis, *Ego Johannes fui in spiritu, & vidi &c.* Lectio secunda in Mozarabico eadem est cum prima laudati Lectionarii: Evangelium ex Johannis capite 16. *vado ad eum qui misit me*. Apud Paulinum in Natali IX. de Sancto Felice Ascensio inter majores Festivitates non numeratur; sed tantùm Natale Domini, Epiphania, Pascha, & Pentecostes. Secùs in nostro Libello Gothico-Hispano, ut patet ex Rubrica Completoriæ ad Vesperum, itemque ex Orationibus positis post Octavas Paschæ pag. 109. juxta Antiphonas congruentes, *quæ ad Matutinum usque in Ascensionem Domini* (quotidie, ut videtur) *dicendæ, & replicandæ sunt*. Porro, ut inquit Mayer in explicatione Ceremoniarum Ecclesiasticarum Parte III. Cap. XVI. inter Festa ab Apostolis instituta etiam Ascensionis Dominicæ festivitatem connumerat Augustinus his verbis: * *Sicut quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio, & Adventus de cælo Spiritus Sancti anniversaria solemnitate celebratur, quod servatur ab universa quocunque se diffundit Ecclesia*. Celebratur autem die Quadragesimo a Resurrectione Domini, quo Christus Jesus videntibus Discipulis assumptus est in cælum, & sedit a dextris Dei. Ideo a Patribus tempus medium inter Pascha & Ascensionem dicitur Quadragesima, Lætitiæ scilicet Paschalis. De qua idem * Augustinus in hunc modum loquitur: *Quadraginta ergo temporum curriculo conversationem suam Discipulis suis Salvator exhibuit; scilicet ut tanto numero Resurrectionis ejus gratia lætemur, quanto & Passionis ejus injurias fleveramus, totidemque temporum spatio ea reficeremur præsente, quo jejunamus absente*. Fuitque, & est etiamnum in hos quadraginta dies tanta fidelibus reverentia, ut in plerisque Regionibus a lusibus publicis, qui cum strepitu exercentur, abstinerent, & abstineant, in memoriam quòd Redemptor noster post Resurrectionem per 40. dies apparens, & loquens de regno Dei cum Apostolis, in terris conversatus sit. Exstat fragmentum ex Sermone Aviti Episcopi Viennensis *de Ascensione Domini*, de qua etiam Hymnum cecinit Ennodius.

*Adnotatio LXXXIX. pag. 116.

* Epist. 118.

* Serm. 60. de Pentecost.

Benedictio ad Vesperas diei Ascensionis Domini habet de Angelis hominum præsidio & custodiæ deputatis insigne testimonium. Vide nostrum Libellum pag. 116. Item in Officio *de Nativitate S. Joannis Baptistæ* pag. 121. exstat quædam Benedictio ad Vesperas, in qua legitur: *Omnipotens Deus Pater .... Angelicis vos custodiis munitos a malis omnibus dignetur eripere &c.*

*Adnotatio XC. pag. 116.

Peculiaris est etiam Oratio quæ habetur post Canticum ad Matutinum hac die Ascensionis Domini in Breviario Mozarabico ... *Qui devictâ morte, Paternam ascendendo repetis Sedem, da virtutem REGIBUS NOSTRIS; exalta tuæ gloriæ majestatem. Amen.*

Cod. Veron. pag. 116. *In Die Sancta Pentecosten*. Brev. Moz. Tolet. pag. 248. col. 2. *In Sanctum Pentecosten*. Gaudet Officio & Hymnis propriis.

*Adnotatio XCI. pag. 116.

HYMNUS I. ad primas Vesperas pag. ead. col. 3.

Sacrate veni Spiritus
Ore Patris Paraclite:
Pollicitus qui dudum
Johele vate, editus.
Temporibus novissimis
Implenda inquit viscera;
Deo cunctorum placida
Vaticinate insignia.
Quem Deus noster hac die
Profusus effudit discipulis;
Ascendens, ut promiserat,
Morte derelicta ad Sedem.
Quos videns cæca, & invida
Judæa plebs sic fatetur;
Plenosque musto clamitant,
Dum non credunt magnalia.
Quos Petrus constans arguit:
Non, ut putatis, vino
Sunt repleti, sed Spiritu,
De quo Propheta loquitur.
Post hoc recepta plurimi
Verbo rimantes cordibus,

Audi-

Auctaque plenitudine,
Christi junguntur agmini.
Mysterium absconditum,
Quondam quod erat Israeli,
Nunc revelatum canitur,
Ostensum in Apostolis.
Hic dies Quinquogesimus,
Qui jubilæus traditur,
Solemne nobis gaudium
Remissionis (a) *proprium.*
Hymnum dicamus & Patri,
Hymnum dicamus Filio,
Simul cum Sancto Spiritu,
Intenta voce, & pectora. *Amen.*

* *Hic hymnus in Lib. cui titulus,* Poet. Vet. Eccl. *D. Hilario tribuitur* pag. 800 A. 14.

* H Y M N U S secundus, In Laudibus pag. 249. col. 4.

B*Eata nobis gaudia*
Anni reduxit orbita;
Cum Spiritus Paraclitus
Effulsit in discipulos.
Ignis vibrante lumine,
Linguæ figuram detulit;
Verbis ut essent proflui,
Et charitate fervidi.
Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pavent gentilium:
Musto madere deputant,
Quos Spiritus repleverat.
* *mystica* *Patrata sunt hæc* * *mysticè,*
Paschæ peracto tempore;
* *dierum* *Sacro* * *die numero,*
* *fit* *Quo lege* * *fit remissio.*
Te nunc, Deus piissime,
* *cernuo* *Vultu precamur* * *cernui;*
* *nobis* *Inlapsa* * *vobis cœlitus*
Largire dona Spiritus.
Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia;
Dimitte nunc peccamina,
Et da quieta tempora.
Anni peractis Mensibus
Tanta recurrunt gaudia;
Votisque dudum credulis
Optatus advenit dies.
In quo Spiritus Domini
Terram replevit gaudiis:
Cœlestis adventus sui
Mundo decurrunt lumina.
Quod est probatum testibus
Apostolorum vocibus;
Cùm sint diversis oribus
Variis locuti gentibus.
Tanto redempti munere
Patris, & Nati, Spiritui,
Juges agamus gratias
Deo perenni in sæcula.
Gloria tibi Trinitas,
Æqualis una Deitas,
Et ante cuncta sæcula,
Et nunc, & in perpetuum. *Amen.*

Nullum Officium præscribitur pro Vigilia Pentecostes in nostro Libello Gothico, neque in Lectionario Gallicano. An repetendum (inquit Mabillonius) ex vigilia Paschæ? Certè Vigilia Pentecostes in Mozarabico notatur ad Nonam. Quod jejunii indicium est: cujus tamen nullum apud Isidorum vestigium invenio, nullum in utroque Pamelii, & Menardi Sacramentario, nullum denique apud Ambrosium in Sermone 60. Neque enim S. Ambrosii videtur esse Sermo ille, cujus fragmentum refertur Distinct. 76. cap. 9. ubi auctor festum Pentecostes cum Paschate comparando, ait in vigiliis utriusque fuisse jejunatum: *Tunc enim, sicut modò fecimus, jejunavimus Sabbato, vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes instituimus.* In Missali Mozarabico lectio prima pro die Pentecostes, ex Apocalypsis cap. 22. lectio secunda, eadem cum laudato Lectionario Gallic. uti & tertia, quæ in Mozarabico brevior est, definitque in hæc verba, *non turbetur cor vestrum, neque formidet.*

*ADNOTATIO XCII.

Pentecostes Festum olim in Hispania non ubique celebrabatur ineunte sæculo IV. Id constat ex Concilio Eliberitano; quod, ut hujusmodi errorem corrigeret, ita decrevit cap. 43. *Pravam institutionem emendari placuit juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes celebremus.* * *Quod qui non fecerit, quasi novam hæresim induxisse notetur.*

*al. *post Pascha celebremus.*

Præterea tempore Concilii Tolet. X. apud nonnullas Ecclesias in Hispania dies Pentecostes vagua erat, & varius. Quare cap. 1. Patres ita conqueruntur: *Adventum Spiritus post Resurrectionem Dei nisi expectemus tempore definito dierum, simul, & numero, non possumus impleri ejusdem Spiritus dono. Quoniam si caret plenitudinis numero, carere potest & Mysterii Sacramento.* Præcipua Anni festa Concil. Agathense commemorans Canone XXII. ponit Pascha, Natalem Domini, Epiphaniam Domini, Ascensionem Domini, *Pentecosten*, & Natalem San-

(a) Oratio 6. Mat. nostri Libelli in die Sancto Pentecostes, Confessionem Sacramentalem adversùs Hæterodoxos asserit in Ecclesia. Vide Libellum pag. 117. *Christe Dei Filius &c.*

Sancti Joannis Baptistæ. Quibus diebus, illis qui in agro oratorium habebant, non licebat in eo, sed in civitate Sacro Missarum interesse, ut patet ex eodem loco, & ex Divo Isidoro libro *De officiis Ecclesiasticis*.

Codex Veron. pag. 116. *In die Sancto Pentecosten* ad Matutinum Oratione 3. habet *O Spiritus Sancte, qui* A PATRE FILIOQUE PROCEDIS, *doce nos facere veritatem: ut qui de Patre, Filioque accepisti processionem, indivisibili nos his, o quibus tam ineffobiliter procedis, adsocies caritate*. Lectori non erit ingratum, si hic integram Observationem Doctissimi Card. Aguirrii *in Fidei formulam Concilii Toletani primi*, ad illustrationem mox recitatæ Orationis nostri Libelli, (quæ tanti momenti est) in gratiam Græcorum exscribam. Inquit ergo pag. 136. Tomi II. Conciliorum Hisp. ADNOTATIO XCIII. pag. 116.

„ Qamvis a tempore Concilii Nicæni cautum fuisset, ne qua Fidei formula institueretur, præter ibidem præscriptam; certum est postea in tot illis controversiis Arianorum adversus Catholicos, plures formulas introductas fuisse ab illis, ac valde diversas, præsertim à S. Hilario, & Socrate, qui illas exscribunt. Immo & Concilium II. Oecumenicum, idest Constantinopolitanum I. ad expugnandum Pneumatomachos, qui solidam Spiritus Sancti Deitatem negabant, addendum quippiam censuit Symbolo Nicæno. Nimirum ad illa ejus verba, *& in Spiritum Sanctum*; adjecit, *& vivificantem, qui à Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur*. Ad refellendam namque hæresim recens exortam, visum fuit Sanctissimis illis Patribus adjicere ea verba, quibus luculentiùs tradebatur idipsum, quod jam antea Patres Nicæni minùs apertè docuerant, quoniam eorum tempore non fuerat mota circa Spiritum Sanctum controversia.

Dum verò id Concilium C. P. in Oriente celebrabatur, aut paullo ante, Priscillianus in Occidente excitavit hæresim suam, quæ omnia ferè fundamenta Christianæ fidei convellebat, & ex orco revocabat Manichæorum, Gnosticorum, & aliorum quorundam errores. Quapropter PP. Toletani censuerunt oportunum formulam istam proponere, in qua Symbolum fidei tam Nicænum, quàm C. P. comprehenditur; & præterea plura alia adjiciuntur, ex diametro contraria totidem deliriis Priscilliani: ut hujus sequaces, aut suspecti de ea hæresi illam publicè ac distinctè execrarentur.

Mirabile autem est, quòd in eadem formula dicatur palam de Paracleto, sive Spiritu Sancto, A PATRE FILIOQUE PROCEDENS. Quæ veritas non fuerat explicata, nec definita eousque in Ecclesia, in Symbolis Apostolico, Nicæno, aut Constantinopolitano; immo nec postea plurimis Sæculis definita legitur in ullo alio Oecumenico Concilio, usque ad Lateranense IV. sub Innocentio III. anno Christi MCCXV. Nimirum altè insedit Patribus Hispanis, Tarraconensibus, Carthaginensibus (sub quorum Provincia tunc computabatur Toletum), Lusitanis, & Bæticis, ea veritas, tamquam satis contenta in multis Novi Testamenti locis, & palam tradita a SS. Patribus eousque tam Græcis, quam Latinis. Quapropter eandem veritatem postea alii Patres Hispani professi sunt in Coucilio Toletano III. anno 589. & in IV. anno 633. & in VIII. anno 653. ac tandem in XI. anno 675. multò antequam Græci controversiam ea de re excitarent „. Hæc Eminentissimus Aguirrius.

Verba quoque Symboli Constantinopolitani, tam in Orationibus Pentecostes, quàm alibi sæpè noster Libellus usurpat: quod singulare Hispanis omnino est. Nam Cardinalis Bona lib. 2. cap. 8. num. 2. morem recitandi illud Symbolum exponens *Hispani* (inquit) *primi inter Latinos receperunt*. Exstat Canon 2. Concilii Tolet. III. in quo ita decernitur: *Pro reverentia Sanctissimæ fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu piissimi, & gloriosissimi Domini ... Reccaredi Regis, sancta constituit Synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, vel Galleciæ, secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquoginta Episcoporum, Symbolum fidei recitetur; ut priusquam Dominicà dicatur oratio, voce clara a Populo decantetur: quò & fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus & sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant*. Hoc Symbolum habetur etiam in Conc. Tolet. XII. Item in Missali Mozarabico, cujus Officium quotidie in Cappella insigni novorum Regum (quæ & Mozarabum dicitur) solemniter celebratur cum additione processionis

Spiritus Sancti A PATRE FILIOQUE, idque factum antequam in nullo alio universali, Nationali, aut Provinciali Concilio definitum fuerit, ut latè ostendit laudatus Cardinalis Aguirrius Tom.2. Theologiæ S. Anselmi disputatione 91.

*ADNOTATIO XCIV. pag. 116. Noster Libellus Oratione secunda *in diem Sanctum Pentecosten* hæc habet:

Tuo, Domine, Verbo cæli sunt facti, & Spiritu oris ornati: quia apud beatam Trinitatem nihil discretum in opere, nihil reperitur sequestratum in munere, quando ea quæ Pater facit, & Filius, ea etiam indivisè operatur & Spiritus Sanctus: cælestis ergo fabrica spiritu oris perficitur. Tribue proinde nobis, ut opera tua cognascamus in fide, dum te Deum Trinitatis, & essentialem credimus, & æqualem.

* Item Oratione Nona Matut. ejusdem diei.

* pag. 117. *Omnium rerum Creator & Dominus docuit sapientiam, in qua est Sanctus Spiritus, uniens, simplex, multimodus, subtilis; & unus Pater, unus Filius, unus Spiritus Sanctus, non pluralitate Deitatis ostensi, sed unitate virtutis innexi. Et unione personæ careant, & unitate naturæ permaneant: nec sit illic aliquid diversum, ubi in singulis resonat unum. Hac igitur te, Sancta Trinitas, fidei cognitione credentes, poscimus, & rogamus, ut manifestatione Spiritus tui ita cor nostrum inradies, ut, & carnis opera declinemus, & perfectionem sanctitatis omnimodæ consectemur.*

Quoniam in Monito ad Lectorem, quod huic primo Tomo præfiximus, in inquirenda antiquitate Symboli Athanasiani sedulam operam nos locasse videmur, ut testes antiquiores in medium proferremus, operæ pretium erat duas superiores orationes nostri Libelli hic erudito Lectori observandas proponere, ex quarum testimonio ad anteriora tempora laudatum Symbolum retrahebatur. Nobis porro Symboli Athanasiani certissima quædam lineamenta exhibere videntur. Etiam Concilium Toletanum Sextum anno 638. celebratum Canone primo paria habet conceptis verbis expressa: nam, ut animadvertit Clarissimus Joseph Antelmius in sua nova Disquisitione, Sectione secunda, numero octavo, in Fidei professione quam Toletani Patres emittunt, has Symboli formulas consectantur: *Deus, perfectus & homo, ut homo Deus esset unus Christus &c.* tum in fine: *Hac fide corda purificantur: non est in alia fide salus.* Quæ quidem ad istas alludere videntur locutiones, quibus Symbolum explicit, *Hæc est fides &c.* Sed expressiora sunt schemata, quibus præcedens quarta Toletana Synodus usa erat, ubi legitur: *Nec Personas confundimus, nec substantiam separamus: Patrem a nullo factum, vel genitum dicimus: Filium, a Patre non factum, sed genitum &c.* & in finem simili modo: *Hæc est Catholica Ecclesiæ fides, quam quisque firmissimè custodierit, perpetuam salutem habebit.* In his enim (inquit laudatus Athor novæ Disq. in Symb. Ath.) ipsissima Symboli verba recitantur, & ide n orationis character intermicat.

*ADNOTATIO XCV. Miratur Mabillonius de Liturg. Gallic. pag. 157. unam tantum in Lectionario Gallicano Dominicam post Pentecosten locum habere: cùm plurium post Epiphaniam, & post Pascha Dominicarum Officia assignentur. An alio in libro (inquit) pro aliis Dominicis præscripta erant Officia? At frustra appositum fuisset in titulo, *Proxima Dominica post Pentecosten*. In Missali Gothico Gallicano assignantur sex *Missæ Dominicales*. Ergo eas repeti necesse erat. Idem in Mozarabico, in quo septem dumtaxat Missæ habentur post Pentecosten, usque ad Dominicam ante jejunium Calendarum Novembrium. Itaque repetebantur illæ Missæ, quando Festa Sanctorum in Dominicas non incurrebant. Idem de nostro Libello dicendum videtur, in quo nulla exstant Dominicorum dierum Officia post Pentecosten.

Cod.

Cod. Veron. pag. 119. XIV. *Kal. Julias*. *Incipiunt Orationes in die SS. Adriani, atque Natalie*. Br. Moz. Tolet. pag. 369. col. 3. *In Sancti Adriani, & Natalie.* Gaudet Officio, & hymno proprio. *ADNOTATIO XCVI. pag. 119.

H Y M N U S, ad primas Vesperas pag. ead. col 4.

Hierusalem gloriosa, Mater una Martyrum,
Sors beata post labores, impiorum post turbines,
** Quetuorum læta cursu promptior adtolleris;* * leg. *que*
Terge luctum, sume plausum, pande portum civibus:
Excipe quas sustinebat post triumphos lætior,
In quibus victrix refulsas, da decus victoriæ.
Adrianus cum Beata conjuge Natalia,
Ferculum duplex amoris, unio carismatis,
Munus igneum, pignus almum, cælibe connubium:
*Hoc die tibi dicantes vota * conscientiæ* *leg., si placet, *continentiæ*.
Cursibus ad te recurrunt, hinc ovantes invicem
Dant Deo dona vicissim conjugalis gratiæ.
Enitet ille supremo passionis stigmate;
Hæc piæ compassionis destinato munere:
Cursus est diversus illis, sors, & una gloria:
Hic viris pre spe superna conligatis miscitur;
Aductari cum Beatis semper optat ilico:
*Hincque vacis inligatur, * hincque rursus traditur.* * Br. Moz. *huicque*.
Uxor hunc visura surgens percitis congressibus,
Carceres adit remotes, castra cernit Martyrum;
Osculatur vincla beata, fert vira constantiam.
Suadet utpose Palestræ vim Sacræ certaminis;
Suadet hinc promissa cæli, suadet & plus perpeti,
Voce, vota impetrato muneris instantis.
Liber hic jam evocatur vinculis carnalibus;
*Ceditur, ex * interrant nexibus distenditur,* *·*hic cubat error*.
Et pedum compage truncus corpore dissolvitur.
Cara hujus in supremis mota conjux osculis;
Surge dixis, pone dextram, quam recisam conjugē
Des mihi pignus amoris, des stipem dulcedinis.
Is manum libens tetendit, quam recisit carnifex:
Nec mora mox inter ipsa enecatur vulnera,
Conjugem dote fecunda sanguinis hæreditat.
Quæ sacri laboris usum prorogant certantibus,
Quidquid est pænale, subffat: molle victum debile
Præmonet, jubet, fovetque provocatrix gloriæ.
Cernetres virile robur, fervidis conatibus
Artubus fessis mederi, conligare vulnerum
*Inditis plagas fomentis, vel * medullis congruis.* *forte *medelis*.
Serviens manu, vel ore Martyrum discrimini,
Fert eis consulta pacis, fert cibum solaminis;
Obsequens effecta cunctis, plectitur in singulis.
Quæ tamen viri corona per triumphos reddita,
Dum suum corpus piorum inlinit cruoribus,
Nil minus perfert ab illis, in quibus hæc vicerit:
O Sacrum verè honestum vinculum connubii,
O novus cursus laborum junctionis unicæ!
Ambo currunt, ambo vincunt, est utrisque gloria.
Hęc tua, Custos Superne, munerum diversitas.
Pertrahas, signes ad illam laureandos Patriam,
Qua tibi laudes Beati post agones insonant.
Clarus ille bis coruscat Michael Archangelus,
Utpote Deus patrandis eminens virtutibus,
Dat locum novum vigoris de favore muneris:
Hujus ergo impetratu, vel tuorum Martyrum,
Ferte nobis hunc medelam, qua reatum diluas,
Criminum nodos resolve, da fomentum gratiæ.
Quo tremenda judicantis cum dies inluxerit,
Festa quorum prædicamus, misceamur gaudiis;
Et quibus non est corona, sit Fides ad gloriam.

Laus tibi per omne tempus Trinitas indifferens,
*Laus, honor, virtusque summa, singularis * gloria,*
*Quæ Dominum * te sæculorum personat in sæcula. Amen.*

* Br. Moz. Tol. pag. 374. col. 3. in Hymno S. Joannis Baptistæ ita legit — *gloria, quę dium te seculorum persones in secula. Amen.*
* Br. Moz. *Domini*

Wandelbertus die octava Septembris, ait:

Martyr & Adrianus Romam tum sanguine comit.

Quo versu, Adrianus Romæ à Vvandelberto videtur attribui. Nicomediæ tamen passum Martyrologi cæteri constanter asserunt; & quidem eàdem die octava plerique. Ex Hieronymianis tamen (inquiunt continuatores Bollandiani To. VII. Junii pag. 521. in notis ad Martyr. Usuardi) pro alterutra parte decidi nihil potest, cum, & IV. Martii, & VIII. Septembris *Passio*, vel *Natalis* disertè ponatur. Est & in Beda, *Natale Sancti Adriani Martyris cum aliis XXIII.* Porro quidquid sit de vero Martyrii die, qui nec ex Actis ipsis satis eruitur, certum est Festivitatem SS. Adriani & Nataliæ in Hispania Tarraconensi solemniter recoli XVI. Kal. Julias, sive id primæ translationis, sive Basilicæ dedicationis, sive alia demum caussa invaluerit. Eorum Acta, quæ exstant apud Surium die 8. Septembris pag. 90. §. 7. pluries edita sunt, ex quibus diffusam narrationem compilavit Ado, strictiorem ex hoc Notkerus, brevissimam denique Usuardus, sed omni difficultate expeditam, adeoque verissimam; cum Acta ipsa variis circumstantiis decompta, ab eruditis nonnullis revocentur in dubium; & Tillemontius tomo 5. pag. 154. rotundè afferat, nec probari, nec propugnari posse. Vide ejus notas citato tomo a pag. 641. Nos de iis ex nostro præsertim Libello judicium proferri volumus. Natalia, quæ una cum S. Adriano legitur in nostro Orationario antiquissimi Ritus Gothico-Hispani, à Romano parvo disertè ponitur VIII. Septembris: *Et Nataliæ.* Ado eodem die sub finem Historiæ asserit ipsam *Bizantium enavigasse, & post paucos dies adventus sui dormitionem accepisse, sepultam vero Kalendis Decembris.* Satis patet hinc ansam cœpisse Usuardum ut Nataliam eodem die Kalendarum Decembrium collocaret. In Martyrologio MS. Tornacensi S. Martini una cum Marito, diei quartæ Martii illigatur. Agit de utrisque Eminentissimus noster Card. Baronius in notis ad Martyr. Rom. quarto Nonas Martii, Sexto Idus Sept. ac demum Kalendis ejusdem mensis.

* ADNOTATIO XCVII. pag. 120.

Cod. Veron. pag. 120. *VIII. Kal. Julias Incipiunt Orationes de Nativitate S. Joannis Baptistæ*, Br. Muz. Tol. pag. 372. col. 4. *In S. Joannis Baptistæ*. Gaudet Officio, & Hymnis propriis.

* De Auctore horum duorũ seq. Hymn. vide de Tamayum in Martir. Hispann ad diem 24. Junii To. III. pag. 594.

* HYMNUS Primus. Ad primas Vesperas, pag. 373. col. 1.

Nativitatem Pueri,
Prophetamque Altissimi,
Esse dicit quem merito,
Corde canimus, & ore.
Vetulisque Parentibus,
Alvo conceptus sterili,
Extrema Mundi tempora,
Partum præcessit Virginis.
Ut vox clamans in invio,
Adnuncians Justiciam,
Christi clarus præconio
Viam pareret cordibus.
Intra materni corporis
Adhuc locutur viscera,
Accepto sensit spiritu,
Mundi salutans Dominum.
Exultet Infans gaudio,
Et lucem lucis filium
Intra naturę tenebras
*Nec dum progressus * judicat.* — * indicat
Mater prophetat, annciat
** Te esse plenam gratia;* — * Mariam
*Non * ex virili commertio,* — * exabundat
*Sed Dei * fœta mysterio.* — * leg. fœtum
Ac sic in diem sæculi
Verbum ructandum sit Dei;
*Facta Mater * sterilis,* — * hęc
Fructum præsagit Virginis.
** Matre majorem Filium,* — * Tamayo, O Matris mirum filium.
Sanctum Ministrum Baptismi:
Sic se priorem post natum,
Lumen perfudit Dominum.
Deum Patrem cum Filio,
Simul cum Sancto Spiritu,
Unum potentem nomine
Fusis oremus precibus. Amen.

Item

Item HYMNUS II. in Laudibus pag. 374. col. 3.

* Br. Moz. linguam

*PAnge * lingua Zaccharię*
Sacerdotum Principis,
Cui copulata conjux
Ab Aaron filiabus
Thalamorum inhærebat
Solita præuuntiis.
Operibus Sanctiores
Præpollebant cæteris;
Ac sinceris in mandatis
Incedebant Domini,
Et nulla prole conlata
Pergebant ad senium.
Mox enim hora refulsit
Incensorum tempore,
Suetum gestabat Vates
Ignem in thuribulis,
Sacris deferens odorem
Nectareum atriis.
Audit cœlitus affatum,
Et fontrum Nuntium,
Cujus candore pręvise,
Tremor autem inruit,
Blandis robustiorem
Reddidit sermonibus.
Ecce adjuncta tibi cuncta,
Conjux pariet sobolem;
Quem protinus nuncupabis
JOANNEM vocabulo:
Cujus totum prędicatur
Per Orbem Nativitas.
Hic coronandus Magnus,
Matris infra uterum
Replebitur Spiritu-Sancto,
Præcursurus Dominum,
In virtute, Spirituque
Premissurus Heliæ.
Talia Sacer; è contra
Sic respondit Angelo:
Ecce jam nostra sub carnes
Marcuerunt viscera:
Ac vetulis denegatur
Sensibus posteritas.
Ego sum missus ab astris
Angelorum socius;
Et tu divinis videris
Pręceptis incredulus,
Propter quod curens loquelo
Eris tacens labiis.
Temporibus jam completis,
Natus infans cernitur,
Cujus nomen pręnotavit
Pater in volumine,
Vincule soluto linguæ
Conlaudavit Dominum.

HYMNUS III. ad secundas Vesperas, pag. 374. col. 4.

PVer hic sonat Joannes
Geniti Dei alumnus,
Domini potens amicus,
* Rutilans ** Rutilis lucerna Orbis,*
Rutile peracto sole.
* Sapientia loquelę ** Sapientię loquellę,*
Deitatis aptus index,
Vetulę refusus alvo,
Uteri senilis ortus,
Patrio decore clarus.
Precibus fave, rogamus,
Pietas redundet alma,
Miseris adesto nobis,
Repleat salus labentes.
Faciens remitte cunctis.
Patriam regat modestia,
Acies recedat, ensis
*Periment ruat. * per mentem* * leg., prementem
Gladium retundat ignis,
Jugulum reclinet hostis.
Sit honor Deo, & uni —
— Genito ab ere Patris; * gloria
Sit Paraclito perennis,
Similis, tenax potestas,
Et apex honoris alti.
Amen.

Circa Officium *de Nativitate S. Jo: Baptistæ*, tria observo. I. Mutilum esse Cursum hujusce Festivitatis in nostro Libello Gothico-Hispano: & tamen in eo adhuc 21. Orationes ad Matutinum superesse. Adeo solemnis erat hæc dies in Ecclesia Tarraconensi! II. Lectiones olim, sive ad Nocturnas, sive ad diurnas horas ex Isaiæ Prophetia desumtas fuisse eo ex loco, ubi legitur, *Vox clamantis in deserto*, testante id in primis S. Augustino in Sermone 288. & 289. Quod ipsum confirmat nostri libelli tertia Antiphona, quæ habet: *Vox clamantis in eremo*. III. in vetustissimo codice Bibliothecæ Regis Francorum post Missæ tertiæ orationes haberi etiam collectas *Ad fontes*; ad quos proinde, perinde ac in Paschate & Pentecoste, post Vesperas fiebat processio; fortè quia olim in Galliis hac die celebrabatur baptismus. Scribit namque S. Augustinus in Sermone 196. novæ editionis, quod in Natali S. Joannis, *de solemnitate superstitiosa pagana Christiani ad mare veniebant, & ibi se baptizabant*. Id quod ipse improbat: *Absens eram*, (inquit) *sed sicut comperi per disciplinam Christianorum presbyteri commoti, quibusdam dignam & ecclesiasticam disciplinam dederunt*. Eamdem superstitionem damnavit S. Cæsarius Sermone 277. in appendice Sermonum S. Augustini his verbis: *Ne ullus in festivitate S. Joannis, aut in fontibus, aut in paludibus, aut in fluminibus, nocturnis aut matutinis horis se lavare præsumat: quia ista infœlix consuetudo adhuc de paganorum obser-*

vaa

vatione remansit. De temporibus in Ecclesia Tarraconensi Baptismo deputatis, vide supra quæ diximus in die Pentecostes.

* ADNOTATIO XCVIII. pag. 120.

Kalendarium Carthaginense editum a Mabillonio habet: *VIII. Kal. Jul. Sancti Johannis Baptistæ*. Eodem die hodiernus Adonis textus in Martyrologio paucis hisce circumscribitur: *Nativitas Præcursoris Domini*; quemadmodum etiam legunt Beda, Romanum parvum, & Rabanus. Longior est Adonis oratio inter festivitates Apostolorum. Sed hoc certissimum videtur, ubique indicari *Nativitatem secundum carnem*; nempe, peculiari Joannis prærogativâ, ab omni ævo in Ecclesia celebratam; quod nulli hominum, præterquam Servatori, & Præcursori ejus contigisse, apud Florentinium ex Ambrosio à Petro de Natalibus eductum asseritur. Nimirum Deiparæ Nativitas necdum peculiari cultu erat consecrata. Porro Nativitatem Joannis etiam apertè denotat Vvandelberti versiculus:

Octavo natus colitur Baptista Joannes.

Apographa Hieronymiana Nativitatem aliam, seu Natalem diem, aut, si ita vis, corporis cum capite depositionem, indicare videntur, dum sic legunt: *In Provincia Palestino, Civitate Sebastia, Natalis sancti Johannis Baptistæ*. Quæ eadem ipsa repetuntur XXIX. Augusti, quando ab aliis, & universa modò Ecclesia *Decollatio* ejus recolitur. Si cui de celebratissima nascentis Christi Præcursoris festivitate, imo collectis quodammodo festivitatibus plura inquirere lubeat, habebit in sequenti Disquisitione, quo plane satietur. Interim Eruditus Lector adeat Bollandianos (ex quibus ista mutati sumus) in notis ad Martyrologium Usuardi To. VI. Junii, pag. 357. atque eorum Coriphæum Papebrochium hac die toto capite 2. a pagina 698. ad 711. Florentinii quoque exercitationem 13. à pag. 786. item alteram à pag. 857. & Tillemontium tomo I. à pag. 82. atque in notis à pag. 482., cum lucubrationibus Papebrochii, quæ à curiosis lectoribus conferri poterunt.

De Festo Nativitatis S. Johannis Baptistæ in Ecclesia Occidentali, & Orientali. Insignis Disquisitio RR. Patrum Bollandianorum, ex Tomo IV. Junii Actorum Sanctorum excripta.

* pag. 698. * PRÆ *aliis duabus* Conceptionis, & Decollationis Sancti Joannis Baptistæ *festis*, *venerationem in Ecclesiis tam Occidentis*, *quàm Orientis habuit semper ejus* Nativitas, *in qua gavisuros*, *multos prædixerat Angelus Zochariæ Patri*. *Præcellentiæ istius indicium sunt*, *apud Græcos quidem*, *ex institutione S. Sabæ*, *duplex* Officium Vespertinum, Minus, *atque* Majus, *quod non sit in aliis*; *ut de ipsius diei auctiori Officio taceam*, *in quo congeruntur poemata plurium celebrium Hymnographorum*, Joannis Monachi, Anatolii, Andreæ, Byzantii, *atque* Cassiæ, *cum duplici item Conone*. *Apud Latinos festo huic peculiaris est vigilia*, *à populo jejuno peragenda*, *& cum Octava*. *Et in vigilia quidem sub vesperom olim fiebat Missa propria*; *de nocte item una*, *similiter propria*; *ac denique ipso die*, *tertia*. *Ita liber Sacramentarum S. Gregorii*; *nisi quod*, *ubi in excusis legitur* prima de nocte, *in Mss. quibusdam scribitur* prima mane, *aut* mane prima. *Alcuinus in libro de Officiis Eccles. rationem reddens*; Ideo, *inquit*, tres Missæ celebrantur in festivitate S. Joannis, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venir, ut viam Domino præpararet exemplo suæ conversationis; qui triumphus celebratur in Vigilia ejusdem: per ministerium Baptismi claruit insignis; & hujus ministerii triumphus in prima Missa recolitur: Nazaræus permansit in utero matris (*mallem*, ex utero, *legere*); & hoc donum recolitur in die. *Quod ad Vigilias attinet*, *ea*, *ut fidelibus ex Apostalica institutione fuerint ante quamvis Dominicam festosque dies usitatæ*, *proprium tamen non habebant primitus Officium*; *quo fit*, *ut neque in vetustissimo Carthaginensis Ecclesiæ Kalendario sæculi V.* * *neque in Missalibus*, *& Le-*

* neque in nostro Libello Gothico-Hispano.

Lectionoriis Gallicanis quibusdam ante annos nongentos exoratis, ulla fiat mentio Vigiliorum, nisi forte ad Festum Natalis Dominici, & Paschatis. S. Ambrosius videtur illam primus instituisse, hoc ordine. INGRESSA, sive introitus: Justus non conturbabitur. SUPER POPULUM: Virtutum cælestium Deus, qui nos annua B. Johannis Baptistæ solennia frequentare concedis; præsta quæsumus, ut per te securis eadem mentibus celebremus; &, ejus patrocinio promerente, plenæ capiamus securitatis augmentum. *Lectio Jeremiæ Prophetæ ex cap. I. uti in Romano, sed triplo productior, scilicet usque ad finem primi Capitis; similiter initium Evangelii secundum Lucam, usque od versum 26. id est ad missionem Gabrielis in Nozareth. Tunc sequitur Oratio* SUPER SINDONEM, *eadem quæ in Romano nunc est Posttcommunio; &* SUPER OBLATA, *eadem quæ in prædicto Romano est Secreta Festi.* PRÆFATIO *autem sic habet:* Omnipotens æterne Deus: exhibentes solenne jejunium, quo Joannis Baptistæ natalitia prævenimus; cujus genitor, dum eum dubitat nasciturum, sermonis amisit officium; & eo nascente, & sermonis usum, & Prophetiæ suscepit donum: cujusque genitrix, senio confecta, sterilitate mulctata, in ejus conceptu, non solum sterilitatem amisit, sed etiam Spiritum Sanctum, quo Mater Domini & Salvatoris agnosceretur, accepit: per quem Majestatem tuam &c. POSTCOMMUNIO. Sancti nos, quæsumus, Domine, Baptistæ Joannis oratio, & assequi semper faciat meute quæ gerimus, & debitæ servitutis actione sectari.

* *Gelasionum Sacramentarium peculiore id habet in hac Vigilia, ipsoque Festo, & aliis majoribus, quod in principio & fine Missæ duos præscribat ejusdem argumenti Collectas, & in principio quidem hanc pro Vigilia:* Præsta quæsumus, Domine, ut populus tuus ad plenæ devotionis effectum B. Baptistæ Joannis natalitiis præparetur: quem præmisisti Filio tuo parare plebem perfectam Jesu Christo: *& additur eadem, quæ in Ambrosiano super Sindonem: deinde* SECRETA: Munera populi tui, Domine, propitiatus intende, & B. Joannis Baptistæ, cujus nos tribuis præire solennia, fac gaudere suffragiis. POSTCOMMUNIO: Da quæsumus Ecclesiæ tuæ misericors Deus, ut, mysticis B. Baptistæ Joannis exordiis, & sacris erudita præconiis, ad iram venturi Judicii declinandam, dignos salutis fructus jugiter operetur. *Alia:* Beati nos, Domine, Baptistæ Joannis oratio, & intelligere Christi tui mysteria postulet, & mereri. *Gregorionum Sacramentorium simplicia præscribit omnia; nec alia, quam nunc in Ordinario Romano legimus. Pro* prima *autem* Missa in nocte, *hæc præscribitur Collecta:* Concede quæsumus, omnipotens Deus, ut qui B. Joannis Baptistæ solennia colimus, ejus apud te intercessione muniamur. *Tum* super oblata, *eadem, quæ supra in Vigilia.* AD COMPLENDUM *sive Post communio:* Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cælestia alimenta percepimus, intercedente B. Johanne Baptista per hæc contra omnia adversa muniamur. *Denique* SUPER POPULUM *ponitur illa, quæ in Gelasiono incohat Missam Vigiliæ; & altera additur, quæ eandem finit. Martenius de ant. Monach. ritibus lib. 4. cap. 6. ait;* Hanc Vigiliam nostri *Benedictini* solemnem faciebant in Monasteyio S. Petri supra Divam, ita ut ad Nocturnos Invitatorum à duobus Hebdomadariis in Albis cantaretur, ad Laudes classicum pulsaretur, ad Benedictus incensum à Sacerdote in Alba, & Manipulo portaretur, Missa quasi in Albis concineretur.

* Vide nostrum Sacramentarium Leonianum, To. IV. Anastasii Bibliothecarii de Vitis Rom. Pontificum in Prolegomenis pag. xix.

Jam quod ad ipsum Festum attinet, Gothicum seu Gallicanum Missale, in eo vetustius ceteris quòd vigiliam nullam præcipiat, sic procedit: Deus qui B. Joannem Baptistam veritatis testimonio roborasti; da nobis, quæsumus, humilitatis ejus exemplum audire; ut desideremus intelligere quod exercuit, & assequi toto amore quod meruit. COLLECTIO *sequitur:* Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Præcursorem tuum Joannem Baptistam, ad præparandas Unigeniti tui vias nasci jussisti; præsta quæsumus, ut intercessionis ejus auxilium tribuas, (&) ad implenda mandata præpares voluntatem. POST NOMINA: Omnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem nobis B. Joannis Baptistæ Nativitate fecisti insignem; quæsumus, ut tuus Præcursor, quo inter natos mulierum nullus major surrexit, nostram fragilitatem tuæ pietati commendet, & caris nostris, quorum sunt nomina recitata, ita refrigetium pietatis impetret, ut ibi reci-

recipiantur vel ultimi, ubi summus permanet in regno cælorum Baptista: quod ipse &c. *Collectio ad Pocem, in Gelasiano, Gregoriano, & hodierno est prima od Missam*, Deus, qui præsentem diem &c.

Immolatio Missæ, (Præfationem *nos dicimus*): Vere dignum est, nos tibi, semper, hic, & ubique, gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, omnium Sanctorum tuorum splendor mirabilis, qui præsentem diem honorabilem nobis in B. Joannis Nativitate fecisti; ut gratiæ tuæ operante virtute, ille, quo inter natos mulierum nullus major, oriretur; da populis tuis eruditionem spiritualium gaudiorum; & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis & pacis; ut, quæ manifestavit testificatio nuntii, impleat præsentia Nuntiati, Christi Domini, per quem Majestatem tuam &c. BENEDICTIO POPULI. Deus, qui per Zachariæ loquelam manifestasti Nativitatem S. Joannis ✠: præsta quæsumus, ut qui natalitia ejus devotissimè colimus, intercessione illius gaudeamus ✠; ut populus tuus, qui ad Nativitatem ejus convenerunt, salventur meritis & interventu omnium Sanctorum, (&) deprecationum illius meritis adiuventur. ✠ Da, Domine, ut illi Angelus Gabriel, quo Zacharias loquente obmutuit, intercessor assistat; (& B. Joannis) meritis adjuvemur, & moribus. Illi vos &c. *Et hujusmodi Benedictiones speciales idem Missale præcipit pro majoribus Festis: earundemque, velut ultimam portem Missæ Hispanicæ constituentium, meminit S. Isidorus Hispalensis, libro de Off. Eccl.*

Ambrosioni Ritus Missa, specialis tota est, mereturque hic poni. INGRESSA AD MISSAM. Spiritu Sancto replebitur puer ex utero matris suæ, & multi in Nativitate ejus gaudebunt, erit enim magnus ante Dominum. ORATIO SUPER POPULUM: Deus, qui hunc diem, ortu Præconis tui atque Baptistæ Joannis, consecrate dignatus es, & cujus puerperium mater sterilis, & vocem pater mutus accepit; concede propitius, ut illud quod Salvator noster gessit in Jordane mysterium, hoc in omnibus Catholicis semper celebretur Ecclesiis. Per ejusdem &c. EPISTOLA. Notum vobis facio Evangelium (*habetur I. Cor.* 12. ℣. 3.) ℣. in ALLELUJA, Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista; major Prophetis, & minor Angelis. EVANG. SECUNDUM LUCAM. Cap. In illo tempore, Elisabeth impletum est tempus pariendi. POST EVANG. Serviamus illi in sanctitate & justitia omnibus diebus nostris: & tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Super SINDONE. Præcursoris tui Joannis Baptistæ nos, quæsumus, Domine, intercessio sancta commendet; ut, & spiritualibus ejus mereamur prædicationibus erudiri; & ad ea, quæ præcipis, ipso juvante, possit nostra pervenire fragilitas. OFFERTORIUM: Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de ventre, sanctificavi te, & Prophetam in gentibus posui te. Super OBLATA: Respice, Domine, ad hæc munera, quæ te sanctificante sacramus: & sicut B. Joannes Baptista sanctus est præcursor & præparator viæ D. N. Jesu Christi; ita & pro nostris infirmitatibus, te protegente, intercessor existat.

PRÆFATIO. Æterne Deus: & in die festivitatis hodiernæ, quo Beatus Baptista Joannes exortus est, exultare: qui vocem Matris Domini nondum editus sensit; & adhuc clausus utero, adventum Salutis humanæ propheticà exultatione gestivit: qui, & genitricis sterilitatem conceptus abstersit, & patris linguam natus absolvit; solusque omnium Prophetarum Redemptorem Mundi, quem nuntiavit, ostendit. Hic est enim ille, cui nomen,& antequam conciperetur, dedisti, & quem Spiritu Sancto priusquam nasceretur implesti. Dignè natalis ejus hodie solemnia celebramus: dignè inter natos mulierum major nemo apparuit, qui Deum hominemque perfectum, Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, & prædicare meruit, & evidenter ostendere: quem laudant &c. CONFRACTIO (*quando scilicet post* Pater noster *Hostia frangitur*): Ecce ut facta est salutatio B. Mariæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo. TRANSITUS (*cum scilicet Missale refertur a cornu Evangelii ad cornu Epistolæ*, Communio *dicitur*): Nazaræus vocabitur puer iste: vinum & siceram non bibet, & omne immundum non manducabit, ex utero matris suæ. POST COMMUNIO. Tribue quæsumus, omnipotens Deus; ut sicut nos donis cælestibus satias, ita in B. Ioannis Baptistæ Nativitate defendas præsidiis: ut quod ille de Filii tui Nativitate prædicavit, nobis prosit ad salutem. Per eumdem.

Ge-

Gelasianum Sacramentarium, quod habemus Romæ vulgatum ex Mss. Reginæ a Ven. Josepho Maria Thomasio, ab hodierno Romano hoc solùm deficit, quòd tribus, quæ ex hoc nunc recitantur, orationibus, unam in principio, & fine addat: primæ quidem hanc. Omnipotens sempiterne Deus, qui instituta legalia, & Sanctorum præconia Prophetarum, in diebus B. Baptistæ Ioannis implesti; præsta quæsumus, ut, cessantibus significationum figuris, ipsa sui manifestatione Veritas se loquatur, Jesus Christus Dominus noster: qui tecum &c. *Ultima verò sic geminatur:* S. Joannis Natalitia celebrantes, supplices te, Domine, deprecamur; ut hoc idem nobis semper & indulgentiæ causa sit, & salutis. *Ast Gregorianum, usque ad Præfationem vix quidquam ab ordinario differt, ipsaque Præfatio sumitur ex Ambrosiano usque ad supra notatum; deinde sic continuatur:* Et ut sacræ purificationis effectum aquarum natura conciperet, sanctificandis Jordanus fluentis ipsum baptismo baptismatis lavit Auctorem. Et ideo cum Angelis.

Tum additur BENEDICTIO, *extraordinaria ac propria, hoc modo:* Benedicat vobis B. Joannis Baptistæ intercessio, cujus hodie natalitia celebratis; concedatque, ut cujus solennia colitis, patrocinia sentiatis. Amen. Illius obtentu ab omnibus adversis tueamini, & bonis omnibus perfruamini; qui Adventum Redemptoris Mundi nec dum natus cognovit, matris sterilitatem nascendo sustulit, patris linguam natus absolvit. Amen. Quatenus ipsius Agni, quem ille digito ostendit, cujus immolatione estis redempti, ita virtutum lanis vestiri, & innocentiam valeatis imitari, ut ei in æternæ vitæ felicitate possitis adjungi. Quod ipse præstare dignetur qui &c. *His Benedictionibus præmissis, subjungitur* AD COMPLENDUM sive *Post-communio, eadem quæ nunc est Ordinarii; neque hic Missa finitur; sed adduntur Orationes quatuor speciales,* AD MATUTINOS; *pro qua titulo alibi legitur,* super populum: *cujus tam differentis inscriptionis causam non assequor. Ipsæ Orationes hujusmodi sunt.*

Omnipotens & misericors Deus, qui B. Joannem Baptistam tua providentia destinasti, ut perfectam plebem Christo Domino præpararet: da, quæsumus, ut familia tua, hujus intercessione Præconis, & a peccatis omnibus exuatur, & ad eum, quem prophetavit, pervenire mereatur. *Alia:* Omnipotens sempiterne Deus, da cordibus nostris illam tuarum rectitudinem semitarum, quam B. Joannis Baptistæ vox clamantis in deserto edocuit. *Alia:* Deus qui conspicis, quia nos undique mala nostra conturbant; per Præcursorem gaudii corda nostra lætifica. *Alia:* Da quæsumus, omnipotens Deus, intra sanctæ Ecclesiæ uterum constitutos, eo nos spiritu ab iniquitate nostra justificari, quo B. Joannem intra viscera materna docuisti. *Alia ultima relata superius est, cum titulo* super Populum, *ex Missa Vigiliæ secundum Ambrosianum.*

Joannes Mabillonius Musæi sui Italici Tomum primum concludit exhibitione Sacramentarii cujusdam Gallicani, quod Vezontionensis Ecclesiæ esse censet, licet in Bobiensi monasterio repertum, ante annos autem mille conscriptum. In hoc nulla quoque est Vigilia S. Jo: Baptistæ, *licet adsit Vigilia Natalis Dominici, Paschatisque. Ibi in ipsius festo* Missa *incboatur per cam Orationem, quæ in Gregoriano Sacramentario ponitur* Post nomina *usque ad asteriscum: tum sequitur* COLLATIO: Deus qui hunc Diem Nativitatis B. Joannis Baptistæ, incomparabilem hominibus consecrasti; præsta nobis de ejus meritis, illius nos calceamenti sequi vestigium, (*cujus se ad solvendam*) corrigiam prædicavit indignum: *quibus verbis interpositis melius puto sensum mutilum redintegrari, quàm his Mabilonii,* (qui se ad solvendam Salvatoris): *nec enim calceamentis usus est* Joannes, *ut intelligamus ejus calceamenti vestigium velle sequi.* POST NOMINA, *eadem fere recitatur Oratio quæ in hodierno Romano* secreta *post Offertorium.* AD PACEM: Præsta quæsumus, Domine, ut populus tuus ad plenæ devotionis effectum B. Joannis Baptistæ natalitiis imbuatur, quem præmisisti filio tuo plebem parare perfectam. CONTESTATIO *sive* Præfatio, *sumitur ex Ambrosiano, relata superius. Nec amplius in hoc Sacramentario additur de Missis. Ibi autem cuique Missæ subjungitur Lectio ex Scripturis, & Evangelio, festo congrua: itaque hic ponitur* Lectio libri Sapientiæ Salomonis de uno Justo, *quæ nobis est de Confessore non Pontifice.* Beatus vir qui inventus est sine macula, *& sequitur* Lectio sancti Evangelii secundum Marcum *Cap. VI. ℣. 17.* In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu: tenuit Joannem, & alligavit eum, & po-

 fuit

fuit in carcere propter Herodiadem, *cum nonnulla (ut vides) a vulgatis diversitate*.

*ADNOTATIO XCIX. pag. 124.

Cod. Veron. pag. 124. *III. Kal. Julias* Orationes In Natali Sanctorum Petri, & Pauli. Br. Moz. Tolet. pag. 376. col. 1. *In Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum*. Gaudet Officio, & Hymno proprio.

H Y M N U S ad primas Vesp. pag. ead. col. 3.

Apostolorum passio
Diem sacravit sæculi,
*Petri triumphum * nabile,*
Pauli coronam referens.
Conjunxit æquales viros
Cruor triumphalis necis,
*Deum * secuti præsulem,*
Christi coronavit fides.
Primus Petrus Apostolus;
Nec Paulus impar gratiæ,
Electionis vas, sacri
*Petri adæquavit * fides.*
Versa crucis vestigio,
Simon honorem dans Deo,
Suspensus ascendit, dati
Non immemor oraculi.
Præcinctus, ut dictum est,
Sene elevatus ab altero.
*Quo * vollet, ibit, sed volens*
Mortem subegit asperam.
Hic Romæ cæsus vertice,
Devotionem extulit,
Fundata tali sanguine,
Et vatis tanti, nobilis.
*Tantæ * per Urbis ambitum*
Stipata tendunt agmina,
** Trinis celebratur * Diis*
Festum sacrorum Martyrum.
Prodire quis Mundum putet,
Concurrere plebem Deo
*Electam * gentium caput,*
Fide magistra gentium.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

* *nobilem*
* *secutos*
* *fidem*
* *volet*
* Tamayo habet, *tanta*
* Idem, *Trina celebratur Deo*. Lege sodes, & meo periculo, *binis celebratur viis*. Vide Prudentium in Hymno XII. Peristeph.
*supple, *ad*.

Hic in nostro Libello Gothico Hispano duæ, aut tres paginæ desiderantur: quare hocOfficium *in Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli* mutilum est, & caret principio. Orationes tamen, quæ superant, & Romanæ Ecclesiæ Primatum supra cæteras, & Simonis Magi dejectionem a Petro factam, & furentem adhuc in Hispania rabiem persecutionis ostendunt. Benedictio ad Matutinum, Petrum *per passionem Crucis, & Paulum per gladii defectionem* coronatos fuisse testatur. III. Kalendas Julii, ut scribunt ad hanc diem doctissimi PP. Bollandiani, tres in Gelasii Sacramentario leguntur Missæ. Prima inscribitur, *In Natali S. Petri, propriè*; Secunda *In Natali Apostolorum Petri, & Pauli*; Tertia *in Natali S.Pauli propriè*. Unicam verò habet hac die S. Gregorii Sacramentarium, *in Natali Apostolorum Petri & Pauli* inscriptam, & alteram in sequenti, *In Natali S. Pauli*. Constat tamen Summum Pontificem olim duas in Festo S. Petri Missas celebrasse, primam in S. Petri Basilica, secundam ad S. Paulum, ut liquet ex Prudentii Hymn. XII. Peristeph. *de Passione Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli*. Etiam in nostro Libello quædam Orationes sunt propriæ de S. Petro, & quædam de S. Paulo; sed quoniam deest titulus, ac initium hujus Officii, de ritu Tarraconensis Ecclesiæ nihil definire audeo. Hoc unum certum fixumque esse volo, ibidem diem 29. Junii Martyrio horum Apostolorum sacram fuisse. *Illam namque diem tota antiquitas, media ætas, atque Ecclesiæ hodiedum omnes veneratæ sunt, & venerantur, pro die legitima Martyrii Sanctorum Petri, & Pauli. Quis ausit vèl hiscere contra auctoritatem tantam, & usum Ecclesiæ universalis sine intermissione continuatum?* Verba sunt Janningi §. 5. num. 46. commentarii prævii ad Acta eorumdem Apostolorum, de quibus ipse varias intricatas quæstiones circa locum, modum, & tempus Martyrii enucleatè juxtà, ac eruditè explanavit. Porro hoc die III. Kalendas Julias statuunt Romæ Natalem Apostolorum Petri & Pauli, Kalendaria, & Martyrologia antiqua universim omnia. Hieronymiana imprimis apographa à Florentinio edita, tum Beda, Florus, Rabanus, Romanum parvum, Ado, Notkerus, Usuardus, & Wandelbertus.

Ac ne putes, Natalem in prædictis Martyrologiis sumi simpliciter pro sola Festivitate, non pro Martyrio aut obitu, audi Hieronymum in Scriptoribus Ecclesiasticis: Dicet, Paulum eodem XIV. Neronis anno, eodemque die quo Petrus, Romæ Martyrium consumasse. Quo autem die? Illo utique quo Na-

Natalem eorumdem Apoſtolorum ſignant Martyrologia, nempe III. Kal. Julias: quo die nonnulli ex citatis Martyrologis expreſſiùs notant, pro Natali *Paſſionem*, ut Rabanus; aut *Martyrium*, ut Wandelbertus. Florus adhuc clariùs explicat quid ibi ſit Natalis, ſic ſcribens: *III. Kalendas Jul. Romæ Natalis Apoſtolorum Petri & Pauli; qui juſſu Neronis Imperatoris, Petrus crucifixione, Paulus capitis plexione, martyrio coronati ſunt.* Præterea celebrant hoc Feſtum III. Kalendas Julias Liber Sacramentorum Sancti Gregorii Magni, & Miſſale Gothicum vetus per Ven. Thomaſium editum, necnon Reſponſoriale, & Antiphonarium ab eodem excuſum.

Accedat his, nec ulli prædictorum auctoritate cedat hac in parte, Catalogus Romanorum Pontificum antiquiſſimus, ſub annum vulgaris Æræ CCCLIV. ſcriptus, aut potius ex aliis antiquioribus Catalogis tunc concinnatus, atque ex profeſſo deſignans principia, ac terminos cujuſque Pontificatus. Ibi de Principe Apoſtolorum hæc leguntur: *Paſſus eſt Petrus cum Paulo die III. Kal. Julii, imperante Nerone.* Eundem diem deſignant Faſti Conſulares Idatiani, paucis poſt editum Silvii Laterculum annis deſinentes: quos Labbeus in Nova Bibliotheca librorum Miſſ. vulgavit integros. Ita autem habent: *Nerone III. & Meſſala Corvino Coſſ. Petrus & Paulus paſſi ſunt die III. Kal. Julias.* Quam verò ſolemnis iſta dies fuerit, non ſolum in celebratione divinorum Officiorum, ſed etiam in Populo, conſtat ex laudato Prudentio, qui anno Chriſti CCCXLVIII. natus eſt; ipſe enim Hymno in XII. Periſtephanωn ita cecinit:

Plus ſolito coeunt ad gaudia; dic, Amice, quid ſit:
Romam per omnem curſitant, ovantque.
Feſtus Apoſtolici nobis redit hic dies triumphi;
Pauli, atque Petri nobilis cruore.

Agit hic Prudentius de die Natali Apoſtolorum, quo ſanguinem ſuum pro Deo fuderunt, ut patet. Ait autem, tunc lætitiam populi Romani, & concurſationem, ad Feſtum, atque ovationem ſolito majorem eſſe, quàm feſtis aliis.

*ADNOTATIO C. pag. 125.

Cod. Veron. pag. 125. *XVI. Kal. Auguſti. Incipiunt Orationes in die SS. Juſtæ, & Ruſinæ.* Et ita Brev. Mozarab. Tol. pag.379. col.3. in earumdem Sanctarum Officio, quod gaudet Oratiouibus, & Hymnis propriis.

* HYMNUS I. ad primas Veſperas, ibidem.

* De S. Juſta tantùm

* Hi tres ſequentes Hymni *B. Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi* tribuuntur a Tamayo in Martyrol. Hiſp. quos emendet fælicior aliquis.

* leg. concentu.

* f. pandat.

* *Virginis Sacræ Triumphum plebs alumna pariliꝭ*
** Concepta Juſtæ cæleſti paratum ex gratia,*
*Reſonet, piiſque modis almis * pandens cantibus.*
Cliens ex te, Chriſte, cœtus addit vota dedicans,
*Martyris ut prece queat propriis * ut piaculis*
Horrendis ſemper carere munitis ſuffragiis.
Hæc ſepe mundum, hoſtemque vicit ſimul impium,
Te cordis amore ſequens: tetrum calcat Zabulon;
Gemella ſerta corona Cœlo pollet perpetim.
*Hujus incolatu magis * hæc ſors claret occidens,*
Recinens ſemper triumphum locis preſtet ceteris
Ceſpite ſacrum cruorem Cœlo arram vindicans.
Intrepida Deo ſepe famulans comminuit
Tenacis mundique vitam, ſimulacrum prophanum;
Illico Regis tremendam patitur ſententiam.
Variis afflicta pœnis, mentis calens ignibus;
Gladio confoſſa hoſtis, Cœlo reddit ſpiritum;
Hinc loco mutatur corpus, vivens Deo perpetim:
*Sacris Virginum ſupernis * avita conſortiis:*
Sanguine contemnit hoſtem, mente vicit Zabulon:
Gemina proinde cluit laureata gloria.

Hæc superna soli Regi ovans sic perpetuis
Angelorum mixta choris novum pangit canticum:
Triumphat potita Regno sempiterna gloria.
Inde cerui precamur Rex Serene servuli
Et simul piaculorum pandentes facinora;
Jam medelis fove Pater, quos trementes conspicis.
Hujus sacro impetratu terge nostra crimina;
Scelerum nodos resolve, da fomenta gratiæ;
Et tecum semper victuri gloriemur agie.
Pelle iram, arce pestem à nostris confinibus;
Gladium hostis retunde hujus prece Martyris,
Et supernam præsta quietem tuis Christe famulis.
Gloria Patri canamus, Christoque perpetuo;
Etiam cum Sancto simul utriusque Spiritu,
Qui Deus unus æternus regnat ante sæcula. Amen.

* *de S. Justa tantùm*

* HYMNUS II. in Laudibus pag. 381. col. 2.

Concentu parili Justam canamus,
Virgo, quæ Deo placuit pudore
A primis pudica rudibus annis,
Devicta libitu cælebs permansit.
Hac quæstu laboris vasis fictilibus
Victum pauperibus præbet, sibique,
Contempnens sæculum, Christum secuta
Sic perenniter vivit semper in æthera.
Æternis denique pollens oraculis,
Confossum perimit portentum vibrans,
Cælestis spicula Regis, retundit
Sceptrum, perfidiamque sævi hostis.
Illico sobiens dura tormenta,
Altis suppliciis vitam reperit
Cælestem, meruit quam terra patens,
Solersque famula victrix quæsivit.
Hanc pro piaculis jam Christe nostris
*Suffragatricem * admitte semper,*
Ut cives strenuè protegat, suo
Sanguine muniens, preceque tutans.
*Æterne Prolis * Ingeniti Patris*
Cum Sancto Spiritu perennis honor
Sit Tibi gloria semper pollens
Perpetim sit. Amen.

* leg. admitte

* leg. Ingenite Pater, vel, Æterna proles,

* ADNOTATIO CI. pag. 107.

Br. Moz Tol. pag. 381. col. 3.

* *De SS. Justa & Rufina simul.*

* HYMNUS . ad primas Vesperas ibidem.

Adsunt puniceæ flosculæ virginum
Cælesti placido rore virentia,
Quarum vasa poli stigmate syderum
Cæli flammigero igne probata sunt.
Hæc primum olei imbribus initæ
Ignescit facibus cordis in ætherat
Noctis perfidiam hostis & impetum
Vincens fidei lumine optimo.
En Justa pariter atque Rufina est,
Quæ clarent meritis, moribus inclitis;
Discretæ siquidem nomine virgines,
Una sed studii munere Martyres.
Thesaurum Domini legibus inclita
Vasis fictilibus corporis unice,
Gestantes precio vascula distrahunt,
*Quo quæstu * facient viscera pauperum.*
Sed his subsidiis callidus artifex
*Frangit testacea vascula * mundens,*
** Nec testa hominum scanderet æthera,*
Et pulchris fieret gloria cælica.
Hinc robusta fides fragmine fictili
Gliscens martyrium corporis excipit;
Præstans fœminee præmia sexui,
Quo celso valeant Sydere inlabi.
Ob hoc vita, salus, & via, veritas,
Te summis precibus Christe reposcimus
Harum suffragia nos tibi conseeres,
Quarum tu fidei voce placatus es.
Mentis nos facite lampade virgines
Fluxu corporeo effice liberos,
Ut votis rigidis corda calentia
Gestantes, habeant Regna cælestia.
Te nostra jubilet gloria perpetim,
Qui solus Dominus Trinus & unus
Et jugi imperio sæcula contineas,
Et cuncta Dominans omnibus imperas. Amen.

* leg. satient.

* forte leg. mugient.

* Ne

Antiquissimum harum SS. Martyrum *Justæ, & Rufinæ* cultum in Hispania probant noster Libellus Tarraconensis Ecclesiæ, & Br. Moz. Tolet. Hujus hymni, qui obscuro (ut vides) & luxato sunt stylo, nunc unius, nunc utriusque Virginis res gestas narrant, atque inter alia testantur, eas fictilia vasa vendidisse, ut pauperea alerent: Præter varias Orationes, quæ concordant cum laudato nostro Libello, & Actis vetustioribus, hanc collectam propriam exhibet idem Tolet. Breviarium: *Deus qui Virginalis pudicitiæ titulo; passionis vexillo beatas Virgines & martyres tuas Justam & Rufinam glorificasti: da nobis sic sacræ castitatis floribus exornari, ut cum fructu bonarum operum supernæ beatitudinis attingamus consortium. Amen.* Quam excipit alia de sola *S. Rufina*, quæ eam leoni objectam fuisse affirmat, quamvis id Acta, nosterque Libellus nequaquam exprimant: *Domine Jesu Christe, cujus imperio rabidissimus lea*

leo non solum à nece beatissimæ Virginis & martyris Rufinæ abstinuit, verum etiam, feritate deposita, immaculatum corpus odoratus, præsenti molestia contingere non præsumit: præsta nobis, ut nitore tui Sancti Spiritus circumsepti, immanitatem non timeamus leonis horrendi, sed majestatis tuæ virtute repulsus, semper à læsione nostra maneat alienus. Breviarium Burgense anni 1502., Eborense anni 1548., aliaque Officia Hispanica easdem Sanctas solenni ritu colunt, & in lectionibus propriis narrant earum Acta.

Martyrol. Romanum parvum, quod Rosveydus edidit XIV. Kalendas Augusti has Sanctas Martyres sic brevissimè enuntiat: *Hispali SS. Justæ & Rufinæ*. Ado ab eodem Rosveydo editus synopsin martyrii ita refert XIX. Julii: *Eodem die* Hispali apud Hispaniam *natalis SS. Justæ & Rufinæ, quæ a Diogeniana Præside comprehensæ, equulei extensione, & ungularum laniatione vexatæ sunt; dein trusæ sunt in carcerem, inedia, & doloribus afflictæ. Post hæc jussit Præses, ut quocumque iret, ipsæ nudis pedibus sequerentur. Tandem Justa in carcere spiritum exhalavit. Corpus ejus in puteum projectum, & à Gabino * Episcopo levatum, in Hispalensi cœmeterio conditum est. Rufinæ cervix confracta, & corpus ejus igni traditum, cujus reliquiæ à fidelibus curatæ sunt.* Usuardus Adonem contraxisse videtur hoc modo: *In Hispaniæ civitate Hispali, passio sanctarum Justæ & Rufinæ, quæ a Præside Diogeniano comprehensæ, primo equulei extensione, & ungularum laniatione vexatæ sunt; post carcere, inedia, & doloribus afflictæ, tandem Justa in carcere spiritum exhalavit; Rufinæ cervix confracta in confessione est.* Martyrologium Romanum, quo hodiedum utimur, eadem fere ex Usuardo desumpsit.

* al. *Sabino*

Extra alteram urbis Hispalensis portam propè fluvium conspicitur Xenodochium Sanctarum *Justæ*, & *Rufinæ* nomine insignitum. Fertur illud ibi ædificatum fuisse, quia eo loco Sanctæ Virgines vasa vendidisse, & Idolum repulisse creduntur. Toleti quoque exstat Templum *S. Justæ*, quod est unum ex septem Mozarabicis Ecclesiis, quæ tempore Maurorum Christiano cultui concessæ fuerunt.

Plurimi Scriptores, quos Antonius de Quintanaduennas in libro Hispanico de Sanctis Hispalensibus pag. 82. & 83. longo ordine enumerat, res gestas harum Martyrum litteris consignarunt. Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali lib. 13. cap. 34. Acta earum (ut inquiunt Doctissimi Patres Bollandiani Tomo IV. Julii pag. 585.) satis fideliter tradit; quas etiam titulo *Virginum* donat. Quare miror, quòd a Petro de Natalibus lib 6. cap. 117. appellentur *Matronæ*; cum ea vox fœminis matrimonio junctis tribui soleat. Hinc fortè Joannes Maldonatus in Actis apud Surium editis, eas vocat Matresfamilias. At eas fuisse Virgines satis constat ex eo, quod antiquissimus noster Libellus Gothico Hispanus, & Breviarium Mozarabicum, illas in orationibus disertè hoc titulo exornent.

Earum Acta ex nostro Libello non semel pondus auctoritatis accipiunt, quæ quoniam laudatus Vincentius Bellovacensis est antiquissimusqui integra ea dedisse reperiatur, ex ipsius Speculo historiali lib. 13. cap. 34. transcribo sequentia: *In civitate Hispali regionis Hispaniæ, passio Sanctarum Virginum Justæ, & Rufinæ. Hæ cum essent mediocri paupertate tenues, erat illis usus mercandi fictilium vasculorum, ex quo quæstu indigentium inopiam saturabant, sibique, tantùm quod ad victum & vestitum necessarium esset, procurabant. Orationi quotidie insistebant, castè religioseque viventes, benè patientes, & domùs suæ curam agentes. Cumque distrahendorum vasculorum curam gererent, accurrit nescio quod execrabile monstrum, & immane portentum, quod perditarum turba gentilium SALAMBONEM vocant, postulans ab eis aliquod utensilium sibi dari. Quæ cum resisterent, ac dare nollent, dicentes se Dominum Jesum Christum colere ac credere, non idolum illud, quod nec viveret, nec sentiret; mulieres nobiles, quæ portabant idolum illud in humeris suis, dejecerunt illud à se turbulenter, ita ut omnia Sanctarum Virginum Vascula confringeret penitus & contereret.* De hoc Idolo noster Libellus, penitus silet.

*At illæ non damno paupertatis commotæ, sed ad destruendum tantum dedecoris malum, repulerunt idolum, quod statim ad terram prostratum, corruit comminutum: tunc, quasi sacrilegium commisissent, Gentiles eas morti obnoxias exclamabant. Igitur à Diogeniano comprehensæ, primo equulei extensione, & ungularum laniatione vexatæ sunt; postea carcere, inedia, & doloribus afflictæ. Post aliquantos vero dies, cum ad Mamentaniariam locum * præses ire disposuisset, jussit eas per aspera & confrago-*

* lucem

*fragosa loca post iter suum pedibus properare. At illis nihil durum, nihil asperum videbatur, sed quasi totum iter peractum, subtus se pulverem conculcabant. Tandem Justa in carcere exhalavit spiritum; cujus corpus Præses in puteum jussit præcipitari: sed religiosus Antistes Sabinus è puteo sublatum honorifice sepelivit. Ruffina vero, quæ in carcerem * remanserat, jussu Præsidis fractis, cervicibus & gula, devotum Deo spiritum emisit; cujus corpus igne combustum, digna honorificentia sepultum est. Harum passio celebratur XIV. Kal. Augusti.*

*carcere

Hac die plerique etiam Martyrologi de Sanctis hisce sororibus meminerunt. Romanum parvum hæc habet: *Hispali Sanctarum Justæ, & Rufinæ*. Hieronymiana apographa valde corrupta sunt. Etenim codex Lucensis ita legit: *In Hispania Natalis Sancti Justi*. Sed Antuerpiensis sic: *In Hispanis Justæ*. Et Corbejensis: *In Hispaniis Natalis Sanctæ Justæ*, omissa ubique *Sancta Rufina*, quæ in aliis Martyrologiis cum sua sorore conjungitur. Fortè Notkerus Codicis Lucensis causam erroris detegit; quoniam ipse Justum Hispanum, ab Hispalensi Justa distinguit his verbis: *XIV. Kal. Augusti in Hispaniis Natalis Sancti Justi, & in Civitate Hispalensi Sanctarum Justæ & Rufinæ*: deinde illarum Martyrium ex Adone transcribit. Isti tamen Notkeri distinctioni acquiescendum non esse putant Bollandiani Patres, quos ego pressis vestigiis sequor, ne crambem recoquere videar, actumque agere in ea re quæ magis nequit illustrari.

Haud certus tamen adhuc est earumdem Martyrii dies, quamvis in Actis *XIV. Kal. Augusti consignetur*. Etenim noster Libellus illud XVI. Kal. August. consignat; & Quintanaduennas prædictus in opere Hispanico supracitato pag. 76. observat, Hispali, ac alibi harum Martyrum festum coli die XVII. Julii; in aliis verò Ecclesiis eas die XIX. ejusdem mensis honorari. Deinde addit sese non aliam hujus discriminis causam assequi posse, quam quòd Justa die XVII. & ejus soror Rufina XIX. ejusdem mensis Martyrium subjerint. Hanc conjecturam Lectoris judicio relinquimus.

Recentiores Scriptores Hispani passim Martyrio harum Virginum annum 287. assignant. Surius tamen ad earum Acta annum 300. in margine notavit. Quidquid sit de determinato martyrii anno, saltem constat ex nostro Libello has Virgines ex Gentilitate ad fidem fuisse conversas.

Hispalenses (inquiunt Bollandiani To. IV. Julii pag. 584.) sibi firmiter persuadent, sese S. Justæ corpus, & Sacros *S. Rufinæ* cineres possidere; quamvis certò non sciant, in qua urbis parte quiescant. Videamus tamen, quid alii de sacris istarum Martyrum reliquiis senserint. Rodericus Toletanus lib. 6. de Rebus Hispaniæ cap. 13. ita scribit: *Postea* (nempe Ferdinandus Rex Castellæ, & Legionis) *adeo regem Hispalis infestavit, ut corpus beati Isidori permitteret inde levari, quod à duobus Episcopis, Alvita Legionensi & Ordonio Astoricensi, multis miraculis coruscantibus translatum est ab Hispali Legionem. Aliqui dicunt, corpus beatæ Justæ cum corpore Beati Isidori tunc translatum*. Huic aliquorum opinioni manifestè repugnat Historia translationis S. Isidori, quam habes apud eosdem Bollandianos tomo I. Aprilis a pag. 353. in ea quippe cap. 2. diserte narratur, quomodo corpus *S. Justæ* Hispali remanserit. Tunc Rodericus subjunxit sequentia, quæ Hispalensibus non magis grata sunt: *Sed quia nostris temporibus corpora. Sanctarum Justæ & Ruffinæ revelatione ostensa per Petrum Fernandi nobilem principem sunt translata ad regale monasterium prope Burgis, ego nolo* (definire) *sed diffiniat, qui præsumit*. Rodericus Toletanus hic indicat illustre Ordinis Cisterciensis monasterium, vulgo *Huelgas de Burgos* dictum, de cujus, situ, fundatione, ac privilegiis Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi 1187. cap. 9. consuli potest. Thomas de Trugillo in Thesauro concionatorum tom. 2., col. 1266. narrationem Toletani præsulis confirmat his verbis: *Reperiuntur vera corpora harum Sanctarum in Regio Monasterio de las Huelgas nuncupato, dicunturque revelatione divina illuc allatæ fuisse pretiosissimæ istæ reliquiæ per Petrum Fernandum de Castro, qui suo nomine Castellanus appellabatur*. Idem Trugillus aliam de horum corporum translatione opinionem sic proponit: *Nonnulli censent in destructione, & devastatione Hispaniæ*

paniæ fuisse allata Sanctissima hæc corpora in locum quemdam, qui dat nomen ipsis Asturiis prope Santillana; qui locus continet ingentem quamdam rupem in mare ipsum ingredientem, ubi etiam est quoddam templum, intusque est spelunca quædam. Cumque habitatores illius loci nomen sortiantur sive invocationem harum gloriosarum Sanctarum, affirmant ibi esse corpora harum Sanctarum. Fieri quidem potest, ut aliquando ibi manserint Sanctissima hæc corpora, & quod postmodum eques ille Ferdinandus, quem diximus, ea transferret ad prædictum locum, relinqueretque ibi aliquas reliquias hic gloriosus eques, quem Archiepiscopus Rodericus in sua historia Principem appellat. Est autem Santillana (Latinè melius dicitur fanum Sanctæ Julianæ) oppidum Hispaniæ in Asturiis prope oram littoralem maris Cantabrici situm, & quinque leucis a fano Sancti Andreæ distat. In mappis geographicis inter utrumque hoc fanum fere medius notatur pagus, qui *S. Justæ* nomine insignitur. Vix dubitarem, quin de eo ipso Trugillus sermonem instituat, nisi Ambrosius Morales diceret, locum hisce sanctis Martyribus sacrum tantummodo media leuca à fano S. Julianæ distare. Quidquid sit de hujus loci situ, hactenus disceptatur de ferme integris harum Virginum corporibus, quorum etiam partem sibi alii vindicant.

Alphonsus Morgardo in Historia Hispalensi lib. 4., cap. 9., & Vincentius Blascus de la Nuza in Historia Aragonensi lib 5. cap. 21. asserunt, in monasterio de Sixena, quod sæculo XII. monialibus Ordinis S. Joannis Hierosolymitani in confinio Aragoniæ & Catalauniæ fundatum est, capita *SS. Justæ & Rufinæ* magna cum veneratione conservata fuisse. Ambrosius Morales loco jam citato affirmat, Cartusianos non procul ab oppido Septimancensi in regno Legionis etiam notabiles harum Martyrum reliquias venerari. Denique Quintanaduennas in opere Hispanico supra laudato pag. 78. narrat occupata à Mauris Hispali, caput *S. Justæ*, & os quoddam *S. Rufinæ* in Belgium missa, & in Diæcesi Leodiensi publicæ venerationi exposita fuisse. Dein addit, easdem reliquias, authenticis testimoniis munitas, postea Hispalim relatas fuisse. Quid de tota hac reliquiarum controversia judicandum sit, Lector viderit. Tamayus, post indicatas varias de hac re opiniones, ita concludit: *Quid tenendum? Deo relinquamus, quod investigare non possumus*. Utinam iste Auctor eam regulam in toto suo Martyrologio Hispanico observasset. Tarracone, ante Saracenorum incursum, vèl insignes certè reliquias corporum SS. Justæ, & Ruffinæ, vel aliquam Ecclesiam earum nomine Deo dicatam extitisse, ex Orationibus nostri Libelli conjicitur, in quibus ista demonstrativo modo leguntur ad Matutinum;

Oratione II. *HAS filias Regum* &c.

Orat. VI. *Annue nobis HARUM Virginum precibus* &c.

Orat. VII. *Dum HIS fide conjungimur, Cælorum HÆC gaudiis potiamur* &c.

Orat. VIIII. *Deus, qui in cordibus HARUM Virginum illucescens fecisti de tenebris lumen splendescere* &c.

Orat. XI. *Deus, qui HAS Virgines tuas* &c.

Cod.

*ADNOTATIO CII. pag. 127.

Cod. Ver. pag. 127. *Orationes de Festivitate S. Cucufatis*. Brev. Moz. Tolet. pag. 388. col. 3. *VIII. Kal. Augusti, in die S. Cucufatis.* Habet Hymnum proprium, sed Officium est de Communi unius Martyris,

HYMNUS.

BArchinon latè Cucufati vernans,
Corporis sancti tumulum honora:
Et locum sacri venerans sepulchri,
Sparge ligustris.

* Scillitana *Munus hoc clarum tibi * Scilitarna*
Civitas misit, dedit & beatum
Quando Felicem populis Gerundæ
Sorte colendum.

* tumulis *Hi sequestrato tumuli * honore,*
Proprias sedes adeunt tuendas;
Barcinone hic celebratur aulà,
Ille Gerundâ

* Cucufatis *Hinc cruor hujus Cucufati * almi*
* heres *Factus est nostræ regionis * herens:*
Inde hic nobis sua membra ponens
Vivere præstat.

Hic fide plenus redamando Christum,
Lucis infestum patitur tyrannum;
* territur *Moxque bis feno territur * beondus*
Milite tortus.

Cæde percussus nimia furentis,
Viscera fudit quasi peritura;
* recipit *Quæ reformata recepit * in alvum,*
Sanus ad horam.

*minacem *Missus in flammis, precibus minaces **
Ignis admoti perimit vigorem.
* ardere *Nequit adurere * nimis in beato*
Corpore flamma.

Cratis ignitæ facibus cremari
Jussus: ardoris nutrimenta gliscunt;
*Sed nihil famulo nocent . . . . . ** *supple rigores
Suppliciorum.

Sustinet post hinc Pius ille cardos
Ferreos in se ferientes ictu.
*Sic * decisi capitis in æthera ** * sicque
Spiritus efflat. *æthra

Jam fave, Martyr, precibus clientum;
Instrue & civem; populum tuere;
Et sacerdotum pia corda mulce
Pacis amore.

Crimine dempto, anima virescat:
Pane cælesti satiemur omnes:
*Carmina * lapsa vitiata membra* * crimine
Spiritus ornet.

*Non ruinosi perimatur * artus ** *perimantur
*Non cibus * corpus vitiisque pressum:* * artus
Non in occultis animæ crementur *an cibis?
Igne malorum.

Ut pia tecum, Cucufas beate,
Regna cælorum meritis tenentes,
Det Deo nostro resonans placentem
Lingua canorem.

*Gloria Patri celebrans * honore:* * celebrent
*Gloriam Nato recinent * superni,* * recitent
Cum quibus Sanctus sociatus extat
Spiritus unus. Amen.

Celeberrimum hunc Martyrem apud Catalaunos in Hispania fuisse (inquiunt Doctissimi Patres Bollandiani To. VI. Julii pag. 149.), antiquissima quæque monumenta testantur. Breve illud est, sed elegans & luculentum, quod apud Aurelium Prudentium, qui ineunte seculo quinto maximè floruit, libro Peristephanωn, Hymno 4. legitur his verbis:

Barcinon claro Cucufate freta
Surget:

quibus quidem non obscurè docemur, sicut aliis Martyribus urbes alias, quas ibidem recensct, ita *Cucufate* suo gloriatam præcipue fuisse per illa tempora Barcinonem; neque gloriatam tantummodo, verum etiam *fretam*; ut urbem illam non venerationi ejus qualicumque, sed singulari insuper patrocinio ac tutelæ addictam consecratamque jam tum fuisse intelligamus. Prudentio consonant Martyrologia cujusvis propemodum ætatis ac generis; in quibus tamen, sicut & apud recentiores quosdam historicos, observari velim, aliter atque aliter Sancti hujus nomen exprimi: nam qui nostro Libello, & Prudentio, juxta exactissimas editiones, & codices vetustissimos, est *Cucufas*, aliis est *Cucuphas* (sic enim etiam scribitur in Litaniis desumptis ex libro precum Caroli Calvi apud Baluzium Capitularium tom. 2. col. 1486.) aliis *Cucufans*, *Cucubas*, *Ququfas*, *Quoquosas*, *Cocofas*, *Cocovatus* &c.

Marryrologiorum agmen ducit vetustius illud, quod S. Hieronymo rributum vulgavit illustravitque Florentinius, dum Sancti Cucufatis memoriam die XVI. Februarii his verbis celebrat: *In Spania Barcilona, passio S. Quoquosatis*. Sequuntur alia ejusdem classis, atque ad eumdem diem, tum quæ ibidem producit Florentinius, ut Antuerpiense, seu potius Epternacense, Corbejense, & Blumianum ad calcem libri, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Reginæ Sveciæ; & in Spicilegio Acheriano editionis novissimæ tom. 2. pag. 27. Gellonense. Eadem

Eadem Hieronymiana majora putantur à quibusdam eumdem Sanctum, luxato nomine, etiam annuntiare die præcedenti XV. Februarii: sed in brevioribus nusquam illo die comparet: Corbejense insuper eum proponit XX. Iulii, ut videre est apud Acherium in Spicilegio citato, & Florentinium. Martyrologium antiquum, quod à loco, unde descriptum est, Trevirense S. Maximini appellatur, illius etiam meminit die XII. Februarii, & XXV. Iulii; sed priori loco tantùm occasione S. Eulaliæ: quod & Notkerus fecit, qui ejus memoriam celebrat XII. & XVI Februarii, ac XXV. Iulii; & hoc quidem die cum elogio satis longo, quod ab Adone mutuatus est.

Alii tamen cùm Martyrologi, tum biographi inde à seculo nono ad nostram usque ætatem, ejus memoriæ consecrant unicè tamquam Natalem diem XXV. Iulii; credo, quia tum primùm innotescere cœperint Acta vulgata, in quibus dies ille *Cucufatis* martyrio assignatur. Præivisse ceteris Wandelbertus videtur, nisi hunc anteverterit Florus. Secuti subinde sunt Ado, Usuardus, Liber Sacramentorum S. Gregorii in codice Ratoldi, qui sæculo decimo scriptus est apud Menardum pag. 170; &, ne multa recenseam, Romanum, quo nunc utitur Ecclesia, Martyrologium, sic hodie Sanctum annuntians: *Barcinone in Hispania, beati Cucuphatis martyris, qui in persecutione Diocletiani sub Daciano præside plurimis tormentis superatis, percussus gladio, victor migravit in cælum*. Juvat hìc etiam adscribere elogium Adonis: neque enim ad cultum *S. Cucufatis* hodiernum comprobandum tantummodo facit, sed ad Actorum quoque editorum, quorum exhibet epitomen, demonstrandam qualemcumque antiquitatem: sic igitur habet:

In Hispaniis, Civitate Barcinona, S. Cucufatis martyris (subintellige *Natalis*, quæ vox præcesserat,) *qui ex civitate Sillitana oriundus fuit; & Barcinone sub Galerio proconsule, & Maximiano & Rufino passus. Primò gravissimè tortus, & cæsus; deinde catenis adstrictus, in craticula superextensus, aceto, & sinapi, perfusus, assari jussus est. Cum verò ab igne & flammarum globis illæsus apparuisset, ex præcepto impii judicis extra civitatem ductus, in ignem copiosum iterum projectus est: quo divino nutu extincto, iterum ferro vinctus, in custodia retrusus est, ubi divino splendore consolatur. Iterum cardis ferreis, & taureis crudelissimè cæsus, in ultimo, dictatâ sententia: Cucufatem rebellem principum, & diis sacrificare nolentem, gladio feriri jubemus: octavo milliario Barcinonem perductus, ferroque animadversus, martyrium consummavit. Cujus corpus à Christianis cum reverentia sepellitur. Unde postmodum translatum non longè à Parisiorum civitate, in ecclesia Beatorum martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii cum honore tumulatum est.*

Eumdem triumpho ejus diem adscripserunt celebraruntque jam pridem Hispani, & quidem Officio peculiari, quod asserit Tamayus in Martirologio Hispanico ad hunc diem, cum ait: *In omnibus Hispaniæ Breviariis Officia specialia olim inesse cognoscimus*. Quod idem ferè ante illum testatus est Ambrosius Morales in Chronico generali Hispaniæ tom. I. lib. 10. fol. 3341. ubi affirmat, in Breviariis Hispaniæ Acta *S. Cucufatis* aliquanto ampliora contineri, quàm sint in Martyrologiis; simulque observat paucas ibi admodum ecclesias esse, quæ de illo Officium non recitent, in eoque non eam exhibeant martyrii narrationem, quam ille ibidem idiomate vernaculo subjicit, quæque in Actis editis a Mombritio in compendium redigitur; diesque adeo Sancti Natalis statuitur XXV. Julii. Et de Eborensi quidem Ecclesia id constat etiam ex Legenda Sanctorum Lusitanica Didaci de Rosario, excusa Ulissipone 1585. nam ad diem XXV. Julii Martyrium Sancti Cucufatis desumptum dicitur ex Breviario Eborensi. Ejusdem rei exemplum reperitur in Officiis propriis Sanctorum Ecclesiæ Cathedralis, & Diæcesis Barcinonensis, auctoritate Apostolica approbatis, & excusis Barcinone anno 1668. in iis enim ad diem XXVII. Julii notatur Festum *S. Cucufatis Martyris duplex*; & subditur hæc rubrica: *Quia hoc festum semper occurrit cum festo S. Jacobi Apostoli, ideo in ecclesiis diæcesis Barcinonensis, quæ non sunt dicatæ nomine S. Cucuphatis semper transfertur in diem XXVII. Quod si ea dies fuerit Dominica, transfertur ad diem XXX. Julii*. In ipso autem Officio nihil est singulare præter lectiones secundi nocturni, quæ ferè continent Acta vulgata.

 Ve-

Id olim apud alias etiam Ecclesias in usu fuisse, conjicere etiam licet ex Kalendario Toletani Missalis, ritus Mozarabici : sic enim in eo scribitur ad VIII. Kal. Augusti * : *Jacobi Apostoli VI. capparum* (hæc rubricâ exprimuntur ob Festi solemnitatem, non item id quod sequitur) *Christofori, & Cucufati, & comitum ejus MM. IX. LC.* idest, *novem lectionum* Officium : sed quid comites hi sibi velint, nescio ; neque Acta, vel auctores alii meminerunt ; nisi fortè hìc malè *Cucufati* jungantur, qui juxta ipsum Breviarium Mozarabicum ad Christophorum pertinent. Ceterùm, quamquam eodem die notata sint SS Jacobi, Christophori, et *Cucufatis* festa, quia eodem die occurrunt ; nequaquam tamen eodem die apud Mozarabes eorum Officis recitantur ; ut ex eorum Breviario, quod Biennio post Missale excusum est, colligitur ; ubi hoc ordine Officia horum Sanctorum propria disponuntur : *In festo S. Jacobi Apostoli fratris sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ.* Tum sequitur Officium ejus proprium. Deinde : *In festo Sanctæ Annæ matris Virginis Mariæ*, cujus Officium subjicitur proprium. Tum verò : *In festo S. Christophori vel comitum ejus* : et sequitur Officium proprium. Tandem : *In die Sancti Cucufati ; omnia dicantur unius Martyris fol. CCCXVIII.* Vides, hìc postponi diem Officio S. Cucufatis destinatum, non modo Festo S. Annæ, quod juxta Kalendarium jam dictum incidit in diem XXVI. Julii ; sed etiam differri ultra Festum translatum S. Christophori. Porro, licèt hìc omnia præscribantur de communi unius Martyris, excipi tamen debet Hymnus de Sancto proprius, qui ibidem sequitur, editus a nobis pag. cclxxvi., non ut a Bivario in Chronico Pseudodextrino mutilatus est ; sed ut exstat in ipso fonte, Breviario, inquam, Mozarabico.

* Hoc Festum deest in nostro Libello Gothico-Hispano. Vide Card. Baronium ad annum Chr 816. à num. 48. ad 53.

Tres insuper alios Hymnos profert Tamayus, erutos, ut ait, ex Officio vetustissimo, & manuscripto monasterii *S. Cucufatis* del Valles prope Barcinonem ; sed quia nihil ad historiam lucis afferunt, eos assignasse satis sit. Quanta autem solemnitate jam olim in illo monasterio celebrari ipso hoc die 25. Julii, & sequentibus consueverit Sanctus Cucufas, ex iis lectionibus facile intelligemus, quas Bollandistis ex antiquissimo ejusdem Lectionario membranaceo descriptas transmisit anno 1727. vir studiis eorum addictissimus Joannes Baptista de Castellarnau, tum ejusdem Cœnobii monachus ac Vicarius generalis. Quamquam non omnes ille quidem exscripsisse se fateatur, quas ibi de S. Cucufate invenerat ; sed illas dumtaxat, quæ Acta integra, sine translatione complecterentur ; reliquas verò prætermittere sese voluisse, quod novi nihil, sed easdem tantùm omnia aliis atque aliis verbis exornarent. Ex iis, inquam, intelligimus Officium ibi antiquitus cum octava celebratum fuisse, & quidem primo die, seu VIII. Kal. Augusti, cum lectionibus duodecim propriis, uti & Dominica infra octavam : nam de ceteris nihil accepimus. Porrò ex dictis dubium videri debet, quis tandem ex variis, quos paullo supra assignavimus, diebus, *Cucufatis* martyrio re ipsa conveniat ; cum omnes (si forte XII. Februarii excipias) tamquam Natales, nulla facta translationis mentione, notentur. Nihil ex nostro Libello definiri potest, quoniam ipse nullam diem designat.

Mensem quidem, ac diem martyrii cum Actis Mombritianis eumdem, Wandelbertus (& ante illum probabiliter Florus) Ado, ceterique, assignant diem XXV. Julii, & forte ante hos omnes Hispani Mozarabes. Et quidni rectè? Obstat, inquies, antiquissimum Martyrologium, quod Hieronymianum vocatur ; cujus exemplaria præcipua de Sancto hoc Martyre illo die ac mense non meminerunt, sed Mense, ac diebus aliis ; puta XV. ac XVI. Februarii. Hinc die XV. Februarii exspirasse Sanctum, postridie verò sepultum esse, colligit Castellanus in additionibus ad Martyrologium Romanum ; approbante sententiam ejus de die martyrii Legendista Gallo jam sæpius appellato. Verùm an XV. Februarii agatur ibi de Sancto Cucufate, esto lectoris arbitrium ; sic enim annuntiatur in Codicibus Florentinii : *Warciana in Spania passio S. Loquunfas* : in Corbejensi ; *Barcinone in Hispaniis passio Sanctæ Loguumfas* : in Epternacensi vetustissimo ; *Arciana in Spanis passio Locufati*. An non hæc ænigmata sunt potius, quam *S. Cucufatis* annuntiationes ? Sanè nullum ex his nominibus in iisdem codicibus postridie Sancto Cucufati tribuitur.

Die XVI. Februarii celebratur in his quidem omnibus passio *S. Cucufatis*, ut supra retulimus : sed quis dicat, quàm antiqua sit ista annuntiatio ? Plures enim paulatim antiquo isti Martyrologio accessisse, fatentur omnes, & res manifesta est.

No-

Nobis verò de hac non levis est suspicio. Codices enim illi, de quibus agitur, extra Hispaniam omnes conscripti sunt; extra quam ignotus videtur fuisse *S. Cucufas*, donec sub Carolo magno unà cum reliquiis ejus notitiam inde ad Gallos Germanosque S. Fulradus extulit: aut si forte jam innotuerat per nostrum Libellum, & scripta Prudentii, non poterat ex iis tamen Natalis ejus dies aut passionis designari. Hinc primùm opinamur adscribi Martyrologio Hieronymiano cœpisse *Cucufatem* post reliquiarum ejus translationem; & cum nondum ejus Acta in Gallia, Germaniave nota satis essent, pro die martyrii, delectum esse diem translationis, qui re vera in Actis dicitur, juxta Surium, fuisse XVI. Februarii. Nec refert ibi scriptum esse, *passio S. Cucufatis*, non verò, *translatio S. Cucufatis*. Nam vox *passio* non semper in istis Codicibus diem passionis sive martyrii significat: ut hoc ipso etiam die observare est, quo iidem codices habent, Lucenses quidem: *Passio S. Jacobi Apostoli*: alii verò: *Natalis S. Jacobi Apostoli*: cùm certum sit omnium sententia, S. Jacobi martyrium accidisse non mense Julio, sed circa Pascha. Diem ergo natalem *S. Cucufatis* ignotum primò librariis illis fuisse credimus, donec eruta primùm aliunde ex Hispania, ut reor, Acta ejus, spargi per Galliam cœperunt: ex quibus verus dies martyrii primùm innotescere, sc vulgò ab omnibus usurpari sit cœptus, etiam in ipso Martyrologio Hieronymiano, saltem juxta codicem Corbejensem, quem vide apud Acherium Spicilegii recusi tom.2. Ita certè sentiunt Florentinius ad diem XVI. Februarii, & alii passim, præter Castellanum, & Legendistam, quem dixi, Gallum; cujus equidem demiror inconstantiam, qua simul Scriptoris Actorum fidem laudat, in iis saltem quæ ad primam translationem attinent; simul eamdem in illis ipse subvertit, statuendo diem XV. Februarii pro translatione facta, pro martyrio autem diem XXV. Julii.

Acta quæ tomo I. Mombritius de suis MSS. in lucem protulit, tam præcisa sunt, & succincta; ut ea non dubitemus ceteris anteferre, tamquam ætate priora; quippe quæ rei nihil minus habeant, at minus multo verborum: ut hæc amplificata esse potius per illa, quàm illa per hæc contracta videri debeant: solent enim in Actis MSS. ætate res crescere, non minui. Hinc Acta Proconsularia & pro genuinis habita, simplicissima fere, ac brevissima sunt, cum spuria & recentia plerumque luxurient.

Ea, quæ adoptavit Ado, non adeo in martyriis inusitata sunt, quin de *claro*,& *famoso Cucufate* (sicut illum appellant Prudentius & noster Libellus) ex vero narrata videri facilius possint: nam quod judices ille tres ex Actis astruat, quamquam id nonnullos offendit, mirum tamen iis apparebit minimè, qui Lactantium de Mortibus Persecutorum cap.7. legerint. Quæ verò ad Martyris Cucufatis cruciatus attinent, qui eum, vel non læserint, vel subitis prodigiis sublati continuò fuerint, ea non parum firmantur ex nostro Libello Gothico, & ex Hymno Toletano.

Acta S. Cucufatis edita a Bollandianis, & cum nostro Libello Gothico-Hispano comparata.* *Hac responsione Galerius nimio furore succensus & seipsum ob ira non capiens, tortoribus eum tradidit dicens: Tamdiu torquete eum, quomdiu extorqueatis ab eo spiritum. Cumque duodecim milites eum vicissim prolixiùs & exquisita crudelitate gravissimè torquerent, adeo ut ejus intestina, durissima flagellorum torsione disrupto corpore paterent, clamovit, dicens*: * Domine Jesu Christe, ostende virtutem tuam super incredulis, ut videntes aut credant & convertantur, aut pereant & destruantur:,, Cod. Ver. pag.127. *Christus, Dei Filius, pro cujus nomine Cucufas martyr duodeno milite tortus est, ab omni vos tormentorum futurorum supplicio reddot immunes; quique adpositas erga eum fecit emori flammas, ipse in vobis perimat totius carneæ titillationis inlecebras: ut pro quo carnificum ignitis sunt depasta membra suppliciis, per eum donetur obtabilis lætitia populis Christianis.* * Acta. *Cod. Ver.

* *Tunc Præses insoniens, in craticula jussit eum assari, & combustum sinapi & aceto perfundi: Miles autem Christi psollebat, dicens*: Exaudi Domine, justitiam meam *& cetera. Cumque explicuisset psalmum, penitus sanatus est. Ministri verò pœnorum ab eodem igne consumpti sunt.* Cod. Veron. cum in mox recitata, tum in sequenti Oratione paria habet de extincto igne, ac de Ministris ab eodem igne consumptis. * Acta.

* *Post hoc autem jussit Præses ignem copiosum extra civitatem fieri, & Sanctum in eo concremari: qui illic projectus oravit; & ignis ita exstinctus est, ut nec tempore* * Acta.

 incen-

incendii remaneret ; & ipse penitus illæsus apparuit . Tunc Præses jussit eum ferro vinctum in custodiam reduci ; clausoque ostio carceris , tantus splendor ibidem refulsit , ut eodem lumine viso , custodes in Dominum Jesum Christum crediderint . Cod. Veron. pag. eàdem : *Adest , Domine , famosi tui Martyris expectata illa sollemnitas , * qua , pro tuo nomine decertans usque ad sanguinem , & flammas vicit, & hostem , & vinclis mancipatus & * carcere : qui ergo illi de inlatis pœnis dedisti ferre victoriam , da nobis non merentibus ejus suffragatione coronam : ut eo intercedente luceat in nobis flamma justitiæ , quo supplicante truces persequentium evictæ sunt flammæ .*

* leg. *qui*
*leg. *carceri*

*ADNOTATIO CIII. pag. 127.

Cod. Veron. pag. 127. *Kal. Augusti . Incipiunt Orationes in die S. Felicis .* Br. Moz. Tol. pag. 389. col. 1. *Prid. Idus Augusti . In festo S. Felicis Martyris :* Gaudet Officio , & Hymno proprio .

* Hic Hymnus a Tamayo in Mart. Hisp. To. IV. die 1. Aug. pag. 330. tribuitur B. Isidoro Episc. Hispal.

* H Y M N U S Trochaicus , Ad primas Vesp. pag. eàdem col. 2.

Fons Deus vite perhennis , lux origo luminis ,
Aspice plebem canentem festa summi Martyris ,
*Excipe vota precantum , * summe laudum carmina .*
En tui Felicis almi pangimus insignia ,
Tu resolve vincla lingue , dans sonora cantica ,
Ut tua ritè queamus promere magnalia .
Iste namque Cesaree urbis Mauritanie
Mundialis disciplina dum studeret litteris ,
*Artium famosa * vabra te sequendo deserit .*
*Audiens * pleti fideles mox Gerundam pervenit ;*
Presidis jussu retentus traditur in carcere :
*Ferreis * baccis onustam conloquuntur Angeli .*
Sistitur are , cruentis ut litaret Idolis ;
Respuis infame factum , voce Christum profitens :
Perstrepit turba bisulcis , ossa nudans ungulis .
Nempe mulis alligatus dissipatur artubus ;
Fluctibus presso Marinis unda surgens subditur ,
*Angelus immixtus almis ara pandit * cantibus .*
*Omnia tormenta * forte * precucurrit pectore ;*
** Et postque pœnas , & catenas , ungulas , ac verbera ,*
Carnea claustra relinqueas , migrat ad celestia .
O nimis Gerunda fœlix , o beata Civitas ,
Nil malorum tu pavescis freta tanto Martyre ;
Postulata promeretur quisquis hic confluxerit .
Hic Dei virtute pressi lancinantur Demones ,
Verberantur , vinciuntur , & cremantur acriter ;
*Atque fumus , & * favilia nil vigoris obtinet .*
Hic salus optata fessis , sed e cœlis profluit ;
Visio cecis patescit , lingua mutis advenit ,
** Surdua auris hic receptet , atque claudus exilit .*
Inde cuncti te precamur una summa Trinitas ,
Martyris ut impetratu nostra tollas crimina ;
Noxia cuncta repellas , & secunda impercias .
Clerus hic vita nitescat , & Sacerdos floreat :
Plebs fidelis quod requirit impetrasse senciat ;
Omnis etas , atque senus hoc Patrono gaudeat .
Gloria Patri , Natoque , semper & Paraclito
Laus , potestas , atque virtus , gratiarum copia ,
Que Deum cuncta , fatentur seculorum secula . *Amen.*

* *fame*
* *verba*
* *plecti*
* *vaccis*

* *canticis*
* *forti*
* *percurrit*
* *Et post pœnas*

* *favilla*

* *Surdas aures hic recepit at*

S. Felicis meminit Prudentius in Lib. *Peristephanωn* Hymno 4. vers. 29.

Parva Felicis decus exhibebit
Artubus Sanctis locuples Gerunda .

Beda, Usuardus, & Ado longiori elogio de eo agunt hac die . Notus est etiam in Hieronymianis Martyrologiis , & Floro . S. Eulogius (ut notat Card. Baron.) *in memor. Sanctor.* inter alios Martyres, qui sese martyrio sponte obtulerunt , recenset Felicem hunc , quem ait Cæsareà Mauritaniæ Gerundam usque martyrio cupi-

cupidum perrexisse. De eodem Gregorius Turonensis in libro *de gloria Martyrum* cap. 92. ubi agit de ejus miraculis.

Noster Libellus pag. 129. habet: *Item aliæ cum Machabæis*. Scilicet Tarraconensis Ecclesia unà cum S. Felicis triumphis Machabæorum victorias eadem solemnitate peragebat, ut ex orationibus liquet recitatæ rubricæ subiectis. Machabæos fratres ab ipsis primis Ecclesiæ sæculis magna semper in veneratione fuisse, demonstrant Patrum encomia apud Florentinium; & Martyrologiorum consensus. Hieronymiana imprimis ampliori eos phrasi commemorant, quæ in mediæ notæ codices irrepsit. Usuardianum a Bollandistis editum perpaucis Bedam, Romanum parvum, & Adonem sequitur, in hoc dispar, quod eos primo loco annuntiet. Horum Festivitatis meminit S. Ambrosius in Epist. 40. novæ Edit. ad Theodosium Imperatorem. Plura in ipsorum laudem legesis apud eundem Florentinium, matris, & filiorum nomina singillatim enumerantem.

Cod. Veron. pag. 130. *VIII. Idus Augusti. Incipit de Festivitate SS. Justi & Pastoris*. Brev. Moz. Tol. pag. 390. col. 2. *In festo SS. Justi & Pastoris Martyrum*. Gaudet Officio, & Hymno proprio. * ADNOTATIO CIV. pag. 130.

* H Y M N U S Trochaicus. ad primas Vesp. pag. eadem col. 3.

* Hic Hymnus est S. Arturii Serani Episcopi Toletani. Vide Tamayum in Martyr. Hisp. Tom. IV. die 6. Aug. pag. 397.

O Dei perenne verbum, Patris ore proditum,
Organum qui imbecille admovens Infantium,
Das eis spirare flatum, vocis ut promant sonum.
Tu pius adesto nobis, solve fibras gutturis,
Ora instrue loquellis, corda reple lacrymis,
Ut sacrorum festa dignis præcinamus canticis.
Ecce Justus, ecce Pastor ambo juncti sanguine,
Quos pia fraternitatis junxeras germanitas,
Invenit æqualis sacratæ passionis unitas,
Hi tamen scholis retenti, dum instruuntur litteris;
Audientes quod Tyrannus intrat Urbem persequens,
Illico scholam relinquunt, & tabellas abnuunt.
Appetunt cursu deinde Presidis præsentiam.
Et crucem Christi sequendo, corpus armant debile,
Quod triumphos passionis expedirent fortiter.
Hoc repente Daciano nunciantes, inquiunt:
*Ecce * advenire Christum profitentes parvuli,*
Mortis ultro Passionis atque cædis perpeti.
*Turbidus adest, inde * presens concitans seviciam,*
Ad suos truces Ministros ut teneantur clamitat,
Fustibus jubens tenella dissecari corpora.
Tunc sacratas voces ecco adloquuntur invicem,
Tempus est accipere temporales ritè penas corporis,
Quo futurum possident gaudium cum Angelis.
Audiens mox Dacianus Martyrum constanciam,
Excitatus in furore dictat hanc sententiam:
Et perempti ambo fratres morte dira intercidant.
Protinus eos furentes pertrahunt satellites
Ad locum campi patentem, quem ferunt laudabilem:
Ense illic verberantur, laureantur sanguine.
O locum verè beatum, quo cruor reconditur
Sanctus ille parvulorum ad salutem plebium:
Quoque multa sanitatum signa egris confluunt.
*Nempe hic divina virtus vincit iras * Dæmonium,*
Curat ulcus, membra sanat, & dolores temperat;
Vota cunctorum receptat, & ruentes sublevat.
Jam tuorum passione freta gaudet Civitas
Jure Complutensis almo quo laveris sanguine;
Et gemellis mox camœnas redde vota debitas.
Hic, Deus, te postulamus ut precantes audias,
Pelle morbos, solve vincla, & relaxa crimina;
Atque inlæsi futuram appetamus patriam.
Dominus tui amorem da tuis in servulis,
Temporale nil amemus, diligamus invicem;
Te sequamur, te canamus, te fruamur perpetim.

* Preses

* Demonum

Laus

Laus tibi per omne tempus Trinitas indifferens,
Laus, honor, virtusque summa, singularis glorias
Qua Deum te sæculorum personet in sæcula. *Amen.*

De his Prudentius in Hymno 4. *Peristephanon*. ver. 40.

Sanguinem JUSTI, cui PASTOR hæret,
Ferculum duplex, geminumque donum
*Ferre Complutum gremio * juvabit*
Membra duorum.

* al. *alligatum*

Iustus & Pastor fratres, Martyrea Complutenses. Complutum Urbs Castellæ novæ ob Academiam celebris. Eorum Acta habes apud Surium Tomo 7. Amborum corpora detecta sunt ab Arturio Episcopo, de quo plura apud Ildefonsum Tolet. lib. *de Script. Ecclesiast.* cap. 2. Meminit summa cum laude eorundem S. Eulogius in *memor. Sanctor.* Quæ de hia Sanctis notavit Eminentissimus noster Card. Baronius, ea fermè a Tillemontio repetuntur Tomo V. pag. 59. Plura vide apud Bollandianos To. VII. Junii pag. 451.

*ADNOTATIO CV. pag. 130.

Cod. Veron. pag. 130. *IIII. Idus Augusti. Incipiunt Orationes in die S. Laurentii*. Brev. Moz. Tol. pag. 391. col. 3. *In festo S. Laurentii Archidiaconi, & Martyrii*. Gaudet Officio, & Hymno proprio.

* Cento ex Prudentio. Vide in lib. *Catemerinon* Hymnū II. de Passione S. Laurentii versu 17. & seqq.

* HYMNUS. Ad primas Vesperas pag. 391. col. 4.

EN Martyris Laurentii
Armata pugnavit fides,
** Quam vapor diutiuus*
Decoxit exustum latus.
Fore hoc Sacerdos dixerat
** Jam fixus, adfixus cruci,*
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite.
Desiste discessu meo
*Fletum * dolentem fundere:*
Precedo, Frater, tu quoque
Post hoc sequeris triduum.
Extrema vox Episcopi
Prænunciatrix gloriæ
Nihil fefellit: nam dies
** Prædictam Palmam præstitit.*
Hic Sancte Laurenti tuam
Nos passionem querimus:
Quod quisque supplex postulat,
Cunctis fovendo præroga.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne seculum. *Amen.*

* lege, *postquam*
* *Jam Xystus*
* Prud. *dolenter*.
*Prud. *Prædicta*

Doctissimi Bollandiani Patres in Observationibus ad Martyrologium Usuardi hæc scribunt pag. 458. *De Sancto Laurentio notiora sunt omnia*, ut inquit Florentinius, *quam ut aliquid addere opporteat*. Sic est; nam Martyrologia omnia, imo & Kalendaria vetustissima, ut est illud Polemei Silvii, & aliud a Bucherio editum, item Carthaginense; Allatianum, Frontonianum, & Sacramentaria, gloriosissimam in tota Ecclesia ejus passionem unanimiter recolunt; idque peculiare in hoc illustrissimo Sancto observabis, quod solus ipse, extra Redemptionis nostræ & Apostolorum festa, solus, inquam, inter mortales solenni & universali cultu celebritatem habeat, non Clero solum, sed & populo præceptam, sive quòd soli ipsi, origine non Iudæo, decreta sit fere prima in Ecclesia festivitas. Præter Hieronymiana, sic de Laurentio hodie Romanum parvum: *Romæ Laurentii, Archidiaconi, martyris*. Ado totus est in Actis suse deducendis, quorum potiorem partem in Martyrologium suum transtulit Notkerus. At Usuardus, compendiosiora sectatus, maluit Bedæ elogium transcribere: ubi advertes, solam ex Adone præfixam palæstram, seu mavia sepulturæ locum, *Romæ via Tiburtina*; atque item ex eodem & Romano parvo, imo & aliquibus Hieronymianis, *Archidiaconi* titulum, jam olim a sanctis Patribus raro exemplo tributum. Usuardus vero, supra quam in fontibus legerat, scripsit *præsente Decio*. Rabano, Bedæ verbis præssius inhærente; in quo non quidem *Decii præsentia*, *sed Decii persecutio* diserte notatur, ab Adone etiam ex Actis expressa, iisdem utrobique verbis: *Sub Decio*. Sed de hac re legendæ omnino sunt diligentissimæ Baronii Notationes ad hanc diem, ubi ex temporum ratione facile evincit, nec Sixti, nec Laurentii

mar-

martyrium cum annis *Decii*, combinari posse, atque adeo pro *Decii*, scribendum *Valeriani*, alibi. Quanti porro facienda sint vulgata Laurentii Acta, ex quibus & alia desumuntur, alibi, docebit Card. Norisius in fine dissertationis tertiæ de epochis Syro-Macedonum à pag. 394. editionis Lipsiensis, subscribentibus eruditis recentioribus. Quod si nec ipsa, quæ Laurentium seorsim spectant, Acta tutari possimus, facile aliunde jactura compensabitur, ex tot SS. PP. elogiis, quæ colligi cœpta sunt inter selecta Ruinartii à pag. 180. ubi ait: „ Quandoquidem S. Laurentii acta, qualia vulgo circumferuntur, vitiata sunt, ejus Passionis notitiam aliunde repetere visum est. Ex multis autem SS. PP. & Vet. Scriptorum Opusculis, quæ de ejus Beatissimi martyris laudibus, & Passione scripta sunt. Hymnum II. libri Perillephanωn, sive de coronis, Aurelii Prudentii selegimus, quod ibi tota rerum gestarum series clare, & dilucidè continenter exponatur. Huic tamen subjungimus duo loca insigniora ex S. Ambrosii Officiis, ne extrema aliquot tanti Martyris ad mortem pro Christo subeundam anhelantis verba tantopere celebrata, hic à nobis prætermissa nonnemo queratur. De eodem Martyre egregium sermonem habuit S. Petrus Chrysologus, qui est inter editos 135. & quattuor B. Augustinus, scil. 302. & tres sequentes novæ editionis præter alios tres in Appendicem rejectos, qui antea iurer Sermones de Sanctia editi erant. Laurentium item laudat Augustinus passim variis in locis: de quo etiam extat sermo S. Leonis Papæ, & tres habentur Homiliæ S. Maximi Taurinensis Episcopi editæ in Bibliotheca Patrum. His adjungi possunt S. Damasus Papa carm. 18. 19. 20. 37. & 38. Gregorius Magnus, Fortunatus lib. 9. Poem. 14. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum cap. 42. & Lib. Histor. cap. 30. & innumeri alii auctores, quos enumerare prolixius esset.

Hi sunt indubitatæ fidei testes, & omni sanè exceptione majores, quos ad asserendam S. Laurentii martyrii veritatem profero, de qua tamen dubitasse videtur novæ operum Cypriani editionis Oxoniensis illustrator, qui in notis ad Epistolam 80. se majora quam Martyrologiorum testimonia velle ait, ut de iis, quæ de Feliei, Agapeto .... Laurentio, Epolyto, & aliis, quos ibi recenset, narrantur, fieret certior. Sed quamvis S. Cyprianus nonnisi Quartum cum Xysto animadversum in Cœmiterio fuisse dicat, in eadem tamen Epistola plures quoque alios paulo post iu eadem persecutione interfectos fuisse his verbis declarat: *Sed & huic persecutioni quotidie insistunt Præfecti in Urbe, ut si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur, & bona eorum Fisco vindicentur*. Cum itaque Cyprianus referat multos in Urbe Roma Christianos paulo post B. Xysti passionem martyrio affectos fuisse; quid ni credamus Laurentium, aliosque nonnullos, quos antiquiora Martyrologia celebrant, ex his fuisse, cum certiora aliunde habeamus ejusdem rei argumenta?

Verùm etsi de istis martyribus non adeo certa haberemus testimonia, longe tamen aliter judicandum esset de S. Laurentio, de quo B. Augustinus Serm. 303. novæ Edit. sic loquitur: *Quàm non potest abscondi Roma, tam non potest abscondi Laurentii corona*: Et Petrus Chrysologus Serm. jam laudato affirmat *egregii hujus Martyris merita nullam partem Orbis Romani ignorare*. Omitto cæteros, pro quibus sufficiet unicus Leonis Magni locus, qui in Sermone de hoc B. Martyre ait, *a solis ortu usque ad occasum Leviticorum hominum corruscante fulgore, quàm clarificatam esse Hierosolymam Stephano, tam inlustrem factam fuisse Romam Laurentio*. Ast etiamsi tot SS. PP. scripta ad nos usque non pervenissent, Laurentii gloriæ præcones haberemus lapides ipsos tot Ecclesiarum, quæ in primis Ecclesiæ pacis temporibus in hujus. Martyris honorem coustructæ fuerunt. Unius apud Ravennam constructæ meminit Augustinus ex Pauli Libello, in Serm. 322. novæ Edit. alias quæ in Galliis extabant, Fortunatus, & Gregorius Turonensis jam laudati commemorant. Sed cæteris inlustrior est, quæ extra urbis Romæ muros in agro Verano etiamnum perstat, ac inter VII. præcipuas, idest Parochiales Urbis Ecclesias locum obtinet; servatque etiamnum non modo B. Martyris reliquias, sed etiam Instrumenta martyrii. Alia est Basilica in Urbe S. Laurentii in Damaso appellata, quòd ab hoc B. Pontifice constructa, vel potius restaurata, ac carminibus illustrata fuerit, cujus meminit Gregor. Magnus Dial. lib. 4. cap. 31. Item Basilicam S. Laurentii a Longobardis

bardis incensam in Nursia Provincia idem Papa commemorat lib.3.Dial.cap.37.Certè jam tempore S. Augustini, inter præcipuos Romæ Patronos recensebatur B. Laurentius, ut patet ex ejus Serm.296. nov. edit. ubi agens de SS. Reliquiis quæ Romæ asservabantur, unicum Laurentium cum Apostolis Petro, & Paulo singulatim exprimit. Ingens miraculum ob ejusdem Martyris sepulcrum incaute apertum refert Greg. M. lib.3. Epistola 30. ad Constantinam Augustam, in qua Epistola multa reperies de summa cautela, quæ in contrectandis SS. Reliquiis adhiberi debet. Idem S. Pontifex lib.2. Indict. 11. Epistola 33. ad Dynamium Patricium Galliarum transmittit Crucem parvulam, cui de cathenis S. Petri beneficia inserta sunt, quæ, inquit, illius quidem ad tempus ligaverunt, sed vestra colla in perpetuum à peccatis solvant. Per quatuor verò in circuitu partes, de B. Laurentii craticula, in qua perustus est, beneficia continentur.

Laurentii Martyrium sub Daciana persecutione contigisse refert Eusebius in Chronico ad annum 252. sed hæc merito visa sunt Josepho Scaligero intrusa in Eusebii textum, utpote quæ in nonnullis Codicibus desunt, ut idem Scaliger observat in animadversionibus num. MMCCLXVI. Melius in Historia lib. 6. cap.39. ubi eadem habentur, Fabianus pro Laurentio ponitur. Aliunde itaque repetendum est Beati Laurentii mortis tempus, nimirum ex Sancti Cypriani Epistola 80. superius laudata, quam paullo ante suam Passionem, id est anno CCLVIII. ad Successum conscripsit. In ea Sixtus *in Cæmeterio animadversus* dicitur *octava Iduum Augustarum*, id est sexta ejus mensis die. Quare cum inter Beati hujus Pontificis mortem, & Laurentii martyrium triduum intercesserit, ad diem ejusdem mensis decimam sancti Laurentii passio referenda est, qua quidem die ejus Festum in Kalendariis Bucheriano, & Carthaginiensi, in Martyrologiis tam vetustis quam recentioribus, in Liturgiis Romana, Gothica, & Mozarabica, aliisque Fastis Ecclesiasticis recolitur. Apud Græcos celebre etiam fuit hujus sancti Martyris nomen, cujus Festum, ut apud Latinos, die decima mensis Augusti celebrant. Quin & initio libri I. Excerptorum Historiæ Ecclesiasticæ Theodori Lectoris refertur, Pulcheriam Augustam in ejusdem Martyris honorem basilicam Constantinopoli erexisse, eaque videtur esse, quam, teste Procopio lib.I. de ædificiis Justiniani, idem Imperator auxit, & in meliorem formam reduxit.

AURELII PRUDENTII

Hymnus de Martyrio Sancti LAURENTII: Ex lib. Peristephanon Hymn. 2.

Antiqua fanorum parens,
Jam Roma Christo dedita,
Laurentio victrix duce
Ritum triumphas barbarum.
Reges superbos viceras,
Populosque frenis presseras,
Nunc monstruosis idolis
Imponis imperii jugum.
Hæc sola deerat gloria
Urbis togatæ insignibus,
Feritate capta gentium
Domaret ut spurcum Iovem.
Non turbulentis viribus
Cossi (a) *Camilli aut Cæsaris;*
Sed Martyris Laurentii
Non incruento prælio.
Armata pugnavit fides
Propria cruoris prodiga,
Nam morte mortem diruit,
Ac semet impendit sibi.
Fortè hoc Sacerdos dixerat
Iam XYSTUS adfixus cruci (b),
Laurentium fluentem videns
Crucis sub ipso stipite:
Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere:
Præcedo, frater; tu quoque
Post hoc sequeris triduum.

Extre-

(a) Tres Romanorum celeberrimi. Cossus Velentes delevit, Camillus Gallos Capitolium obsidentes oppressit, Cæsar tandem nomen Imperatoribus dedit: De his passim in Historicis Romanis.

(b) *Animadversus* tamen dicitur apud Cyprianum epist. 80. nov. edit. Ejus Festum notatur in Kalendario Carthaginensi, ac cæteris Martyrologiis die 6. Augusti. Ecclesiæ ipsius nomini sacratæ via Appia meminit Gregorius M. lib. 4. Dialog. cap. 26.

Extrema vox Episcopi
Prænuntiatrix gloriæ
Nihil fefellit: nam dies
Prædicta palmam præstitit.
Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo mortis ordinem?
Quo passionem carmine,
Digne retexens concinam?
Hic primus e septem viris (a)
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et ceteris præstantior;
Claustris sacrorum præerat,
Cælestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votasque dispensans opes.
Versat famem pecuniæ
Præfectus Urbi regiæ,
Minister insani ducis,
Exactor auri & sanguinis:
Qua vi latentes eruat
Nummos, operta existimans
Talenta sub sacrariis,
Cumulosque congestos tegi:
Laurentium sisti jubet;
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, & fulgidæ
Montes monetæ conditos.
Soletis, inquit, conqueri,
Sævire nos justo amplius,
Cum Christiana corpora
Plusquam cruente scindimus.
Abest atrocioribus
Censura fervens motibus:
Blande & quietè efflagito
Quod sponte obire debeas.
Hunc esse vestris orgiis (b)
Moremque & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut auro antistites:
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.
Tum summa cura est fratribus,
Ut sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sestertiorum millia.
Addicta avorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exheres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis:
Et summa pietas creditur,
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros malis
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines:
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Ut dedita stipendiis
Ducem juvet pecunia.
Sic dogma vestrum est, audio:
Suum quibusque reddito.
En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da: nempe justum postulo.
Ni fallor, at ullam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cum veniret aureos
Secum Philippos (c) *detulit:*
Præcepta sed verbis dedit,
Inanis à marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quæ vos per orbem venditis:
Nummos libenter reddite;
Estote verbis divites.
Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum:
Sed ut paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est dives, inquit, non nego,
Habetque nostra Ecclesia
Opumque & auri plurimum:
Nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum (d)
Augustus arcem possidens,
Cui nummus omnis scribitur.
Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam Numinis:

(a) Apud Romanos, inquit Sozomenus lib 7. cap. 19. Diaconi non plures sunt hactenus, quàm septem, instar eorum qui ab Apostolis primùm ordinati sunt. Apud alios vero haud quaquam definitus est diaconorum numerus. Videsis Commentarium prævium Mabillonii io ordinem Romaoum cap. 3.

(b) Orgiæ, quo nomine quælibet sacra apud Græcos significabantur, teste Servio; quamvis postea singularius Bacchi sacris hæc vox attributa sit, sic dicta ab orgi, id est, furor seu impetus, quo ejusmodi sacra peragebantur.

(c) Genus nummi sic appellatum à Philippo Macedonum rege. Vide Horatium lib. 2. epist. I. ad Augustum.

(d) Sic nummos appellat, quòd Imperatoris effigie signati sint. Et infra omnis nummus Augusto scriptus dicitur, quod in eis præter Imperatoris effigiem ejus nomen inscriberetur.

Vulgabo cuncta, & proferam
Pretiosa quæ Christus tenet.
Unum, sed orans flagito,
Induciarum paullulum
Quo fungar efficacius
Promissionis munere:
Dum tota digestim mihi
Christi supellex scribitur:
Nam calculanda primitus,
Tum subnotanda est summula.
Lætus tumescit gaudio
Præfectus, ac spe devorat
Aurum, velut jam conditum
Domi maneret, gestiens.
Pepigere tempus tridui:
Laudatus inde absolvitur
Laurentius, sponsor sui,
Et sponsor ingentis lucri.
Tribus per urbem cursitat
Diebus, infirma agmina,
Omnesque qui poscunt stipem
Cogens in unum & congregans.
Illic utrisque obtutibus
Orbes cavatos præferens,
Baculo regebat prævia
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco semipes,
Breviore planta ex altera,
Gressum trahebat imparem.
Est ulcerosis artubus,
Qui tabe corrupta fluat:
Est, cujus arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, assuetos ali
Ecclesiæ matris penu,
Quos ipse promus (a) *noverat.*
Recensit exin singulos,
Scribens viritim nomina;
Longo & Locatas ordine
Adstare pro templo jubet.
Præscriptus & jam fluxerat
Dies, furebat fervido
Judex avarus spiritu,
Promissa solvi efflagitans.
Tum Martyr: Adsistas velim,
Coramque dispositas apes
Mirare, quas noster Deus
Prædives in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet sequi.
Ventum ad sacratam januam:
Stabant catervæ pauperum,
Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur:
Præfectus horrescit stupens,
Conversus in Laurentium,
Oculisque turbatis minax.
Contra ille: Quid frendens, ait;
Minitaris? aut quid displicet?
Num sordida hæc aut vilia?
Num despuenda existimas?
Aurum quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera;
Et de metallis squalidis
Pœnalis excudit labor:
Torrens, vel amnis turbidis
Volvens arenis implicat:
Quod terrulentum ac sordidum
Flammis necesse est decoqui.
Pudor per aurum solvitur:
Violatur auro integritas:
Pax accidit, fides perit,
Leges & ipsæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
Extollis & magni putas?
Si quæris aurum verius,
Lux est & humanum genus.
Hi sunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Ne per salutem viscerum,
Mens insolescat turgida.
Cum membra morbus dissecat,
Animus viget robustior:
Membris vicissim fortibus
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
Minus ministrat virium,
Si fervor effetus malis
E lumbe virus contrahat.
Si fortè detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium,
Et confer alternas lues.
Carnisne morbus fœdior
An mentis & morum ulcera?
Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri
Sensum venusti innoxium
Languores expertes gerunt.
Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra;
Errorque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.

Quem-

(a) Sic ex vetustissimo Cod. Regio legendum. In aliis Mss. *primus.*

Quemvis tuorum divitum ,
Qui veste & ore praenitent , (a)
Magis probabo debilem ,
Quam quis meorum est pauperum .
Hunc qui superbit serico ,
Quem currus inflatum vehit :
Hydrops aquosus lucido
Tendit veneno intrinsecus .
Ast hic avarus contrahit
Manus recurvas , & volam
Plicans aduncis unguibus ,
Laxare nervos non valet .
Istum libido faetida
Per scorta tractum publica
Luta & cloacis inquinat ,
Dum spurca mendicat stupra .
Quid ille fervens ambitu ,
Sitimque honoris aestuans ?
Mersisne anhelat febribus
Atque igne venarum furit ?
Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere ;
Vexatur , & scalpit jecur ,
Scabiemque cordis sustinet .
Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas ?
Quid purulenta & livida
Malignitatum vulnera ?
Tute ipse , qui Romam regis (b)
Contemtor aeterni Dei
Dum daemonum sordes colis ,
Morbo laboras regio .
Hi quos superbus despicis ,
Quos exsecrandos judicas :
Brevi ulcerasos exuent
Artus , & incolumes erunt .
Cum carne corruptissima
Tandem soluti ac liberi ,
Pulcherrimo vitae statu
In arce lucebunt Patris :
Non sordidati aut debiles ,
Sicut videntur interim ;
Sed purpurantibus stolis
Clari , & coronis aureis .
Tum si facultas suppetat ,
Coram tuis obtutibus ,
Istos potentes seculi
Velim recensendos dari .
Pannis videres obsitos ,
Et muculentis naribus ,
Mentum salivis uvidum ,
Lipposque palpebra putri ,
Peccante nil est tetrius ,
Nil tam leprosum , aut putidum :
Cruda est cicatrix criminum
Oletque ut antrum tartari .
Animabus inversa vice
Corrupta forma infligitur ,
Quas pulcher aspectus prius
In corpore oblectaverat .
En ergo nummos aureos ,
Quos proximè spoponderam :
Quos nec favillis obruat
Ruina , nec fur subtrahat .
Nunc addo gemmas nobiles ,
Ne pauperem Christum putes
Gemmas corusci luminis ,
Ornatur hoc templum quibus .
Cernis sacratas virgines :
Miraris intactas anus :
Primique post damnum thori ,
Ignis secundi nescias .
Hoc est monile Ecclesiae :
His ille gemmis comitur :
Dotata sic Christo placet :
Sic ornat altum verticem .
Eccum talenta : suscipe ;
Ornabis urbem Romulam :
Ditabis & rem Principis ,
Fies & ipse ditior .
Ridemur , exclamat fremens
Praefectus , ac miris modis
Per tot figuras ludimur ,
Et vivit insanum caput !
Impune tentas , furcifer ,
Strophas cavillo mimico
Te nexuisse existimas ,
Dum scurra saltas fabulam ?
Concinna visa urbanitas ,
Tractare nosmet ludicris ?
Ergon cachinnis venditus
(c) *Acroma festivum fui ?*
Adeone nulla austeritas ,
Censura nulla est fascibus ?
Adeon securem publicam
Mollis retundit lenitas ?
Dicis : Libenter oppetam ,
Votiva mors est martyri .
Est ista vobis , novimus ,
Persuasionis vanitas .
Sed non volenti impertiam ,
Praestetur ut mortis cita

(a) Sic ex Cod. Ms. Sancti Michaelis in Periculo maris. Edit. *panitent*. Forte *& auro*, pro *ore* reponendum esset.
(b) Praefectum Urbis alloquitur, de cujus potestate & praerogativis, vide L. Fenestellam cap.6. & ex recentioribus Librum Felicis Contelorii de *Praefecto Urbis*.
(c) Acroma seu potius Graecè ἀκρόαμα, id est festiva narratio, quo nomine etiam talis narrationis auditio, seu auditor quandoque designatur. Vide Ciceron. pro Archia, & pro Sextio.

Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, & differam
Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens gens langueat:
Qui fusus afflatu levi,
Tormenta sensim temperet
Semi-ustulati corporis.
Bene est, quod ipse ex omnibus (a)
Mysteriarches incidit:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.
Conscende constratum rogum,
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa,
Nil esse Vulcanum meum.
Hæc fante Præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu Martyrem,
Vincire membra & tendere.
Illi os decore splenduit,
Fulgorque circumfusus est.
Talem revertens legifer
De monte vultum detulit:
Judæa quem plebs aureo
Bove inquinaua & de color
Expavit, & faciem retro
Detorsit impatiens Dei.
Talemque, & ille prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus, per imbrem saxeum
Cælos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus (b)
Recèns piatis fratribus,
Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat.
Ast impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis situ,
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.
Ægyptiæ plagæ in modum:
Quæ cum tenebris barbaros
Damnaret, Hebræis diem
Sudo exbibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet;
His nidor, illis nectar est.
Idemque sensus dispari
Variatus aura, aut adficit
Horrore nares vindice,
Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus:
Nam Christus ignis verus est;
Is ipse complet lumine
Justos, & urit noxios.
Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Vltro è catasta Judicem
Compellat affatu brevi.
Converte partem corporis
Satis crematam jugiter:
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille: coctum est, devora;
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.
Hæc ludibundus dixerat;
Cælum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat,
Miseratus urbem Romulam.
O Christe, numen unicum,
O splendor, o virtus Patris,
O factor orbis & poli,
Atque auctor borum mœnium!
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togæ (c)
Servire, & armis cedere:
Vt discrepantum gentium
Mores & observantiam,
Linguasque, & ingenia, & sacra
Vnis domares legibus.
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus:
Idem loquuntur dissoni
Ritus, id ipsum sentiunt.
Hoc destinatum, quo magis
Jus Christiani nominis,
Quodcumque terrarum jacet,
Vno illigaret vinculo.
Da, Christe, Romanis tuis,
Sit Christiana ut civitas:

Per

(a) Sic Laurentium Archidiaconum apellat, quòd Diaconi fideles de mysteriis erudirent.
(b) Idest fulgorem, de quo vers. 363. recens baptizati, non vero gentiles viderunt.
(c) *Quirinus* Romuli cognomen, a quo Romani *Quirites* dicti, & Quirinalia quæ ad eos attinebant, ut hic *togæ Quirinales*. Porro incertum est a quo Romulus id cognomen acceperit; an a Marte, qui Romuli pater dicebatur, quemque Romani, dum sæviret, *Gradivum*, dum mitis esset, *Quirinum* appellabant? An ab ejus hasta, quam Sabini *curim* seu *Quirim* nominabant. Titus Livius lib. 1. Decad. 1. ait, Romanos *Quirites* dictos fuisse ob Sabinorum cum eis unionem. Isti autem *Curites*, seu *Quirites* a *Curibus* sua ipsorum urbe dicti sunt.

Per quam dedisti, ut ceteris
Mens una sacrorum foret.
Confœderentur omnia
Hinc inde membra in Symbolum.
Mansuescit orbis subditus,
Mansuescat & summum caput.
Advertat abjunctas plagas
Coire in unam grotiam:
Fiat fidelis Romulus,
Et ipse jam credat Numa.
Confundit error Troicus
Adhuc Catonum curiam,
Veneratus occultis focis,
Phrygum penates exules.
Janum bifrontem & (a) Sterculum
Colit senatus, (horreo
Tot monstra potrum dicere)
Et festa Soturni lenis.
Absterge, Christe, hoc dedecus;
Emitte Gabriel tuum;
Agnoscat ut verum Deum
(b) *Errans Juli cæcitas.*
Et jam tenemus obsides
Fidissimos hujus spei:
Hic nempe jam regnant duo
Apostolorum Principes.
Alter vocator gentium;
Alter cathedram possidens
Primam recludit, creditas
Æternitatis januas.
Discede adulter Jupiter,
Stupro sororis oblite
Relinque Romam liberam
Plebemque jam Christi. Fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri:
Tibi id, quod ipse armaveras,
Factum Neronis officit.
Video futurum Principem
Quandoque qui servus Dei
Tetris sacrorum sordibus
Servire Romam non sinat.
Qui templa claudot vectibus:
Valvas eburnas obstruat:
Ne fasta damnet limina,
Obdens acnos pessulos.
Tunc pura ob omni sanguine
Tondem nitebunt marmora:
Stabunt & aera innoxia
Quæ nunc habentur idola.
Hic finis orandi fuit
Et finis idem vinculi
Carnalis: erupit volens
Vocem secutus spiritus.
Vexere corpus subditis
(c) *Cervicibus quidam patres:*
Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.
Repens medullas indoles
Afflarat, & coegerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.
Refrixit ex illo die
Cultus Deorum turpium:
Plebs in sacellis rarior:
Christi ad tribunal curritur.
Sic dimicans Laurentius
Non ense præcinxit latus:
Hostile sed ferrum retro
Torquens in Auctorem tulit.
Dum dæmon invictum Dei
Testem lacessit prælio,
Perfossus ipse concidit,
Et stratus æternum jacet.
Mors illa sancti Martyris,
Mors vera templorum fuit:
(d) *Tunc Vesta palladios lares*
Impune sensit deseri.
Quidquid Quiritum sueverat
(e) *Orare Simpuvium Numæ,*
Christi frequentans atria
Hymnis resultat Martyrem.
Ipsa & Senatus lumina,
Quondam luperci, & flamines,
Apostolorum & Martyrum
Exsosculantur limina.
Videmus illustres domos
Sexu ex utroque nobiles,
Offerre votis pignora
Clarissimorum liberûm.

Vit-

(a) Sterculus teste Lactantio lib. 1. de falsa religione cap. 20. in Deos relatus, *quod stercorandi agri primus rationem induxerit*. Alios Deos & homines hic memoratos norunt omnes.

(b) Julis seu Ascanius Æneæ filius, a Quo Romani ducunt originem.

(c) Hi Justinus & Hyppolitus dicuntur in Actis vulgatis Sancti Laurentii, & apud Adonem.

(d) Lares dii domestici, qui domos servare putabuntur: unde Prudentius eos *Palladios* vocat a Palladis statua, quæ in templo Vestæ servata Urbem inexpugnabilem reddere dicebatur. Hæc statua antea Trojæ celebris fuerat, de qua passim Homerus, & Virgilius. Dicitur vulgo *Palladium*.

(e) Cod. S. Michaelis habet, *ornare Simpuvium Numę*. De Numę Simpuvio Juvenal. Satyr. 6. Simpuvium vas erat parvum, in quo Diis libabant. Norunt omnes Numam Pompilium secundum Romanorum regem, omnia ferè eorum religionis sacra, & ceremonias instituisse.

Vittatus olim Pontifex
Accitur in signum Crucis;
Ædemque, Laurenti, tuam
Vestalis intrat Claudia. (a)
O ter, quaterque, & septies
Beatus urbis incola;
Qui te ac tuorum comminus
Sedem celebrat ossium:
Cui propter advolvi licet;
Qui fletibus spargit locum;
Qui pectus in terram premit
Qui vota fundit murmura.
Nos Vasto Iberus dividit
Binis remotos Alpibus
Trans Cottianorum juga
Trans & Pyrenas ninguidos:
Vix fama nota est, abditis
Quam plena Sanctis Roma sit;
Quam dives urbanum solum
Sacris sepulcris floreat.
Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coram possumus:
Cælum intuemur eminus.
Sic Sancte Laurenti, tuam
Nos passionem quærimus:
Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis; mentis polo.
Illic inenarrabili
Allectus urbi municeps,
Æternæ in arce curiæ
Gestas coronam civicam.
Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum:
Quem Roma cælestis sibi
Legit perennem Consulem.
Quæ sit potestas credita
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia
Quibus rogatus annuit.
Quod quisque supplex postulat;
Fert impetratum prosperè:
Poscunt licenter, indicant,
Et tristis haud ullus redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuosque alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.
Hos inter, o Christi decus,
Audi poetam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus, agnosco & scio,
Quem Christus ipse exaudiat;
Sed per patronos Martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium:
Et servientem corpori,
Absolve vinclis sæculi.

Excerpta ex Officiis

SANCTI AMBROSII DE BEATO LAURENTIO

*Ex lib.*1. *Officiorum cap.*41.

NON prætereamua etiam Sanctum Laurentium, qui cum videret Xistum Episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, „ sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quo progrederis sine „ filio pater? Quo Sacerdos Sancte sine Diacono properas? Nunquam sacrificium „ sine ministro offerre consueveras. Quid ergo in me displicuit Pater? Numquid „ degenerem probasti? Experire certè, utrum idoneum Ministrum elegeris, cui com- „ missi-

(a) Hæc, ut refert Suetonius in Tiberio cap. 2. fratrem injussu populi triumphantem, ascenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare, aut intercedere fas cuiquam Tribunorum esset. Alia fuit Claudia matrona, quæ in pudicitiæ experimentum fertur cingulo navim traxisse, in qua erat Deorum Mater. De hac Sueton. ibid. Tit. Liv. Decad. 3. lib. 9. Ovid. Fas. lib. 4. Valer. Max. &c.

„ misisti Dominici Sanguinis consecrationem. (a) Cui consummandorum consortium „ Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? Vide ne periclitetur judicium „ tuum, dum fortitudo laudatur. Abiectio discipuli, detrimentum est magistri. Quid „ quod, illustres & præstantes viri discipulorum certaminibus magis, quam suis vincunt. „ Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmisit: & tu, Pater, ostende „ in filio virtutem tuam: offer quem erudisti, ut securus judicii tui, comitatu „ nobili pervenias ad coronam. Tunc Xystus: Non ego te, fili, relinquo, ac desero; sed majora tibi debentur certamina. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus; te quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Mox venies: flere desiste. Post triduum me sequeris. Inter Sacerdotem & Levitam hic medius numerus decet. Non erat tuum sub magistro vincere, quasi adjutorem quæreres. Quid consortium passionis meæ expetis? Totam tibi hæreditatem ejus dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Infirmi discipuli magistrum præcedant; fortes sequantur, ut vincant sine magistro, qui jam non indigent magisterio. Sic & Elias Elisæum reliquit. Tibi ergo commendo nostræ virtutis successionem.

Talis erat contentio, digna sanè, de qua certarent Sacerdos & minister, quis prior pateretur pro Christi nomine. In fabulis ferunt (b) tragicis excitatos theatri magnos esse plausus, cum se Pylades Orestem diceret; Oreste, ut erat, Orestem se esse asseveraret, ille ut pro Oreste necaretur; Orestea, ne Pyladem pro se pateretur necari. Sed illis non licebat vivere, quod uterque esset parricidii reus; alter qui fecisset, alter qui adjuvisset. Hic Laurentium Sanctum ad hoc nullus urgebat, nisi amor devotionis; tamen & ipse post triduum, cum, illuso tyranno, impositus super craticulam exureretur: *Assum* (c) *est*, inquit, *versa & manduca*. Ita animi virtute vincebat ignis naturam.

Item ex libro 2. Officiorum ejusdem Sancti Ambrosii cap. 28.

TAle aurum sanctus Martyr Laurentius Domino reservavit: a quo cum quærerentur thesauri Ecclesiæ, promisit demonstraturum se. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus ubi essent thesauri quos promiserat, ostendit pauperes, dicens (d): *Hi sunt thesauri Ecclesiæ*. Et verè thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. Denique Apostolus ait: *Habemus thesaurum in vasis fictilibus*. Quos meliores thesauros habet Christus, quam eos in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est: *Esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me*. & infra: *Quod enim uni horum fecistis, mihi fecistis*. Quos meliores Jesus habet thesauros, quam eos in quibus amat videri? Hos thesauros demonstravit Laurentius, & vicit, quòd eos nec persecutor potuit auferre.

Itaque Joachim, qui aurum in obsidione servabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ, & aurum vidit diripi, & se in captivitatem deduci. Laurentius, qui aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus, quàm persecutori reservare, pro singulari suæ interpretationis vivacitate sacram Martyrii accepit coronam. Nun-

---

(a) Hic locus in nova editione a PP. Benedictinis restitutus est ex omnibus fere codd. mss. & ex editionibus Romanam antecedentibus. Verum hæc verba *Dominici Sanguinis dispensationem, cui erogandorum*, primi non invexere Romani editores. Etenim reperiuntur in antiquissimo cod. Ms. Fossatensi, qui annos 800. videtur superare, in Actis scilicet Sancti Sixti. Cæterum *consecrationis, & dispensationis* verba idem hic designant, diaconi ministerium Pontifici celebranti adsistentis, & populo sacra distribuentis. Sic Augustinus sermone 304. ait: *Laurentium Romę Diaconi officium gessisse, ibique sacrum Christi Sanguinem ministrasse*. Et Patres Hispani in Missali Mozarabum: *cui Sixtus cuncta mysteriorum ministeria transigenda commiserat*.

(b) Vide Ciceron. lib. 5. de fine boni, & mali.

(c) Augustin. Serm. 303. *Jam flamma ustus, sed patientia tranquillus*. Jam, inquit, *coctum est; quod superest, versate me, & manducate*. Vid. Serm S. Petri Chrysologi laudatum.

(d) Augustin. ibid. „ *Respondit*: Hæ sunt divitiæ Ecclesiæ &c. „

Nunquam dictum est Sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ, vasa Sacramentorum vendere. Opus est ut quis fide sincera, & perspicaci providentia munus hoc impleat. Sanè si in sua quis derivat emolumenta, crimen est; sin verò pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere, Cur pauper vivit: nemo potest queri quia captivi redempti sunt: nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est: nemo potest indignari; quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt: nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere, licet.

* ADNOTATIO CVI.

Censent vulgò omnes ferè Scriptores S. Laurentium Hispanum fuisse. At cum id, neque ex hymno Prudentii, neque ex ullo probatæ fidei antiquo, teste confirmari possit, certiora ab ipsis expectantur argumenta, ut idipsum affirment. Acta Sanctissimi Martyris, quæ vulgò circumferuntur, maximè vitiata sunt. Momenta, quæ ad id probandum afferri possent, expenderunt omnes Ecclesiasticarum rerum Tractatores. Inter præcipua verò sacræ Hispanicæ antiquitatis monumenta, quæ ex primis illius Ecclesiæ temporibus ad nostram usque ætatem pervenerunt, jure merito computabitur noster Libellus Gothico-Hispanus. At ipse vulgari opinioni mirabiliter adversatur. Nam S. Laurentii Festum diem, magnum, atque solemnem, cæterisque, post Apostolicos, gloriosiorem, pag. 130. tribus tantùm Orationibus, & Completoria, ad Matutinum concelebrat; quamvis idem Libellus Officia aliorum Sanctorum, qui verè Hispani sunt, numerosis orationibus exornet; ut videre licet in indice generali qui eidem Libello Ecclesiæ Tarraconensis fuit summo studio curaque a nobis præfixus. Hoc vèl unum maximi est ponderis argumentum. Cui tamen accedit alterum a Prudentio mutuatum. Hic namque silet natale solum magni Laurentii. At si in Hispania ortus esset Levita sanctissimus, Hispanus Poeta non sileret? Id ipsi in more non fuit in Hymnis, quos de Sanctis Nationalibus cecinit. Verùm (quid ajo?) non silet. Romam ad cælos evehit; Romam parentem dicit. Obscura sunt quidem ejus testimonia, sed jam a nobis clariora fient. Quemadmodum enim (ut ait Cic. in Orat. pro Archia Poeta) Homerum Colophonii civem esse dicebant suum, Chii suum vindicabant, Salaminii repetebant, Smyrnæi verò suum esse confirmabant; ita plerique pro S. Laurentio nunc faciunt. Pugnant de ejus Patria inter se, differunt, atque contendunt; Laurentium unusquisque suum expetens, suum vindicans. Ego nunquam ne reponam? Me me adsum: & quoniam S.P.Q.R Decreto Civis Romanus sum, Laurentium Romanum fuisse dico, vindico, repeto, atque confirmo ad ejusdem Populi Romani gloriam laudemque sempiternam. Nec solis conjecturis indulgeo, sed etiam testem locupletissimum affero, Sacramentarium videlicet Leonianum. Hoc autem a me publici juris factum To. IV. Anastasii Bibliothecarii universa Literatorum Respublica mirata est; eique celeriter, ut antecelleret omnibus antiquitatis glorià, contigit: nam Parisiensis Ecclesia, quæ de Authoris ingenio poterat judicare, ipsum Magno Leoni firmissimè adjudicavit in Præfatione Novi Missalis editi an. 1739. his verbis: *Non sine Divinæ Providentiæ nutu ac gubernatione contigit, ut non ita pridem repertum fuerit omnium Sacramentariorum Ecclesiæ Romanæ vetustissimum, quod a pluribus sæculis ignotum latitabat Opus illud aureum, prout erat exaratum in membranis manuscriptis ætatis annorum supra mille. Prodiit in lucem typis Vaticanis sub auspiciis Summi Pontificis Clementis XII. qui non minus sanctè, quam sapienter Beati Petri Navem moderatur. Ex illo igitur spectabili monumento mutuati sumus preces plurimas, eximiam spirantes pietatem, Magnique Leonis, cui tamquam certissimo Auctori tribuuntur, stylum, & doctrinam referentes.* Ex hoc igitur limpidissimo fonte puriores aquas hauriam; perficiamque profectò, ut Laurentium, non segregandum, eum sit Romanus Civis, a numero civium; sed contrà totius Urbis & Sacri Apostolici Collegii acclamatione repetendum esse, fateantur omnes.

En Præfationem recito Missæ XII. *in Natali S. Laurentii*, quæ habetur in eodem Sacramentario Leoniano pag. xxxviii.

Verè dignum. Quamvis enim Sanctorum tuorum, propagante te, Domine, toto Orbe clara sit gloria, de BEATI TAMEN SOLLEMNITATE LAURENTII PÆCULIARIUS PRÆ CETERIS ROMA LÆTATUR, CUIUS NASCENDO CIVIS, *sacer minister, & * dicatum nomini tuo munus est proprium; qui per tuum*

* fe.

*tuam gratiam commissæ sibi dispensationis exsecutor egregius, ut ad Martyrium perveniret, emeruit pro præmio * quo cælestis existeret, consequutus est passionem.* Si nihil aliud de Civitate S. Laurentii dicerem, dicta causa esset. Quomodo enim tanti Pontificis testimonium infirmari potest? Adest tamen & Codex Vaticanus IX. sæculi, qui eundem Sanctissimum Martyrem Romanum Civem dicit, in Actis Passionis ejus.

Depravata ea quidem sunt maximè: sed incorrupta reperiri nullo modo possunt. In his verò S. Laurentius Romana Civitate donatur. Non est quod de antiquitate Codicis addubites. Prostat enim liber in omnium Urbis principe Bibliotheca; & habet, ut sequitur.

*Incipit Passio Sanctorum Sixti Laurentii, & * Ipoliti.*

Ex Cod. Reg. Alexandr. Vatic. VIIII. sæculi signatonum. 612.

MAgnas Martyrum præcelsasque virtutes humilis ac tenuis sensus potius, quàm explicat sermo; nihil tamen admittunt ex proprio, quæ per se homines * renoscuntur. Sixtus igitur Urbis Romæ Episcopus, Athenis natus, & doctus, priùs quidèm philosophus, postea verò Christi Discipulus, audiens Decium impiissimum Principem Romæ esse venturum, ait: Omnes priores diversa sunt perpessi tormenta, ita ut noa usque * statu Ecclesiæ incolumis perveniret: nam & ipse Dominus Jesus Christus passus est, ut eam adquireret, & Apostoli e * compaciendo servaverunt: nihil igitur * continendum, nihilque elaborandum est, nisi ut cum justicia vivamus, aut, quod est gloriosius, pro justicia moriamur. Cumque hæc & * his similia suo sancto sermone disseruisset, vocavit Laurentium Archidiaconum suum, CIVEM ROMANUM dignum Deo & * Deo virum, & * abitum, & sanctitate conspicuum, tradiditque ei universas facultates Ecclesiæ, dicens: sint hæc penes te sub diligentia reposita, * quatinus & * eos non possit avari * regi cupiditas pervenire. Tunc beatus Laurentius omnia quæcumque præcepit ei Sanctus * Sixtus, Christianis artificibus vendidit, & omne * precium pauperibus erogavit. Ingressus igitur Decius impiissimus Cæsar Urbem Romam, Abdon & Sennen Cives Persas viros Christianissimos, quos pro nomine Christi vinctos, & diversis subpliciis maceratos ex Oriente adduxerat, bestiis eos devorandos tradidit: qui cum essent vincti, soluta sunt ligamenta * manum illorum, & infaciata rapacitas ferarum ita colla submiserunt, ut oves magis, quam bestiæ putarentur. Tunc impiissimus Cæsar, ut vidit quòd eos bestiæ non nocerent, præcepit, ut eos gladiatores interficerent: qui cum perpessi fuissent, jussit corpora eorum extra in Amphiteatrum * prosternere, & inumata canibus derelinqui, quorum corpora a Christianis nocte sublata sunt, & posita in * Cimiterio Sancti Pontiani * die III. Kal. Augusti. Post hæc jussit ad se adduci Sanctum * Sixtum Urbis Romæ Episcopum; & ait ad eum: Consule senectuti tuæ, & sacrifica Diis. Cui beatus Sixtus constanter respondit: Isti Dii tui quos dicis, sunt effigies sine voce, & absque auditu, sine visu, & absque gressu; sunt lapides miserabiles a busto humano relicti, ita ut ex una eademque marmoris crusta sculpantur, & plateæ sternantur. Tunc indignatus Cæsar jussit eum capitalem subire sententiam. Decollatus itaque extra murum Urbis Romæ Via Appia in locum qui appellatur * clivium mortis. Rapuerunt igitur Christiani corpus ejus, & posuerunt in Cimiterio Sancti Kalisti via ipsa, die VIII. Idus Augusti. Eodem namque die Decius Cæsar in conspectu suo præcepit Beatum Laurentium adduci, & ait ad eum: Ubi sunt thesauri Ecclesiæ, quos penes te esse cognovimua? Beatus Laurentius respondit: biduo mihi dentur induciæ, ut * exoni Ecclesiæ universa deferam. Tunc Cæsar jussit ut sub custodia Yppoliti Ducis Laurentius ageretur. Traditus itaque Sanctus Laurentius Yppolito cæpit ex omni loco pauperes congregare, qui se in Christo credere fatebantur. Quod cum videret Yppolitus, ait ad eum: Velim ut mihi prius ostendas thesauros Ecclesiæ: cui beatus Laurentius respondit: si mihi præberes adsensum, ut crederes Christum, ostenderem tibi inæstimabiles thesauros Ecclesiæ. Yppolitus dixit, si * dicto facto conpenses, faciam quæ hortaris. Tunc

* Cod. *incolomes.*

* leg. *clivum*

Tunc beatus Laurentius cœpit super cæcorum oculos signum Crucis Christi facere, & continuò aperiebantur oculi eorum. Quod cum videret Yppolitus, statim ad pedes ejus provolutus, orabat ut Christianus effici * mereatur. Cumque fidem Domini percepisset, cœpit Sanctum Laurentium magis magisque magnificare.

Tercio itaque die ingressus ad Cæsarem, (&) ait: Laurentius pro foribus est cum turbis, & adserit non posse omnia pandere, nisi fuerit cum omnibus intromissus. Tunc jussit eum Cæsar cum omnibus intromitti.

Quo ingresso, interrogavit eum Cæsar dicens: ubi sunt thesauri Ecclesiæ quos te adlaturum hodie esse dixeras? Cui beatus Laurentius ait: Isti sunt thesauri sempiterni. Statim indignatus Cæsar, ut vidit se irrisum, tradidit eum Valeriano Præfecto Urbis, dicens: Nisi hodie sacrificaverit, diversis eum pœnis * interfici. Statim igitur in Palatio Tiberiano sedens pro tribunali Valerianus Præfectus, sic eum interrogabat, dicens: cujus te æstimaris patrocinio muniri, quòd, neque Deos, neque Cæsarem velis habere propitios. Beatus Laurentius dixit: omnes qui sacrificant Diis, cum iis peribunt in ignem perpetuum. Tunc jussit eum in conspectu suo vivum in * graticula adplicare, & assari. qui cum assaretur, ita hilari facie benedicebat Dominum, ut omnes mirarentur constantiam ejus. Et ait Valerianus Præfectus: ubi sunt ignes, quos tu promiseras Diis? Cui beatus Laurentius ait: disce miser, quia virtus est Domini mei Jesu Christi; nam carbones isti non dolorem, sed refrigerium mihi præstant. Gaudeo plane, quia ostia Christi effici merui; accusatus non negavi, interrogatus Christum confessus sum; assatus gratias ago, qui me ad hanc * gloriam passionem vocare dignatus est. Et hæc dicens, emisit spiritum. Eodem die rapuit Corpus ejus Yppolitus, & condivit eum omnibus aromatibus, & posuit in crypta abditissima Vià Tiburtina, die IIII. Idus Augusti. * Fecitque ibi Yppolitus biduo jejunans, & orans. Regressus autem * tercia diei Yppolitus, ut ingrederetur domum suam, priùs quàm cibum caperet, a militibus comprehensus est, & perductus ad Cæsarem. cui Cæsar ait: Numquid & tu magus effectus es, qui corpus Laurentii abstulisse diceris? Beatus Yppolitus respondit; Hoc feci non quasi magus, sed quasi Christianus. Quo audito, Decius Cæsar jussit os ejus contundi lapidibus; qui sciudens vestem, qua indutus erat, vestitus est habitu Christiano, & extensum eum ad cardos ferreos cædi præcepit. Post hæc autem jussit eum ad Civitatem adduci, & ligari ad pedes indomitorum equorum, & in cardo trahi. Qui cum hæc pateretur, elevavit oculos suos ad Cœlum, & dixit: Domine Jesu Christe lumen veritatis, & stella splendida, jube recipi Spiritum meum in loco, quo recepisti puerum tuum Laurentium. Et hæc dicens emisit Spiritum. Tunc Christiani rapuerunt corpus ejus, & posuerunt in crypta, quæ est juxta Agrum Prætorianum, die Idus * Augustas. Die autem septimo passionis ejus Cæsar editurus munera, sedente eo in caruca unà cum Valeriano Præfecto, ut jam descenderent, & introirent in Amphitheatrum, uno momento uterque expiraverunt. Clamavit autem Decius Cæsar in oratione mortis suæ, dicens: O Yppolite * hac si captivum ita me vinctum ducis? Valerianus autem clamabat: O Laurenti igneis me catenis vinxisti, & sic trahis? Hoc autem notum factum est per universam terram. Et omnes credentes in fide Christi confortati sunt in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, qui ultionem præstitit Sanctis suis de persecutoribus eorum per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ab Hispanis veniam petimus, si pro tanto Martyre repetundo, veritatis amore & caritate non ficta pugnamus.

Cod.

ADNOTATIO CVII. Cod. Veron pag. 131. *III. Idus Augusti. Incipiunt Orationes in die S. Yppoliti*. Br. Moz. Tolet. pag. 393. col. 2. *Idibus Augusti. In Festo S. Ypoliti Martyris*. Gaudet Officio, & Hymno proprio.

H Y M N U S ad primas Vesperas. Ibidem.

ADsunt ò populi Festa celebria,
Quæ fœlix revehit temporis orbita,
In sese rediens axe volubili:
Laudem sydereo reddite Principi.
*Hic namque Ypolitus tempore * terream* (* terrea.)
Despectus, niveo scandit ad æthera,
Cum solvens anima corpore vividam
Cœlestem meruit sumere lauream.
Dum dux belligerus esset hic agminis,
Jussis Cæsareis carcere martyrem
Servandum recipit, qui Cruce prævia
Dat cæcis oculis perdita lumina.
Cernens Ypolitus signa faventia,
Mox Christo Domino credit, & impia
*Spernens * demoniti dogmatis idola,* (*leg. Demonici.)
Janctis christicolis vocibus increpat.
Tunc Cæsar rabidis fervidus impetu
Os sanctum lapide scindere præcipit:
Longe dissiliunt fragmina dentium;
Sed vox unigenitum prædicat unicum.

*Ferro * percallidus ignibus artifex*
*Armat spiniferi spicula * ardui:*
Corrupta penitus viscera martyris
Profundunt rosei flumina sanguinis.
Hinc ad cornipedum terga ferocium
Innexu religant, tractus in aspera
Vitale subitò liquit anhelitum,
Dirum quo valuit vincere seculum.
Ob hoc suppliciter Rex Deus omnium
Rogantes petimus, Martyr ut inclitus
Adsistat miseris fautor, & impetret
Confessis veniam corde piacula.
Sit vita locuplex, frugibus affluens,
Rerum prospicitas congrua polleat:
Bellum dispereat, pax bona profluat,
Virtutes vigeant, crimina transeant.
Sit Patri ingenito gloria maxima,
Sit compar Genito, atque Paraclito,
Unus qui retinet sceptra perbenniter
Vivens perpetuis tempora seculis. Amen.

Hymnus XI. Aurelii Clementis Prudentii De Martyrio Sancti HIPPOLITI Presbyteri Romani in Lib. Peristephanon.

INnumeros cineres Sanctorum Romula in urbe
Vidimus, ò Christi Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, & singula quæris
Nomina? difficile est ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit,
Cum coleret patrias Troja Roma deos.
Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virûm jaceant congestis corpora acervis,
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic, defossas mole sub una,
Relliquias, memini me didicisse hominum:
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Utpote quos propriæ junxit amicitiæ.
Hæc dum lustro oculis, & sicubi forte latentes
Rerum apices veterum per monumenta sequar;
Invenio Hippolytum, qui quondam schisma Novati
Presbyter attigerat, nostra sequenda negans;
Usque ad Martyrii provectum insigne, tulisse
Lucida sanguinei præmia supplicii.
Nec mirere senem perversi dogmatis olim,
Munere ditatum catholicæ Fidei.
Cum jam vesana victor raperetur ab hoste,
Exultante anima, carnis ad exitium,
Plebis amore suæ multis comitantibus ibat:
Consultus quænam secta foret melior.
Respondit: Fugite, ò miseri, execranda Novati
Schismata; catholicis reddite vos populis.

Una fides vigeat, prisco quae condita templo est:
Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri.
Quae docui, docuisse piget, & venerabile Martyr
Cerno, quod à cultu rebar abesse Dei.
His ubi detorsit levo de tramite plebem,
Monstravitque sequi, qua via dextra vocat;
Seque ducem recti spretis anfractibus idem
Praebuit, erroris qui prius auctor erat:
Sistitur insano Rectori, Christicolas tunc
Ostia vexanti per Tiberina viros.
Illo namque die Roma secesserat, ipsos
Peste suburbanos ut quateret Populos;
Non contentus humum celsa intra moenia Romae
Tingere justorum caedibus assiduis.
Janiculum cum jam madidum, Fora, Rostra, Suburram
Cerneret eluvie sanguinis affluere:
Protulerat rabiem Tyrreni ad littoris oram,
Quaeque loca equoreus proxima Portus habet.
Inter carnifices, & constipata sedebat
Officia, extructo celsior in solio.
Discipulos fidei, detestandique rebelles
Idolii ardebat dedere perfidiae.
Carcereo crinita situ stare agmina contra
Jusserat, horrendis excrucianda modis.
Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
Stridere, virgarum concrepitare fragor.
Ungula fixa cavis costarum, cratibus altos
Pandere secessus, & lacerare jecur.
Ac jam lassatis judex tortoribus ibat
In furias, cassa cognitione fremens.
Nullus enim Christi ex famulis per tanta repertus
Supplicia auderet qui vitiare animam.
Inde furens quaesitor ait: jam, tortor, ab unca
Desine, si vana est quaestio, morte agito.
Huic abscinde caput, crux istum tollat in auras,
Viventesque oculos offerat alitibus.
Hos rape praecipites, & vinctos conjice in ignem:
Sit pyra, quae multos devoret una reos.
*En tibi, quos properes rimosae incumbere cumbae *,* (* *cymbae*)
Pellere & in medii stagna profunda freti.
Quos ubi susceptos rapidum malesuta per equor
Vexerit, & tumidis caesa labarit aquis;
Dissociata putrem laxent tabulata carinam,
Conceptumque bibant undique naufragium.
Squammea coenoso praestabit ventre sepulcrum
Bellua, consumtis cruda cadaveribus.
Haec persultanti celsum subito ante tribunal
Offertur Senior nexibus implicitus.
Stipati circum juvenes clamore fremebant,
Ipsum Christicolis esse caput populis.
Si foret extinctum propere caput; omnia vulgi
Pectora Romanis sponte sacranda deis.
Insolitum leti poscunt genus, & nova poenae.
Inventa, exemplo quo trepident alii.
Ille supinata residens cervice: Quis, inquit,
Dicitur? adfirmant dicier Hippolytum.
Ergo sit Hippolytus, quatiat turbetque jugales,
Intereatque feris dilaceratus equis.

Vix

Vix hæc ille; duo cogunt animalia freni
Ignara, insueto subdere colla jugo:
Non stabulis, blandive manu palpata magistri,
Imperiumque equitis ante subacta pati:
Sed campestre vago nuper pecus è grege captum,
Quod pavor indomito corde ferinus agit.
Jamque reluctantes sociarant vincula bigas,
Oraque discordi fœdere nexuerant.
Temonis vice funis inest, qui terga duorum
Dividit, & medius tangit utrumque latus:
Deque jugo in longum se post vestigia retro
Protendens trahitur, transit & ima pedum.
Hujus ad extremum sequitur qua pulvere summo
Cornipedum refugas orbita trita vias.
Crura viri innectit laqueus, nodoque tenaci
Adstringit plantas, eumque rudente ligat.
Postquam composito satis instruxere paratu
Martyris ad pœnam verbera, vincla, feras;
Instigant subitis clamoribus, atque flagellis;
Iliaque infestis perfodiunt stimulis.
Ultima vox audita senis venerabilis hæc est:
Hi rapiunt artus, tu rape, Christe, animam.
Prorumpunt alacres, cæco & terrore feruntur,
Qua sonus atque tremor, qua furor exagitant;
Incendit feritas, rapit impetus, & fragor urget:
Nec cursus volucer mobile sentit onus.
Per silvas, per saxa ruunt: non ripa retardat
Fluminis, aut torrens oppositus cohibet.
Prosternunt sepes, & cuncta obstacula rumpunt:
Prona, fragosa petunt; ardua transiliunt.
Scissa minutatim labefacta corpore frusta.
Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.
Pars summis pendet scopulis, pars sentibus hæret:
Parte rubent frondes, parte madescit humus.
Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.
Rorantes saxorum apices vidi, optime Papa,
Purpureasque notas vepribus impositas.
Docta manus virides imitando effingere dumos
Luserat è minio russealam saniem.
Cernere erat, ruptis compagibus ardine nullo,
Membra per incertos sparsa jacere situs.
Addiderat caros, gressu lacrymisque sequentes,
Devia qua fractum semita monstrat iter.
Mœrore attoniti, atque oculis rimantibus ibant:
Implebantque sinus visceribus laceris.
Ille caput niveum complectitur, ac reverendam
Canitiem molli confovet in gremio.
Hic humeros, truncasque manus, & brachia, & ulnas,
Et genua, & crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ,
Nequis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis, & in sudibus recalenti aspergine sanguis
Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.
Nec jam densa sacro quidquam de corpore silva
Obtinet, aut plenis fraudat ab exsequiis.

Cum-

Cumque recensitis constaret partibus ille
Corporis integri qui fuerat numerus:
Nec purgata aliquid deberent avia toto
Ex homine, extersis frondibus & scopulis:
Metando eligitur tumulo locus: Ossa linquunt:
Roma placet, sanctos quæ teneat cineres.
Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
Mersa letebrosis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores summo tenus intrat hiatu,
Illustratque dies limina vestibuli.
Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura, loci per specus ambiguum;
Occurrunt cæsis immissa foramina tectis,
Quæ jaciant claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,
Arta sub umbrosis atria porticibus:
Attamen excisi subter cava viscera montis,
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem, luminibusque frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita,
Servat ad æterni spem Judicis ossa sepulcro;
Pascit item Sanctis Tibricolas dapibus.
Mira loci pietas, & promta precantibus ara,
Spes hominum placido prosperitate juvat.
Hic corruptelis animique, & corporis æger
Oravi quoties stratus opem merui.
Quod lætor reditu, quod te, venerande Sacerdos,
Complecti licitum est, scribo quod hæc eadem,
Hippolyto scio me debere: Deus cui Christus
Posse dedit, quod quis postulet annuere.
Ipsa, illas animæ exuvios quæ continet intus,
Ædicula, argento fulgurat ex solido.
Præfixit tabulas dives manus æquore levi
Candentes, recavum quale nitet speculum,
Nec Pariis contenta aditus obducere saxis,
Addidit ornando clara talenta operi.
Mane salutatum concurritur, omnis adorat
Pubis: eunt, redeunt solis ad usque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul, & peregrinos
Permixtim populos relligionis amor.
Oscula perspicuo figunt impressa metallo:
Balsama defundunt, fletibus ora rigant.
Jam cum se renovat decursis mensibus annus,
Natalemque diem passio festa refert;
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs augusta suos vomit effunditque Quirites.
Una & Patricios ambitione pari.
Confundit plebeja phalanx umbonibus æquis
Discrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.

Ex-

Exultant fremitus variarum hinc inde viarum ;
Indigena & Picens , Plebs & Etrusca venit .
Concurrit Samnitis atrox habitator , & altæ
Campanus Capuæ , jamque Nolanus adest ..
Quisque sua lætus cum conjuge , dulcibus & cum
Pignoribus , rapidum carpere gestit iter .
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi ,
Hæret , & in magnis densa cohors spatiis .
Angustum tantis illud specus esse catervis ,
Haud dubium est , ampla fauce licèt pateat .
Stat sed juxta aliud , quod tanta frequentia templum
Tunc adeat , cultu nobile regifico ,
Parietibus celsum sublimibus , atque superba
Majestate potens , muneribusque opulens .
Ordo columnarum geminas laquearia tecti
Substinet , auratis suppositus trabibus .
Adduntur graciles tecto breviore recessus
Qui laterum seriem jugiter exsinuent .
At medios aperit tractus via latior alti
Culminis , exsurgens editiore apice .
Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat unde Deum .
Plena laborantes ægrè domus accipit undas ,
Artaque confertis æstuat in foribus ,
Maternum pandens gremium quo condat alumnos ,
Ac foveat fœtos accumulata sinus .
Si bene commemini , colit hunc pulcherrima Roma
Idibus Augusti mensis , ut ipsa vocat
Prisco more diem : quem te quoque , Sancte Magister ,
Annua Festa inter dinumerare velim .
Crede salutigeros feret hic venerantibus ortus ,
Lucis honoratæ præmia restituens .
Inter sollemnes Cypriani , vel Chelidonii ,
Eulaliæque dies , currat & iste tibi .
Sic te pro populo , cujus tibi credita vita est ,
Orantem Christus audiat omnipotens .
Sic tibi de pleno lupus excludatur Ovili ,
Agna nec ulla tuum capta gregem minuat .
Sic me gramineo remanentem denique campo
Sedulus ægrotam pastor ovem referas .
Sic cum lacteolis caulas compleveris agnis ,
Raptus , & ipse sacro sis comes Hippolyto .

„ Communis est recentiorum opinio (inquit Ruinartius pag. 155.) Prudentium in Hymno XI. *Peristephanon* ex tribus Sanctis Hippolytis , uno scilicet Episcopo Portuensi , altero Antiocheno Presbytero , & tertio milite Romano, unicum conflasse . Verùm , cum id nullo antiquorum testimonio comprobari possit , nemini ingratum fore putamus , si Prudentii , viri antiquitate , doctrina , & sinceritate clarissimi , auctoritatem quibuscumque novorum Scriptorum conjecturis præferemus . Non igitur alium agnoscimus Hippolytum in hoc Prudentii Hymno , præter Portuensem Martyrem celeberrimum , cui hæc omnia , quæ ab hoc auctore referuntur , optimè competere existimamus . Unde cum hujus Martyris nulla alia Acta suppetant , Prudentii Hymnum , qui de eo scriptus fuit, hic proferre visum est . Verum etsi Prudentium hic ab errore vindicemus , non tamen imus inficias , alios quoque præter hunc Hippolytos fuisse , quos Ecclesia agnoscit , & celebrat . Illustris est inter eos magnus Hippolytus Martyr , cujus Opuscula recenset Eusebius lib. 6. Historiæ cap. 22. quemque antea cap. 20. alicujus Ecclesiæ Episcopum seu Præfectum προεστώς appellaverat . De eadem Hip-

Hippolyto, & ejus opusculis plura habes apud Hieronymum in Catalogo, ubi illum ignotæ sibi Sedis Episcopum fuisse dicit. Gelasianus lib. de duabus naturis eundem Arabiæ Metropolitanum appellat: alii passim Portuensem Episcopum fuisse dicunt. Sic Photius ipsum S. Irenæi, alii vero Clementis Alexandrini discipulum fuisse tradunt. Ejusdem quoque meminit Epiphanius hæresi 31. aliique fere Scriptores Ecclesiastici. Cujus festum agunt Martyrologia vulgata die 22. aut 23. mensis Augusti, ejusque Martyrium ad Alexandri Severi tempora referunt. Anno 1551. in agro Verano effossa est statua hominis in Cathedra sedentis, circa se cyclum habentis Paschalem annorum sexdecim, qui cyclus ab isto Hyppolito inventus dicitur . . . .

Alter ex Hippolitis, quem cum aliis duobus volunt recentiores a Prudentio confusum fuisse, presbyter Antiochenæ, Ecclesiæ fuisse dicitur. Verum quidem est in Martyrologiis Usuardi, Adonis, Notkeri, & aliis, Hippolytum Presbyterum Antiochenum die 30 Januarii celebrari, *qui Novati Schismate aliquantulum deceptus, operante gratia Christi correctus ad Ecclesiæ charitatem rediit, pro qua & in qua illustre Martyrium consummavit*. Sed hæc Prudentii auctoritatem quibuslibet Martyrologiis præferendam non elevant. Tum deinde potuit Hippolytus Antiochensis Presbyter Novati errore deceptus fuisse, sicut & Romanus. Cæterum Prudentii verba, quæ Hippolyto Antiocheno in Romano Martyrologio recentiori aptantur, in nullo Ms. aut excuso habentur ante Cardinalis Baronii recensionem. Martyrologia verò quæ Adonem præcessere, & aliquot ex iis, quæ post ejus ætatem scripta sunt, nudum Hippolyti nomen die 30. Januarii exhibent.

S. Hippolyti, de quo Prudentius agit, Festum Romæ Idibus Augusti celebratum fuisse certum est ex eodem Auctore. Sed Mratyrologia vulgata Bedæ, Adonis, Usuardi, Rabani, Notkeri, Baronii, Rosveidi, & alia ipsâ quidem die Sanctum Hippolytum Martyrem commemorant, sed a nostro diversum, militem scilicet, qui cùm a S. Laurentio martyre ad fidem conversus fuisset, triduo post S. Levitæ passionem cum Concordia nutrice sua, & novendecim ex ipsius familia Christianis martyrium consummavit. Eundem Hippolytum celebrat vetustissimum Missale Gothicum editum Lib. 3. Liturgiæ Gallicanæ, numero 60. ubi etsi nihil de Hyppoliti nutrice, & familia habeatur; ipse tamen à Beato Laurentio ad fidem conversus dicitur in immolatione Missæ his verbis: *vere . . . . . Deus qui Beatum Hippolytum Tyrannicis adhuc obsequiis occupatum subito fecisti Laurenti socium*. Consentit Missale Mozarabum in Officio S. Laurentii, ubi *Hippolytus Custos* memoratur. Vide etiam Serm. 38. de diversis apud August. in nova Edit. 316. appendicis, & Gregor. Turon. lib. 1. Hist. cap. 30. Unde existimamus duplicem Hippolytum hac die 13. Augusti celebrari: Unum à Prudentio memoratum, alterum vero Beati Laurentii socium, cui nonnulla ex primis actis attributa sunt. Porrò antiquiora Kalendaria, Romanum scilicet ab Ægidio Bucherio editum, & Carthaginense cum Romano Martyrologio, quod S. Hieronymo attribuitur, Missale Gelasianum, & Sacramentarium Gregorianum, hac ipsa die Iduum Augusti S. Hippolytum, sed, ut vulgò veteres scribunt, Hippolytum Martyrem celebrant sine ulla Sociorum mentione, aut aliqua speciali nota, quæ ipsum S. Laurentii Socium, alterum fuisse designet. Porro Hippolyti Portuensis Martyrium ad annum circiter 252. referimus, quo tempore Romæ vigebat Novati schisma. „

Hæc laudatus Ruinartius in Actis Martyrum sinceris. Cujus verissima mihi videtur esse sententia, quæ ait, ex tribus Hippolytis unum non fecisse Prudentium, atque ea omnia, quæ in ejus hymno relata sunt, alii nemini, quàm Portuensi Martyri celeberrimo convenire. Testis maximæ antiquitatis accedit Ruinartio noster libellus Gothico-Hispanus, ad cujus regulam perelegans quoque hymnus Breviarii Mozarabici ferè semper videtur exactus. Ipse enim libellus, de quo loquimur, eadem prorsus tormenta, quæ Prudentius, adnumerat; illudque præcipuè, cum ab equis indomitis raptatus, atque discerptus est, ad similitudinem antiquioris Hippolyti Thesei filii, de quo Euripides in Phædra: id enim huic profuit nomen Hippolyti, illudente Gentilium crudelitate, ut ex nominis similitudine, consimili mortis genere idem dilaniaretur, ut sapienter

ter de more animadvertit in notis ad Martyrologium Romanum noſter Cardinalis Baronius. Plura vide apud Tillemontium Tom. 3. pag. 675. & apud Bollandianos Tomo 6. Actorum Sanctorum Junii in obſervationibus ad Martyrologium Uſuardi die 30. Januarii. Item Tomo proximè ſequenti die 13. Augusti.

*ADNOTATIO CVIII. pag. 132.

Cod. Veron. pag. 132. XV*III. Kal. Octobris. De Feſtivitate S. Cypriani.* Brev. Moz. Tol. pag. 400. col. 4. *In feſto S. Cypriani Epiſcopi.* Gaudet Officio & Hymno proprio.

H Y M N U S. ad primas Veſperas, ibidem.

* Vide Baron. in notis ad Martyrolog. Rom. hac die.

** URbis Magiſter Taſciæ*
Tu Cypriane Pontifex,
Fax luminoſa, & efficax,
Verbo docent, & ſanguine.
Tu martyr, & doctor pius,
Utroque clarus dogmate:
Et ſtulta verbis imbuis,
Et docta exemplis foves.
Cæleſtis ille Spiritus,
Qui in Prophetis præfuit,
Te irrigavit cælitus,
Implevit, egit, compulit.
Hinc fonte claro luminum
Mentes fovens fidelium,
Artus peragrans invios,
Cives palatu recreans.
Tu paſſionis gloriam
*Queſtu * oblata diſtrahis,*
** Mercede comparans,*
Cum te feriret carnifex.
Sic ſic docens quod verum eſt,
Fundis beatum ſanguinem,
Ditas cruore Affricam,
Verbo docens Heſperiam.
*Tu Doctor in * terra pius,*
*Tu Martyr in * cæleſtibus*
Quod prædicaſti dogmate,
Fac nos tenere per precem.
Deo Patri ſit gloria,
Ejuſque ſoli filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne ſæculum. Amen.

* *Mercedeque*

* *noſtra*

* *cælitibus*

In Kalendario Romano Liberii tempore, ideſt circa ſæculi quarti medium concinnato, atque a doctiſſimo Ægidio Bucherio præsbytero Societatis Jeſu evulgato, ita legitur:

XVIII. Kal. Octob. Cypriani Africæ, Romæ celebratur in Calliſti.

Et in Kalendario Carthaginenſi ſæculo ſequenti ſcripto, & a Mabillonio edito:

XVIII. Kal. Octob. S. Cypriani Epiſcopi & Martyris Carthag.

Prudentius quoque in Hymno XI. Periſtephanon, loquens de Martyrio S. Hippolyti Presbyteri Romani, verſu 231. S. Cypriani Feſtum commemorat,

Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma
Idibus Auguſti menſis, ut ipſa vocat
Priſco more diem, quem te quoque, Sancte (a) *Magiſter,*
Annua feſta inter dinumerare velim.
Crede ſalutigeros feret hic venerantibus ortus,
Lucis honoratæ præmia reſtituens.
Inter ſolemnes CYPRIANI, vel Chelidoni,
Eulaliæque dies, currat & iſte tibi.

(a) *Sanctus Magiſter*, quem hic Poeta alloquitur, in exordio ejuſdem hymni VALERIANUS appellatur:

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, o Chriſti VALERIANE Sacer.

Et videtur eſſe *Valerius* ille Cæſarauguſtanus Epiſcopus, qui anno 381. interfuit Cæſarauguſtano Concilio contra Priſcillianiſtas in Hiſpania pullulantes. Ejus ætate apud Hiſpanos Feſta dies *S. Cypriani SOLEMNIS* habebatur, teſte laudato Pru-

dentio, qui in Hymno V. ejusdem libri *Peristephanon* versu 16. *Doctorem cum dicit*:

Afra Cartago tua promet ossa
Ore facundo, Cypriane DOCTOR.

Ad instar antiquissimi nostri Libelli Gothico-Hispani, in quo gaudet eodem titulo in Oratione, & Benedictione, *tam ad Vesperum, quàm ad Matutinum dicenda*.

Nota etiam quòd Prudentius, qui elegantissimum hymnum XIII.* de eodem Sanctissimo Martyre cecinit, exorditur illum ad similitudinem primæ orationis nostri Libelli (forte ad ejus regulam, cùm concinnaretur, exactæ, vel contrà) in hunc modum.

* In lib. Peristephan‹o›n

Punica terra tulit, quo splendeat omne quidquid usquam est.
Inde domo Cyprianum, SED DECUS ORBIS ET MAGISTRUM.

De S.Cypriano (inquiunt Cll. PP.Bollandiani Tom.VII.Junii in observationibus ad Martyrologium Usuardi pag. 533.) *celeberrimo Martyre, & Episcopo Carthaginensi omnia nota sunt*, immo notissima; & sincerissima ejus Acta à Pontio ejus diacono, præsente & oculato teste, posteritati relicta, præter consularia ipsa, cum prioribus simul vulgata. Notissima item ejus in Martyrologiis omnibus, & in antiquioribus monumentis Sanctitatis fama, de quibus vide Baronium, & Florentinium. Prælaudata ejus Acta integrè edidit, & eruditis notis illustravit Ruinartius inter Selecta à pag. 193. nec minus accuratè & diligenter, præter alios plures, Cypriani gesta dispofuit Tillemontius tomo 4. à pag. 45.

*ADNOTATIO CIX. pag. 132.

Cod. Ver. pag. 132. *VIII. Kal. Octobris. Incipiunt Orationes de Decollatione S. Joannis Baptistæ*. Br. Moz. Tol. IIII. Kal. Septembris pag. 399. col. 2. *Decollatia S. Jo. Baptistæ*. Gaudet Officio, & Hymnis propriis.

HYMNUS I. ad Vesperum, ibidem.

* Hi duo sequentes hymni mendis scatent immanibus.

* *HIC Ioannes mirè natus*
De senili viscere,
*A * te Iudicem prophetans*
Quam sit Iudex editus
Preiit & mortuum.
Hunc Thori vino repletus
Sanguine jubet rui;
Quare stuprum cedit audax
Conjugalis criminis
Sed sacram sumit coronam
Laureatam gloriam.
Hic Dei præcessit unum
Matre natum filium,
Tempore quo subsequente
Præco verax preiit,
Mortis & Præcursor ipse
Morte primus concidat.
Nunciat Redemptorem
Esse Christum seculis;
Nunciat vitale munus
Esse Christum seculis
Nunciat vitale munus
Esse Christum mortuis:
Quare Christum probra dixit
Posse Mundi tollere.
Hunc rogemus abditorum
Corda mœsta pectorum,
Ut scelus nostrum repellat
Motus indulgentiam,
Conferat & donum vitæ
Cum perenni gaudio.
Arceat iram superni,
Quam pavemus Judicis;
Provocet Patris benignam,
Quam sitimus gratiam;
Donet & cunctis beatam
Possidere patriam.
Laus tibi per omne tempus
Trinitas indifferens;
Laus, honor, virtusque summa
Singularis gloria
Quæ te Deum seculorum
Personet in secula. Amen.

HY-

* H Y M N U S II. in Laudibus pag. 400. col. 2.

ALmi Prophetæ progenies pia,
Clarus Parente, nobilior Patre;
Quem matris alvus claudere nesciit
Ortus senili prodiit indice.
Quem virginalis regia gloria
Summi Tonantis nomine pigneris,
Gestaret aulæ nobilis intima
Claustro pudoris fertilis integro.
Mox suscitavit missa puerpera,
Fovitque vatis gaudia parvuli:
Matres pro tanto munere pigneris,
Mutus locutus nomine filii est.
Scribendus hic est, vocis ut audiat
Nostræ canorem, diraque vincula
Dissolvat ora largo, prophetico,
Verborum habens litteram nominis;
Vox namque Verbi, vox Sapientiæ est:
Major Prophetis, sed minor Angelis,
Qui præparavit corda fidelium,
Stravitque rectas justiciæ vias.
Assertor, qui non ope regia,
Nec morte dura liquerat tramitem
Veri, ac actus, non licet, ait, tibi
Uxorem habere Fratris adulteram.
Hinc ira Regis, sævaque funera
Saltationis munere vendita:
Mensas Tyranni, & virginis ebrios
Luxus replevit sanguine sobrio.
Hic vitricus dat dona vesanior
Quàm si venenum pocula traderet.
Negare præstat, quam dare, vitrico
Odire præstat, plus nocet & hic amor.
Gloria Patri æterno Domino,
Gloria Christo Regi perpetuo,
Qui dominatur cum Sancto Spiritu,
Et Regnum ejus per omne seculum. Amen.

In nostro Libello Gothico-Hispano Officium de decollatione Sancti Johannis Baptistæ consignatur VIII. Kal. Octobris. Ne mireris. Ita etiam in Epistola ad Bibianum Sanctonensem Episcopum, quæ S. Augustino tribuitur, quæque in Codice Carnutensi S. Petri Monasterii, ante annos octingentos exarato, post S. Hieronymi quædam Opera reperta est. In ea namque Auctor ait, Bibiani rogatu se digerere *Ordinem Hipponæregiensis Ecclesiæ, qualiter divina officio* per annum in ea Ecclesia disposita essent, *totius anni opificium in lectionibus divinis* perstringendo, *incipientes*, inquit, *ordinem Adventus Dominici ab octavo Kalendas Octubris*, idest *æquinoctio autumnali: pro eo quod eadem die Johannes præcursor Domini a majoribus nostris traditur & Angelo nunciante conceptus, & Herodis funesti gladio trucidatus.* Porro hac die 24. Septembris *Conceptio* S. Johannis inscribitur vetustis omnibus Latinis Martirologiis Hieronymi, Bedæ, Adonis, Usuardi, Notkeri, Rabani. Nec invenies, qui Festum *Conceptionis* Præcursoris Domini ad diem 24. Sept. omiserit adnotare ante Bellinum de Padua; qui Usuardi Martyrologium ad morem Romanæ Curiæ Venetiis edidit anno 1498. Ejus exemplum reformatores Gregoriani sequuti sunt.

Præter laudatam tamen Epistolam ad Bibianum, nullum alium testem reperi, qui nostro Libello Gothico adstipuletur. In vetustissimo Hieronymiuiani Martyrologii ecgrapho Epternacensi ita legitur: *IV. Kalend. Septembris Possio Johannis Boptistæ*. Magis integrè tamen videtur scriptum in ecgrapho Blumiano; *Sabastio* (corrige *Sebastia*) *S. Joonnis Baptistæ, qui positus est sub Herode Rege*. His ultimis verbis omissis, præpositis autem aliis, in Lucensi sic: *Pausatio S. Helisæi Prophetæ, discipuli S. Heliæ. In Provincia Palestino, Civitote Sebastia, Notolis S. Joannis Baptistæ*: quem locum in duos dies dividit ecgraphum Corbiense, & posteriorem partem secundo rursum loco ponit, & pro *Notolis*, scribit *Passio*.

Doctissimi Bollandiani Patres To. IV. Junii putant diem XXIX. Augusti, jam inde à tempore Eusebii (ex cujus collectione Martyrologium suum hausisse Hieronymus creditur) festivam fuisse Sebastenis, sub titulo *Passionis & Decollationis*. Nec dubitant quin etiam festivus idem fuerit Emesenis, post expositum apud eos Caput, non autem ut diem huc spectantem: quo autem tempore ejusdem Translationis diem anniversarium susceperit Ecclesia non definiunt. Nam Sacramentarium Leonianum, & Sermones S. Augustini inter XVII. secundus, & decimus, nullum diem statuunt; non item Sermo Chryssippi Presbyteri Hierosolymitani, initio V. sæculi florentis ante scriptos Sermones Augustini, vel huic coævorum Fulgentii Ruspensis in eadem Africa Episcopi, Basilii Seleuciensis in Esauria, & Petri Ghrysologi Ravennatis in Italia Antistitum. Solum ex iis probatur circa annum CCCCC. vel etiam ante, susceptum fuisse aliquem diem *Passioni* isti recolendæ; quidni autem (ajunt) laudati Actorum Sanctorum Editores idem XXIX. Augu-

Augusti, saltem in Orientali, & Græca Ecclesia; idque ab ætate Constantini, & tempore conditæ apud Sebasten Ecclesiæ? Ipsum tamen suscepisse videtur Romana Ecclesia, solùm à tempore Gelasiano: siquidem vetustissimum ejus Sacramentarium editum a Thomasio, habet Missas tres, *in die Passionis S. Joannis Baptistæ*, *IIII. Kal. Septemb.* & hoc sequitur Sacramentarium Gregorianum: præponit tamen eodem die Missam pro *Nat. S. Sabinæ* Gelasiano ignotæ, adeoque primùm assumptæ sæculo V. & quidem tanta cum solemnitate, ut in vetustissimo ejusdem Romanæ Ecclesiæ Kalendario, quod Joannes Fronto Parisiis vulgavit, *ad IV. Kal.* solius *Sabinæ* Missa notetur, *Decollatione S. Joannis Baptistæ* ad diem sequentem translata; quoad Gregorius iterum jussit pariter celebrari utrumque.

In Missali ritus Ambrosiani, eodem die præcipitur eadem & sola *Decollatio* agenda: sed cum istud Missale à tempore S. Ambrosii multas susceperit innovationes & additiones, quis nos certos præstabit, Missam istic notatam non esse S. Ambrosio recentiorem, etsi Ambrosiani ritus formam sequatur? In Africa certè, unde habemus tomo 3. Analectorum Mabillonii Ecclesiæ Carthaginensis Kalendarium, Ambrosio Augustinoque posterius, legitur quidem VIII. Kalend. Julii *Sancti Joannis Baptistæ*, sed ad IV. *Kalend. Septembris* solùm notatur *depositio Restituti*, & *Augustini Episcopi*, pridie defuncti, quo nunc colitur: ad VI. autem *Kal. Januarii*, *Sancti Joannis Baptistæ*, & *Jacobi Apostoli, quem Herodes occidit*; pro quo in Gelasiano aliisque secutis notatur hujus frater *Joannes Evangelista*, absque mentione Jacobi: Gallicanum verò Sacramentarium, in Musæo Italico Mabillonii, Missam in *S. Joannis Passione* immediatè collocat post aliam, quæ Nativitatem celebrat, sed ante Missam dicendam in Natale SS. Petri & Pauli; post ipsum verò eadem *Missa in Passione* collocatur in Missalibus Gallo-Gothicis, tam eò quòd præfatus Mabillonius habet lib. 2. & 3. de Liturgia Gallicana, quam eò quòd edidit Thomasius in codice Sacramentorum, utique ante Missas *de SS. Sixto*, *Laurentio*, *Hippolito*, & *Sinfuriano*, quæ Liturgiæ, inquit Mabillonius pag. 160. *præcedere debuerant*. Bollandiani verò putant argumentum id esse, quod Ecclesiæ, quarum ista Missalia fuerunt, cum incertum haberent diem *Passionis*; elegerint eam celebrare ipsa *Octava Nativitatis*, immediatè post festum Apostolorum; sicuti S. Gregorius pro Octavis Epiphaniæ propriam instituit Missam, in qua loqueretur Evangelium de Christi Baptismate, quod in ipsa die Epiphaniæ (cujus Missa tota de Adoratione Magorum est) fuerat consecratum.

Missæ de Passione seu Decollatione Joannis ex vetustis Sacramentariis Latinis a Doctissimis Actorum Sanctorum Continuatoribus in unum collectæ Tom. IV. Junii pag. 707. & seqq.

* Vide etiã nostrum Sacramentarium LeonianumTo. IV. Anastasii Bibliothecarii.

* INcipio à Liturgia Ambrosiana pro quocumque die vel a quocunque auctore ea usurpata fuerit: & Missa, de qua agitur ordinata. INGRESSA sumitur ex communi unius Martyris, *Justus non conturbabitur, quia Dominus confirmat manum ejus: tota die miseretur & commodat, & semen ejus in benedictione erit in æternum, dicit Dominus.* Oratio *SUPER POPULUM, Protegat Ecclesiam tuam Deus, oratio veneranda beatissima Præcursoris & Martyris tui Joannis Baptistæ; & cui frequentiam devotionis impendit, perpetuæ postat redemptionis effectum.* Lectio Epistolæ *ad Galatas cap. IV. Fratres, scitis quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem ℣. In Allel.* (nobis *Graduale* dictum) *Puellæ saltanti imperavit mater, nihil aliud petas, nisi caput* Joannis *Baptistæ*. Evangelium *SECUNDUM MARCUM cap. VI. In Illo tempore, misit Herodes Rex, et tenuit* Joannem. *POST EVANG. Ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus: eloquium Domini ignivit eum. SUPER SINDONEM, Perpetuis nos, Domine, quæsumus, S.* Joannis *Baptistæ tuere præsidiis; & quantò fragiliores sumus, tantò magis necessariis attolle suffragiis.*

OFFERT.

OFFERT. Misit Herodes Rex in carcerem, ut amputaret caput Johannis Baptistæ, pro eo quod dixit ei; Non licet tibi ut habeas uxorem fratris tui adulteram. ℣. Herodias autem insidiabatur ei, & quærebat occidere eum, pro eo quod dixit ei; Non licet: &c. SUPER OBLATA, Auxilientur nobis, Domine, B. Præcursoris & Martyris tui Joannis Baptistæ veneranda merita Passionis, & hæc nobis Hostia tuæ placationis existat. PRÆFATIO, Æquum & salutare, nos tibi, omnipotens Domine, gratias agere, teque omni tempore benedicere, & in hac præcipui festivitate diei laudare, in quo B. Joannes *Baptista martyrii est coronam adeptus, quo inter natos mulierum major nemo extitit, nuptias prohibendo illicitas, gloriosum martyrii triumphum capite truncatus obtinuit; & Dominum* Jesum *Christum Mundi Salvatorem venisse corporali præsentia demonstravit: ejus quoque descensionem præcurrens, inferis nuntiavit. Et ideo. CONFRACTIO, In sæcula gaudebo, psallam Deo* Jacob*, & omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua justi. TRANSITUS Arguebat* Herodem Joannes *propter* Herodiadem, *quam tulerat fratri suo Philippo uxorem. Misso* Herodes *spiculatore, præcepit amputari caput* Johannis *in carcere: quo audito, discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus, & posuerunt illud in monumento. POST COMM. S.* Joannis *Baptistæ & Martyris tui, Domine, quæsumus, veneranda festivitas, salutaris auxilii nobis præstet effectum.*

Habes integram, sicut in Missali jacet, Ambrosiani ritus liturgiam; cui, præter Canonem, omnibus Missis, & Romano quoque hodierno communem, nihil est quod addi debeat. Transeo ad alia Sacramentaria. Gelasianum ex Ambrosiano sumit recitandas, ante lectionem Scripturæ & Evangelii, Collectas duas, eas ipsas scilicet, quas illud habet, recitandas, *Super Sindonem, & Postcommunionem*. Pro *SECRETA* autem assumit hanc: *Munera tibi, Domine, pro Sancti Martyris tui* Joannis *Baptistæ passione deferimus: quia, dum finitur in terris, factus est cælesti sede perpetuus.* POST COM. *Conferat nobis, Domine, S.* Joannis *utrumque solennitas, ut magnifica Sacramenta, quæ sumpsimus, significata veneremur, & in nobis potius edita gaudeamus.*

In Gregoriano eædem tres habentur Collectæ quæ in Romano hodierno: sed inter Secretam, SUPER OBLATA, *& ultimam* ad complendum *interponitur, nunc usurpari desita, propria* Præfatio, *ac* Benedictio; *& prima quidem sic*: Æternæ Deus: qui Præcursorem filii tui tanto munere ditasti, ut pro veritatis præconio capite plecteretur: & qui Christum aquâ baptizaverat, ab ipso in Spiritu baptizatus, pro eodem proprio sanguine tingeretur. Præco quippe veritatis, quæ Christus est, Herodem a fraternis thalamis prohibendo, carceris obscuritate detruditur, ubi solius Divinitatis tuæ lumine frueretur. Deinde capitalem sententiam subiit, & ad inferna Dominum præcursurus descendit: & quem in Mundo digito demonstravit, ad inferos pretiosa morte præcessit. BENEDICTIO *autem sic procedit*: Deus, qui nos B. Joannis Baptistæ concedit solennia frequentare, tribuat vobis & eadem devotis mentibus celebrare, & suæ benedictionis dona percipere: Amen. Et qui pro legis ejus præconio carceralibus est retrusus tenebris, intercessione sua a tenebrosorum operum vos liberet incentivis: Amen. Et qui pro veritate, qui Deus est, caput non est cunctatus amittere, suo interventu ad caput nostrum, quod Christus est, vos faciat pervenire, Amen.

Ex Gallicano Sacramentario habemus sequentia: Deus, cui sancta conversatione directa gloriosi Joannis oranda sanctitas, veneranda solennitas est, qui quondam, cum annuntiaret mirabiliter Redemptorem, expectabat speculum luminis, initium baptismatis, testimonium veritatis; & in plenitudinem Christi signorum, post signa monstrabat æmulus passionis: serviit Propheta baptismo, Baptista Martyrio; & Jesum Dei Filium, (pro) Mundi Redemptione venturum, quem annuntiare se prædicatione sermonis ostendit, amare se effusione sanguinis comprobavit. COLLECTIO SECRETA: Exaudi nos bonorum omnium Dispensator, atque in electissimi tui Joannis solennitate præsenti delictorum indulgentiam placatus attribue, cui totum in virtute Sancti Spiritus ab ore translatum, Christus fuit moriendi causa, cui Christus fuerat causa nascendi. Ipse igitur nativitatis Dominicæ nuntius, ipse præcursor probatus est passionis. CONTESTATIO: Per Christum Dominum nostrum: cui in conspectu vaticinium, in actu baptismum, in obitu

obitu martyrium: quo per unam eamdemque dispensationem, ostendit generatio quem promisit, conversatio quem docuit, passio quem dilexit. Prophetat in utero, prædicat in sæculo, consummatur in gaudio. A justitia eligitur, de justitia loquitur, pro justitia decollatur. Tantus Prophetæ splendor in carceris claustra detruditur, & pretiosus ejus sanguis meretriciæ saltatioois pretio taxatur, atque inter gentilitiæ * voluptatis epulas fit speculum *: cui merito omnes Angeli &c. Sanctus.

* Genetliacæ.
* Ferculum

Utrumque Gothicum Missale, mirè in hac Missa conveniens, sic procedit. Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum hujus confessionis unanimes obsecremus; ut nos hodie vaticinatæ vocis, Verbi Præcursoris, Legum limitis, Lucernæ lucentis, Sancti Martyris Baptistæ Joannis passionem celebrantes, ejusdem intercessione illuminet, descendat, & sanctificet: ut qui pro veritate sacrum sanguinem fudit, pro nobis ad Deum preces fundere dignetur. Per Dominum. COLLECTIO SEQUITUR: In honorem beatissimi Martyris tui Baptistæ Joannis, cujus hodie passionem celebramus, his Majestati tuæ omnipotens Deus laudibus servientes, soleonia festa concinimus; suppliciter deprecantes, ut cujus meritis obsequimur, ejus te donante apud clementiam tuam precibua adjuvemur. Per Domioum. POST NOMINA: Munera populi tui, omnipotens Deus, quæ tibi in hac Beatissimi Martyris tui Baptistæ Joannis festivitate deferimus, quæsumus propitiator intende, ut perfecta hujus sacrificii sanctificatione purgati, nostrorum à te mereamur consequi veniam delictorum. Per.

COLLECTIO AD PACEM: Suscipe, quæsumus Domine, preces nostras; & intercessione Martyris tui Baptistæ Joannis, quem io tuo honore veneramur, Ecclesiæ tuæ vota confirma: qui etiam dignus est habitus, ut ei se baptizandum Mundi Salvator offerret. Dignum est enim hoc mereri, ut omnes nos, baptismi tui gratiam consecutos, meritorum suorum intercessione conciliet Salvator Mundi. IMMOLATIO MISSÆ: Dignum & justum est, æquum & salutare est, nos tibi semper agere gratias, omnipotens & misericors Deus, inter has Sacramentorum epulas, Martyris tui caput cum Evangelica recordatione misceri; & velut in disco metalli radiantis, ita super mensam tuæ propitiationis offerri. Sit ergo nobis, Domine, jucunda laudatio, sit in honorem Martyris recordatio cantici triumphalis: & cum cælestibus supernisque virtutibus, fidelis populi symphonia misceatur, quæ a dextris tuis consona voce sub trina repetitione cantant, diceotes, Saoctus, Saoctus, Sanctus.

* ADNOTATIO C X. pag. 133.

Cod. Veron. pag. 133. *De Festivitate SS. Cosmæ, & Damiani*. Brev. Mozarab. Tol. pag. 403. col. 3. *V. Kal. Octobris SS. Cosmæ, & Damiani Martyrum*. Gaudent Officio, & Hymoo proprio.

* HYMNUS ad primaa Vesperas, ibidem.

* Emendet fælicior aliquis.

** PLebs Deo dicata, polleas & caterva,*
Multiplex cœtus, & conveatus omnis
Cruentus Orbis ambitu saagainis
Quos muadat nada siagularis victimæ.
Aarium claras meatus, & profuada
Pectoris cordis intima, simulque
Meatis alta paadite, res pia
Narratur: omnes huc venite præpetes.
Eu aova processione prosilit miracalam,
Dum medelæ subsistat ordo plenus omni munere
Nam vigent Cosmas, alter Damiaaus inclyti.
Ore tactu posse jussu cum medeadi gratia
Gne verbi cuncta siccant morbida
Arte libri arte cæli tota curaat languida
Quicquid illis esse subsistat ad salutem proficit
Vaa virtus format ipsa quæque suat vitalia
Dum viget totum quod ore quod maau determinat.
Ossa, nervi, vel medullæ, sanguis, artus, viscera,
Spiritus, & omne pectus anxiosum tædiis.
Toe à Sanctis ferre plenam sic medelam postulat:
Ut ruat dæmon, & horror, langor omnis ulcus decidat,
Gratia culpam sequatur, & scelus clemeatia:
Sit malis omniao finis, & bonis æternitas.
Præsta ingenito per unigenitum,
Regnaat qui perpetim cum Sancto Spiritu
Olympum coatiaeus jugi judicio
** Sustentata aridam perhenni imperio. Amen.*

Præclarissimus noster Card. Baronius, ut observat Florentinius in diffusa de Sanctis Cosma, & Damiano adnotatione, vidit varia horum Saoctorum Martyrum Acta, erroribua, & implicationibus referta, qualia nempe apud Legendarios extant, quæ

quæ si quis tueri velit, alios Cosmam & Damianum constituere necesse babeat, & quidem Romæ Martyres, alibi Confessores admittere, eosque non semel geminatos. Ita prorsus facere Wangnerechius, & Dehnius, ambo Societatis Jesu ex veteribus, ut ajunt, Græciæ monumentis, in Syntagmate historico *de tribus Sanctorum Anargyrorum, Cosmæ, & Damiani nomine paribus* edito Viennæ MDLX., quo terna illa Græcorum distinctio contra Latinorum confusionem acriter defenditur, in ea nimirum suppositione, qua illi alios Cosmam. & Damianum 1. Julii, alios XVII. Octobris, alios 1. Novembris, aut diebus aliis recolunt. Viderat hæc pridem Baronius, sed rejecerat, nec scio equidem, an satis tutò digeri possint, tametsi Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moscis eo inclinari videatur. Nihil ego hic inconsultè definiam; quoniam longo, & maturo examine opus est, & noster libellus suppresso Passionis die ad solam Sanctorum Martyrum medicam artem orationes omnes componit.

V. Kalendas Octobris in Gelasii, Gregoriique Sacramentariis, in Codice Gellonensi, & aliis signatur *Natale SS. Cosmæ & Damiani*. Quibus in Kalendario Frontonis assignatur Evangelium. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*.

Nescio an Orationes nostri Libelli quæ habentur post illas SS.Cosmæ & Damiani respiciant ad Litanias, quæ in Concilio Tolet.V. fuerunt institutæ per triduum, à die Iduum Decembris, *ut indulgentia delictorum lacrymis impetretur*. Nimirum Chintila Rex, qua erat pietate ac religione erga Deum, in ipsam Synodum *cum Optimatibus & Senioribus Palatii sui, supplex se omnium orationibus commendavit*. Unde Patres ex præcepto ejusdem Regis, & decreto suo, ita sanxere Canone I.

De Institutione novarum Litaniarum.

Apud urbem Toletanam diversis ex provinciis Hispaniæ Sacerdotes Domini (*a*) in uno pacis collegio in basilica Sanctæ (*b*) confessoris Leocadiæ, qui confedimus, gratiarum actiones omnipotenti Domino persolvimus, propter suam magnam misericordiam, cujus nutu in hanc convenimus concordiam, & gloriosi Principis nostri (*c*) Cinthilæ Regis initia, ob cujus salutis, & felicitatis constantiam, supernam imploramus clementiam; quòd in medio nostri cœtus ingressus cum Optimatibus, & Senioribus palatii sui, supplex se omnium orationibus commendavit, suósque fideles ita facere sanctâ exhortatione coegit, atque hanc institutionem, quam ex præcepto ejus, & decreto nostro sancimus, divina inspiratione (*d*) præmisit: scilicet ut in cuncto regno à Deo sibi concesso, specialis, & propria hæc religiosa omni tempore teneatur observantia, ut à die Iduum Decembrium (*e*) litaniæ (*f*) triduo, (*g*) usque annua successione peragantur, & indulgentia delictorum lacrymis impetretur. Quòd si dies Dominica intercesserit, in sequenti hebdomada (*i*) celebrentur; ut quoniam abundante (*l*) iniquitate, „ & deficiente charitate, „ (*m*) eo usque protelatur malitia, ut nova exerceantur facinora, nova quoque hæc ipsa surgat consuetudo, quæ possit ante omnipotentis (*n*) oculos vestra esse purgatio.

(*a*) In unum positi & collecti. *Alias* qui in uno pacis osculo. Exc.
(*b*) Martyris. C.A ut suprà.
(*c*) Cinthilanæ. A.C. Anno primo dicitur Concilio Tol. 6. cap. 2.
(*d*) Promisit Mss.
(*e*) Litania Exc.
(*f*) Triduum C.A.
(*g*) Ubique Exc.
(*i*) Celebretur Exc.
(*l*) Iniquitate efficitur. Exc.
(*m*) Ut usquequam prolata malitia nova &c Exc.
(*n*) Omnipotentis Dei oculos nostra esse purgatio. Exc.

Quoniam vero Concilium Toletanum XVII. celebratum anno DCXCII. cui titulus sextus est: *De diebus Litaniarum per totos duodecim menses celebrandis*. Statuit, *ut per universas Hispaniæ & Galliarum provincias* idem mos servetur, *& exhomologeses votis gliscentibus celebrentur: quatenus dum generalem omnipotens Deus afflictionem perspexerit, & delictis omnibus miseratus indulgeat, & sævientis diaboli incitamenta ab animis omnium procul efficiat*; non erit absonum dicere, ejusmodi litanias singulis anni mensibus per triduum exhibendas simul cum exhomologesi, id est confessione peccatorum, & operibus pœnitentiæ afflictionisque, a nostro libello innui per eam additionem nostro libello factam ab antiquario.

Cod.

ADNOTATIO CXI. pag. 135.

Cod. Veron. pag. 135. III. Idus Novembris. *In die Sancti Martini*. Br. Moz. Tol. pag. 411. col. 2. *In festo S. Martini Episcopi*. Gaudet Officio, & Hymno proprio.

H Y M N U S, Ad primas Vesperas ibidem.

Martine Confessor Dei
Valens valore Spiritus,
Carnis fatiscens artubus
Mortis futuræ præscius,
Qui pace Christi affluens,
In unitate Spiritus,
Divisa membra Ecclesiæ
Pacis reformas unice.
Quem vita fert probabilem,
Quem mortis cruentæ non tædet,
Cum callidi versutiam
Mortis & hora derogans,
Hæc plebs, fide promptissima,
Tui diei gaudia
Votis colit fidelibus;
Adesto mitis omnibus.
Per te quies est temporum,
Vita datur solatium;
Pacis redundet commodum,
Sedetur omne scandalum.
Ut charitatis Spiritu
Sic affluamus invicem,
Quo corde cum suspiriis
Christum sequamur intimis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Perpetuus Turonensis sæculo V. Episcopus, apud Gregorium itidem Turonensem sub finem libri decimi, inter festivitates enumerat *Natalem S. Martini*. Nicetius quoque Trevirensis Pontifex in Epistola ad Chlodosvindam Reginam, eundem diem inter insigniora è Gallicanis Festa recenset. Demum per universam Galliam celebrem fuisse patet etiam ex Venantio Fortunato in lib. 10. Carmine 10. ad Childebertum, & Brunechildem *de Natalitio Sancti Martini*.

Ecce supervenit venerandi in secula civis
Martini meritis luce perenne dies;
Qui modò de Gallis totum mirè occupat Orbem.

In quadam Epistola, quæ S. Augustino tribuitur, & ad Bibianum scripta est (de qua diximus supra in Festo Decollationis S. Jo. Baptistæ), Ordo Hipponensis Ecclesiæ describitur, qualiter Divina Officia per annum in ea Ecclesia disposita essent, ac inter cætera hæc leguntur.

Dignum namque est, ut ab eadem die usque ad Nativitatem Christi, Prophetarum organa tympanizando resultet Ecclesia. Sed quia sunt nonnulli, qui Adventum Domini à festivitate beati Martini Turonensis urbis Episcopi. videntur insipienter excolere; nos eos non reprehendamus, quia non omnes omnia possunt, & maximè cum Apostolus dicat: Unicuique sicut Deus divisit mensuram Fidei. Sed longè aliter est plenitudo Ordinis & Religionis nostræ. Martinus etenim sanctus longè post Ascensionem Domini, vel post Nativitatem prodiit, vel post Mortem discessit: quippe qui nostris temporibus prope fuit: quamvis in brevi tempore fama sanctitatis & virtutis illius totum mundum replevit. Apud nos itaque ex ejus sollemnitate abstinentia à carnibus, vel conjugali copula filiis Ecclesiæ indicitur, ut ad Nativitatem Domini securiùs communicet.

Multa de Martino observavit Card. Baronius in notationibus suis; plura verò in Annalibus. De nullo fermè Sancto tot illustria monumenta supersunt: nullus tot inclytos encomiastes nactus est. Notissimi sunt præcipui, Sulpitius Severus, Benedictus, Paulinus Petrocoriensis, Fortunatus, & Gregorius Turonensis, quorum Opera multorum eruditorum notis explicata, & illustrata sunt. Pleraque collegit, discussit, ac digessit Gervasius in vita Gallicè Turonibus edita anno MDCXCIX., brevius Tillemontius tomo 10. à pag. 309., ut inquiunt Bollandiani in notis ad Usuardum.

In Missali Mozarabico in Missa S. Martini ad Orationem *Post Nomina*, hæc verba leguntur: *HUNC VIRUM, QUEM ÆTATIS NOSTRÆ TEMPORA PROTULERUNT, jubeas auxilium nostris ferre temporibus*. Martinus autem obiit anno Domini ccccii. & *primus ex Confessoribus* paulo post obitum pu-

publico cultu cæpit honorari, ut eruditi omnes testantur, & noster Libellus mirificè comprobat. Aliorum namque Confessorum non meminit.

Gaudet Missa in Missalibus Toletano, & Gothico; Quare utramque pro coronide huic observationi subtexo.

Collecta de S. Martino ex Missali Gothico.

„ Summi Sacerdotis tui Patris nostri Martini Episcopi hodie depositionem „ celebrantibus tribue nobis Domine, ut sicut commemorationem ejus devo- „ tissimè colimus, ita & opus fideliter imitemur.

Eadem ex Mozarabico.

„ Jesus Deus noster & Domine, qui inlustrem meritis Martinum Con- „ fessorem atque Pontificem ita fecisti sapientiam custodire, ut in gloria mere- „ retur & jucunditate consistere: da nobis veræ sapientiæ intellectum, & san- „ ctæ operationis studium, ut pauperibus prærogantes substantiam, facinorum „ nostrorum evadamus vindictam.

Oratio post nomina ex Gothico.

„ Auditis nominibus offerentium; Fratres Carissimi, omnipotentis Dei ine- „ narrabilem misericordiam supplices postulamus, ut nomina nostra, qui in hunc „ celeberrimum diem in honorem Sancti Antistitis sui Martini offerrimus, be- „ nedicere, & sanctificare ipso suffragante dignetur: & quod illi hodie collatum „ est ad gloriam, nobis quoque proficiat ad salutem.

Eadem ex Mozarabico.

„ Deus, qui mirabilis es in Sanctis tuis, cujus cultui deputatur, quic- „ quid amicis tuis honoris impenditur; intenta oratione te poscimus, ut hunc „ diem, quem Sancti, & incomparabilis viri Martini inlustravit excessus, pro- „ sperum nobis, & posteris in rebus actionum propitiatus indulgeas; tribuas- „ que, ut cujus veneratores sumus, imitatores effici mereamur. Hunc etiam „ virum, quem Cœlicolis admirandum, Martyribus adgregatum ætatis nostræ „ tempora protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus. Dubium enim „ non est, quòd sit Martyr in Cœlo, qui fuit Confessor in sæculo. Oramus „ Domine, ut qui tantùm potuit tuis æquari virtutibus, ut vitam mortuis „ redderet, dignetur etiam defunctorum spiritus consolari, ac viventes in tri- „ bulatione defendere, qui potens fuit mortuos suscitare.

Oratio ad pacem ex Gothico.

„ Inclina Domine aurem tuam ad preces familiæ tuæ, & da pacem, quam „ permanere jugiter præcepisti. Illud etiam specialiter præstare digneris, ut „ parem charitatem teneamus, quam Pontifex tuus Martinus in hoc sæculo, „ te opitulante, meruit obtinere.

Eadem ex Mozarabico.

„ Multis coram te Deus Pater exultantes in Laudibus Confessoris tui „ Martini hodierna die obitus memoriam facimus, doctrinam recolimus, ope- „ rum memoramus. Qui licet totum vitæ suæ cursum gloriosa decoraverit pa- „ ce, finem tamen ineffabili charitatis bono reddidit & probabilem, & inlu- „ strem. Cum vicinum sui cernens terminum finis, pacem inter se discordan- „ tibus restituit Clericis. Quò ad æternam continuò vocatus hæreditatem, exem- „ plo Domini, tenendam suis pacem discipulis commendaret. Hujus ergo vi- „ ri suffragiis pelle a nobis Deus quicquid dividit vanitatem, & dona, ut ei-

„ eidem consortes simus in præmio, cujus hic dilectionis edocemur exemplo.

Inlatio, sive Præfatio ex Gothico.

„ Dignum, & justum est, nos te Domine Deus noster in laudibus Sancti Martini honorare, qui Sancti Spiritus tui dono succensus, ita in ipso tyrocinio fidei perfectus, ut Christum texisset in paupere, & vestem, quam egenus acceperat mundi Dominus induisset. O felix largitas, qua Divinitas operitur! O clamidis gloriosa divisio, quæ militem texit & regem; Inæstimabile donum est, quod vestire Dominum meruerit Deitatis. Dignè huic confessioni tuæ præmium commisisti: dignè Arianorum non subjacuit feritati: dignè tanto amore Martinus persecutoris tormenta non timuit, securus, quia tanta erat gloriatio passionis, ut per quantitatem vestis exiguæ & vestire Dominum meruit, & videre; O animi imitanda benignitas! O virtutum veneranda potentia! Sic egit suscepti Pontificatus officium, ut per formam probabilis vitæ observantiam exegerit disciplinæ. Sic Apostolica virtute sperantibus contulit medicinam, ut alios supplicationibus, alios visu salvaret. Hæc tua Domine veneranda potentia, cui cum lingua non supplet meritis exorare, operibus Sancti Martini te opitulante mereamur imitari. Per Christum Dominum nostrum.

Eadem ex Mozarabico.

„ Dignum & justum est, nos tibi gratias agere, Domine Sancte, Pater æterne, Omnipotens Deus, in depositione anniversariæ commemorationis Sancti Martini Episcopi & Confessoris tui; Quem pro pietate tua, & servitute sua, tam beatum labore, quam munere inter Sanctorum omnium florentissimas legiones ac felicissimos Martyrum choros, & illustres eminentium seniores cathedras dextri Ordinis locum tenere confidimus. Quia bona arbor bonos fructus facit, & bonus homo de bono thesauro cordis sui bona profert. Cumque in eodem Evangelio ipse docuerit, ex fructibus eorum cognoscetis eos: hunc ergo inter justos justè numerandum testantur facta per sæculum, signa post transitum, opera dum vixit, mirabilia post recessum. Cum præsertim ad unum Sanctitatis culmen diversus mittat ascensus, non una est virtutum via, quæ gloriæ tuæ ducit ad regnum. Quid enim minus est, crucem ferre per tempora, quàm mortem subire per vulnera? Quid inferius est, Mundum vincere, quàm gladium non timere? Cum plus luctaminis habeat diuturnitas crucifixi, quàm celeritas interempti. Quid supereminent, affectus Martyrii consummatus, quàm diutius custoditus? Non distat propter te mortificatus à mortuo, cum in utroque sit gloriosum & abuti velle quod placeat. Pugnam substinere sine defectu, an coronam rapere sine metu? Propositum non mutare sub spatio, an implere desiderium sub momento? Par est, ut credimus, illecebris non cedere per dolorem, ubi æqualis in dilectione animus, Percussor deest Fidei, non Confessor. Voluit triumphare dum militat, qui militare destitit dum consummat. Inter carnales pugnas, & spiritales insidias laboriosius est hostem occultum superare, quàm publicum. Quia non fit levius sperare semper quem caveas, quàm non formidare quem videas. Jugiter in procinctu providere cautelam, quàm fortiter in congressu servare constantiam. Non interest in angustia vivere servitutis, aut in pœna devincere feriendum. Quotidie declinare quod decipiat, aut cum compendio ambire quod finiat. Postremò in agone martyrum ad extruendam Fidem, hoc semper proponitur quod horreat; hic etiam quod delectat. Ibi tormenta terrori, hic etiam blandimenta discriminis. Ibi homo nititur expugnare per amara, hic diabolus inlaqueare per dulcia. Ibi mors securitatem præstat, hic securitas mortem facit; ibi alienæ impietas, hic propriæ naturæ mobilitas inimica est. Si in his omnibus nihil sibi sine adjutorio tuo arroget humana fragilitas, tuis muneribus debet unusquisque deputare quod vicit, qui tuis viribus portavit uterque quod pertulit. Horum tu verus arbiter Deus, quos

,, quos propter nos supplices quæsumus, ut sicut illi tibi accepti, ita nos illi
,, mereamur esse suscepti. De quibus hoc nobis sufficit credere, quod unà amo-
,, ris tui causà per diversa merita discreto vel fine, vel tempore, feliciter af-
,, flicti, veraciter probati, potenter prædìti, clementer assumpti, & æqualiter sine
,, beati. Cui meritò omnes Angeli, & Archangeli non cessant clamare quotidiè, ita
,, dicentes. *Sanctus Sanctus &c.*

Ex his in exemplum adductis palam fit utramque Missam eodem, ut dixi, tenore procedere, licèt orationes diversæ sint. Sunt autem in his quædam obscura, in quibus hæret sensus vitio procul dubio scriptoris, sed ego apographum fideliter expressi, venerandam reveritus antiquitatem.

FINIS.

LIBELLUS ORATIONUM ANECDOTUS

ECCLESIASTICORUM OFFICIORUM GOTICO-HISPANUS,

ADHUC EX PARTE OBTINENS

IN BREVIARIO MOZARABICO

ANTIQUISSIMI RITUS ISIDORIANI.

PRODIT EX VETUSTISSIMO CODICE AMPLISSIMI CAPITULI VERONENSIS

OPERA ET STUDIO

JOSEPHI BLANCHINI VERONENSIS

Presbyteri Congregationis Oratorii Romani.

¹Aliquot hujus anecdoti Libelli Orationes extant etiam in Breviario Mozarabico, sed quo detruncatae, quam mendis scatentes in manibus. Eas in marginibus placuit aductare summa cura, improboque labore.

INCIPIUNT ORATIONES DE ADVENTU DOMINI PER DIES DOMINICOS. IDEST IN SABBATO AD VESPERUM, QUI PRIMUM * OCCURIT IN ADVENTUM.

* *Lege*: occurrit in adventu.

EXPECTANTES adventum tuum, Domine, a pusillo animo * sub'eba, & a tempestate periculorum conserva; ut te plebs * livatorum sua pro salute vespere sollicitet, & meridie pro libertate * conlaudent, & manè pro gloria resurrectionis concelebret.

* *Lege*: sublevа.
* *Lege*: liberatorum.
* *Lege*: conlaudet.

BENEDICTIO.

Breviarium Mozarabicum editum Toleti anno Domini 1502. fol. 1. col. 4. & fol. 4. col. 3.

DOminus Jesus, qui ad redemptionem vestram venit non mutatione loci, sed veritate hominis adsumpti, * clarificando vos adtollat * in gloria regni; adque idem ad redimendum veniens, redemtos suos a malis omnibus servet; & quoniam ipse humiliatus iniquitatem vestram abstulit, ipse gloriosus beatitudinis vobis praemia donet.

* *Fortè legendum*: clarificandos ... in gloriam.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 373. col. 2.

DEUS omnipotens, qui Unigenito Filio tuo in carne nasciturо viam in humanorum cordibus praeparans, Johannem utique praecursorem ante ejus faciem mittis, quem utique Angelum praeeuntem esse testaris: praesta supplicibus nobis, ut in adnuntiacione te praedicantium * revivescant semper animae perditorum: ut viam in cordibus nostris ipse tibi praepares, Ipse quoque, in quibus inhabites, dignam tibi in nobis habitationem exornes. Qui ad hoc primùm venisti, ut perditos liberares, ad hoc iterum venias, ut liberatorum animas a suppliciis liberes.

* *Lege*: reviviscant.

ALIA.

Ant. Ecce ego mittam ad gentes.

Br. Moz. fol. 15. col. 3.

DEUS Pater, qui Filium tuum missurus ad terras, legatos tuos, voces utique praedicantium, ad gentes destinasti, vel insulas, qui Incarnationis ejus mysterium praedicantes longè ad eos, qui non audierunt * vervi tui fidem praedicando porrigerent, dona nobis, & te audientes a vitiis * repiscere, & te credentes supernam promereri hęreditatem: ut Christum tuum sermonibus praedicantes, operibus non efficiamur ante tuae gloriae majestatem damnabiles.

* *Lege*: verbi.
* *Lege*: resipiscere.

A

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 14. col. 3. ECce, o Domine Deus noster, satis pulcri sunt pedes euangelizantium pacem, & adnunciantium bona; fac* nos ergo, ut calciati pedes nostri in praeparatione euangelii pacis de peracto cursu gaudeant consumatae virtutis: ut Christum tuum, quem os nostrum plena fide adnunciat, vita nostra in efficientia operis non contemnat; sed annua devotione Incarnationis eius festa sollemnia celebrantes, vota nostra illi persolvamus sine fine felices.

* nos, abundat. Ibidem lege: calceati.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 4. col. 3. PRecem nostram ne dispexeris, Domine, intende jam, & exaudi clementer: ut, qui voce inimici * turvati deicimur, Unigeniti tui adventu sacratissimo consolemur; & fide * pinnigerantes, velut columbae ad superna tendamus. Elonga nos itaque, Domine, a saeculo maligno, & a laqueis * inimihi custodi per Christum.

* Lege: turbati.
* Lege: pennigerantes.
* Hispanica pronuntiatio, illarum regionum Scriptorem incolam prodit, cum hic, tum alibi saepe.

BENEDICTIO.

DOminus Jesus Christus, ad cujus adventum devotissimè anelatis, ipse in vobis augeat incendia sanctae devotionis; & qui ad hoc venit, ut redimat, ipse ad hoc judicet, ne condemnet; atque ad hoc vestrum inflammet amorem, ut perducat ad aeternam suae gloriae laudem.

ITEM ORATIO IN SECUNDO SABBATO AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 20. col. 4. & fol. 348. col. 1. DOmine Jesu Christe, quem venisse credimus in carnis abjectione humilem, Mundum pereuntem redimere, quemque iterum praestolamur in potentia Deitatis venturum, saeculum delinquentem terribiliter judicare, * inmensa pietatem tuam trementes famuli quaesumus, ut, dum veneris, non de peccato nos arguas; sed ineffabili bonitate succurras; & hic potius humilitatis nostrae confessionem accipias, ut illic & facinora universa indulgeas, & in dexterae tuae partem coronandos statuas.

* Lege: inmensam.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 21. col. 1. EX Syon Deus veniens ab impietatibus vestris eripiat vos. Avertat a vobis iniquitates vestras, qui * benit prorogare misericordias suas: tales etiam vos redimendo statuat, quales judicando non puniat.

* Lege: venit.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 19. col. 4. CHriste Dei Filius, qui a Patre sine tempore natus, per Virginem in tempore nasciturus, a patrio sinu, sicut fortis, egrederis, effice nos forciores semper esse in operibus tuis: ut, qui suscitasti zelum virtutis in populis tibimet credituris, suscites in nobis numquam finiendum amorem tuae dulcedinis, quo perducamur ad promissa tuae haereditatis.

Ant. Dominus sicut fortis egredietur.

ALIA.

Br. Moz. fol. 322. col. 1. fol. 433. col. 3. TE, Domine, de Sina cum Sanctorum millibus venturum, Profetarum vaticiniis audientes, exposcimus, ut, qui te * redemtionem Mundi venisse iam credimus, venturum quoque ad Judicium purgatis cordibus praestolemur: ut, quia in manu tua Sanctorum multitudo consistit, in remedio pietatis tuae reditus ad te peccantium cumuletur; qualiter adpropinquantes pedibus tuis, satiemur semper de doctrina intimae visionis.

Ant. Dominus de Sina veniet, & cum eo Sanctorum millia.
* Suppie ad; vel lege Redemptorem.

ALIA.

DEUS, qui manifestè ad Judicium es venturus, * esse nostris cordibus donorum * gratiam manifestus: ut, qui primò redemturus Mundum veniens siluisti, tunc nos exuas a totius sorde criminis nostri, quum ultra non silens, non judicandus, * set judicaturus Mundum adveneris in gloria majestatis.

Ant. Deus manifestè veniet.
* Lege: esto.
* Lege: gratia.
* Lege: sed.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

QUI regis Israhel, intende: excita potentiam tuam, & veni; ut plantatae fideli vineae tuae non maceriam destruas, * set, sicut vonus agricola, culturam dilectionis exerceas.

* Lege: sed, sicut bonus.

BENE-

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 13. col. 4.

DEUS, qui venit, ut liberet, tales vos faciat, quales liberandos efficiat. Libertas, quam redimens contulit, redemtionis conservatione defendat: Ut, qui Redemtor venit ad mundum, * proveniat redemtos in caelum.

* *Lege*: provehat.

ITEM ORATIO IN TERTIO SABBATO AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 138. col. 3. & fol. 147. col. 4.

CHriste Jesu Dei Filius admirabilis, cui nullus inter filios Dei, vel aequalis extat, vel similis, excita potentiam tuam, & veni, & salvos facias nos. Ad te Dominum precem nostram dirigimus, ut misericordiam, quam pollicitus es servare Sanctis, digneris prorogare conversis; ac sic nos, quaesumus, moderamine disciplinae * arrigas, ne profanetur testamentum tuum ob admissa facinora, sed temperetur ultio miseratione superna; & ipse totum, quod displicet, abluas, qui peccatores ad te revertentes * justificate glorificas; quique nos esse voluisti ex nicilo id, quod sumus, ipse concede, ut caelestibus regnis apti, tecum sine fine vivamus.

* *Supple*, corrigas, ut clementiam in ira non auferas, nec profanetur.
* *Lege*: justificando.

BENEDICTIO.

DOminus Jesus Christus, qui venit de incorruptae matris carne corporis veritatem adsumere, eruat vos ab humanae passionibus corruptelae.
Qui veritatem hominis sine peccato hominis suscipere venit, vos ab omni delicto humanae * conlubionis emundet. Ut quidquid humiliatus Deus in natura hominis pro vobis sustulit, totum in naturae vestrae salvatione miseratus adcumulet.

* *Lege*: conluvionis, vel colluvionis.

ITEM AD MATUTINUM.

CHriste Deus, qui grati roris respersione Israhel tuum visitaturum te esse polliceris, fac nos in domo tua germinare, ut lilium, qualiter radix nostra erumpat in emolumento virtutum; quo desiderio dulcedinis tuae accensi, inmaculatis cordibus praesentemur tibi in diem Judicii.

Ant. Erit Dominus sicut ros Israhel.

ALIA.

Br. Moz. fol. 10. col. 3. & fol. 22. col. 1.

ESto * novis, Domine, corona gloriae in die, quo veneris saeculum judicare per ignem, ut hic nos prius vestias indumento justitiae, & post perfecta gloriae libertate.

Ant. Erit Dominus corona gloriae.
* *Lege*: nobis.

ALIA.

CHriste Deus noster, qui firmamentum factus es terrae, scilicet Ecclesiae tuae, quam in tuis Apostolis, tamquam in summis montibus fundare dignatus es, esto in nobis fundamentum pacis, & effector bonae operationis; ut, qui in nostris iniquitatibus cotidie * lavimur, fundamenti merito in fine * salbemur.

Ant. Erit firmamentum in terra.
* *Lege*: labimur.
* *Lege*: salvemur.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 14. col. 1.

ADventus tui, Domine, gloriam devotione promtissima praestolantes, rogamus, atque exposcimus, ut praesentiae tuae luce tenebras nostras inradies, qualiter nunc ad perfectum nos usquequaque sanctificans, tuis nos * inpostmodum muneribus dignos efficias.

* *Lege*: postmodum.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 12. col. 4.

DOminus Jesus Christus, qui adventu suo subenire dignatus est Mundo, animas nostras, corporaque purificet a delicto. Det vobis legis suae praecepta virtute spiritus adpraehendere; ut possitis adventum ejus amabiliter praestolare: sicque vos ab omni reatu inmunes efficiat, ut adventus ejus non * reprovandos expellat, sed redemtos, adque glorificandos adsumat.

* *Lege*: reprobandos.

ITEM ORATIO IN QUARTO SABBATO AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 14. col. 4.

DOmine, cujus regnum est potentiâ terribile, & * praecintum virtute, quem flumina doctorum elevatis vocibus * laudent, & mirabiles elationes maris concelebrant: excita potentiam tuam, & bracii tui terribilem emitte fortitudinem

* *Lege*: praecinctum.
* *Lege*: laudant.

nem, quae conterat jugum nostrae servitutis miserorum colla prementem, nostrasque fatigatas confortet manus, * debile roboret genua, convalescere pusillanimes faciat; nec ultra sit, quod timeamus ex inimico, * qui propter salvationem nostram venire credimus Redemtorem.

* Lege : debilia.
* Br. Moz. habet, quia.

BENEDICTIO.

Dominus Jesus Christus, cujus adventum desiderabiliter expectastis, ipse vos participes faciat regni caelestis.

Ejus vos gloriosa Nativitas provocat in caelo, cujus Divinitas pro nobis incarnari venit in Mundo; talesque vos dies sui adventus inveniat, ut dexterae suae laetabundos * parcipio jungat.

* Lege, si placet: participio, vel, participatione conjungat.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 16. col. 2.

Christe Dei Filius, qui Mundo per Virginem natus, Nativitatis tuae terrore, & regna concutis, & reges admirare compellis, praebe nobis initium sapientiae, quod est timor tuus: ut in eo fructificemur; in eo etiam proficientes fructum tibi pacatissimum * afferamus: ut, qui ad gentium vocationem, quasi fluvius violentus, accessisti, nasciturus in terris ad conversionem peccantium manifesta tuae gratiae dona ostendas: quò repulso terrore formidinis, casto te semper sequamur amore intimae caritatis.

Ant. Timebunt, qui ad occidentem sunt.

* Br. Moz. efferamus.

ALIA.

Deus Pater, ex quo genitum justum per Virginem utique natum Filium, & gentes viderunt, & reges mirati sunt: concede nobis, ut in ejus visionem, quum ad Judicium venerit, cor nostrum refloreat, & consolationis donum de visionis ejus gaudiis adipiscat: ut in hoc nunc, & in aeternum, sic in manu ejus corona gloriae simus, ut, nec hic, nec in aeternum in aliquo confutemur.

Ant. Videbunt gentes.

ALIA.

Christe Deus, cujus nomen gentibus in terrore est, da * novis & timoris tui initium, & amoris tui per omnia complementum: ut, qui in * idificatione Syon agnosceris gloriosus, in reparatione lapsorum clemens reperiaris, & pius, quum in adventu tuo Judex cunctis effulseris manifestus.

Ant. Timebunt gentes nomen tuum Domine.

* Lege : nobis.
* Lege: aedificatione.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 17. col. 1.

Excita potentiam tuam, & veni ad liberandum nos, Domine: ut quia opprimimur turvinibus temtationum, virtutis tuae auxilio defendamur: nec praevaleant nobis legiones hostium, quum tua majestate tuemur: ut semper nobis opitulationem, & adversariis inferas ultionem.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 16. col. 1.

Unicus Filius Dei, qui genitus de utero Patris incarnari venit ex utero Virginis, eluat vos ab omni corruptione humanae condicionis; adque idem, qui incomprehensibilis venit ad veritatem humani corporis, tollat a * bovis omnem inmunditiam humanae corruptionis; &, qui vita venit mortem perferre, tribuat vobis nicil de mortis damnatione sentire.

* Lege: vobis.

ITEM ORATIO IN QUINTO SABBATO AD VESPERUM.

Averte, Domine, captivitatem fortis tuae, quam praedo vorator deceptiosis artibus a tuarum viarum tramite discedere fecit. Veniat, rogamus, super nos misericordia tua, & salutare tuum da * novis, atque de sancto auxilium mitte; ut te intelligentes desideremus, teque inquirentes ad te protinus redire festinemus: ut & cordibus conversis peccatorum donetur remissio, & a captivitate miseriae reducamur ad libertatem laetitiae; quique lamentamur pro admissione facinorum, consolemur de adventu Regis caelorum.

* Lege: nobis.

BENEDICTIO.

Christus Dominus, ob cujus adventus proximitatem ilarescitis, exultare vos faciat de praemiis sempiternis; Et qui illum sustinetis, ut veniat ad faciendum

Judicium

Judicium, emulatores vos efficiat judiciorum justorum: ut quum venerit, non de peccato vos arguat, sed aeterna muneris conlatioue reficiat.

ITEM AD MATUTINUM.

Br.Moz. fol.6.col.3. & 4. Item fol.12. col.3.

Ant. Justè, & piè vivamus in hoc saeculo.

FAc nos, bone Domine, justè, sobriè, & piè in hoc saeculo * vibere, ut expectantes beatam illam spem, & adventum claritatis magnificentiae tuae, sic per semitas curramus justitiae, ut meritò accedere possimus ad aeternam haereditatem.

* Lege vivere.

ALIA.

Br. Moz. fol. 11. col. 1.

Ant. Gaudete inDomino semper.

DA nobis, Domine, gaudia felicitatis eaternae; ut in te semper gaudere possimus, ne desperabili tristitia obruamur; ut in nullo de temporalibus solliciti simus; &, qui te prope esse jam credimus, mitissimum te, cum veneris, sentiamus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 10. col. 4.

Ant. Crescite in gratia, & in cognitione Domini.

FAc nos, Deus Pater, in gratia, & in agnitione Jesu Christi Filii tui Domini nostri dilatatis sensibus crescere: ut expectantes adventum ejus, inmaculatis vestigiis ad diem Judicii properemus, quo ejus gratia sic hic reos absolvat, ut in futuro, culpa interveniente, non puniat.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 9. col. 3.

CHriste Deus, qui nasciturus in carne, conplementum factus es legis, perfectionem in nobis tribue sanctitatis; & qui olim adventu tuo redimere dignatus es Mundum, Judicii tui tempore a suppliciis erue animas redemptorum.

BENEDICTIO.

CHristus Dei Filius, quem venturum in proximo sustinetis, proximitate sui adventus emundet corda vestra a cunctis mundanae vitae inlecebris. Ipsum quoque, quem Judicem venturum metuitis, liberatorem indulgentissimum sentiatis; quò omnes, qui hic primi adventus sui gaudia devotè * inquolitis, secundi adventus sui praemia capiatis.

* Lege: incolitis.

INCIPIUNT ORATIONES DE ADVENTU DOMINI,

Quae per singulos Matutinos juxta Antifonas congruentes usque ad Nativitatem Domini sunt dicendae. In primis in die sancti Acisidi, quod est quintodecimo kalendas Decembres ad Matutinum. Istae Orationes dicendae sunt juxta Antifonas, quae tunc cantantur.

Br. Moz. fol. 1. col. 2. Item fol. 413. col. 4.

AUdivimus, Christe, confitemur, & credimus, quod è sinu Patris egrediens veneris, ut carnis nostrae vestibulo cingereris: liberaturus scilicet susceptae Incarnationis mysterio, quod perierat naturae vitiatae contagio. Fac ergo nos praenuntiata adventus tui gaudia promptissimâ susceptionis devotione excipere: & quia tu e * loquo patrio, secretoque progrediens, albaturus homines, humanum properasti ad publicum, nos e loco criminis exeuntes mundatiores concitum Divinitatis tuae prospectemus occursum: ut extrema * bitae nostrae nullius discriminis conculcatione involvens, sic provoces terrore justitiae, ut solita justifices pietate.

* Lege: loco.

* Lege: vitae.

ALIA.

ADnuntiatum te Deum, Christe Dei Filius, in universis terrae finibus profetali vaticinio credimus, & gaudemus. Proinde te quaesumus, te rogamus, ut in * veatae Syon habitatione perenni dilatemur in gaudio, in cujus te medio habitaturum, profetali praedixisti oraculo.

* Lege: beatae.

ALIA.

Br. Moz. fol. 5. col. 2.

Ant. Adnunciate vocem jucunditatis.

NUmtiatam ecce vocem jucunditatis, & laetitiae, quam de tua, Christe, Incarnatione audivimus; ut in nobis dulciori efficiatur caritate ferventior, inploramus. Id tuae magnitudinis expetentes potentiam, ut ita in nobis vocis hujus affectus usquequaque praepolleat, ut non confundamur in ea, quum manifestata nobis fuerit gloria tua.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 414. col. 2. FRaglat, Christe, tuus pretio sior in gentibus odor, quo terrena appetis, & caelestia non relinquis; quo in regionibus abdicatos longinquis ad nuntium bonum in odore unguentorum tuorum post te currere facis. Praesta ergo, ut quod in odoris hujus percepimus fide, aeterno capiamus in munere: ut ob hoc, quod te consonis concinimus effectibus vocum, plenissimè laetemur in retributione Justorum.

ORATIO DECIMO KALENDAS DECEMBRES. QUANDO ET SANCTI ROMANI FESTUM INCURRIT. ORATIO COMPLETURIA AD VESPERUM DE SOLLMNITATE IPSIUS SANCTI ROMANI.

Br. Moz. fol. 414. col. 3. AMabilis servi beatissimi Romani tui, Christe Deus noster, victorias celebrantes, quibus inimicum fidei Christianae templi tui lmina intrare non passus est, te quaesumus, & rogamus, ut per eum nobis aperias Paradisum, per quem infidelibus, Ecclesiae tuae obserasti introitum: ut per quem incredulorum est repulsa perfidia, per eum fides nostra perveniat ad coronam.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 414. col. 3. CHristus Dominus, qui elinguem Romanum suum martyrem fecit mirabiliter eloquentem, os vestrum faciat sibi semper fructificare; Et qui post illam abscisionem linguae * formabit verva flammantia, in vobis post confessionem oris virtutum conferat dona: ut disciplinati oris habentes semper officium, in ea lingua, qua confitemini Deo peccata, in ea etiam mereamini inpetrare peccatorum omnium indulgentiam.

Lege: formavit verba.

ITEM COMPLETORIA ORATIO DE EADEM FESTIVITATE.

Br. Moz. fol. 415. col. 1. DEus, qui beatissimo Romano martyri tuo hoc specialiter in donis gratiae praestitisti; ut post obscisionem carnalis linguae meliùs te verborum datorem, & affluentiùs praedicaret: te supplices quaesumus, ut organum linguae nostrae tuis semper facias legibus deservire: ut sanctis tantùm officiis mancipatum, beneplacita tibi semper devotione famuletur.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 414. col. 3. OMnipotens Deus, qui per beatissimum Romanum fores Ecclesiae infidelibus clausit, claustra vobis credentibus aperiat regni sui; & qui elinguis oris ejus officium sua declaravit in laude, suffragia ejus suscipiat pro vestrorum criminum emundatione: ut in quo parvuli teudole fides rovorata peregit martyrium, in eo etiam vos habeatis praemium sempiternum.

ITEM ORATIONES IN EODEM DIE AD MATUTINUM. DE ANTIFONIS DE ADVENTU DOMINI IN ORDINEM SECUNTUR.

Br. Moz. fol. 13. col. 1. VEnisse nomen tuum, Deus, de longinquo condita a te creatura laetatur, & ideo fac nos, ut, qui adventum Incarnationis tuae suscepimus, ab is pinis peccatorum nostrorum ardentis linguae tuae spiritu expiemur.

Ant. Ecce nomen Domini venit de longinquo.

ALIA.

Br. Moz. fol. 17. col. 2. DE longe Incarnationis tuae adventum, Christe Dei Filius, Beatorum numerositas praestolando beatificata fore cognoscitur, quaesumus, ut expectatione secundi adventus tui ita beatificemur, ut pium te in Judicio sentiamus.

Ant. Ecce nomen Domini venit de longe.

ALIA.

Br. Moz. fol. 23. col. 1. ECce tu, Deus noster, & Domine, qui olim redemturus Mundum in virtute bracii tui perditos liberasti, ab his, quos redemisti, magnopere invocaris: ut, qui infirmari pro nobis dignatus es homo, Divinitatis tuae homines digneris praemunire praesidio.

Ant. Ecce Deus noster: ecce Dominus.

TER-

TERTIODECIMO KALENDAS DECEMBRES
AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 15. col. 3.

EX radice Jesse progrediens Virga, credentem tibi populum salva, ut, qui in salute venisti nasciturus in terram, gloriosum nomen tuum in is, qui te deprecantur, ostendas.

Ant. Exiet virga Gesse.

ALIA.

Br. Moz. fol. 10. col. 1.

DOmine Deus fortis, qui de patrio secreto egrederis, &, ut vir * praeliatur gentes tibi crediturus adquiris, suscita in nobis zelum veneplacitum tibi: ut, qui te venisse jam credimus, ardentiùs te iterum venturum innocui praestolemur.

Ant. Dominus fortis egredietur.

* Leg: praeliator.

ALIA.

COncede * novis, Domine, ut adnuntiatum in Syon nomen tuum, & veraciter diligamus, & veris operum effectibus conlaudemus: ut, qui in Jerusalem praedicatus agnosceris, in universo Mundo Deitatis potentiâ dilateris.

Ant. Adnuntietur in Syon.

* Leg: nobis

XII. KAL. DECEMBRES
AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 2. col. 3.

CHriste Dei filius, qui veniens ad * loquum uteri virginalis, verus Angelus testamenti agnosceris: concede nobis, ut fides, qua Incarnationis tuae gaudia * obando concinimus, ab omni culpae nostrae nos * devito expiet: quum te iterum ad Judicium viderimus.

Ant. Veniet ad locum suum Dominus.

* Lege: locum.
* Lege: ovando.
* Lege: debito.

ALIA.

Br. Moz. fol. 2. col. 3.

DEsiderate cunctis gentibus, Christe, adveniens, salva populos tibimet confitentes: ut, qui ad hoc primùm venisti, ut Mundum redimeres, ad hoc iterum venias, ut credentes tibi pro meritis non condemnes.

Ant. Veniet desideratus cunctis gentibus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 12. col. 1.

VEnisse te Dominum in Syon cum laude & laetitia, omnis Catholica praeconatur Ecclesia: & ideo petimus, ut, qui adventum tuum gloriosum in populis nuntiamus, a nostris facinoribus, te expiante, purgemur.

Ant. Veniet Dominus in Syon cum laude & laetitia.

XI. KAL. DECEMBRES
AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 1. col. 4. & fol. 18. col. 1.

DEus Dei Filius, cujus aeternum permanet nomen, quique unum te esse * innocens Deum, * hac Dominum per susceptae Incarnationis mysterium venisti in regem, ut redimeres saeculum: da in * novis ita fervere hujus mysteria pietatis, ut per haec evadamus muscipula deceptoris: ut, qui adventus tui gaudia diffuso ore praecinimus, salvatos nos, quum ad Judicium veneris, te Judice, gratulemur.

Ant. Veniet Dominus in regem.

* Lege: in nu ens.
* Lege: ac.
* Lege: nobis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 6. col. 4.

CHriste Dei Filius, qui & olim venisti nasciturus in carne, & iterum venies cum senibus, & principibus populi tui ad faciendum Judicium in gloriae majestate: praesta nobis, ut, quum veneris, non peccati nobis restituas vicem, sed pro fide, qua te credimus, aeternam nos * provenias ad mercedem.

Ant. Veniet Dominus cum senibus & principibus.

* Lege: provehas.

ALIA.

AVertere *, Domine, impietates a domo Jacob, ut, qui * a hoc venisti de Syon, ut praedam de manu fortis eriperes: ad hoc iterum venias, ut ereptam massam Fidelium solita pietate corones.

* Lege: Averte.
* Lege: ad hoc.

X. KAL. DECEMBRES
ORATIONES IN DIE SANCTAE CELIE
AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 417. col. 2.

CHriste Dei Filius, quem cum Sanctis omnibus ad faciendum Judicium sustinemus, te quaesumus, te rogamus, ut antequam venias, nostrorum criminum maculas abluas, illisque nos consortes efficias, quibus pro merito jam tribuisti coronas: ut, qui tunc Judices tecum venturi sunt, nobis patroni per te ad * ebadenda supplicia praeparentur.

* Lege: evadenda.

BENE-

BENEDICTIO.

UNigenitus Dei Patris Filius, qui in adventu suo aeternas Judicii sedes *datus est Sanctis, det vobis suae evadere Judicium ultionis; &, qui tunc electos per gratiam formaturus est Judices, vos per misericordiam *ubimet efficiat conplacentes; ut cum adventus sui refulserit gloria, * i medio Sanctorum clarificetur conversatio vestra.

* Lege: daturus.
* Lege: sibimet.
* Lege: in.

ITEM IN EODEM DIE AD MATUTINUM.

Ant. Veniet dies Domini magnus.

Br. Moz. fol. 18. col. 4.

CHriste Dei Filius, qui in monte Syon, & in Jherusalem Salvator magnus in carne apparendo adveniens, salvatio pro his, qui tibi erediturì essent, vocatus es, esto nobis Salvator ad votum, & * ducatur ad praemium: ut, qui Sanctis factus es salvationis officio, & peccatoribus efficiaris & hic, & in aeternum optabilis liberator.

* Lege: ductor.

ALIA.

Ant. De Syon exiet lex, & * vervum Domini de Jherusalem.
* Lege: verbum.

Br. Moz. fol. 23. col. 1.

LEx tua, verbumque, Deus Pater, de Syon prodiens, non judicet, sed protegat populos sibimet confitentes, nec arguat de peccato, quos Incarnationis suae venit liberare mysterio; ut, qui in electis agooscitur gloriosus, in peccatoribus & clemens semper inveniatur, & pius.

ALIA.

Ant. Non oblivisćar tu Jherusalem.

PRaepone nos, Domine, in principio laetitiae tuae, qui olim particeps factus es infirmitatis nostrae: ut, qui Jherusalem non oblivisci te umquam testatus es, non obliviscaris Fidelium, qui te sincera cordis devotione secuntur: ut, qui Beatorum corda pacis visione glorificas, delinquentium animas a peccatorum lapsibus efficias alienas.

ALIA.

Resp. Jherusalem civitas sancta.

JHerusalem illa, Domine, quae in sanctis * cibibus suis rutilo * glarescit ex sidere, fulgescat io nobis de* vonorum operum dignitate; &, quae te sibi in carne apparente, ultra sole non indiget, nos in statu sui luminis permansuros sine fine reformet.

* Lege: civibus.
* Lege: clarescit.
* Lege: bonorum.

COMPLETURIA IN EADEM DIE AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 417. col. 2.

CHriste lux vera Sanctorum, qui inlustratione adventus tui saevientem in electis tuis dextruis inimicum, veni ad nos, & inlumina cor nostrum luce illa, qua Sanctorum tuorum perlustrare dignatus es corda: ut a nostrorum criminum * honere sublevati, diem adventus tui praestolemur inlaesi.

* Lege: onere.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 417. col. 2.

CHriste Dei Filius, cum quo Sanctorum millia ad Judicium venient, Sanctorum vos caetibus coronandos adsociet; &, qui * electos daturus est Judicii sessionem, peccatoribus ultionis pro merito non restituat vicem. Quò gaudio adventus sui sic remuneret Justos, ut fide, qua illi creditur, a suppliciis eripiat miseros.

* Lege: electis.

* VIII. KAL. DEC.

* Secunda manu.

ALIA.

Ant. Ecce Deus excelsus in fortitudine veniet.

Br. Moz. fol. 25. col. 4.

QUis poterit, Deus Dei Filius, * scrutare vias tuas, vel quibus adiribus nasciturus ad Virginem veneris, vel quibus semitis ad superna regressus es? Et ideo, quia tu solus cuncta considerans es, cujus nomen supra terrae terminos permanet, da nobis, illa de te semper considerare, * quatenus culpae careant lege: ut, qui excelsus in fortitudine veniens humilia respicis, dignos nos efficias muneribus tuis.

* Br. Moz. scrutari.
* Br. Moz. considerare, & dicere, quae culpae careant lege.

ALIA.

Ant. Ecce procedet * vervum.
* Lege: verbum.

Br. Moz. fol. 25. col. 4.

PRocedens de trono Dei Patris unicum Verbum, salva filios hominum: ut confitentes tibi, laudemque dicentes, quum magna dies illa adventus tui advenerit, per hoc, quod de te modò credimus, ab aeternis tunc suppliciis eruamur.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 11. col. 1.

DOminus * Deus retributionis, qui in carne natus humilis ad judium * es venturus terribilis, salva nos credentes in te; ut caecitatis nostrae tenebrae a te inluminatae luminis tui claritate praefulgeant, qualiter auditus mentis nostrae de operum semper tibi dignitate conplaceat.

Ant. Ecce Dominus retributionis.
* *Lege*: Domine.
* *Lege*: judicium.

* VII. KAL. DEC.

* *Secunda manu.*

ALIA.

Br. Moz. fol. 12. col. 3.

EXpectamus te, Domine, quoniam veniens venies: nunc tamen, quia regnum tuum supra terminos terrae agnoscitur, non te mentitum fuisse infirmitas nostra conqueritur: & ideo * expectemus te desiderio humiles, ut, quum veneris, efficias nos tibi sine fine consortes.

Ant. Ecce veniet Dominus, & non mentietur.
* *Br. Moz.* expectamus.

ALIA.

TEmpus fortitudinis regni tui, Christe Domine, advenisse credentes, te quaesumus, ut, qui unctus orbis terrae pius liberator agnosceris, Deitatis tuae visione nos, cum apparueris, consoleris.

Ant. Ecce venit tempus fortitudinis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 5. col. 1. & fol. 25. col. 3.

DEus Dei Filius, qui auditum faciens ab extremis terrae, Mundo apparuisti in carne, restitue te ipsum mercedem fidei nostrae: ut, qui opus tuum mirabile praedicamus, mercede illa, quae coram te est, opulentiùs muneremur.

Ant. Ecce Dominus auditum fecit.

ALIA.

NOvimus, Domine, quod festinus velociter ad Judicium venias: & ideo, qui humano more non es deficiens, neque * lavorans, defectum nostrum virtute tua corrobora, & * lavores nostros tuis semper obtutibus placituros adsigna.

Ant. Ecce festinus velociter Dominus.
* *Lege*: laborans, & labores.

V. KAL. DEC.
ALIA.

CHriste, unicum Patris Verbum, germenque Divinum, fac nos in magnificentia, & in gloria majestatis tuae opulentiùs jucundari: ut, qui terrae virginalis sublimis fructus esse * dinosceris, fructificare nos semper facias in operibus sanctitatis.

Ant. Erit germen Domini in die illa.
* *Lege*: dignosceris.

ALIA.

Br. Moz. fol. 15. col. 1.

UNigenite Dei filius, qui de tenebris, & caligine oculos caecorum videre fecisti, quum Mundo per susceptae Incarnationis mysterium claruisti: da nobis, ut caligo ignorantiae a nobis, te inlustrante, diffugiat: ut, qui adventùs tui desiderio anelamus, Divinitatis tuae muneribus consolemur.

Ant. In illa * de tenebris lumen.
* *Supple*: die.

ALIA.

Br. Moz. fol. 51. col. 1.

DEus, qui * alligari venturus es vulnus populi sui, percussuram plagae nostrae sanaturus, adesto: ut ita quidquid in * novis est vitiosum, bel lubricum, divinitatis tuae luce inlumines, ut nec per noctem hujus saeculi Luna nos concremet, nec per diem futuri examinis Sol veritatis exurendos tristificet.

Ant. In illa die erit lux lunae sicut lux solis.
* *Br. Moz.* ligare.... vulnus populi tui.
* *Lege*: nobis.... vel.
* *Secunda manu.*

* IIII. KAL. DEC.
ALIA.

Br. Moz. fol. 10. col. 1.

DOnator * Domine, qui in signum aeternum * liverator Mundo adveniens, montes, & colles coram te laudem clamare fecisti, quum tota in te viventia * adprovasti: concede nobis, ut laudes, quas glorioso nomini tuo offerimus, acceptas * ti semper ipse efficias: ut, qui Mundum redemturus in salutis signo ostensus es, Mundum iterum judicaturus, non ultorem, sed * liveratorem te nostris oculis manifestes.

Ant. Montes & colles clamabunt coram Deo laudem.
* *Lege*: Dominator.
* *Lege*: liberator.
* *Lege*: adprobasti.
* *Lege*: tibi.
* *Lege*: liberatorem.

ALIA.

DEus, ante cujus faciem montes exultant, consolare nos jube de visionis tuae * potientiam: ut, qui venturus ad Judicium sustineris, nos a supplicis, quum veneris, eripias universis.

Ant. Montes exultabunt ante faciem Domini.
* *Lege*: potentiâ.

ALIA.

Br. Moz. fol. 14. col. 4.

GAudent, Domine, campi adventûs tui utique jucunditate perfusi: & ideo, quaesumus, ut, qui insensibilia adventus tui * gaudio in te viventia comprobas, sensibiles nos * in adventûm tui Judicii coronandos adtollas.

Ant. Gaudebunt campi, alleluja.

* *Br. Moz.* gaudia.
* *Br. Moz.* in adventu.

* III. KAL. DEC.
ORATIONES IN DIE SANCTI SATURNINI.
COMPLETURIA AD VESPERUM.

* *Secunda manu.*

Br. Moz. fol. 419. col. 3.

MAgnum, Domine, pietatis est Sacramentum, quod ostensum est in carne; justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est Gentibus, creditum est in Mundo, adsumtum est in gloria; quo justus ex fide vivit, quo impius ad te recurrit: quaesumus ergo, ut qui inlustratione adventûs tui praesentis martyris Saturnini Episcopi sancti cor perlustrare dignatus es, quò extortam poenis vitam te in munere * praecepturus amitteret, nostrum quoque cor digneris dono tuae gratiae emollire, quò tibi peccata nostra devota fide pandamus; a te etiam postulatum remedium impetremus: ut te, quem ille * noviscum olim venisse jam credidit pro Mundi salvatione, nos quoque per eum te venturum mereamur liberatorem nostrum excipere.

* *Lege, si placet:* percepturus.
* *Lege:* nobiscum.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. eod.

CHristus Dei filius, cujus fides justificat impium, Justi hujus precibus vestrorum solvat vincula peccatorum; &, qui venturus ad Judicium sustinetur, ejus, cujus festum colitis, faciat vos obtinere consortium: ut, cum * hec martyre adventûs Christi gloria, & futuris gaudiis societ, & aeternitatis praemio ditet.

* *Lege:* hos.

ITEM IN EODEM DIE
AD MATUTINUM.

PRope, Deus Pater, Justus tuus, Redemtor utique noster per Incarnationis suae mysterium factus est nobis, verus utique Salvator apparendo in * novis; proinde quaesumus, ut cujus * bracia populos sustinuerunt, in finem ejus gratia peccatores solita justificet pietate.

Ant. Prope est Justus meus.

* *Lege:* nobis.
* *Lege:* bracia.

ALIA.

Br. Moz. fol. 16. col. 4. & fol. 21. col. 2.

DEus Pater omnipotens, qui ab oriente Justum exuscitas, da * novis, ut in ejus amplexu, quem ad redemtionem nostram misisti, nostrae animae reviviscat *: ut, qui Justi hujus, & Martyris festum concinimus, illius utique Justi, qui sine alterius justitiae participatione est justus, participes esse, te propitio, mereamur.

Ant. Suscitavit Dominus ab oriente justum.

* *Lege:* nobis.
* *Lege:* reviviscant.

ALIA.

OMnipotens Deus, qui captivitatem tuo populo dimissurus, Unigenitum tuum Deum nostrum ad justitiam suscitasti; ut per eum, & justus viveret ex fide, & incredulus in sua remaneret * nicilominus caecitate, fac nos ex Justi tui merito a captivitate Diaboli non teneri, & de beneplacitis operibus tibi sine fine conjungi: ut quo justi vita dirigitur, in eo etiam peccatorum semitae corrigantur.

Ant. Suscitabo eum ad justitiam.

* *Lege:* nihilominus.

ALIA.

DUlcis satis est Domine * si non illa speculatio, & Jherusalem illius suavissima visio, propter quam, nec tacere nos convenit, nec quiescere libet; & ideo dona nobis, ut tu, qui, & de ea progrederis, & in ea, humaniter natus, verus Deus & homo ostenderis, tuis nos indesinenter facias inhaerere praeceptis.

Ant. Propter Syon non tacebo.

* *Credo legendum:* Syon.

COMPLETURIA IN EODEM DIE AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 410. col. 2.

CHriste Dei filius, qu * justus Judex ad Judicium sustineris: da nobis Justi hujus precibus emundari ab * injustiis nostris; ut, qui adventûs tui gaudia triumfis * ejus celebranda * admiscimus, celebritatis hujus * exceptionis, dona perennis muneris consequamur.

* *Br. Moz.* justis.
* *Lege:* injustitiis.
* *Lege:* triumphis.
* *Lege:* admiscemus.
* *Lege, si lubet:* exceptione.

BENE-

BENEDICTIO.

UNigenitus Dei Patris filius, qui * Incarnatione ſuae potentiam oſtendit in Mundo, juſtificet dono; &, qui ex fide ſua Juſtum vivere facit, ex pietate peccatores ab omni ſolvat contagione delicti: ut inluſtrati, & ſuffragio Martyris, & gaudio Redemtoris, futurum diem adventûs Chriſti intrepidi expectetis.

* Lege: Incarnationis.

ORATIONES IN DIEM SANCTI ANDREAE APOS. COMPLETURIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 410. col. 2.

CHriſte Deus noſter, qui beatiſſimum Andream, & Apoſtolatûs gratiâ, & martyrii decoraſti coronâ, hoc illi ſpecialiter in munere praeſtans, * ut Crucis mereretur perbenire patibulum: da nobis, ut ſanctae Crucis tuae veriſſimi amatores effecti, abnegantes noſmetipſos tollamus Crucem noſtram, & ſequamur te: ut paſſionibus tuis in hac vita communicantes, ad aeternam vitam mereamur pervenire.

* Br. Moz. ut crucis praedicando myſterium, ad crucis mereretur pervenire patibulum.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 410. col. 2.

OMnipotens Dominus, qui animam Andreae Apoſtoli ſuſcepit in Cruce, ab omni cruciatu vos liberet damnationis aeternae; &, quo praedicante, adquiſivit ſibi populos credituros, eo precante, credentes efficiat glorioſos: ut exemplo Apoſtoli ſui Crucis Chriſti amatores effecti, & hic vitiorum ſuperetis incendia, & poſt ad aeternitatis mereamini pervenire promiſſa.

ITEM AD MATUTINUM.

PER legem legi mortuos, Euangelii tui gratia, Chriſte, tibi victuros adſignet; ut exemplo atque ſuffragio Andreae Apoſtoli tui, ita tuæ * configamus Cruci, ut, te ſolo in nobis vivente, poenas evadamus inferni.

Ant. .... per legem.
* Lege: configamur.

ALIA.

Br. Moz. fol. 410. col. 3.

FAC nos, Deus Pater, in Jeſu Chriſti filii tui Domini noſtri, Cruce pleniſſimè gloriari, ut confeſſio oris cum efficientia operis * ſic cordet in nobis, qualiter veriſſimè crucifigentes nos Mundo, aeternitatis mereamur ſatiari de praemio.

Ant. Mici * abſit gloriari.
* Lege: mihi.
* Lege: ſic concordet.

ALIA.

CHriſte Deus noſter, cujus veneranda ſtigmata beatiſſimus Andreas Apoſtolus tuus in ſuo corpore portans, dum gloriam Crucis pertulit corpori, in ipſo corpore Cruci affigi promeruit: da nobis, ut è veritate, qua ille amator factus eſt Crucis, ea etiam nos efficiamur operarii veritatis.

Ant. Ego ſtigmata Jeſu.

ALIA.

ORis Apoſtolici deſiderabile votum, ſancte Deus noſter, magno opere congnoſcentes, quo * ſecretis Chriſti ſervum eſſe declamat, & Crucis * tropeum obtare ſe potius, quam timere pronuntiat: rogamus te, ut quibus dediſti fidem talia cognoſcendi, des etiam adjutorium talia operandi.

Reſp. Juſtè locutus eſt.
* Lege: ſe & regis.
* Lege: tropheum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 410. col. 4.

CRucis tuae, Domine, amore Apoſtolus tuus, & martyr Andreas mirificè flagrans, per eam ſe tibi Domino ſuo reddi exoptat, per quam ſe redemtum eſſe non dubitat: quaeſumus ergo, ut obtentu ejus, qui in eadem Cruce pependit, feliciter nos a cunctis potenter digneris futurae ultionis cruciatibus liberare.

Ant. Salve Crux * accepe.
* Lege: accipe.

ALIA.

Br. Moz. fol. 410. col. 3.

SAncte Dei Apoſtole, qui, diu * fatigatam, Crucem in tua expectatione, tandem * requiemeviſſe in tua perventione, piis affectibus clamas: concede plenum nobis gaudium in tua paſſione habere, ut ſuffragio tuo nobis futurum praepares regnum, quibus non tam verbo, ſed & ſanguine reliquiſti exemplorum utilium documentum.

Ant. * Salbe Crux diu.
* Lege: Salve.
* Lege: fatigatam.
* Lege: requieviſſe.

ALIA.

Salve Crux, quam & Dominici corporis passio, & Apostoli Andreae consecravit appensio, quae terrenum licèt timorem in * preteris habueris, modò tamen amorem caelestem lucidiùs retinere probaris, cum per te membra suo capiti conjugenda * remittis: quaesumus ergo, ut, quae in membris Christi effecta es gloriosa, in nobis digneris esse conspicua: ut, sicut in discipulo peregisti martyrium, ita in nobis opereris extirpationem carnalium * volumptatum.

Ant. * Salbe crux.
* *Lege*: Salve.
* *Lege*: praeteritis.
* *Lege*: conjungenda.
* *Lege*: voluptatum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 420. col. 2.

Vir Dei sanctus Andreas, Christe, tuus ille Apostolus, qui te vidisse illa visione paucis * notissima protestatur, dum secreta sanctae Crucis se agnovisse fatetur, sit pro nobis aput te intercessor adsiduus: ut, qui te * praedicabit voce simul, & sanguine, nobis aput te opituletur, & doctrina simul, & * precem.

Resp. Vir iste sanctus.
* *Br. Moz.* novissima.
* *Lege*: praedicavit.
* *Lege*: prece.

COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 421. col. 1.

In tuo, Christe, corpore Crucis tuae venerantes arcanum, quae, & te Dominum redemtionem inferentem Mundo suscepit, & Discipulum morientem melius victurum tibi restituit: rogamus te, atque exposcimus, ut nos illi jungas in munere, cujus * hi venerantes incolimus passionem.

* *Lege*: hic.

BENEDICTIO.

Jesu Dei Filius, qui ea Crucis appensione, qua se pati voluit, discipulum quoque Andream affigi permisit, det vobis in omnibus, quae praecepit, suae * volumtatis vestigia sequi; &, qui illius animam suscepit in Cruce, corda vestra ab omni mundana conluvione depurget: ut veritas, quae illum fecit pro se constanter passionem excipere, ea vos faciat ad Christum sine confusione venire.

* *Voluntatis*, & ita lege ubique.

KALENDIS DECEMBRIS ALIA.

Br. Moz. fol. 18. col. 2.

Deus, qui * non a principio in abscondito locutus es, fac nos in principio Verbi tui, quod manifestum est in carne, inconcusso fidei amore persistere: ut, qui tecum ante tempora erat, nobis in tempore natus, sine fine succurrat.

Ant. Non a principio in abscondito locutus sum.
* *Br. Moz.* nos. *Et in antiphona.*

ALIA.

Br. Moz. fol. 23. col. 2.

Ad te, Domine, tribus tua, * ecce te populus adtendentes petimus, & rogamus, ut Judicium tuum, quod in populorum apparuit luce, in redemtorum clarificetur salvatione: ut quod, * dum venit redimere per fidem, veniat iterum a se redemtos de aeternis suppliciis liberare.

* *Br. Moz.* ecce & populus accedentes, *mendosè*.
* *Lege*: dudum.

ALIA.

Domine Deus, qui * nobissimum ab exordio nuntias, effice nos pacis tuae nuntios semper esse; &, qui olim virum volumtatis tuae Dominum nostrum Jesum Christum misisti ad gentium salutem, redemtorem quoque eum destines in futuro salvationem.

Ant. Ego sum Dominus ad ....
* *Lege*: novissimum.

IIII. NON. DEC. ALIA.

Veni Domine, & esto salvator * plevis tuae, qui Redemtor Mundo apparuisti, ut protegas, eripias, & sine fine liberes a suppliciis, quos praestolare inspicis tuae gloriam majestatis.

Ant. Salbator veniet Deus plevi suae.
* *Lege*: plebis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 7. col. 2. & col. 4.

Salvator Domine, qui in monte Syon ascendens Redemptor Mundi per susceptam carnem ostensus es, libera populum tuum Israhel ab omni inquinamento nequitiae: ut, cujus nomen in Mundo innotuit gloriosum, ejus misericordia non patiatur perire animas redemptorum.

Ant. Ascendet Salvator Dominus.

ALIA.

Domine Deus, qui olim benedictionem tuam ostendisti in saeculo manifestam, quum terra virginalis fructum produxit nostrae salvationis: da * novis, ut in ejus semper Ecclesia tua fructificet fide, cujus redemta est sanguine, quò ab eo * inmortalitate ditetur muneris, cujus socia effecta est passionis.

Ant. Dominus Deus dabit benedictionem.
* *Lege*: nobis.
* *Lege*: inmortalitatis ... munere.

III. NO-

* Sec. curis.

*III. NON. DEC. ALIA.

Br. Moz. fol. 24. col. 2.

VEni Domine, & salvos nos facito, & desiderium cordis nostri non reprobes tempore Judicii tui: ut, qui oculos caecorum aperiens, auditum surdis mentibus reddidisti,* induratis cordibus *nostris manifestum semper donum * illut tuae pietatis * ostendas, per quod nos ad praemia sempiterna perducas.

Ant. Veniet Dominus, & salvos nos faciet.

* *Lege*: induratis.
* *Lege*: illud.
* *Mis. Moz.* infunde.

ALIA.

CHristus * Deus noster, qui veniens ad templum sanctum tuum, magnum redemtionis humanae ostendisti mysterium: da nobis, in ea *, quae te credimus, fide, ad te sine confusione venire: ut, qui Angelus Testamenti agnosceris, liberator in futuro Fidelium * conproveris.

Ant. Veniet Dominus, ad templum sanctum suum.

* *Lege*: Christe.
* *Lege*: qua.
* *Lege*: comproberis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 23. col. 4.

DEus, * qui de Syon perfectâ te apparere profetali vaticinio praedixisti, concede nobis in speculatione Ecclesiae tuae, & devotos semper manere, & intactos usquequaque persistere: ut in ea semper nobis gloriosus appareas, in qua Incarnationis tuae mysteria manifestas.

Ant. De Syon perfecta decore.

* *Br. Moz.* Deus qui Hierusalem perfecta.

* *Sec. cur.*

* PRID. NON. DEC. ALIA.

Br. Moz. fol. 24. col. 1.

SOlare, Domine, expectantium te corda Fidelium; ut fatigatae manus nostrae, tuae confortationis suscipiant opem, qualiter * devilia genua, dum in mandatorum tuorum itineribus infatigabili vestigio currunt, * aeternae a te promissionis gaudio munerentur.

Ant. Confortamini manus fatigatae.

* *Lege*: debilia.
* *Lege, si placet*: aeterno.

ALIA.

GRatulamur, Domine, quod confortare pusillanimes praecipis; sed, conscientiâ remordente, pavescimus pro commissis: quaesumus ergo, ut, qui ultionem adducens, ad Judicium es venturus, * liverator novis appareas manifestus: ut, quia in voce promissionis tuae illarescimus, in adventu gloriae tuae nullo modo confundamur.

Ant. Confortamini pusillanimes.

* *Lege*: liberator nobis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 28. col. 1.

DEus Pater, qui Profetam magnum Jesum Christum filium tuum suscitasti; ostendendo eum in carne, fac nos semper illius sequi, & fide, & opere vocem: ut, eum * auditu cordis sine intermissione audientes, gloriae suae mereamur esse participes.

Ant. Suscitabit Dominus Deus Prophetam vobis.

* *Br. Moz.* eam, *nempe vocem*.

* *Sec. cur.*

*NON. DEC. ALIA.

Br. Moz. fol. 15. col. 3.

DEus omnipotens, * qui Angelum tuum ad Gentium redemtionem misisti, qui testificaret hominibus, & viam salutis, & plenitudinem sanitatis, da famulae tuae, ut adnunciatione adventûs tui in caelesti gaudio hilarescat; &, quia merces tua tecum ad Judicium veniet, * pietas consueta tunc nobis occurrat in munere; * quoniam nostrum solita est semper sanare languorem.

Ant. Ego illis mitto Angelum meum.

* *Lege, ut Br. Moz.* qui Angelum tuum ante adventum Redemptoris misisti.
* *Br. Moz. addit*, tua.
* *Br. Moz.* quae.

ALIA.

Br. Moz. fol. 14. col. 2.

DEus Pater, qui viam Unigeniti Filii tui dirigens, participem eum nostrae mortalitatis esse voluisti, fac nos esse participes regni sui; * &, qui locutus vocasti eum, ut redemtor adesset hominibus, * particeps cum illo ostenda nobis in Judicio gloriosus.

Ant. Ego loquutus sum, dicit Dominus.

* *Lege*: ut, *cum Br. Moz.*
* *Br. Moz.* parcens cum illo ostendaris nobis gaudeus: *forte legendum*, parcens cum illo ostendatur nobis in judicio gloriosus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 29. col. 1.

TE, Christe Domine, catulum leonis domui Juda adfuisse cognovimus, quem totis praecordiis postulamus, ut, qui apparuisti in carne, de manu fortis capiens, & eripiens praedam, ad Judicium veniens, misericordiam * proroges Fidelibus repromissam.

Resp. Ego quasi * catolus leonis.

* *Lege*: catulus.
* *Lege*: praerogea.

VIII. ID.

*VIII. ID. DEC. ALIA.

Br. Moz. fol. 15. col. 2.

QUàm pulcri sunt, Domine, super montes pedes euangelizanzium pacem: praesta ergo nobis, ut, per te praedicantes salutem, in te habeamus salvationem: * quod adventûs tui praedicantes insignia, donorum tuorum in nobis redundet gratia copiosa.

Ant. Quàm pulcri super montes.
* Br. Moz. quò.

ALIA.

Br. Moz. fol. 7. col. 4.

SUper montem excelsum Adventûs tui gaudia euangelizantes ascendimus; dum in altitudine tua, Christe Dei filius, fundati, ea, quae vera sunt de te, & credimus, & fatemur: quaesumus ergo, ut, qui ad faciendum Judicium expectaris, ante Judicium nos expies a criminibus nostris.

Ant. Super montem excelsum.

ALIA.

SUper Syon, Domine, montem sanctum tuum, praecepti tui * fudamina jacientes, te oramus, & petimus, ut, qui te, ad redemptionem nostram in carne Mundo apparuisse cognoscimus, a cunctis nostris contagiis absolvamur.

Ant. Super Syon, alleluja.
* Lege: fundamina.

*VI. ID. DEC. ALIA.

* Sec. cur.

TE Dominum regem in claritatem videre, anixi a devotione cordium, praestolamur: unde exposcimus, ut ita nunc cor nostrum meditetur sapientiae laudem, ut in die adventûs tui optabilem perveniat ad mercedem.

Ant. Regem quum claritate videbitis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 17. col. 2.

MOrtifica, quaesumus Domine, membra nostra, quae sunt super terram, ab omni concupiscentia; &, quum tu ipse nostra apparueris vita, appareamus & nos tecum transformati in gloriam sempiternam.

Ant. Mortificate nunc membra vestra.

ALIA.

GLorificamus te, Christe Domine, in doctrinis, qui particeps factus es mortalitatis nostrae, non criminis; & ideo quaesumus, ut a finibus terrae gloriae sanctorum laus * a vobis audita, & imitationem in nobis virtutum generet, & aeternorum praemiorum nobis gaudia sine fine adcumulet.

Ant. In doctrinis glorificate Dominum.
* Lege: a nobis.

QUINTO ID. DECEMBRES,
QUANDO ET SANCTAE LEOCADIAE FESTUM INCURRIT.

MAgna est, Domine, claritas, quam illi sanctae Jherusalem civitati condonare dignatus es: fac ergo filios ejus ab Oriente, & Occidente collectos, ita in regno tuo de plena fidei cognitione gaudere, ut, & hìc eos fides * proveniat ad laudem, & post consummatum opus justitiae, aeternam perducat ad requiem.

Ant. Jherusalem, vide claritatem, quae tibi a Deo superveniet.
* Lege: provehat.

ALIA.

Br. Moz. fol. 19. col. 3. & fol. 424. col. 1.

ASpicimus, Domine, & purgato fidei oculo jam videmus, quòd inenarrabilis sit laetitia illa, quae Jherusalem civitati tuae ad orientem [prospicientem] prospicienti a te Domino in muneris conlatione refulsit; & ideo quaesumus, ut, qui eam incarnationis tuae gaudiis pertulisti, nos in sinu ejus inlaesos conserves a contagione totius piaculi: quò in illa, & operum nos dignitas salvet, & praestolatio adventûs tui sine fine justificet.

Ant. Jherusalem, aspice ad Orientem.
* Br. Moz. ad orientem prospicienti de Domino in muneris collatione refulsit.

ALIA.

OMnipotens Deus, qui Jherusalem illam nullo modo te oblivisci testatus es, quaesumus, ut nostros jubeas oblivisci errores: ut praeponens * nos in principio laetitiae tuae, & hic nos florere facias fide, & in adventu tuo aeterna gloriae libertate.

Ant. Si oblitus fuero tui, Jherusalem.
* Forsè, hos.

INCIPIUNT ORATIONES IN DIE SANCTAE LEOCADIAE.
AD VESPERUM COMPLETURIA.

Br. Moz. fol. 422. col. 2.

DOmine Jesu Christe, qui es Sponsus Virginum, & munere caelesti remunerator Confessorum, qui sanctam Leocadiam, & permanere virginem praestas, & confessorem glorificas; te adclines, rogamus, ut interventu ejus, sicut

sicut illa confitendo * caelestem promeruit regnum, ita nos perpetuum evadamus supplicium.

* *Lege*: caelesto.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. eod. col. 2.

CHristus Dominus, qui beatissimam Leocadiam se dignè confiteri coram hominibus fecit in terris, confiteatur vos coram Patre suo, qui est in caelis; & qui in ore ejus accepta sibi confessionis contulit cantica, ipse * confessionem vestram remunerandam suscipiat: ut, exemplo beatae Virginis Leocadiae, confitendo, & laudando nomen Jesu Christi in saeculo, participes ejus, quem confessi estis, mereamini esse in caelo.

* *Br. Moz.* devotionem; *malè*.

ITEM AD MATUTINUM.

Ant. Filia Sion, ego dilexi te.

Br. Moz. fol. 378. col. 3. & fol. 412. col. 3. & fol. 416. col. 4.

BEata Dei Virgo, quae in Syon speculatione gloriosa * consistit, quam Deus ipse se dilexisse testatur, & ex * quo tibi non recessura ultra misericordia pollicetur, da nobis meritis tuis, ut amore divino flagrantes, in futuro Judicio inveniamur indemnes.

* *Lege*: consistis.
* *Lege*; ex qua (*vel omissa conjunctione*, & *quae praecedit*, ex quo tibi non recessuram ultra misericordiam pollicetur.

ALIA.

Ant. Laetare filia Syon.

Br. Moz. fol. 412. col. 3.

LAEtare filia Sion, quia gaudet Unigenitus Dei filius super te, & * exultat in laude, dum te, & incorruptam esse virginem praestat, & confessionis honore glorificat: quaesumus proinde, ut per te, qui utroque munere clares, vita nostra, quae dono virginitatis caret, confessionis saltim virtute fructificet.

* *Br. Moz.* exulta.

Ant. FiliaSyon, usque ad te veniet.

ECce filia Sion, ad te usque Dominator veniens Israel potestas illa prima, cujus egressio a diebus aeternitatis, & occursio adventûs sui per uterum Virginis facta est temporalis, dedit tibi in ore devotissimè confiteri, vel quod ex Patre intemporaliter natus, vel quod ex Matre sit temporaliter genitus: quaesumus ergo, ut clarescat suffragiis tuis donum pietatis ejus in * novis, sicut nunc claret in meritis tuis: ut, qui tibi occurrit in saeculo gratissimus coronator, nobis occurrat in futuro Judicio clementissimus liberator.

* *Lege*: nobis.

Resp. Exulta satis filia Syon, quia ecce Rex tuus veniet.

Br. Moz. fol. 412. col. 4.

EXulta satis, filia Syon, quia ecce Rex tuus veniet tibi mitis, * cujus virtutibus, & integritas Virginum fulgescit in laudibus. Praesta ergo nobis, ut inter frumentum electorum mereamur * laetificari quandoque admitti, qui nunc nostrorum operum manemus flagitiis cooperti: ut, quae aput Deum meruisti de confessione coronam, nobis confitentibus obtineas aput ipsum peccatorum nostrorum omnium indulgentiam.

* *Br. Moz.* cujus dono, & frumentum Confessorum clarescit virtutibus & integritas &c.
* *Lege*: laetificati. *Br. Moz.* justificati.

ALIA.

Ant. Confitebor tibi Domine in toto corde meo.

Br. Moz. fol. 326. col. 2. & fol. 384. col. 2. & fol. 398. col. 3. Item fol. 399. c. 1. & fol. 406. c. 4.

BEatam satis, Domine, Leocadiam virginem, & confessorem tuam esse fecisti, quae in toto corde suo tibi confessa in concilio justorum, & congregatione * provatur esse conspicua: da ergo nobis meritis ejus, ut confessione simplici oris mundati a crimine * Sanctorum mereamur, & congregationi, & coetibus interesse.

* *Lege*: probatur.

ALIA.

Ant. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo.

Br. Moz. fol. 398. col. 4. & fol. 411. col. 4.

ECce, Domine, in toto corde suo te solum virgo Leocadia confitetur, dum, & conceptum amorem tuae fidei narrat, & miravilia tua devoto ore pronuntiat. Laetare * ergo, & exultare nos fac in te, & jugiter, & evidenter; ut in te habeamus post discrimina requiem, in quo illa post confessionem meruit invenire mercedem.

* *Lege*; narrabo.
* *Lege*: laetari.

ALIA.

Ant. Ego in saecula gaudebo.

Br. Moz. fol. 398. col. 3. & fol. 406. col. 4.

DEus, qui confessorem Leocadiam in saecula saeculorum gaudere, & exultare fecisti, ut tibi soli sine fine psalleos, laudis deferat ymnum, cujus ex confessione meruit obtinere consortium; te devotis cordibus poscimus, ut meritis ejus vita nostra refloreat, & a malis actibus emendata nitescat: ut, quae jam meretur pro criminibus poenam, pro confessione & cultu fidei Christianae futuram mereatur pervenire ad gloriam.

ALIA.

ALIA.

Br. Moz. fol. 407. col. 1. & fol. 398. col. 3. Item fol. 384. col. 2. & fol. 326. col. 1.

DEus Dei filius, quem Leocadia virgo in toto corde confessa, nomen tuum honorificando perducta est ad coronam, da in ore nostro confessionem, quae nos expurget a crimine: ut quidquid in tuae laudis honore depromimus, in lucro nobis prodesse aeterni muneris sentiamus.

Resp. Confitebor tibi, Domine Deus meus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 384. col. 1. & fol. 407. col. 1. Item fol. 326. col. 2.

DEus, qui beatissimae Leocadiae confessionem acceptans, ita omnia * verva oris ejus plenissimè exaudisti, ut participem, eam efficeres regni tui, quo in conspectu Angelorum psalleret tibi; accipe nunc per eam confessionis nostrae votum, qui illam perduxisti ad praemium: &, qui illam confessorem fieri voluisti beatam, nos post lapsus, quibus in hoc Mundo decidimus, ad aeternam coronandos pertraas patriam.

Ant. Confitebor tib Domine in toto corde meo, quoniam exaudisti me.

* *Lege*: verba.

ALIA.

Br. Moz. fol. 398. col. 4. & fol. 407. col. 2.

DEus, quem Fidelium lingua confitendo conlaudat, & Confessorum devotio copiosè exaltat, praebe nobis, obtentu virginis tuae Leocadiae, obtinere, quae poscimus, evadere, quae timemus. Deus enim noster es tu, & * confitevimur tibi; te quoque Deum in nostris cordibus exaltemus devoti. Fac nos ergo tibi indesinenter, & * opere simul .... erere, qui nos fecisti veritatem fidei Christianae cognoscere.

Ant. Deus meus es tu, & confitevor tibi.

* *Lege*: confitebimur.
* *Lege*: opere simul & verbo haerere.

ALIA.

OMnipotens Domine, cujus magna sunt opera exquisita in omnes volumtates tuas, dum tuis omne, quod creasti, deservit praeceptis, &, ut jubentur cuncta creata, & condita, famulantur; qui Virginem hanc, & pro confessione, claritatis munere ditas, & pro virginitate, gloriae dono remuneras; dum, & virgo persistit, & confessor adsistit: intercessu ejus te quaesumus, nostris pacem largire temporibus, nostrisque veniam dona criminibus: tuisque animas supplicantum reple muneribus; ut, quos indulgentiae favore tueris, beatitudinis munere indesinenter adornes.

Ant. Magna opera Domini.

ALIA.

MUltiplicasti, Domine, misericordiam tuam in vasis psalmorum, dum beatam Leocadiam, & in coetibus Virginum, & in numero voluisti consistere Confessorum; psallimus proinde tibi in cithara fidei Christianae, & donacreantis, & merita Confessoris: quaesumus ergo, ut, qui pium, & coronatorem * in illam voluisti monstrare, clementissimum te jubeas Judicem in futura * novis examinatione ostendere.

Resp. Multiplicasti.

* *Lege*: in illa.
* *Lege*: nobis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 423. col. 1. & fol. 425. col. 3.

GLoriosa facta est virgo tua, Christe, Leocadia, quae consurgenti aurorae comparata, pulcra, atque electa, ut sol, probatur, & luna, dum clariori rutilans lumine, &, ut luna plena, clarescit in confessione, &, ut sol flagrans, atque * inmunitionem sui nesciens, sanctitatis persistit in opere: da ergo nobis, ut per eam aput te pro votis obtinere indulgentiam mereamur, qui nunc pro delictis, vel lacrimas fundimus, vel gemitus exibemus.

Ant. Egredere quasi aurora.

* *Lege*: inminutionem.

ALIA.

3.

DEus, qui Sanctae Leocadiae, virgini & confessori tuae, consurgere mirabiliter praestas, & gloriae tuae vestimentis eam exornas, concede * novis precibus ejus, ut confessionis * veridici vestiti decore, justitiâ induti, & sanctitate, futurâ tibi praesentemur in requie.

Ant. Syon, consurge.

* *Lege*: nobis.
* *Lege*: veridicae.

ALIA.

Br. Moz. fol. 425. col. 3. in festo S. Eulaliae.

SPeciosa, Christe Dei filius, in oculis Fidelium virgo Leocadia annuis recursibus quodammodo pervidetur, dum honor sepulcri ejus humanis obtutibus * praestantur, obsequendus honorificè aperitur. Bonus ergo odor vestimentorum ejus super omnia aromata flagrat, quia indicia virtutum illius * exundati cla.

Ant. Speciosa facta es, alleluja.

* *Lege*: praeferuntur.
* *Lege*: exundanti.

claritate fructificant. Concede ergo nobis, ut odor virtutum ejus sopitum cordis * nostrae sensum ad poenitentiam excitet: ut, qui nunc percipimus ex odore laetitiam, post percipiamus ex * poenitentiam gloriam indefessam.
* Lege: nostri.
* Lege: poenitentia.

ALIA.

OMnipotens Deus, Princeps omnium Sanctorum, qui glorificas Martyres, & remuneras Confessores: quia Sanctam Leocadiam, & integritate virginem, & confessione praestas esse beatam, adsistat tibi haec ipsa pro nobis: ut, quae gloriam obtinuit confitendo, supplicibus largiatur veniam miserando; &, quae virginitatis decore tibi adstitit gloriosa, nobis indignis beatitudinis munera tribuat copiosa.

ALIA.

CHriste rex, Unigenite Patris, qui tuis praemia gloriae tribuis sanctis, & confessorem Leocadiam perennibus praemiis ditas pro incorruptione virginitatis; ad te, supplicamus, vocis nostrae perveniat clamor: atque interventu ejus, sicut illa obtinuit merito claritatem aeternam, nobis concedas dono promereri indulgentiam sempiternam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 387. col. 1.

DEus misericors, & pie, qui decore virtutis glorificas Justos, & sine opere justificas peccatores, qui confitentes in Mundo beatificas, & Confessores in caelo clarificas: tribue nobis, interventu Confessoris tuae Leocadiae, cujus solemnia celebrantur, tibi, Domine, confiteri pio cordis affectu; ut propria pandentes piacula, invenire mereamur, pro quibus gemimus, veniam copiosam.

ALIA.

MAgnificus es, Domine, vehementer cunctis in tuis operibus, & mirabiliter exaltatus in omnibus creaturis, dum tibi offerunt tuae * devitam potentiae laudem, non suâ * vonitatem dignam: sed per te tuae potentiae placitu- ram: non merito * vonitatis abtam, sed tuae indulgentiae * fabore perfectam; tribue ergo nobis, rogamus, interventu sanctae hujus Leocadiae confessoris & virginis, dignum tibi deserviendo exibere * famulatum, opera dignum justitiae actum, & copiosum promereri tuae indulgentiae donum.
* Lege: debitam.
* Lege: bonitate.
* Lege: bonitatis.
* Lege: favore.
* Hic cubat error.

ALIA.

Br. Moz. fol. 415. col. 3.

EXurge, gloria nostra, Deus: & eripe ab hoste captivos, atque pro quibus es magnificatus usque ad caelos, hos in te confitentes intuere placatus; & ipse da in tribulatione auxilium, qui nostrae salutis es conplementum. Confessoris itaque & virginis tuae Leocadiae sic nos tuere subsidio, ne, nostro exigente merito, tradamur Inferno; sicque remunera praemio, ut confitentes perducas in caelo.

ALIA.

Br. Moz. fol. 423. col. 1.

DOmine, qui navem Ecclesiae tuae, per Mundi istius pericula fluctuantem, obtimus nauta * guvernas: &, ne infidelitatis procellâ obruatur, vigilantissimus * custus sollicitas: omnibus ejus * labacro renatis tribue, per intercessum gloriosae confessoris & virginis tuae Leocadiae, persecutionum tempestates in tui nominis confessione * debincere: tibique placitum sacrificium nosmetipsos offerre: quique mirabiliter prospiciunt in profundo, remigio dexterae tuae perducantur in caelo.
* Lege: gubernas.
* Lege: custos.
* Lege: lavacro.
* Lege: devincere.

ALIA.

Br. Moz. fol. 387. col. 2.

DOmine Jesu Christe, laudabilis nimis, & * mane, te implorantes exquirimus, & exquirentes exposcimus, interventu gloriosae virginis & confessoris tuae Leocadiae fac nobiscum misericordiam propter nomen tuum; &, in quibus a te peccando recessimus, confessione humili redeamus; & pietate, qua redemisti captivos, & * misericordiam, qua adjuvisti oppressos, ipsa nunc, quae gessimus, dilue: atque in parte dexterae tuae, quos redemisti, statue.
* Lege: magne.
* Lege: misericordia.

 ALIA.

ALIA.

Br. Moz. fol. 186. col. 4. & fol. 422. col. 3.

DOmine, qui es magnus, & gloriosus, da nobis famulis tuis, ut, dum operum tuorum magnitudinem admiramur, magnificentiam tuam debita confessione laudemus; atque intercessione gloriosae virginis & confessoris tuae Leocadiae tribue nobis, perfectum intelligentiae decus timoris obedientiâ agere, & mandata tua fidelia omni custodia * carnis diligenter explere.

* *Br. Moz.* cordis.

ALIA.

OMnipotens Deus, qui perpetuum lumen es, indeficens claritas, exalta cor nostrum humilitatis in gloria, gratiarumque distributione tuos pauperes ciba; &, qui rectus corde ortûs tui lumine claruisti, quaesumus potentiam tuam, interventu gloriosae virginis, & confessoris tuae Leocadiae, ipsius luminis vigore delictorum caliginem de cordibus nostris exclude, & puritatis luce, ne in tenebris ambulemus, corda nostra succende.

ALIA.

Br. Moz. fol. 48. col. 4. & fol. 387. col. 1.

DOmine, qui es supra omnes gentes excelsus, & in caelestibus habitas gloriosus, humilitatem nostram ab excelso intende placatus; ac sicut Ecclesia tua, quae erat sterilitatis vitiis impedita, nunc est, in te credens, virtutum meritis plena, & filiis numerosa; ita, te tribuente, * interventum gloriosae virginis & confessoris tuae Leocadiae mens nostra, ab * esterelitate operum infoecunda, * posse & semen * bervi suscipere, & copiosis fructibus redundare; nomenque tuum ubique praeclarum, cordis ambiat unanimitate diligere, & fidei adsensione laudare.

* *Lege:* interventu.
* *Lege:* sterilitate.
* *Lege:* possit.
* *Lege:* verbi.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 325. col. 4. & fol. 387. col. 2. Item fol. 398. col. 2. Item fol. 415. col. 4. Item fol. 423. col. 2.

GLoriose, ac misericors Domine, qui beatae Leocadiae tibi nimis in ore suo confiteri dedisti, teque in medio Justorum ejus confessione * laudari voluisti, ut eam, & in terris confitentem, & in consilio Sanctorum glorificans faceres exultantem: exposcimus * tuis muneris donum, ut ejus precibus tribuas nobis, a peccati contagione purgari, ab ardoribusque perpetuis erui, & gloriae tuae beatitudinem consequi.

* *Lege, si placet:* laudare.
* *Lege:* tui.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 423. col. 2.

DEus, qui confessione * indutus Leocadiae, ad Confessorum eam fecit pervenire decorem, justificet vos ab omni contagio culpae; &, qui illam confessionis ubertate fecit esse conspicuam, vos evidentia verae paenitentiae gloriosos efficiat: ut, sicut dulcis fuit in ore hujus Virginis confessio Christi, ita dulcescat in vestris cordibus amor regni perpetui.

* *Br. Moz.* Inclytam Leocadiam.

QUARTO ID. DECEMBRES, QUANDO ET FESTUM SANCTAE LEOCADIAE INCURRIT.

Br. Moz. fol. 22. col. 4.

VEni, Domine, sicut promisisti, in Syon, & habita in Jherusalem; ut, qui jam olim apparuisti per fidem gloriosus, illic declareris in nostrorum operum * dignitate: ut, & visio pacis pacatum in nos honorem nominis tui * retemtet, & desiderium adventus tui novae lucis nobis in ea sydus adcumulet.

Ant. Veniam in Syon, dicit Dominus.

* *Br. Moz.* dignitatem.
* *Lege:* retentet.

ALIA.

Br. Moz. fol. 20. col. 2.

DEus, Dei filius, qui primus, & novissimus, omnia a te creata infra te concludis;* quem extrema terrae per Incarnationis tuae mysterium agnoverunt, dum a te fidei vocatione * pertracta sunt: da nobis, ut agnitione hujus fidei sanctae ita in te radicemur & cultu justitiae, & operum dignitate, ut ex hoc aeternam mereamur pervenire ad requiem.

Ant. Ego Dominus, primus, & nobissimus.

* *Br. Moz. addit,* nec tamen ipse concluderis.
* *Br. Moz.* pertractata sunt: *mendose.*

Ant. Ego sum Dominus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 36. col. 2.

TU es, Domine Deus, & non est alius praeter te: ab ore * egresum vervum, non regreditur; quia utique natus Filius, non ipse, qui Pater est, creditur, dum tamen * ipsut esse, quod Pater est, * fatetur: dona ergo nobis, ut qui verbum a te

* *Lege:* egressum verbum.
* *Lege:* ipsum.
* *Br. Moz.* fateamur.

a te genitum, nasciturum misisti in carne*; non, in te renatos, sic nunc a criminum exuas, ut tibi soli, cum veneris, sine fine conjungas.

* *Lege*: nos (vel nostra;) in te renatos sic nunc a criminibus exuas.

INCIPIUNT ORATIONES IN DIEM SANCTÆ EULALIAE. COMPLETURIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 423. col. 2.

DOmine Jesu Christe, cui beata Eulalia, & virgo placuit, & martyr * adaesit, dum tibi & virgo permanet casta, & pro te extenditur in catasta; dum tibi proprium corpus servat integrum, & pro te gaudet ungulis exaratum: ejus pudicitiae, atque victoriae * fabens, nobis propitius esse dignare; ut & inmunditiae nostrae, ejus oratione, abluantur, & tormenta, ejus fortitudine, * exsolvantur.

* *Lege*: adhaesit.
* *Lege*: favens.
* *Br. Moz.* resolvantur.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 424. col. 4.

DEUS virtutum, qui Sanctam Eulaliam, dum ad passionem vocat, ad gloriam proveit, det vobis, nec vitiorum passionibus * adtingi, & a passionum vitils liberari. Quae sua membra non vitiis, sed pro Deo passionibus subdidit, optineat vos numquam temtationum certaminibus vinci: ut, sicut illa post passionem obtinuit coronam, ita vos per poenitentiam veniatis ad veniam.

* *Lege*: adstringi.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 425. col. 4.

SPonsa Christi Virgo Eulalia, quae a Libano, a candore utique Babtismati[s] venis; dum ex labacro fidem percipis, per quam inter filias Jherusalem mirifice coronaris; per te, quaesumus, candorem castitatis mereamur adtingere, quae Christo de Virginitate meruisti placere: ut per te profectum obtineamus virtutum, per quam devicta est crudelitas persequentium.

Ant. Veni de *Livano sponsa mea.

* *Lege*: Libano.

ALIA.

Br. Moz. fol. 425. col. 1.

VIrgo Christi Eulalia, quae ad vocem vocantis Sponsi surrexisti ad fidem, properasti ad requiem, sponsata de sanguine, formosa Babtismate, ecce jam jens * transiit, imber habiit; quia omnis temporalis tribulatio a te devicta recessit: recedat ergo a nostris mentibus, te orante, impugnatio vitiorum: ut, qui credulitatis dono pleni consistimus, sanctitatis ope * plenissime fulciamur.

Ant. Surge, propera, sponsa mea.

* *Lege*: hyems.
* *Br. Moz.* plenissime fulgeamus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 426. col. 3.

GAude, & laetare filia Syon, quia abstulit Dominus inimicos tuos, dum te, & in passione victricem, & ab omni contagione haeresem * reddidid innocentem; quaesumus ergo, ut meritis tuis ab omni temtatione * salbemur, qui diem tuum venerantes incolimus; &, qui in te vicisse credimus Christum, nos * per eam vicisse laetemur inpulsiones carnalium.

Ant. Gaude filia Syon.

* *Lege*: reddidit.
* *Lege*: salvemur.
* *Lege*: per eum vicisse laetemur inpulsiones carnalium passionum.

ALIA.

DEUS, qui beatissimam Eulaliam Virginem ab excubiis Apostolicis, quasi a custodibus civitatis inventam, amictu veteris hominis exsuis, & Euangelicæ doctrinae cor ejus praedicatione transfigis, quo tanto amore ad passionem laeta concurreret, tantoque desiderio vulneratam se caritatis eisdem custodibus nuntiaret; da nobis, ut cor nostrum vulneretur amore tuo, quod torpenti vitiorum camino consistit in saeculo; ut per te caritatis tuae nos ignis adsumat exestuans, per quem martyr Eulalia victricem emisit animam inter flammas.

Resp. Invocavi proximum * mici.

* *Lege*: mihi.

ALIA.

Br. Moz. fol. 425. col. 2.

CHriste Dei filius, ad quem beata Eulalia desiderabili voto pervenire desiderans, surrexit credens, * properabit proficiens, ut, quae formosa facta fuerat, prumum per * labacrum, excellentior redderetur stigmate passionum, & quae virtutum fuerat floribus decorata, florescentem redderet exemplo suo Ecclesiam; da nobis, meritis ejus, ut labores nostri in saeculo tibi placituri, semper * adsistent: ut temporali cursu, quasi iemalium tribulationum peracto * studio, ad fructus * lavorum nostrorum aeterno potituri mereamur pervenire solatio.

Ant. Surge, & propera, formosa.

* *Lege*: properavit.
* *Lege*: lavacrum.
* *Lege*: adsistant.
* *Lege*: stadio.
* *Lege*: laborum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 378. col. 4. & fol. 424. col. 4.

JEſu, Dei filius, qui ortum Electorum ingrediens, inter lilia paſceris, quando in corpore tuo, quod eſt Eccleſia, Sanctarum Virginum coetibus decoraris, ubi beatiſſimam Eulaliam mirabiliter introducens, ita mirificis eam floribus maluiſti fulcire, ut odor virtutum ejus tanquam floſcula aromatum * in nos uſque aſcenderent: te ſupplici intentione rogamus, ut, amotis figuris veteris teſtamenti, quae, velut umbrae, in tipicis obſervationibus praeceſſerunt, dies illa, Euangelica utique traditio, in nobis adſpirando proficiat, qualiter ita exemplo virginis Eulaliae Euangelii lucem tota devotione ſequamur, ut umbras praeteriti, & erroris, & criminis neſciamus.

Ant. Filia Jheruſalē, intra in ortum meum.
* *Lege*: in nos uſque deſcenderet.

ALIA.

Br. Moz. fol. 62. col. 1. & fol. 360. col. 1.

MIra ſatis, Domine, * arvor, & radix tuae Eccleſiae, quae proficit, & creſcit uſque ad perfectum diem, cujus rami Martyres, cujus * praepeudicula effecti ſunt Confeſſores, inter quos beatiſſima Martyr Eulalia, quaſi vitis vera fructificans, dum odorem gratiae fidelibus propinat in ſaeculo, aeterno promeretur conſolari de praemio: quaeſumus ergo, ut ſuffragiis ejus odore virtutum odores criminum fugiamus; ut caeleſti * ille ſpiramine recreati, a cunctorum vitiorum foetoribus exules reperiamur, & ſobrii.

Ant. Rami mei rami odoris &.
* *Lege*: arbor.
* *Br. Moz.* perpendicula, *ſed pag.* 62. *col.* 2. praependicula.
* *Lege*: illo ſpiramine.

ALIA.

Br. Moz. fol. 426. col. 2.

AUdi, & ſuſcipe precantium vota, * delecta Dei Virgo Eulalia, quae ſponſa Chriſti de fide, ſoror monſtraris eſſe de ſanguine: effluant in nobis flores virtutum, effugiat umbra temtationum: exemplo tuo proficiamus in melius; ne, in deterius conſiſtentes, vitae dona perdamus: ut, quum tempus putationis advenerit, & fides, qua Chriſtum credimus, nos liberet a ſuppliciis, & affectus, * qua illi propinquare nitetur, nos ditet muneribus ſempiternis.

Resp. Audi * delecta mea.
* *Lege*: dilecta.
* *Lege*: quo illi propinquare nitimur.

ALIA.

Br. Moz. fol. 382. col. 2.

DOmine Jeſu Chriſte, qui beatiſſimam Eulaliam tibi, & teſtem, & virginem conſecraſti, dum te & incorrupta ſequitur, & pro te glorioſa mactatur; annue nobis, ut, eàdem ſuffragante, quamvis indigni, & caſtitatis donum, & confeſſionis mereamur obtinere triumphum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 348. col. 2. & fol. 382. col. 2.

DOmine Jeſu Chriſte, cui virgo, & martyr Eulalia, & integritate jungitur, & ſanguine ſociatur, dum tibi & caſtimoniam vovit, & pro te ſanguinem fudit; praeſta famulis ſupplicantibus, ut, expiati * peccatis, tibi ita adaereamus, ne a te ulterius recedamus.

* *Br. Moz.* peccatis &c: *ſed ſec. loco*, a peccatis, ita tibi pareamus.

ALIA.

DOmine Jeſu Chriſte, rex aeterne, qui pulcritudinem ſanctarum animarum * omnis modis concupiſcis, & perficis, ut a te ſpecioſae diligantur, a quo pulcrae redduntur; dignatione ſolita, qua Martyres, ac Virgines ſingulariter diligis, ſaluti noſtrae non deſis: ut, ſi in nobis vitae decorem non praelegis, timorem, quem tribuis, benignus acceptes.

* *Lege*: omnimodis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 378. col. 2. & fol. 382. col. 1.

DOmine Jeſu Chriſte, qui ſpecie, & pulcritudine tua beatiſſimas Virgines, & Martyres tuas ſpecioſas * pulcraque, dum diligis, facis, & ingenti amore * diſpondis, quas munere perenni diſponis, adeſto nobis beatiſſimae martyris tuae * patroniis indeſeſſis; ut tanta pietas, quae triumphantes provexit ad laudem, perducat ſupplices ad ſalutem.

* *Lege*: pulcraſque.
* Deſpondes, *ſed Br. Moz. ſec. loco.* deſpondis.
* *Lege*: patrociniis.

ALIA.

DOmine Jeſu Chriſte, a quo ſanctae immaculatae animae ingenti caritate, & * diſponſantur, & coronantur, ſanctae * martyres tuae Eulaliae precibus annue, * hae nos mundanis exemtos contagiis poenitentiae emunda remediis: ut, ſi contaminati, ineffabile conjugium non meremur, confeſſi, veniabile remedium conſequamur.

* *Lege*: deſponſantur.
* *Lege*: martyris.
* *Lege*: ac.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, * per quam sanctarum animarum puritas tamquam sy- derum claritas nitet, dum & pulchritudo earum in nocte Mundi istius, ut luna, resplendet: & electio, ut sol, ubique refulget; beatissimam Martyrem, sponsamque tuam, quam tibi adsociasti tot virtutibus coruscantem, pro nobis exaudi jugiter deprecantem.

* Lege: per quem

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui Sanctam Eulaliam pro nomine tuo ita * inpabidam reddidisti, ut persecutionem sequentium impiorum non fugeret, sed magis adpeteret: nec declinaret, sed potiùs excitaret; praesta ejus patrocinio, ut fides nostra ita per te firma reddatur, ne aliquando ab adversario superetur.

* Lege: inpavidam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 347. col. 4. & fol. 349. col. 4.

DOmine Jesu Christe, qui ita spiritu tuo Sanctam Eulaliam martyrem inflammasti, * ut & lasciviam superaret, & flammam, ut eam ignis exterior non consumeret, quam interior non ureret, eâdem interveniente, misericordiae tuae nobis rorem infunde: ut * naturalem incendium extinguamus, dum salutare remedium obtinemus.

* Br. Moz. ut & lasciviæ superaret flammam, ut eam ignis exterior non ureret, eâdem interveniente &c.
* Lege: naturale.

ALIA.

Br. Moz. fol. 425. col. 1.

DOmine Jesu Christe, qui beatam Eulaliam virginem * in tenero aetatis nec Mundi inlecebris, nec persequtoris permisisti superari tormentis, * in qua munere, cujus constantiam nec saevia terruit, nec paena edomuit, nec ungula minuit, nec flamma conpescuit: hujus ergo deprecatio pro nobis ita aput te praevaleat, ut mala a nobis praesentia, * futura remobeas.

* Br. Moz. in tenero ætatis statu.
* Lege: in qua munere tuo nec sexus vincitur, nec affectus; cujus constantiam, nec sævitia terruit.
* Lege: futuraque removeas.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui ita Spiritu Sancto tuo beatissimam Eulaliam virginem, & martyrem perarmasti, ut pro nominis tui * ut confessionem esset terrori tortoribus, quae fari parentibus vix audiret; eamque tribunalia cruenta tremerent, quam blanda secreta confoverant; ut contra aetatem hujus, & sexum, & adiberet publicum, & vinceret inimicum; inperterrita quoque subiret eculeum, nec pertimesceret rogum: precibus ejus flammas in nobis peccatorum extingue, & nos ab aeterno igne * eruiendo defende.

* Lege: in confessione.
* Lege: eruendo.

ALIA.

Br. Moz. fol. 426. col. 2.

DOmine Jesu Christe, qui animam beatissimae famulae tuae Eulaliae martyris pro te feliciter triumphantem examinas per flammam, suscipis per columbam, & tibimetipsi copulas * in gloriam sempiternam: adesto nobis, ut spiritus Martyris non desit supplicantibus in suffragio, qui etiam persequentibus refulsit * insigni miraculo; nec aliquando recedat * veneficiis ab Ecclesia, qui aput te caelesti requiescit in aula.

* Lege: in gloria sempiterna.
* Br. Moz. in fine miraculo, mendosè.
* Lege: beneficiis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 426. col. 2.

DOmine Jesu Christe, qui beatissimae martyris tuae Eulaliae corpusculum in Cruce pendentem superna * adisparsione vestisti, ut & candor virginem, & refrigerium indueret martyrem: adsiste nobis * propius, & tantis in martyre semper ostendere * beniciis; dum per illam, & superna dona * prorogas, & humilium vota multiplicas, dum, & martyris excubias * maraculis prorogas, & Ecclesiae festa, eadem visitante, dignanter inradias.

* Lege: adsparsione.
* Lege: propitius.
* Br. Moz. ostende.
* Lege: praerogas.
* Lege: miraculis propagas, & Ecclesiae festa, eadem visitando &c.

ALIA.

ADclines mente, & corpore, te Dominum deprecamur: ut ea virtute nos munias, qua contra libidinem, & crudelitatem * martyram tuam probasti Eulaliam, parique patientiâ generales Ecclesia * protestat hostes; quia illa speciales persequentum conteruit passiones: nos quoque spiritali vigore ita succinge, ut, quam veneramur pro victoriae * coronam, imitemur & confessione, & tolerantia Christiana.

* Lege: martyrem.
* Lege: proterat.
* Lege: corona.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 427. col. 4.

AUxilio tuo, Domine, defendendam, tuendamque nostram committimus * invecillitatem, * tuum sit, nos evadere de muscipulis impiorum, cujus fuit, veneraudam Eulaliam non cedere terroribus persequentium; ac sicut illam atrocitas non terruit saevientis, ita non queant * inlicere nos decipula oblatrantis; ut ipse unus per nos vincatur * suis cum vitiis, & haeresibus cunctis, qui expugnatus est per Eulaliam, passionibus superatis.

* *Lege*: imbecillitatem.
* *Lege*: ut tuum sit, nos &c.
* *Br. Moz.* inducere nos decipula.
* *Br. Moz.* Suis conviciis & erroribus cunctis.

ALIA.

DOmine, qui electos tuos, quos prædestinas ad gloriam, illos tuam vis esse Ecclesiam; flectat aurem tuam Eulalia martyr ad precem nostram; & sicut eam casti effusio sanguinis provexit ad gloriam, ita nos saltim ereptos sibi poena sentiat, & felicitas vitae aeternae haeredes obtineat.

ALIA.

Br. Moz. fol. 382. col. 2.

DOmine, cujus munere * gemina coexultat martyr Eulalia praemio, dum vel ad pudicitiam ortamento, & cunctorum sit ad martyrium documento, praesta nobis in Ecclesia tua * illis uvernare florium, qui aeternis digni sunt fructibus: & ita vel voto, vel * affecto tantae vestigia martyris prosequamur, ut nec libido * nos suos, set castitas teneat proprios, confessio probet liberos, & perfectio ambiat * munerandos.

* *Lege*: gemino.
* *Lege*: illius vernare floribus.
* vel affectu.
* *Lege*: nos subruat, sed.
* *Br. Moz.* numerandos: *malè*.

ALIA.

TE nostris, quaesumus Domine, precibus exorantes, ut * lavorem nostrum intuens, contra nos vitia insistentia usquequaque mortifices, vel, quae tibi in hac festa Eulaliae virginis famulamur, acceptes, Idcirco hanc velut sacram hostiam ad te mater praemisit Ecclesia; ut, de cujus nunc gaudet triumpho, de ejus semper secura sit interventu.

* *Lege*: laborem.

ALIA.

DOmine, qui non spernis tuorum preces servorum, accipe obsequellam fidelium per martyrem Eulaliam populorum: ut in nullo tuum teneat obnoxios judicium, quos tripudiare cernis de ejus virginali triumpho; ejusque sanctitas in nostrum proficiat remedium, quod incorruptam ad instar credimus tibi famulantium Angelorum.

COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 427. col. 3.

DOmine Jesu Christe, qui sanctae Eulaliae tuae arcana possidens, ei & virginitatis pudorem, & passionis tribuisti * roborem, dum & pudica in secreto, & * invicta in foro, & illic manet, ut te promereatur, & hic vincit, ut a te coronetur: annue precibus ejus, ut conscientiam nostram ita pudor possideat, ne deserat fortitudo, illic tranquilla maneat, ne contaminetur: hic viucere studeat, ut probetur.

* *Br. Moz.* roborem.
* *Br. Moz.* invita; *malè*.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 427. col. 3.

DOminus Jesus Christus, qui Sanctam Eulaliam constantia roborabit, vos in temtatione robustos statuat; qui eam * passionem glorificabit, a vobis passionum * ignominia tergat; qui illam inter tormenta victricem tortorum fecit, vos inter turbines Mundi eruat ab omni eventu periculi.

* *Lege*: passione glorificavit.
* *Lege*: ignominiam.

* III. ID. DEC. ALIA.

* *Secundis curis*.

Br. Moz. fol. 24. col. 4.

ADice Domine manum tuam, & posside desiduum populum tuum: ut, Incarnationis tuae fide incredulis patescente, nihil residuum sit, quod vacuum remaneat a mercede; quo, dum in filios infidelitatis Incarnationis tuae mysterium manifestas, in cordibus fidelium desiderii tui vota placita tibi semper efficias.

Ant. * Adicet Dominus manum suam.

* *Lege*: Adjiciet: *&*, in *Orat.* adjice.

ALIA.

DEus, Dei filius, ante quem omnes montes, & colles humiliati sunt, dum Incarnationis tuae mysterium, & magni, & humiles agnoverunt; da nobis, ut agnitione sanctae fidei a pravis itineribus correcti, in directis semitis ambule-

Ant. Omnes montes & colles humiliabuntur.

ambulemus inlaesi: ut, aspera offensionum relinquentes itinera, in planis * vitiis, te praestolantes, * convertamur studia nostra.

* *Lege*: viis.
* *Lege*: convertantur.

ALIA.

Br. Mos. fol. 25. col. 2.

Ant. Ante lucem praeparatus est.

DEus, cujus ante lucem praeparatus est egressus, * egressionis tuae, qua de Patre prodiens per Virginem nasceris, cognitione nos salva: ut, qui Incarnationis tuae imbre * terrarum humani cordis foecundare dignatus es, nos illis semper pluviis inriges, quibus & de te, quae vera sunt, credere: & ad te credentes sine confusione venire.

* *Cod.* egressionum.
* *Lege*: terram.
* *Subaudi*: possimus.

* II. ID. DEC. ALIA.

* *Secundis curis.*

Br. Mos. fol. 9. col. 1.

Ant. Veni ad liberandum nos, Domine Deus.

VEni ad liberandum nos, virtutum Domine Deus; converte nos, & ostende faciem tuam, ut salvi simus; quò, praeventi dignae poenitentiae dono, purificati in tuo mereamur adesse Judicio.

ALIA.

Br. Mos. fol. 9. col. 2.

Ant. Veni, Domine, & noli tardare.

VEni Domine, & noli tardare, relaxa jam facinora * plevis tuae; ut dispersionem nostram internis gaudiis conlocans, dum expectaris ad votum, occurras nobis in Judicium ad subventionis omnimodae complementum.

* *Lege*: plebis.

ALIA.

Br. Mos. fol. 28. col. 2.

Ant. Veniat super nos, Domine, alleluja.

VEniat super nos, Domine, donum misericordiae tuae: ut, qui faciei tuae praestolamur praesentiam, meritorum nostrorum evadamus tormenta.

* ID. DEC. ALIA.

* *Secundis curis.*

Br. Mos. fol. 29. col. 1. & fol. 73. c. 1.

Ant. Qui regis Israhel, intende.

QUI regis Israhel, intende, qui * educit velut obem Josep, excita potentiam tuam, & salvos facito, pro quibus nasciturus advenisti in terram; &, qui porrecto fidei cultu, multitudines gentium lucrare dignatus es, compendio pietatis infidelium animas, a perfidiae baratro erutas, tibi aliquando * placitas, crediturasque restituas.

* *Lege*: educis velut ovem Joseph.
* *Lege*, *si jubes*, placituras.

ALIA.

Ant. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

OStende nobis, Domine, misericordiam tuam: ut salutare tuum, quod nobis olim effulsit in carne, nobis ad Judicium aeterno declaretur in munere; &, quod redemturis olim apparuit pium, redemtis jam appareat gloriosum.

ALIA.

Ant. Deus virtutum converte nos, & ostende.

DEus virtutum converte nos, & * ostensionem faciei tuae solare moestitias cordis nostri: ut, qui adventum tuum devotis mentibus sustinemus, * de vono tibi conscientiae placeamus.

* *Lege*: ostensione.
* *Lege*: de bono.

* XVIII. KAL. JAN.
AD MATUTINUM.

* *Sec. curis.*

Br. Mos. fol. 25. col. 2.

Ant. Quasi diluculo praeparatus est.

DIluculo egresum tuum, Christe Domine, praeparatum fuisse cognovimus: ideo te rogamus, ut, qui imber temporaneus, & serotinus * hortus es terris, & * terram cordis nostri indeficientibus inriges pluviis tuae benedictionis: ut, qui primi adventus tui * festas devote suscepimus, secundi adventus tui manifestatione * salbemur.

* *Lege*: ortus.
* *Et*: *abundare videtur.*
* *Br. Mos.* festum.
* *Lege*: salvemur.

ALIA.

Br. Mos. fol. 32. col. 2.

Ant. Quibus non est nuntiatum de eo.

IMmane satis facinus Judaeorum coram tuis, Deus Pater, oculis * adprobatur, qui, dum Filium tuum * praedicatum in lege contemnunt, in incredulitatis suae voragine manserunt; dum * hii, quibus non erat de eo nuntiatum, viderunt eum; &, qui non audierunt, intellegentiâ contemplati sunt. Amove ergo, quaesumus, quidquid nostro tibi resistit in opere: ut credulo pectore sic in nobis virgulta donorum praepolleant, ut radix verae humilitatis numquam arescat.

* *Nescio an legendum sit*: deprratur.
* *Lege*: praedictum.
* *Lege*: ii.

ALIA.

Ant. Auditum faciet Dominus.

DEus Pater, qui auditam fecisti gloriam vocis tuae, dum verbi tui in universo Mundo dilatas fidem: da nobis, aeternae lucis claritate fulgescere, ut, sane-

sanatis luminibus cordium, videamus praecemtorem nostrum, quo in visione gratiae suae mereamur adipiscere regnum beatitudinis infinitum.

* XVII. KAL. JAN. ALIA.

* Sec. curis.

Br. Moz. fol. 4. c. 3.

JUxta est, Domine, dies adventus tui, & jam in januis est terribilis * ora illa Judicii: sileat ergo * omnes caro a facie tua, & prolapsionis suae culpas fletibus diluat. Interea, quia nos ista per nos facere non valemus, per te id nos agere posse confidimus; & ideo poscimus, ut, qui electos ad te vocando sanctificas, peccatores coronandos beatitudine aeterna sustollas.

Ant. Sileat omni caro a facie Domini.
* *Lege*: hora.
* *Lege*: omnis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 18. c. 2. 1. 1.

DEus, qui nos ante tempus judicare * proibens, magna nos cautela patientiae vis esse contemtos; da nobis, & verae patientiae vota, & verae subportatio- habere exempla: ut, ante quam tu venias, qui inluminaturus es cordium occulta, ita in nobis verae patientiae exempla praepolleant, ut, te ad Judicium veniente, caritatis nos subportatio a tormentis absolvat.

Ant. Nolite ante tempus judicare.
* *Lege*: prohibens.

ALIA.

DEus, qui nivem ut lanam tribuis, quique mortalium corda & praedicatione Unigeniti Filii tui infundis, & dealbatione gratiae caelestis aspargis; emitte in nobis * plubias benedictionis tuae: ut, qui Incarnationis suae imbribus arentia refecit corda, per * labacrum, pietatis suae donis, ab aeternorum nos eripiat supplicio tormentorum.

Ant. Qui dat nibem * sicut lanam.
* *Lege*: nivem.
* *Lege*: pluvias.
* *Lege*: lavacrum.

XVI. KAL. JAN. ALIA.

Br. Moz. fol. 27. col. 3.

UNigenite * Filius Dei Patris, qui aspiciente Propheta, in caeli nubibus hominis filius declararis, cui Pater utique principatum, & regnum adtribuit, dum omnia potestati tuae subjecit; fac, nos esse regnum tuum, tribuens nobis municipatum perpetuum, quo aeternis semper desideriis anelantes, futuri regni mereamur existere cohaeredes.

Ant. Aspiciebam, & ecce in nubibus caeli.
* *Lege*: Fili.

ALIA.

Br. Moz. fol. 26. col. 3.

NOva, & inaudita sunt, Domine, quae prosetieus Mundo sermo intonuit, quod novo Virginis partu salvatio * exoriretur creaturarum, cujus admirabile Incarnationis mysterium, quia devota cordium susceptione Ecclesia suscipit laetabunda, quaesumus, ut in laudem ejus & nova illi semper cantica deferat, & accepta: ut, cujus laus ab extremis terrae concinitur, ejus volumtas in toto Mundo * fidelibus impleatur.

Ant. Ecce venerunt nova.
* *Lege*: exorietur.
* *Br. Moz.* a fidelibus.

ALIA.

ASpicientes ad te Deum, expectamus te Dominum * Salbatorem nostrum, poscentes, ut, qui nos jam eduxisti in lucem, per fidem justitiae facias nos tibi * placiviles de bonorum operum dignitate: ut incarnata justitia, quae nos dudum visitavit in tenebris, ad judicium veniens, liberet a tormentis.

* *Lege*: Salvatorem.
* *Lege*: placibiles.

* XV. KAL. JAN.
INCIPIUNT ORATIONES DE FESTIVITATE GLORIOSAE SANCTAE MARIAE VIRGINIS.
ORATIO AD VESPERUM.

* Sec. curis.

Br. Moz. fol. 61. col. 4. & fol. 359. col. 2.

VIrgo Christi genetrix, & humani generis reparatrix, implorantium preces auribus * offers divinis: ut tuo gaudeamus intercessu, peccaminum * aput Dominum obtinere remissionem, cujus sexus absque pudoris corruptione omnium genuit Salvatorem.

* *Lege*: offer.
* *Lege*: apud.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 359. col. 2. & fol. 61. c. 4.

DOminus Jesus Christus, qui olim ex Virgine dignatus est nasci, suae vos Genitricis intercessu sanctificet; quique matrem * servabit a corruptelae contagio, sinum cordis vestri emaculet a delicto; &, qui eam fecit Virginem * anere post partum, caelum vobis tribuat possidere post transitum.

* *Lege*. servavit.
* *Lege*: manere.

ITEM

ITEM IN EADEM DIE AD MATUTINUM. *DE III. PSALMO.

*Sec. curis.

VOce nostra ad te * clamanus, Jesu redemtor, & Domine, qui susceptor factus es noster, adsumendo carnem ex Virgine, quam tibi dignam ante saecula praescieras genetricem. Descendat igitur, quaesumus, super populum tuum ita benedictionis tuae profusio manifesta, sicut mater tua Maria ab Angelo inter mulieres praedicata est benedicta: ut, sicut illa exultavit concipiens Verbum, ita nos laetemur vicisse per te milia adversantum; qualiter qui Matris tuae, & Virginis gloriosum partum concinimus, a te, qui es nostrum caput & gloria, copiosiùs exaltemur.

* *Lege*: clamamus.

ALIA.

Ant. Audite domus Davit.

DEus, qui domui David profetali vaticinio praedixisti, novum fieri signum, atque miraculum inauditum, quòd Virgo Verbum conciperet, quod insolitò virginitas parturiret; praebe auditui nostro gaudium & laetitiam, ut exultent in nobis ossa humiliata: quò, quidquid & è vera fide praedicatorum adnuntiatione cognovimus, & tenemus, in emolumento nobis prodesse futuri judicii gratulemur.

ALIA.

Ant. * Davit vobisDominus.

EMmanuel, nobiscum Deus, Christe Dei filius, qui admirabile signum David domui donas, quum ex Virgine te nasciturum pronuntias: qui Mariam matrem creasti ùt Dominus, de qua postea natus es filius; dá nobis; ut, qui cum illa a te vel per te creati sumus ex nicilo, simili, ùt ea, credulitatis remuneremur * ex praemio.

* *Magis placet*, et.

ALIA.

Br. Moz. fol. 361. col. 2.

Ant. Alleluja, creavit Dominus novum su.

DEcantet tibi, Domine, omnis creatura canticum * nobnm, qui in Virginem Mariam ostendisti novae parturitionis miraculum: ut * foemina circumdaret virum, ut Virgo sine virili coitu virilem pareret sexum. Praesta igitur nobis ejus suffragio tueri in saeculo, quae te partu edidit incorrupto: ut mens nostra fulgore Sancti Spiritus vegetata, ita amorem dilectionis tuae concipiat, ut bonorum semper actuum parturiat incrementa.

* *Lege*: novum, qui in Virgine Maria.
* *Cod. primis curis*, femna.

ALIA.

Resp. Missus est Angelus * Gabliel.

SAlbator * omnium, Jesu Christe, qui novae operationis efficacia Virginem per Angelum visitas, verbo foecundas habituram sine corruptionis injuria prolem; & permansuram cum integritate virginea matrem; per hujus * hactionis inenarrabile Sacramentum te quaesumus piisimum Dominum, ut infundas in nos benedictionis omnimodae donum, qui operaris in Virgine insigne generationis tuae miraculum; & tanto nobis copiam gratiae caelestis inpendas, quanto genetricem tuam gloria conceptionis exornas.

* *Lege*: Gabrihel.
* *Lege*: Salvator.
* *Lege*: actionis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 361. col. 3.

Ant. Missus est Gabrihel.

SAncta Dei genetrix, quae salutata ab Angelo, aure * concepis verbum, fide maturas obsequium, carne generas filium, * du numine expavescens, de gratia praeveniente confidens; supplicum vota efficax accipe plebium, & preces opulenter remunera singulorum, ut materno cunctos gremio solaturos accipiens, quos in hac peregrinatione ad te concurrentes respicis cernuos, Jesu Christo filio tuo Domino nostro repraesentes inlaesos.

* *Lege*: concipis.
* *Lege*: de lumine.

ALIA.

Br. Moz. fol. 360. col. 4.

Ant. Angelus Domini.

INeffabile genitum Patris ingeniti Verbum, quo nascente pudor matris virginis claruit, & claritas novae generationis inluxit; te enim faciente, facta sunt cuncta, quae in Incarnationis tuae mysterio credimus operata: scilicet quòd Angelus * Josep viro Genetricis tuae apparuit, quòd te * ia natum de Spiritu Sancto esse praedixit; praesta proinde nobis, quaesumus, meritis Sanctae Matris tuae, & Virginis, ut, * qui conceptione Sancti Spiritus foecundati, sic te con-

* *Lege*; Joseph.
* *Lege*: in ea natum.
* Qui, *abundat*.

quum ad nos per Virginem veniens, virginitatis portam, nec adiens reserasti, nec prodiens; Proinde totis te visceribus deprecamur, omnipotens, ut, qui Genitrici tuae praestitisti, ut esset mater & virgo, ejus orationibus Ecclesia tua Catolica fide sit incorrupta, & caritate faecunda: ut, & in te credentes, copiosa parturiat, & a culparum labe purgata, ad te sine macula & ruga perveniat.

ALIA.

Br. Moz. fol. 360. col. 3.

JEsu Domine, qui nativitate Divina praecedis omnia, & * in fines saeculorum nasceris, ut redimas universa, dans in omnipotentia initium rebus, & in humilitate justificationem reddens hominibus, cum * nevulosae turris ospitium ingrederis, & ad eam potestas prima regnaturus accedis; tribue nobis, illo te spiritu confiteri, quo per uterum Virginis humanae voluisti mortalitati * conjugi: ut ita te cum Patre, & Spiritu Sancto, solum Dominum veneremur, & unum, sicut te sancta Genitrix, & Dominum * generabit, & Filium.

Ant. Tu turris regis.
* *Lege*: in fine.
* *Lege*: nebulosae.
* *Lege*: conjungi.
* *Lege*: generavit.

ALIA.

Br. Moz. fol. eod.

MAgnus * est, Domine, Betlem civitas illa Incarnationis tuae altrix, Profetarum inlustrata praeconiis; dum ex ea proditurus adnuntiaris, * & in co gloriosus ostenderis, quum illic specie & pulchritudine beatissimam matrem tuam ac virginem decorasti Mariam, quae te merito incorrupta edidit, sicut incorrupta concepit. Adesto proinde miseris nobis precibus ejus assiduis: ut, sicut illam generatio tua provexit ad laudem, ita nos ejus merita proveant ad salutem.

Ant. Tu Betlem.
* *Lege*: magna.
* *Lege*: & in ea.

ALIA.

CHriste, filius Dei Patris, qui Bethlem civitatem Dei summi, Incarnationis tuae gloria consecras: dum te ex ea verum dominatorem Israhel nasciturum infinuas: & inauditum a saeculis * in eam Incarnationis tuae miraculum manifestas: dum intra ejusdem urbis Betlemitae saepta genitricem Mariam & materno honore sublimas, & virginitatis honore glorificas, cujus uterum nec ingrediens reseras, nec egrediens violas; quaesumus, ut penetralia nostrae animae sic tuo candore perlustres, quatenus suffragio sanctae Matris tuae, a serpentina persuasione servati, virginitatem mentis obtineamus inlaesi.

Resp. Bethelem civitas Dei summi.
* *Lege*: in ea.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui sanctae Mariae arcana possidens, sic virginum eam coris istipas, ut omnem gloriam, utpote filiae regis, in ejus * intimes manifestè aperias: dum & virginitatem * in eam dedicas inlivatam, & matrem illam ostendis in publico manifestam; annue pro nobis praecibus ejus, ut conscientiam nostram ita pudor possideat, ne cupiditatis turbo corrumpat, ut, & tranquilli maneamus in saeculo, & inviolati perveniamus ad caelum.

Ant. Ego filia fortissimi.
* *Lege*: intimis.
* *Lege*: in ea. illibatam.

ALIA.

AUdi filia, & vide, quae meruisti effici filia filii, ancilla geniti, mater Domini, gestatrix Salvatoris altissimi; quia concupivit rex speciei tuae decorem, & conplacuit ei, in terram tuam habitaculum sibimet mundissimum * praeparet. Proinde praesta nobis, ut, qui te concupiscens * sivi advocabit in matrem, nobis concupiscentiae suae opulentam largiatur dulcedinem; atque ita tuis, sancta mater, obsequiis mancipemur, dum vivimus, ut ad eum, quem genuisti, sine confusione post transitum veniamus.

Ant. Audi filia.
* *Lege*: praeparare.
* *Lege*: sibi advocavit in matrem.

ALIA.

DEus, qui fontem signatum Mariae Virginis efficis uterum, in qua ipse sic conclusum ortum matris ingressus regrederis, ut virginitatem non violes genetricis; quaesumus, ut, in Paradisum bonae voluntatis tuae nos praeparans, virtutum fructibus opulentos habitator solus ipse possideas: ut emissiones nostrae sint laudes tuae; & quidquid ob honorem genitricis tuae mortalitatis ore depromimus, inmortalitatis proemio consequamur.

Ant. Alleluia: ortus conclusus.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui magnum in mundo per matrem tuam miraculum praebuisti, dum in ejus medio te abitaturum promittis, ex cujus incorrupto utero nasceris, dum eam, & concipiendo & pariendo, matrem efficis, & decus virginitatis non adimis; da, quaesumus, petitionibus nostris, ut ipsa tibi pro nobis dignas deferat preces, quae, te parturiendo, nomen promeruit accipere genetricis.

Resp. Filia Syon habitabo.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, gloria terrae nostrae, qui magnum Incarnationis tuae mysterium in alterna sibimet occursione Veritatis atque Misericordiae perfecisti, quique beatissimam Mariam tibi & matrem & virginem consecrasti, dum te & incorrupta edidit, & ad te gloriosa perrexit; parce, quaesumus, nobis, ut, eadem suffragante, quamlibet simus indigni, & castitatis donum, & beatitudinis mereamur obtinere triumfum.

Ant. Ut inhabitet gloria.

ALIA.

Br. Mon. fol. 320. col. 1. & fol. 361. col. 2.

CHriste, Deus, Sapientia summi Patris, & Verbum, qui aedificasti tibi comptissimam domum, Mariae Virginis uterum, in qua ipse caelestis justitia prospicis, & de qua fructum benignitatis tuae producis, dum in ea & absque veste corporea Deus ingrederis, & de qua vestitus carne procedis; praesta nobis supplicibus tuis, * ut sanctificatam nos tibi in domum efficias, de qua, ut sponsus procedens, operum nostrorum dignitate circumfultus appareas.

Ant. Justitia de caelo prospexit

* *Br. Moz.* ut sanctificatos nos tibi in domo.

ALIA.

CHriste, salutis nostrae admirabile pretium, qui terram materni uteri fructu Incarnationis tuae ditificas, dum & conceptum tuum mirabiliter operaris, & conceptionis tuae fructum ex terra, quam ipse fueras operatus, producis; sicut maternae virginis claustra, & conceptu servas, & partoritione glorificas, esto servator cordis & corporis populi tui, pro quibus Incarnationis mysterium adsumsisti; ut, qui te natum veraciter confitemur ex Virgine, te nos post transitum gratulemur in munere invenisse.

Ant. Terra nostra * davit.

* *Lege*: dabit.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui ideo verus dies fidei nobis lumen adspiras, ut infidelitatis umbras a nostris cordibus arceas, quique ob hoc ingrederis uterum Virginis humilis Deus, ut egrediaris ex Virgine homo glorificatus in Deum; da nobis, tam prompte implere, quod jubes, quàm pro certo dedisti nosse, quod redimis: ut, sicut nos in praesenti redemtio nostra laetificat, ita etiam in futuro sententia judicantis absolvat.

Resp. Jam adspirat dies.

ALIA.

DOmine Jesu omnipotens & immense, cujus virtus inconprehensibilis, & operatio extat mirabilis, qui gloriam tuam, dum ad Virginem venis, humilias, & naturam humani generis, exiens virginalia claustra, sublimas; pone nos sicut signaculum supra cor tuum, & quasi * munile in bracio dexterae tuae, dans nobis, & modestè praesentibus uti, & futuris feliciter frui: ut, qua veritate Virgo te genuit hominem simul ac Deum, eâdem te habeamus propitium semper ac pium.

Ant. Haec est, quae ascendit.

* *Lege*: monile in brachio.

ALIA.

DEus, qui hominem ad tuae similitudinis imaginem formas, & gloriosius in carnis adsumtione clarificas, dum aliter eum in primordio lutea massa producit, aliter * in fines saeculi virginalis incorruptio parturit; tribue nobis, & servare, quod sumus a te * pontentialiter conditi, & copiosiùs amare, quod existimus ex miseratione redemti: ut & Lunae comparati, Ecclesiae fulgeamus in gremio, & electi ut sol, caritatis * emitemur exemplo.

Ant. Haec est, quae ingreditur.

* *Lege*: in fine.

* *Lege*: potentialiter.

* *Fortè*, emicamus; *vel*, enitamur.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 103. col. 3. & fol. 332. col. 1.

EMitte lucem tuam, & veritatem tuam, Domine Deus noster, quae influxit in utero Virginis, & in veritate nobis apparuit carnis: ut sicut Cedrus in Livano *, spiritualibus exaltemur in gaudiis, & in te fructificemur, ut * oliba speciosa in campis; quatenus splendor * Dibinitatis tuae caliginem nostrae mentis enubilet, & vera humanitatis adsumtio humani generis sit manifesta redemtio: ut dum verus Deus verusque homo in nobis atque pro nobis ostenderis, opus tuum omnipotentia eripiat ab hoste captivum, & enutriat misericordia jam redemptum.

Ant. Sicut cedrus exaltata sum.
* *Lege*: Libano.
* *Lege*: oliva:
* *Lege*: divinitatis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 24. col. 1.

NOS omnes ambulantes in nomine tuo, Unigenite filius Dei Patris, petimus, & rogamus, atque exposcimus, ut, qui te incarnatum credimus in uterum Virginis, fidei remuneremur ex praemiis: &, qui te in montem Syon regnaturum pronuntias, in nostris cordibus habitaturum te sine fine ostendas.

Resp. Nos omnes.

CONPLETURIA.

Br. Moz. fol. 62. col. 3. & fol. 362. col. 1.

O Sacratissima Verbi ancilla, & mater, quam ostendit generatio virginem, & virginitas conprobat genetricem; patulo pietatis sinu concurrentem ad te populum suscipe; tu profusis pietatum visceribus pascito gregem, quem suo filius ex te progrediens mercatus est sanguine: * tu praeve ubera creandis, qua nutrix facta es Creatoris: tu obsequio servitutis tuae glorifica, * quod tibi deferri inspicis ob sequellam. Simus tuo praemuniti suffragio, qui suavi servitutis tuae delectamur perfrui jugo: & omnes, qui * ab honorem Conceptionis tuae hoc in loco tuis decantamus in laudibus, in tua perpetim servitute vivamus, venientes ad eum, explosa criminum labe, cujus te * votibis excolimus officiis Genetricem: ut & hic nos tu multiplici affectu tuearis in saeculum, & post ex te genitus regnaturos possideat in aeternum.

* *Lege*: tu praebe ubera creandis, quae.
* *Lr. Moz.* quos tibi dari inspicis obsequella.
* *Lege*: ob honorem.
* *Lege*: votivis.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui sic matrem potentialiter foecundavit, ut virginitatis gloriam non auferret, sua vos gratia foecundos efficiat, & bono virginitatis adtollat; Quique pro nobis homo fieri in Virginis utero voluit, incentiva libidinum in carne vestra mortificet; ac sicut salutem nostram mirabiliter Altissimi virtus effecit, ita copia benedictionis ejus in vobis afluenter exuberet.

ORATIO AD VESPERUM DICENDA IN EODEM DIE, QUO MISSA SANCTAE MARIAE CELEBRATUR.

Br. Moz. fol. 362. col. 1.

BEata est, Christe, gloriosa saeculi dominatrix, Maria virgo, tua & genetrix, quae salutata ab Angelo credidit, quod perficerentur ea, quae a Domino dicta sunt illi; praesta ergo nobis, exposcimus; ut, qui conceptum Virginis celebrantes peregimus, ad festum Nativitatis tuae emaculatis cordibus veniamus.

ITEM BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 104.

VErbum, quod matrem fecit, ut virgo maneret,
Et qui vobis adtribuat virginitatis opem:
Intacta ejus * servabit viscera ventris,
Custos dignetur vester adesse * lucis,
Ut qui conceptum matris celebrastis * obando,
Lux sitis in mundo, justificante Deo.

* *Lege*: servavit.
* *Lege*: jugis.
* *Lege*: ovando.

ITEM ALIO DIE POST SANCTAE MARIAE ORATIONES DE ANTIPHONIS, ET DE ADVENTU DOMINI, QUAE IN ORDINE SECUNTUR.
* XIII. KAL. JAN. ALIA.

LAEtetur, Domine, deserta terra, & invia, gentilitas utique, quae olim fuit a legis * partibus aliena, sed post multiplicius Incarnationis tuae est * plubiis inrigata. Praeve ergo, ut quotquot per fidem intra sinum Ecclesiae matris colligimur

Ant. * Laetavitur deserta, & invia.
* *Sec. curit.*
* *Lege*: laetabitur.
* *Lege*: pastibus.
* *Lege*; pluviis inrigata. Praebe.

ligimur, a totius infidelitatis turbine liberemur; quod * duerum tuorum inbribus foecundati, in die adventus tui praesentemur tibi fructibus justitiae opulenti. * *Lege*: uberum, ad douorum.

ALIA.

IN adventu tuo, Domine Jesu Christe, germinent campi heremi, ut tua gratia ubertentur humiles, & fide foecundentur steriles a lumine majestatis tuae, quod est a te ipso: quia ipse es verum lumen, quod inluminas omnem hominem venientem * hunc Mundum.

Ant. * Germinaberunt campi eremi.
* *Lege*: germinaverunt.
* *Lege*: in hunc mundum.

ALIA.

Br. Mts. fol. 11, col. 4.

INcarnationis tuae, Christe Domine, mysterio revelato, ut lilium deserta terrae florescens, dum arentia Gentilium corda imbre tuae gratiae inrorantur, ut flores pariant meritorum; Te ergo proinde quaesumus, ut, qui steriles facis esse foecundos, nos peccatores efficias semper esse beatos: ut, quum adventus tui paruerit gloria, non confundamur videntes faciem tuam.

Ant. Floruerunt sicut lilia deserta terrae.

* XIII. KAL. JAN. ALIA. * *Sec. caris*.

DEus Pater, qui per mysterium Incarnationis * Unigeni filii tui audire fecisti surdos, verba libri sacri; dona nobis, ut dum adhuc modicum, & in * brebi peregrinationis nostrae tempus extenditur, conversionis nobis ad Deum reditus non fraudetur: ut in lumine fidei ambulantes, claritatis tuae faciem videre mereamur sine fine felices.

Ant. Adhuc modicum, & in brevi convertetur Libanus.
* *Lege*: unigeniti.
* *Lege*: in brevi.

ALIA.

Br. Mts. fol. 10. col. 2.

JEsu, Salvator noster, & Domine, qui jugum legis a collo nostro praedicamento gratiae sustulisti, & honus nostri humeri in tuis humeris excepisti; concede precibus Ecclesiae tuae, ut, quae consummata indignatione in fidei tuae praecepto resulsit, de consummata justitia mereatur * te ad Judicium veniente adtolli: ut, & hic feliciter * vibat, & post feliciori prospectu faciem Divinitatis tuae laetabunda aspiciat.

Ant. Adhuc modicum, & consūmabitur indignatio.
* *Br. Mts.* a te.
* *Lege*: vivat.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui es mons altissimus, ad quem, & super quem praedicantium * ascent corda, quum populis verba tuae gratiae evangelizant; da in ore nostro & sapientiae verbum, & intellegentiae documentum: ut, qui transacti aduentus tui gaudia celebramus, venturi regni proemiis consolemur.

Ant. Super montem altissimum.
* *Lege*: ascendunt.

* XI. KAL. JAN. ALIA. * *Sec. caris*.

PRope est, Domine, ut venias ad Judicium, qui olim venisti salvare, non perdere Mundum; & ideo, quia dies tui non elongabuntur, dies nostri in tuae servitutis * obsequia evolbantur: ut, dum veneris Judicium facere, misericordiae tuae nobis proroges largitatem.

Ant. Prope est, ut veniat, & dies ejus non elongabuntur.
* *Lege*: obsequio evolvantur.

ALIA.

Br. Mts. fol. 19. col. 2.

DIes tuus, Domine, ecce in prope est, ad quem necesse est nos purgatis conscientiis properare; & ideo, quia de nobis ista habere non possumus, a te, qui potens es, haec ipsa nobis tribui postulamus, poscentes, ut, ita gaudium tuum sit fortitudo nostra, qualiter tribulatio nos non obruat sempiternò.

Ant. Prope est dies Domini: nolite tribulari.

ALIA.

ECce jam prope es, Domine, fac nos tibi proximos semper esse: ut in nullo de negligenti cura solliciti, diem adventus tui praestolemur inlaesi.

Ant. Prope est Dominus, nicil soliciti fueritis.

X. KAL. JAN. ALIA. * *Sec. caris*.

PRope es, ut venias, Deus noster, atque Salvator; ideo te rogamus, ut, antequam venias, a nostris nos iniquitatibus propitiatus absolvas; &, qui dierum tuorum propinquatione nos terres, pietatis tuae ubertate nos sublèves.

Ant. Prope est, ut veniat Salvator vester.

ALIA

ALIA.

LAndant te, Domine, caeli & terra, quia ad hoc venisti, ut redimeres universa; & ideo, quia jam prope est dies adventus tui, ita nunc tuorum pauperum miserere, ut cum adveneris, redemti omnes per te ultricem evadant ultionem.

Ant. Laudant te caeli, Domine, & terra.

ALIA.

DEus, cujus justitiam adnuntiant *, fac nos videre salutare tuum in gloriam: ut quum majestatis tuae cunctis inluxerit regnum, debitum pro meritis evadamus supplicium.

Ant. * Adnuntiaberunt caeli justitiam ejus.
* *Lege*: adnuntiaverunt.
* *Deest*: Caeli.
* *Sec. curis*.

* VIII. KAL. JAN. ALIA.

Br. Moz. fol. 13. col. 2.

DEus, qui multiplicem praedixisti esse scientiam nuntiorum, dum per incrementa temporum aucta est gratia praedicantium; fac nos * clusi sermonis, signatique libri ita mysteria credere, & credita retinere, ut in die adventus tui mereamur tuis coram oculis sine confusione adsistere.

Ant. * Clude sermonem: dicit Dominus.
* *Lege*: claude.
* *Lege*: clausi

ALIA.

Br. Moz. fol. 5. col. 2.

DEus, qui Danielo illi sancto, atque Prophetae, in peregrinationis recessibus constituto, futurae pietatis Saeramentum * rebelans, & sermonem * eludere praecipis, & signatum librum usque ad Christum ducem manere instituis; aperi nobis mysteria pietatis tuae, quò quidquid in nobis obclusum * obserabit iniquitas, verborum tuorum aperiat veritas: qualiter ad ducis nostri Jesu Christi filii tui in crastinum accedentes praesepe, ab omni mereamur expiari criminis labe.

Ant. Audi Danihel * verva, quae loquor ad te.
* *Lege*: verba.
* *Lege*: revelas.
* *Lege*: claudere.
* *Lege*: obseravit.

ALIA.

DEus, qui in loco sanctificationis tuae ungi Sanctum Sanctorum prophetali vaticinio praedixisti; conlata in nos unctionis tuae mysteria inviolata conserva, atque, iniquitate deleta, ita finem peccatum nostrum accipiat, ut meritò perveniamus ad justitiam sempiternam.

Ant. Ungeatur Sanctus Sanctorum.

ITEM ORATIONES COMPLETURIAE DE ADVENTU,

Vespertinae, vel Matutinae, quae de una ebdomada collectae per singulas ebdomadas usque ad Nativitatem Domini cum suis benedictionibus iterabuntur.

Die Dominico ad Vesperum.

Br. Moz. fol. 4. col. 4. & fol. 22. col. 1.

DOmine, cujus aeternitas * temporum & praescit, & ordinat, qui in plenitudine temporum Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum nasciturum ex Virgine destinas, ut aeternus ex te sine tempore prodiens, pro nobis conditor nasceretur in tempore: ut, & nostra scilicet tempora visitet, & temporales suae inmortalitatis participes reddat; adsistat tibi pro nobis, ut quos adventu suo mirabiliter * redimit, munere suo habundantissimè ditet.

* *Lege*: tempora.
* *Fortè legendum, cum Br. Moz.* redemit.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 5. col. 1.

CHristus Dominus, qui per susceptae mysterium carnis notam fecit Mundo gloriam suae divinitatis, adventu suo vos justificet a delictis: quique in se suscepit infirmitatem vestram, ipse in vobis conferat misericordiam suam: &, qui primùm veniens humilis, redemit Mundum a crimine, secundò adveniens, ab omni * bos reatu vestro justificet.

* *Lege*: vos.

ITEM SECUNDA FERIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 4. col. 2.

EMitte, omnipotens Pater, de summis caelorum claritatis tuae lumen, Dominum nostrum Jesum Christum, & nostrorum arcana inradia pectorum; ostende veritatem tuam, quae nos a falsis inimici seductionibus eruat: & plebem, quam repuleras, * ipsa tibi restituat.

* *Br. Moz.* ipse.

BENEDICTIO.

DEus, Patris filius, qui adventu Incarnationis suae perlustravit constitutos in tenebris, extinguat in vobis omnes tenebras caecitatis: &, qui incarnatus, humanis cordibus Divinitatis suae ostendere dignatus est lucem, ipse in vobis accendat sitim dilectionis suae; ut in adventu suo det vobis se ipsum in munere, cujus hic munus effecti estis per fidem.

ORATIO DE SEC. FER. AD VESPERUM.

Fr. Moz. fol. 6. col. 2. & fol. 46. col. 3.

EXurge Deus, qui judicas terram, & * bracio fortitudinis rege, quos mirabili condere dignatus es opere; quosque facinora adgravant vitiorum, tuarum * subleba habundantia miserationum: ut justitiam tuam, quam caeli adnuntiant, agnoscamus; & gloriam tuam cum omnibus populis videamus: ut inhabitet gloria * in terram nostram; & sit nobis redemtio, quam alacres fide credimus esse venturam.

* *Lege*: brachio.
* *Lege*: sublevа.
* *Lege*: in terra nostra.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 6. col. 2.

CHristus Dominus, qui ad hoc venit, ut inpietates a domo Jacob * aberteret, ad hoc * beniat, ut credentes sibi a mortis liberet potestate: & qui dudum veniens reconciliari dignatus est Mundo, ad Judicium veniens, ab omni vos poenarum liberet cruciatu; ut cum illo gaudeatis in gloria, quem hic pura * fide incolitis conscientia.

* *Lege*: averteret
* Veniat. *Br. Moz.* iterum veniet.
* *Lege*: fidei.

ORATIO DE TERT. FER. AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 7. col. 2.

DEus, cui omnis terra praeconans jubilat laudem, cujus gloriam canora psalmi conclamat voce, cujusque terribilem in tuis operibus fatetur virtutem, notum facito salutare tuum in conspectu omnium nostrorum: revela justitiam tuam, quò possimus te nostrum agnoscere creatorem; & esto memor misericordiae tuae, quò nostrorum criminum mercamur invenire remissionem: ut, videntes salutare tuum, jubilemus tibi hymnum, cantemus in exultatione psalmum, & perfrui mereamur tuae beatitudinis praemium.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 8. col. 3.

DEus, Dei Patris filius, qui olim prophetali vaticinio in carne praedictus est nasciturus, nascentia in vobis virtutum dona corroboret; quosque mysterio Incarnationis suae adoptavit sibi in filios, non patiatur quandoque a se effici alienos: ut gaudium, quod de ejus fide sumsistis, per exibitionem bonorum operum multiplicius cumuletis.

ITEM DE TERTIA FER. AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 7. col. 3.

DEus, cujus faciem videre fidelis * homnis intendit, & ad quem venire toto cordis desiderio concupiscit; praesta nobis, ut quum visio humanitatis tuae paruerit cunctis, visio Divinitatis tuae nos eripiat a tormentis: ut, * glorificata in corpore, majestatis tuae praesentiam contuentes, tartareos supplicii evadamus ardores.

* *Lege*: omnis: *vel*, hominis.
* *Lege*: glorificato.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 7. col. 3.

REdemtor noster, & Dominus, qui, nascendo in carne, jugum a vobis sustulit legis, conpleat in * vos beneficia pietatis; & qui de vobis suscepit, quod Divinitati suae uniret, de suo conferat, quod in vos * praestolatur munificet: ut omnes, qui hic priora gaudia adventûs ejus hilari devotione excipitis, secundi adventûs sui tempore cum Sanctis omnibus exultetis.

* Br. Moz. in vobis.
* *Lege*, *si lubet*: praestolatus.

ORATIO DE QUARTA FER. AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 73. col. 1.

QUI regis Israhel, intende per misericordiam: & qui deducis velut ovem Joseph, pastoris gubernacula, & protectoris inpende remedia; converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus, qui excelsus humilia respicis, qui orantium preces propitiatus exaudis.

BENE-

BENEDICTIO.

VErbum Patris altissimi, quod incarnari venit * in Mundo, Incarnationis suae vos, & hic & in futuro, tueatur mysterio; &, quos nascendo voluit renasci ad vitam, apparendo * in Judicium, perducat ad gloriam: ut expectantium se vota & hic pietatis conlatione adcumulet, & aeternis pòst muneribus ditet. * Lege: in mundum. * Lege: in Judicio.

ITEM DE QUARTA FER. AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 8. col. 2. & fol. 252. col. 3. & fol. 266. c. 2.

DOmine virtutum, orationes servorum tuorum placatus accipe, &, quid nos orare oporteat, dignare monstrare: cosque aeternitatis cibo conforta, quos panis lacrimarum conturbat: & tam mensurabili flectu flumina lacrimarum oculi fluant, ut miserationum tuarum copiam, criminibus elisis, inflectant; quique redemtoris nostri adventum trementes * pabemus, ejus gloriosum conspectum, te tribuente, pacatissimum contemplemur. * Lege: pavemus.

BENEDICTIO.

JEsus, Dei Filius, quem devotis cordibus venturum ad Judicium sustinetis, de bono patientiae conferat lucra aeternae beatitudinis; &, qui in visionis ejus concupiscentiam anelatis, venturam sui regni dulcedinem copiosiùs auriatis: ut in ejus amplexu anima vestra refloreat, in cujus nunc fide inconvulsa persistit devotio vestra.

ORATIO DE QUINTA FER. AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 10. col. 3.

MEmor esto, Domine, Ecclesiae tuae ex gentium diversitate collectae, eique misericordiae tuae, ac veritatis tuae thesauros * pandere: ut & venisse te pro sua redemtione laetetur, & pro sua remuneratione venturum in exultationis jubilo praestoletur. * Lege: pande.

BENEDICTIO.

SAlvator noster, & Dominus, qui saucium venit salvare saeculum in delictis, emundet vos ab omnibus iniquitatibus vestris; &, qui in se suscepit infirmitatem vestram, ipse humilitatem vestram miseratus aspiciat: ut adventûs sui gaudio & hic vota vestra sanctificet, & in futuro animas ab omni criminum reatu expurget.

ITEM DE QUINTA FER. AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 10. col. 3.

TE expectantes, quaesumus, Domine, salva nos sperantes in te: tuoque nos redemtos sanguine, sicut es pollicitus, consolare; ac, remoto gemitu, expulsoque dolore, sempiternum gaudium, aeternamque laetitiam nos facito obtinere.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 10. col. 4

AGnus Dei, qui olim venit peccata tollere Mundi, auferat * a bobis omnem conluvionem delicti; &, qui venit redimere, quod perierat, ad hoc veniat, ut redemta non puniat: quò cum illo, in quo fidem vestram dirigitis, gaudium perpetuum, quum venerit, habeatis. * Lege: a vobis.

ITEM SEXTA FERIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 11. col. 2.

DOminator desiderabilis, Domine Jesu Christe, quasi ignis conflans, ab scoriis peccaminum nos abstergc; & quasi aurum purum, argentumque purgatum nos effice, tuoque spiramine ad quaerendum te jugiter corda nostra succende: ut ad te ardenter nostra desideria anelent, tibique conjungi tota aviditate festinent.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui terribilis ad Judicium praestolatur, cordis vestri formidinem gaudio adventûs sui laetificet; &, qui * dejecturi animis venturum illum pro merito expavescitis, per eum pacem, quum venerit, habeatis: ut, quia vos meritorum vestrorum hic obscenitas deicit, illic pietatis ejus miseratio * salbificandos oblectet. * Lege: dejecturis, vel, dejectis. * Lege: salvificandos.

ITEM SEXTA FERIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 11. col. 3.

DOmine Jesu Christe, qui, in adsumto homine hominum susceptor effectus, in lucem gentium datus es; aperi oculos cordium in te credentium populorum, atque abstrae misericors de conclusione * religatis aduc vinculis diffidentiae; &, quos in domo carceris * detinere conspicis in tenebris ignorantiae, * te, quaesumus, scientiae inradia splendore.

* Lege, si placet: religatos.
* Lege: detineri.
* Fortasse: tuae.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 11. col. 4.

GAudio adventus sui vos Christus laetificet, & corda vestra Divinitatis suae semper luce inluminet: desideria vestra praesentiae suae exibitione gratificet: & devotionem vestram veniens propitiatus acceptet: ut accensione sui amoris ita cor vestrum semper * efferbeat, ut, beniente illo ad Judicium, pro meritis non tabescat.

* Lege: efferveat, ut veniente.

DIE SABBATO AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 12. col. 2. Et fol. 9. col. 1.

DEus, qui manifestè venturus ad Judicium crederis, manifestam potentiam in nobis ostende tuae salvationis: ut, qui terribilis sustineris, mitissimus, quum adveneris, sentiaris.

BENEDICTIO.

AUgeatur in vobis spes divinae beatitudinis, qua diem adventûs Christi fideliter sustinetis: vestiamini quoque claritate justitiae, qua possitis ejus adventum intrepidi praestolare: ut, hilares de effectu bonorum operum, occurratis illi in virum perfectum, quum ad Judicium venerit faciendum.

* VIII. KAL. JAN.
ORATIONES IN DIE NATIVITATIS DOMINI.
AD VESPERUM.

* Sec. euris.

BEnedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & inluxit nobis: cujus nos adventus redemit, & nativitas inlustravit: qui veniens requisivit perditos, & inluminavit in tenebris constitutos; Tribue ergo, omnipotens Pater, ut diem Nativitatis ejus ita devotione piissima celebremus, ut Judicii diem mitissimam sentiamus: ut, cujus benignitatem in redemtione cognovimus, ejus pietatem in Judicio sentiamus.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 16. col. 4.

BEnediceat vobis Dominus Jesus Christus, qui olim in * ac die Pastoribus in praesepio apparuit gloriosus. Ipse vos in omnibus protegat ac defendat, qui pro vobis misericors humanam suscepit infantiam; quique vester est conditor & redemptor, ipse vos in aeternum propitius conservare dignetur a malo.

* Lege: in hac die;

ITEM AD MATUTINUM DE PSALMO III.

TIvi * semper gloria, cujus gloriam in adsumto homine vidimus quasi gloriam Unigeniti a Patre, plenum gratia & veritate; praesta ergo nobis, quaesumus, abundantiâ pietatis, te pro nobis humilem fide agnoscere veritatis, & coaeternum Patri credere permanentem in gloria Deitatis.

* Lege: Tibi.

ALIA.

Br. Moz. fol. 17. col. 1.

TE, Domine, * sabente, adnuntietur nobis sancto Angelicoque ministerio gaudium magnum, quod populo sit Christiano in toto jam Mundo; Christus enim Dominus * odie natus est, omnium salus, adque Salvator aeternus, in civitate David, quae est Ecclesia; in ea quoque sine fine regnabit, dum eam usque ad finem custodit ac regit; Praesta ergo, ut eam regnum suum ex toto efficiat, dum in toto Mundo dilatat, & caelestium aeternitate adsociat.

Ant. Ecce adnuntio.
* Lege: favente.
* Lege: hodie.

ALIA.

DOmine omnipotens Pater, ecce Agnus tuus, ecce qui tollit peccatum Mundi, ut, sacrificium singulare tibi oblatus, ipse expiaret Mundum, qui esset solus utique mundus; Sit ergo protector assiduus, pro quibus mediator extitit

Ant. Ecce Agnus Dei.

tit gloriosus: ut in eo sit gaudium * liberatorium, qui factus est pretium captivorum.

* Lege: liberatorum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 144. col. 1.

CHriste Jesu, terribilis Deus noster, & Rex noster, cujus in nativitate cum pastoribus Angeli gloriam detulerunt, cui, devicto mortis autore, omnes gentes manibus cordibusque plauserunt; fac, nos redemtionis nostrae & gloriae tuae mysteria, Fidei jubilatione, cantare: & cum Principibus populi, Deo Abraham, fideli famulatu placere.

Ant. Gloria in excelsis Deo.

ALIA.

O Verbum, quod fuisti in principio aput Deum, & ipsum Verbum * utique Deum; a te facti, per te redemti, adoramus, amamus, excolimus sanctae tuae gloriam majestatis, qui * berbum es caro factum pro nobis: sperantes, ut impleas in nobis beneficia divina, pro quibus naturam suscipere non es dedignatus humanam.

Resp. In principio erat * verbum.
* Codex, utque
* Lege: Verbum, utrobique.

ALIA.

Br. Moz. fol. 91. col. 3.

GLoriose Deus, Pater & Domine, qui Unigenito & coaeterno Filio tuo gentes in possessionem dedisti; simus, ita poscimus, tua ipsi possessio, ut ab ejusdem Filii tui non deviemus praecepto: ut ei nos indivisè * quonectas, quem ex te genitum gloriosè pronuntias.

* Lege: connectas.

ALIA.

Br. Moz. fol. 38. col. 1.

COaeterna Dei Sapientia Patris, quae te cum Patre fuisse testaris, prius quàm terram faceret, vel excelsa montium stabiliret, dum te ante omnium creationem collium generaret; te quaesumus, te rogamus, ut, qui hujus incorruptae nativitatis tuae gaudia celebramus ovando, ad te remuneraturi perveniamus credendo: ut, qui ante montium conditionem ex Patre nasceris, nunc in plenitudine temporis natus de utero Virginis sic te credentes sanctifices, ut sanctificatos gloriâ aeternitatis remuneres.

Ant. Dominus possedit me prius quàm.

ALIA.

ECce coaeterna Dei Sapientia Patris, quando firmos Pater montes ponebat, jam tu cum Patre eras, jam cuncta haec creata praecesseras; ac sic de creato perfectoque Orbe te gratulasse pronuntias; Adclines ergo, famuli quaesumus, ut, qui in horum te conditione mirificum eredimus, pro nostra te redemtione natum fideliter praedicemus: ut illut semper ori nostro in praedicatione occurrat, quod ad aeternam semper gloriam pertraat: ut omnes, qui te natum confitemur ex Virgine, cum ea, quae te genuit, mereamur exultare in pace.

Ant. Quando firmos ponebant.

ALIA.

INveniamus te, Domine Jesu Christe, animalia tua, in praesepio positum, quem confitemur & credimus, aput Patrem, Deum inmensum: ut sis eibus noster in tempore oportuno, & aeterna satietas in futuro: ut & hic a te non recedamus, & illic tecum permaneamus; dum angelica voce & praesepe tuum ostenditur, & tantae nativitatis gaudium profuturum populis nuntiatur.

Resp. Angelus Domini loquutus est Pastoribus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 18. col. 1.

DOmine Jesu Christe, qui, ante omnem creaturam ex ore Altissimi prodiens, Mundi * macinam dispositione mirabili condidisti; adesto Ecclesiae tuae, quam ex toto Orbe congregare dignatus es, ut sicut Mundi conditor esse dinosceris, ita & Ecclesiae Salvator in omnibus ac per omnia cognoscaris.

Ant. Ante omnem creaturam.
* Lege: machinam.

ALIA.

DOmine Deus omnipotens, creator collium aeternorum, qui * Bervo tuo omnia condidisti, quò cuncta te jubente fierent, teque mandante consisterent; adesto ineffabili pietate, ut per eundem Verbum, caro factum pro nobis, ad aeternam salutem dirigas in aequitate credentium corda, per quod ab initio disposuisti universam perficiens creaturam.

Ant. Ante colles ego parturiebam.
* Lege: Verbo.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, perfice in nos misericordias tuas; ut sicut cum Patre cuncta creando disponis, ita redimendo universa sanctifices: ut, non solum de conditis, sed etiam de inventis sit gaudium aeternum in caelis: ut ipse in nobis exultes, dum nos in gaudia sempiterna perducis.

Al. Alleluja..., cum Patre meo eram.

ALIA.

VEnisse te, Domine, tua copiosiùs creatura laetatur, ante cujus faciem montes fluent; praesta proinde nobis miseris tuis, ut, qui in loco humilitatis consistimus, nativitatis tuae gaudiis muneremur: ut, quod de tua Incarnatione inauditum saecolis extitit, in nobis fidei foecunditate fructificet: quò, te cùm in terris positi natum confitemur ex Virgine, & ditiorem sentiamus in munere, & nostris te semper iniquitatibus indulgentem.

Resp. Venisti, Domine, & a facie tua.

ALIA.

Er. Moz. fol. 19. col. 2.

DOmine Jesu Christe, qui ex Patre Deus magnus, pro nobis dignatus es nasci ex homine parvus, ut per te factus, per te salvaretur sine dubio Mundus; propitius esto, & miserere nobis: nosque a mundanis contagiis munda, & in hoc Mundo mundos nos esse constitue, * quem non judicare, sed salvare venisti: ut nobis parvulus natus, nobisque filius datus, in te regenerationis ortum, & * adobtionis mereamur consequi donum.

Ant. Parvulus natus est nobis.

* *Er. Moz.* qui.

* *Lege:* adoptionis.

ALIA.

DOmine Deus, qui nullis naturarum temporumque legibus circumscriberis, sed * in promto ex subditis, quod volueris, operaris; sicut hoc in corpore aliter praecipuum effecisti, ut Unigenitus tibi * coaeternum, vir de Virgine sine viro prodiret, & ante tempus conjugii, partum mater incorrupta proferret; tribue invicta pietate hanc vicissitudinem inimicis, ut in hoc tibi mysterio reconcilientur, * pro quod inaudito gentes a saeculis miraculo inlustrantur.

Ant. Vox Domini reddentis retributionem.

* *Lege:* in promptu.

* *Lege:* coaeternus.

* *Lege:* pro quo.

ALIA.

TU Domine Jesu, verè es Α & ω, initium & finis, ante saecula cum Patre, & in saeculum ex Virgine: cujus potestatis, immo & pacis, non erit finis; super tronum David sedens, ut corrigas illut potenter, & domineris fine veraciter; Largire igitur * domum gratiae, qui cognosceris esse rex gloriae; quique in carnis abjectione venisti in Mundo, quos redimisti, futuro effice participes regno.

Al. Potestatis ejus, & pacis ejus.

* *Lege:* donum.

ALIA.

Er. Moz. fol. 28. col. 2.

DOmine Jesu Christe, qui es ineffabile gaudium Christianis, cujus potestatis & pacis non erit finis, maneat in nobis imperii tui dominatio jugis, magnitudo perennis: ut omne non tuum in nobis reperiens, auferas, nosque tuos in omnibus ac per omnia facias: ut nec potestati tuae in nobis quicquam * obficiat, nec paci resistat; sed ipse solus non possideas, qui Rex regum & Dominus dominorum, nunc & per omnia saecula regnas.

Resp. Gaudete, & exultate omnes populi.

* *Lege:* officiat.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, ante quem nullus est formatus Deus, & post quem alter non erit: qui salutem populo tuo praestitisti, quam jam ante pronuntiasti fidelis in verbis tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis; incredulitatem a nobis dubiae mentis averte, & cor nostrum gratiae tuae muneribus reple: ut tu Deus verus credaris & cognoscaris, qui Salvator omnium, miraculis & virtutibus adprobaris.

Ant. Ante me non est formatus Deus.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, quem Dominus misit * spiritus ejus, quum hic, ubi erat, utique veneris: nec ab eo prodieras, de quo aliquando recesseris; respice clementer populum tuum, ut te misericordem Judicem verum suscipiat, quem jam venisse pium Salvatorem exultat.

Ant. Ego sum primus; & ego in aeternum.

* *Fortè:* Spiritu oris ejus.

ALIA

ALIA.

Veritas Deus, qui semper in caelo & in terra prodire dignatus es, non ut caelum relinqueres, sed ut caelestibus terrena conjungeres; aufer a nobis opera falsitatis, ut dies nostri non in vanitate deficiant, set per te ad tempora aeterna perveniant: ut, quod falsitas miseriae subdidit, veritas felicitati restauret.

All. Veritas de terra orta est. alleluja.

ALIA.

Br. Mat. fol. 36. col. 3.

Domine Jesu Christe, qui es redemtio nostra, esto & salus nostra. Sana plagam contritionis nostrae, qui suscepisti carnem fragilitatis humanae; &, qui veniens honera nostra sublevare dignatus es, quaesumus, ut a malis operibus nostros labores evacues, nostraque studia pius * in vono confirmes.

Resp. Iste, qui natus est, redẽptio nostra.

* *Lege*: in bono.

ALIA.

Christe, Salvator noster & Domine, qui non ex voluntate vel coitu virili formaris, set plenus gratia & veritate ex Virginali utero nasceris, qui * berbum caro factum pro nobis, gloriosus appares universis; annue precibus nostris, ut, qui te plenum gratia & veritate fatemur, te sine intermissione sequamur, & sicut haec nativitatis tuae promissa, figuris praecuntibus, in veritate completa sunt, ita gratia tua mortificationem criminum in nobis protinus operetur: ut, qui veritate credidimus, per gratiam coronemur: &, quos veritas se fecit cognoscere, gratia non sinat usquequaque perire.

Ant. Non ex volumtate viri, set ex Deo.

* *Lege*: verbum.

ALIA.

Br. Mat. fol. 38. col. 2.

Inmensa Dei Sapientia Patris, qui filius Dominusque, Davit Prophetae vaticinio adprobaris; tu in trono Patris consistens, adque domum Jacob, idest Ecclesiam regens, sic nobis omnibus in ea consistentibus protectionis tuae gubernacula porrige, ut tecum mereamur vivere sine fine: ut in tuo regno sine fine vivamus, cujus regni finem nullum esse pavescimus.

Ant. Dedit ei Dominus tronum.

ALIA.

Domine Jesu Christe, qui sine manibus complectentis de inviolata Virgine * hortus, quasi lapis de moute sine manibus praecidentis venisse cognosceris, atque universam terram incircumscripta virtute inplere probaris; in omni jam terra in te salva credentes, qui omnes per totum Mundum tuo subdidisti imperio nationes: ut a te repleri universa cognoscantur, dum per te sanctificari omnia sentiuntur; dita Ecclesiam tuam munere sanctitatis, & orna nitore praespicuo pietatis: ut, perveniens ad promissa tua, fruatur gloria tua.

Ant. Vidi lapidem.

* *Lege*: ortus.

ALIA.

Ecce natum te, Christe, filium confitemur, cujus principatus super humeros ponitur, dum illic principium salutis nostrae constituis, quò in tuis * muneris patibulum pro nobis suscipere dignatus es Crucis; Magnificetur ergo in Ecclesia tua regnum tuum, nomen etiam dilatetur, multiplicetur imperium: &, quum plenitudines gentium in pace possederis, paci tuae nullus sit finis.

* *Forte*, humeris:

ITEM ORATIONES RELIQUAE DE EODEM DIE.

Jesu Domine, qui es aeterni Patris filius * quoaeternus, cujus Divinitas ex Patre prolata, * hortum ostendit, initium nescit; tu pro nobis ante * aliquod tempora homo ex homine in tempore natus, afluentem tuae pietatis gratiam & pacem nostris concede temporibus: ut nos salvando conquiras, & dilatando possideas.

* *Lege*: coaeternus.
* *Lege*: ortum.
* *Lege*: aliquot.

ALIA.

Homo verus, & omnipotens Deus, cujus admirabile semper est nomen in universa terra, vel dum de Virgine in abjectione carnis mirabiliter nasceris, & Caelicolum officiis conlaudaris, vel dum ab Angelis nuntiaris, & Pastoribus intueris; rogamus te, Domine, ut, quos mirabilia haec fecisti cognoscere, hos feliciter facias ad vitam perpetuam introire: &, dum inimicum destruxeris saevientem, inlaesos ad te perducas tuâ nos dexterâ.

ALIA

ALIA,

AEterni Patris Sapientia * quoaeterna, qui, cum illo permanens ante saecula, ab illo venisti in saeculo; exclude, quaesumus, omnem stultitiae torporem a nobis, ut inluminati, tuique per gratiam tuam participes facti, conprehendere valeamus, quid proprium tibi * servaberis, quid pro nobis susceperis alienum: qui non ideo haec voluisti, ut propria amitteres; sed, ut nostra corrigens, misericors ampliares.

* Lege: coaeternas.

* Lege: servaveris

ALIA,

TU Domine, cujus Verbum Caeli inabitat ambitu, & Terra inradiat, caro factum; da nobis Verbi ipsius obsequiis ioherere, quod sancta praedicatione in progenies generationum dedisti cognoscere: ut, sicut tecum cuncta creando disponit, ita redimendo universa sanctificet.

ALIA.

OMnipotens Deus, qui fabricam Mundi, Verbo tuo cooperante, tibique adgaudente, disposuisti; praesta, ut, qui nos ad gaudium condidisti, ne ad aeternum luctum criminibus involvamur, virtutis tuae subsidio muniamur; ut in te maneat exultantium laus, per quem liberatorum restituta est salus.

ALIA,

DOmine Jesu Christe, qui es pax, cujus imperium nec fine concluditur, nec tempore terminatur; maneat in nobis imperii tui dominatio jugis, magnitudo perennis, ut omne donum tuum in nobis reperias, nosque adhaerere tibi in omnibus ac per omnia facias: ut indulgentiâ reddas pacificos, & potestate tutos, conserves inlaesos.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui ex Virgine matre sine ulla corruptione prodiens, integritatis amator esse cognosceris, dum conceptio matrem adsignat, & partus virginem profert; * mentis nostrae, carnisque misericorditer sana, utriusque tibi speciem exhibe castam: quò tibi anima subdita castum corpus possideat, atque sincera ad te remuneratura perveniat.

* Lege; si placet, mentem nostram, carnemque.

ALIA.

DOmine Jesu, quem omnipotens misit Pater ad redemtionem * in Mundo, quum, ubi eras, utique veneris: nec ab eo, de quo prodieras, aliquando recesseris; respice clementer populum tuum, tuaeque virtutis ei dona subsidium: ut te misericordem Judicem venturum suscipiat, quem jam * benisse pium Salvatorem esse non dubitat.

* Lege: in Mundum.

* Lege: venisse.

ITEM COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Mon. fol. 19. co. 3.

REquies Angelorum, omniumque Sanctorum, Domine Jesu Christe, da * odie in hoc recurrenti Nativitatis tuae sacratissimo festo requiem populo tuo: ut in te a delictis & * honeribus pessimis requiescat, teque cum universa creatura benedicens, tuam in omnibus ac per omnia benedictionem accipiat: * ut, qui a maledicto liberare venisti, numquam patiaris tuae benedictionis munere defraudari; sed, te jugiter benedicendo, benedictus permaneat in aeternum.

* Lege: hodie.

* Lege: oneribus.

* Br. Mon. ut, quem.

BENEDICTIONES NATIVITATIS DOMINI. AD MATUTINUM.

UNigenitus filius Dei, qui se humanitati miserando permiscuit, vos remunerando suae Divinitati conectat: & qui propter vos, ut virginea partitudine nasceretur, humanae naturae sustinuit leges; Ideo vos & humanitatis vestrae periculis privet, & Divinitatis suae muneribus ditet: * adque ita vos in plenitudine miserationum adsumat, sicut in veritate humilitatis propter vos semetipsum inclinat.

* Lege: atque.

ITEM

ITEM ORATIO AD VESPERUM DICENDA IN EODEM DIE, QUO MISSA NATIVITATIS DOMINI CELEBRATUR.

Br. Moz. fol. 36. col. 3. & fol. 346. col. 2.

VIdimus gloriam tuam, Domine, gloriam quasi Unigeniti a Patre, Unigenitum Deitate, * promogenitum munere: illic unicum Patris, hic praecipuum inter fratres: ibi cum Patre unum, hic in fratribus primum: illic aequaliter subsistentem, & in sinu Patris manentem, hic socios non derelinquentem: ibi creantem, hic * sublebantem; Largire igitur, tuo fieri participes regno, quibus es propitiatus in Mundo: quibusque pius advenisti redemtor, exsiste in futuro munerator.

* *Lege*: primogenitum.
* *Lege*: sublevantem.

BENEDICTIO.

DOminus Jesus Christus, qui sua vos nativitate redemit, ipse vos in fide confirmet, & in temtatione gubernet, in virtute multiplicet, in infirmitate relevet, & in anxietate laetificet: infundat in vobis suae pietatis gratiam, temperet disciplinam, remittat offensam.

* VII. KAL. JAN.

*Sec. curis.

INCIPIUNT ORATIONES IN DIEM SANCTI STEPHANI. COMPLETORIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 30. col. 1.

DEus, cui Ecclesia tua sanctum Stefanum martyrem, primum messis suae manipulum dedit, & primitivam oblationem novellae confessionis ostendit, * ac praeco, quem fructum fidei maturescentis exibuit; praesta universo caetui intercessione Martyris memorati, ut Ecelesiam tuam * jubet suffragio, quam ornavit ministerio: * sabeat patrocinio, quam aedificavit exemplo.

*Br. Moz. ac praeconium. *Lege, si placet*: ac praeconem.
* *Lege*: juvet.
* *Lege*: faveat. *Br. Moz.* foveat.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 30. col. 2.

DOminus Jesus Christus, qui primum suae passionis sequacem Stefanum martyrem fecit, det vobis suae passionis exemplo victoriam ferre de Mundo; sui quoque Martyris prece similem, vobis tribuat, vim suae dilectionis habere, & adversitates aequali tolerantia superare: ut, instructi exemplo redemtoris, * & imitamento martyris, percipiatis plenitudinem vestrae redemtionis.

*Br. Moz. & invitamento.

ITEM AD MATUTINUM.

Ant. Sederunt principes.

ADest, Domine, illa tui martyris Stefani gloriosa sollemnitas, in qua principum sinagogae persequutio insolens, dum in discipulo veritatis veritatem nititur interire, veritatis illum fecit utique testem, dum ex passione protulit martyrem, qum utique * lapidaberat innocentem; Quaesumus ergo, ut, qui invocantem eum pro inimicis dignatus es exaudire, pro nostris facinoribus ad aures tuas ejus suffragia digneris admittere.

* *Lege*: lapidaverat.

ALIA.

Br. Moz. fol. 30. col. 4.

Ant. * Lapidabunt Stefanum.

DOmine Jesu Christe, qui in concilio lapidantium beatissimi martyris tui Stefani ita * glorificas vultum, ut ab his, qui eum lapidabant, lapidati aspectus intueretur Angelicus, dum praeminens in illo monstraretur magistra patientiae virtus; da nobis, * meritis ejus ita bono patientiae exornari, ut ex hoc mereamur praemio aeternitatis adtolli.

* *Lege*: lapidabant.
* *Prim. c.* glorificas.
* *Cod.* meris.

ALIA.

All. Comportaverunt Stefanum.

COnportaberunt *, Domine, Stefanum testem tuum viri timorati; &, qui eum in timore tuo perseverasse cognoverant, propter timorem tuum eidem obsequia deferebant, ut dignas obsequentium haberet exequias, qui tot hostium reportasset triumfando manubias; & quum * nicil, ad te jam veniens, indigeret, officia terrena libenter susciperet, ut aeterna beneficia fidelibus impetraret; adsistat ergo nunc, omnipotens Pater, tantus Martyr, & saveat credentium votis, ut ea, quae sibi propter te inpendi cognoscit, famulantibus tibi ex te uberiùs recompenset.

* *Lege*: Comportaverunt.
* *Ita ferè ubique pro* nihil.

ALIA

ALIA.

Resp. Elegi virum de * pleve mea.

ELectum, Christe Domine, de * pleve tua virum cognoscimus primitivum esse Stefanum, quem dum primum voluisti decorari gloriâ passionis, primaevâ eum ditasti coronâ inter discipulos veritatis; Concede ergo nobis, ut veritas in ore nostro semper speciosâ praepolleat, & a nostris cordibus ejus efficientia non recedat: ut, dum praedicatores veritatis existimus, veritati sine * sine jungamur.

* *Lege*: plebe.
* *Supplevimus*, fine.

ALIA.

Ant. Stefanus plenus gratia & veritate.

CHriste, Deus noster & Domine, per quem Stefanus Martyr tuus, plenus gratia & veritate, signa & virtutes fecit in populis; da nobis meritis ejus, a nostris emundari contagiis: ut, qui in infidelibus signa operatus est sanitatis, in credentibus operetur virtutes sanctae professionis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 30. col. 3.

Ant. Cum lapidaretur Stefanus.

DOmine Jesu Christe, qui ita munere tuo beati Stefani animam munerasti, ut non solum passionis tuae sequeretur exemplum, set etiam patientia caperet documentum: ut supplicaret pro hostibus, qui non * cederet saevientibus: fortis ad perferenda vulnera, fortis ad non reddenda convicia: fortis dum * ab impiis lapidatur, fortior dum pro lapidantibus deprecatur; qui ergo inmemor ultionis pro lapidantibus exoravit, memor caritatis in nullo supplicantibus desit.

* *Codex*, crederit.
* *Codex*, ad.

ALIA.

Br. Moz. fol. 30. col. 3.

All. Impetum fecerunt unanimes.

IMpetu facto, persequentium turba non potuit, Christe Domine, Stefani tui martyris * turvare constantiam, cum & falsorum testium crudelitate carnis vestimenta deposuit, ovis tamen confessionem, qua te credidit, * non asit, quum lapidatus etiam te Deum, ut ejus spiritum exciperes, exoravit; te ergo quaesumus, & rogamus, ut illâ nos gratiâ tuae pietatis remuneres, qua illum coronasti post lapides: &, qui ejus spiritum suscepisti in gloriam, aeterna, quaesumus, a nobis propitiatus remove supplicia.

* *Lege*: turbare.
* *Lege*: non amisit.

ALIA.

Br. Moz. fol. 30. col. 4.

Resp. Super acervum lapidum laetata est.

DOmine Jesu Christe, qui animam beatissimi martyris tui Stefani tantâ munerum gratiâ decorasti, ut super acervum lapidum exultaret, & pro inimicis te, ut illis parceretur, exposceret; reple corda nostra munere gratiarum, & inmarcescibili dono virtutum: ut interventu tui Martyris ita ministremus semper in conspectu tuo de bonis, * quae praestitisti nobis, qualiter & hic dilatemur sanctitatis in opere, & post vindemiemus fructus nostros in pace.

* *Moz.* quae praestiterit.

ALIA.

Ant. Gratias ago Deo, qui me confortavit.

GRatias tibi agimus, Domine Jesu Christe, qui in beatissimum martyrem tuum Stefanum ita primum ostendisti totius patientiae documentum, ut veritatis pro certo eum adprobares esse discipulum: qualiter ad exemplum eorum, qui tibi crederent, novus bellator ac * primitibus exurgens, animam, quam tibi sacraverat fide, passione etiam consecraret; * fabe ergo precibus nostris, qui * faborem ejus meritis tribuisti, ut, sicut ille lapidari pro veritate promeruit, ita nos pro fide, qua te credimus, coronandi ad te mereamur admitti.

* *Lege*: primitivus.
* *Lege*: fave. & *mox*: favorem.

ALIA.

Ant. Gaudeo in passionibus meis.

JEsu, Dei Filius, ad quem martyr Stefanus, dum passionis dirigit votum, in suis passionibus conlaetatur, dum ea, quae desunt passionis Christi, in carne sua implesse dinoscitur; libera nos a passionibus spiritalium nequitiarum, ut credulitas Fidei Christianae sic nos virtutum ubertate remuneret, ut coronandos tibi post transitum, & placituros adsignet.

ALIA.

All. Alleluia, in * lavoribus multis fui.

CHriste, Filius Dei Patris, qui beatissimum martyrem tuum Stefanum in multis laboribus constitutum de duorum lapidantium generibus victorem esse fecisti, dum & multipliciter linguis infidelibus, & semel reperitur infidelibus manibus lapida-

* *Lege*: laboribus.

pidatus; libera nos suffragiis ejus a linguis iniquè loquentium, & ab inpugnatione carnalium vitiorum: ut munitione Fidei Christianae, & externa bella superantes, & intima, aeternam mereamur pertrai ad coronam.

ALIA.

Domine Jesu Christe, qui Martyrum tuorum triumphos propria passione primitùs adquisisti, ut illis vinceres, quos pro te vincere praestitisses, inter quos Stefanum testem tuum elegisti, tempore & munere primum; quaesumus tuae majestatis potentiam, ut interventu tanti Martyris nos digneris a malis omnibus liberare, quem pro inimicis orantem clementer dignatus es exaudire: ut, qui te apertis caelis videns pro inimicis * exorabit, ut parceres; publicatis confessionibus nostris, te deprecetur, ut nostra vulnera sanes.

Resp. Stefanus vidit caelos apertos.

* *Lege*: exoravit.

ALIA.

Domine Jesu Christe, qui beatissimum Stefanum tuum in medio fratrum, primum & diaconi stolâ, & coronâ martyrii decorasti, ut sanctificatus inter collegas, coronatus inter caelicolas refulgeret; fit nunc, te adnuente, * plevi tuae praecipuus in patrociniis, qui primus extitit in electis: ut, cujus virtute multitudo devicta est infidelium, ejus suffragio firmetur spes aucta credentium.

* *Lege*: plebi.

ALIA.

Domine Jesu Christe, qui piissimum Stefanum testem tuum impiorum testium fallaciâ coronasti, ut * perso testimonio falsitatis * egredius ille testis fieret veritatis, inextimabili praemio, * inerrabili quo judicio bonum illius infestationi providens iniquorum, quum & illi malitiae suae fructum caperent, & beatus Martyr patientiae gloriam reportaret; praesta igitur, omnipotens Deus, ut interventu tanti Martyris, a nobis famulis tuis falsitatis * commendata recedant, & veritatis praeconia in tuo honore adsiduâ confessione persistant.

* *Lege*: perverso.
* *Lege*: egregius.
* *Lege*: inerrabilique.
* *Lege*: commenta.

ALIA.

Domine Jesu Christe, ecce insanientium Judeorum odia, quae in tua passione dudum extincta non fuerant, in martyriis tui Stefani denuo invidià recrudescunt; persequuntur denique veritatis discipulum, qui proditores ipsius extiterunt veritatis: metuentes, ne, si ille vera dicendo praevaleret, veraciter ipsi perirent: quibus melius fuisset, ut, re convicti, commissae rei paenitudinem gererent, quàm sic saeviendo malorum cumulum adderent; Praesta igitur, omnipotens Deus, ut nobis famulis tuis ita sit amori veritas, ne omnino subripiat falsitas: ac si aliquo errore mortalium deviamus, intercessione Martyris tui satisfactionis munere corrigamur.

ALIA.

Adjuba * nos, Domine, patrocinio beati Stefani testis tui: cujus fides januam confessionis aperuit: cujus devotio martyrii viam sacravit: cujus triumphus principium remunerationis emeruit; & dignanter adtribue, ut omnis Ecclesia, quae nunc veneratur agonem Martyris gloriosum, mereatur exoratum suffragantis auxilium.

* *Lege*: Adjuva.

ALIA.

Br. Moz. fol. 32. col. 1.

Memores praeceptorum tuorum, Domine Jesu Christe, quibus memoriis Sanctorum communicare praecepisti, beatissimi Martyris tui sparsos per Orbem meritorum titulos celebramus, qui coronam, quam nominis sui interpretatione promeruit, privilegio sanctitatis obtinuit; praesta igitur, eodem interveniente, ut, qui praeconia ipsius, religionis cultu veneramur, patrocinia inpensiùs consequamur.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 31. col. 1.

Beatissime Stefane protomartyr, vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit: ut, qui mortem pro illo sumeres, coronam per illum & nomine & virtute susciperes: primus in martyrio, primus in praemio: pri-

ALIA.

Br. Moz. fol. eod. Dilectus a te, Domine Jesu Christe, ineffabile tibi testimonium Discipulus peribuit, dum quod admiranter tuo de pectore sumsit, mirificè * ructare promeruit; principium ergo quod ille * & misca fide cognovit, & vervis misticis exaravit, esto in ore nostro ad complementum virtutis, ad effectum piae operationis: ut tibi sine fine jungamur, cujus potentiam magnificè confitemur. *Ant.* Dilectus a Domino testimonium peribuit. * *Lege*: eructare. * *Lege*: & mystica fide, & verbis.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 32. col. 3. Christe, Dei Filius, qui te pricipium, quod ipse es, in ore a te dilecti Discipuli ita confiteri dedisti, ut illuc cor ejus ascenderet, quò nullus alius valuisset; fac, * tui muneris gratiâ cor semper in supernis habere: ut, exinde capientes veritatis omnimodae disciplinam, quod hic professi fuerimus ex ore, futuro consequamur in munere. * Br. Moz. fac nos.

BENEDICTIO.

Unigenitus Dei Patris Filius, qui virtute dilecti Discipuli confractos lapides, gemmasque ad suam fecit redire naturam, ab omni peccatorum fracmine vos immunes efficiat: Et qui, per illum mortuos suscitavit ab inferis, eodem suffragante, vos suscitet & ab omni conluvione fetoris: ut dilectio & gratia, qua illum praestitit virginem esse, faciat vos de aeternis muneribus exultare.

* II. KAL. JAN. * *Sec. curis*.

INCIPIUNT ORATIONES
IN DIEM SANCTAE COLUMBAE.
COMPLETORIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 430. col. 4. Deus, qui beatissimam Columbam columbarum simplicitate fecisti esse mirificam, ut innocentiâ fidei Christianae te & virgo sequeretur, & martyr: dum tibi & corpus intactum servavit, & victrix Martyr adesit: dum a te adte, formatâ caelis voce, vocatur, & per te in caelis mirificè coronatur; optata nostris mentibus gaudia praesta, ut ejus meritis nostrorum criminum victores effecti, in caelestibus mereamur sedibus conlocari. * Br. Moz. mendosè, dum data a te formata &c.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. eod. Deus, qui beatissimam Columbam virginem victricem esse voluit flammae, extinguat in vobis omnem carnis titillationis ardorem: &, per quem illa caelesti voce meruit * evocari ad praemium, per eum vos mereamini sanctitatis optinere propositum: ut exemplo ejus, sicut illa pro Deo cervices suas materiali subdidit gladio, ita animas vestras divino semper * subjuget imperio. * Br. Moz. vocari. * *Lege*: subjugetis.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 431. col. 1. Una, & perfecta es virgo Christi Columba, quae & unitate fidei clara, & perfectione operum monstraris esse conspicua; fac, nos ergo precibus tuis intra sinum matris Ecclesiae ita * inculpaviliter degere, ut coronandi ad promissa mereamur caelestia pervenire. * *Lege*: inculpabiliter.

ALIA.

Br. Moz. fol. eod. Una, nec divisa proxima tua, Christe, Ecclesia, una est ecce Columba, quae * nen in fide habens rugam, nec in opere maculam; interpellet te, quaesumus, pro criminibus nostris, ut, in ejus corpore felicitate perpetua consistentes, aeternorum civium mereamur esse participes. * *Lege*: nec.

ALIA.

Br. Moz. fol. 431. col. 2. & fol. 378. c. 3. Bona est, Domine, proxima tua virgo Columba, quae, dum proxima tibi efficitur, soror tuo de sanguine speciosa monstratur per * priam passionem; ejus ergo interventu passionum a nobis maculas terge, ut speciosi a te & votis & operibus redditi, portas aeternae Jherusalem mereamur introire beati. * *Lege*: propriam.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 433. col. 2. DOmine Jesu Christe, qui sermonibus Columbae beatissimae virginis * evertit sensum juvenis petulantis: * & qui, nomen Christi blasphematurus, ad virginis prostitutionem ingreditur, praedicator Christi esse, egrediens monstraretur; da nobis meritis virginis tuae, ut de malis actibus vitam in melius conmutemus, quò incentivis carentes libidinum, aeternorum mereamur percipere praemia gaudiorum. * Lege: evertis. * Lege: ut qui.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 433. col. 3. DEus, qui unitate & perfectione Columbae virginis gaudet, innocentiâ vos columbarum remuneret: &, qui sidereis vocibus intonans apertos ejus meritis nuntiat caelos, vos in caelestibus conlocet sedibus munerandos: ut, quo illa oblectatur post gloriam passionis, illic muneranda semper nostrae * digatur acies mentis. Lege: dirigatur.

ORATIONES DE OCTABAS NATIVITATIS DOMINI.
AD VESPERUM. * KAL. JAN. * Sec. curis.

Br. Moz. fol. 35. col. 4. JEsu Domine, cujus admirabile nomen Angelus praedixit, Mater inposuit, Simeon cognovit, Anna laudavit; salva populum tuum in universo mundo, cujus est magnificum nomen in caelo: ut, qui solus es potentia gloriosus, sis etiam * praepeditis miserationis indulgentiâ pius. * Br. Moz. perditis.

BENEDICTIO DE CIRCUMCISIONE DOMINI
AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 35. col. 4. DOminus Jesus Christus, qui ad confirmandas promissiones Patrum minister circumcisionis voluit esse, ipse cordium vestrorum inmunditias dignetur auferre. Idem, qui praecepto legis suae signum defectae carnis accepit, omnes a vobis sordes, sui amoris connexione, depurget; &, qui vos filios Abraae in se ipso, qui est semen ejus, benedicere repromisit, haereditatis beatae vos conlatione munificet.

ITEM AD MATUTINUM
DE PSALMO III.

TIbi semper gloria, cujus gloriam in adsumto homine vidimus, quasi gloriam Unigeniti a Patre, plenum gratia & veritate; praesta ergo nobis, quaesumus, habundantia pietatis te pro nobis humilem fide agnoscere veritatis, & coaeternum Patri credere permanentem in gloria Deitatis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 36. col. 4. CHriste, Dei Filius, qui factus ex muliere, factus sub lege, ad confirmandas promissiones Patrum minister circumcisionis es factus; ut, qui promissus fueras ex lege, plenitudo legis esses in tempore, dum octavi diei mysterium consecras in gloriosa carne tua, * & circumcisionis verae signaculum excipis; largire nobis indignis, ut, qui haec mysteria tuae Incarnationis plena credulitate suscipimus, pleniori te affectu mentium diligamus: ut te, in quo secundum legem Domini salutis nostrae mysteria universa perfecta sunt, sic credamus, sic amemus, sic operum efficientia placeamus; ut de perfectione tuorum mandatorum & in hac peregrinatione consistamus indemnes, & ad te post transitum mereamur pervenire felices. Ant. Postquam consummati sunt dies octo. * Br. Moz. & circumcisione veterem signaculum; sed lege, ut in nostro Cod.

ALIA.

Br. Moz. fol. 346. col. 2. BEatam, Domine, illam justi tui Simeonis vocem fac in nobis, quaesumus, pari diligentia personare: ut, quia vidimus & credimus salutare tuum, in pace, quum jusseris, dimittamur; non quò a te dimissos finis vitae accipiat, sed per te absolutos debito, in fine pax sempiterna possideat. Ant. Simeon in templo.

ALIA.

CHriste, Dei Filius, qui aliis in ruinam, aliis in resurrectionem es positus, dum infidelibus efficeris lapis offensionis, & petra scandali: fidelibus autem ostensio Al. Alleluja, positus est hic * in ruina. * Leg. in ruinam.

ſio lucis, & gloria reſurrectionis; annue praecibus noſtris, ut, qui de ruina conquerimur criminum, fidei gratiâ expiemur: ut per te reſurgamus a vitiis, qui in reſurrectionem es poſitus credituris.

ALIA.

Br. Moz. fol. 36. col. 1. OMnipotens Deus Pater & Domine, largire credenti tuo populo pacem, ut, qui ſalutare tuum vidimus, viſionis tuae gratia muneremur: ut, qui lumen ad revelationem exſtitit gentium, indultor criminum ſibimet credentium ſentiatur. *Reſp.* Nunc, Domine, dabis populo tuo pacem.

ALIA.

Br. Moz. fol. 346. col. 3. FAc nos, Domine, ut ſalutare tuum, quem oculo fidei vidimus, placavilem in Judicio ſentiamus: ut, qui ad revelationem praeparatus eſt gentium, non ad punitionem, ſed ad ſalvationem ſe Judicem ingerat redemtorum. *Ant.* Viderunt oculi mei.

ALIA.

Br. Moz. fol. 36. col. 2. AD praeſepe tuum, Domine, devotis cordibus accedentes, invenimus te, de quo ſcripſit Moyſes, & quem praedixerunt Prophetarum omnium voces; da ergo nobis, ut, qui notitiam nominis & majeſtatis tuae cognovimus, ad plenam notionem tuae dulcedinis veniamus: ut tu liverator in futuro nobis ſis omnibus, qui, verus Deus & homo, unus crederis Chriſtus. *Ant.* Quem ſcripſit Moyſes.

ALIA.

Br. Moz. fol. 37. col. 1. DEus, qui notum feciſti in populis ſalutare tuum ante * conſpectu gentium, tuam revelando juſtitiam, miſerationum tuarum nobis copiam manifeſta, ut, qui ſalutaris tui notitia * relebamur, revelatione juſtitiae conſolemur. *Ant.* Notum fecit. * *Lege:* conſpectum. * *Lege:* relevamur.

ALIA.

DOmine Jeſu Chriſte, qui ſolus nominis tui ſcientiam habes, & magnificae virtutis potentiam obtines, quem nemo novit niſi Pater, cujuſque revelatione cognoſcitur Pater; revela nobis tanti myſterii majeſtatem, & ita te unum cum Patre & ſancto Spiritu credentes inſeparabilem cognoſcamus, ut fidei merito ſemper propitium mitemque in confeſſione praeveniamus. *Ant.* Hic, qui advenit.

ALIA.

COgnovimus, Salvator noſter & Domine, nomen tuum in iſto die, teque ipſum, qui dudum es in Prophetis loquutus, adeſſe; * praeve ergo nobis beneficio pietatis, ut, calciati pedes noſtri in praeparatione euangelii pacis, fructum conquirant aeternae poſſeſſionis: ut, & nunc pulcri efficiantur praedicando pacem, & pòſt glorioſiores perveniendo ad requiem. *Ant.* Cognoſce popule meus. * *Lege:* praebe.

ALIA.

Br. Moz. fol. 35. col. 3. & fol. 345. col. 3. DOmine, quem * Johanne natum homines conſpexerunt, & praedictum fines terrae viderunt, qui * ante aliquod tempora praedictus es vocibus Profetarum, & in tempore viſus glorificatus es modulis populorum; concede propitius, vaſa nos tua tibi permanere puriſſima, ut lucis auctor nos & jugiter inluſtres, & indeſinenter inhabites. *Ant.* Viderunt omnes fines terrae ſalutare Dei noſtri. * *Lege:* hominem natum. Br. Moz. fol. 35. ex homine. * *Lege:* ante aliquot. Br. Moz. ante aliqua.

ALIA.

Br. Moz. fol. 231. col. 4. JUbilet te, Domine, omnis terra, pſalmum cantet nomini tuo, cujus nomen ab oriente & occaſu admirabile eſt & praeclarum, dum redemtor agnoſceris populorum; concede ergo Eccleſiae tuae precibus, ut, quos in fide vocas, in temtatione non deſeras: &, qui tibi jubilum perſonant laudis in ſaeculo, praemium mereantur aeternae beatitudinis in futuro. *Ant.* Jubilate Deo omnis terra.

ALIA.

Br. Moz. fol. 231. col. 4. MIravilia ſunt teſtimonia tua, Domine Deus, quibus Unigenitus Filius tuus revelatur in gentibus; praeſta ergo nobis, ut, qui revelata facie gloriam ejus ſpeculamur, a dextris ejus in Judicio conlocemur. *Reſp.* Videbitis odie mirabilia.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 36. col. 2. — DOmine Jesu Christe, qui, figuris crebrescentibus in lege veteri nuntiatus, in te impleta omnia ostendisti, dum in te vero Deo & homine & circumcisio secundum legem exprimitur, & veritas nominis adprobatur; adesto plebi tuae, ad te ex circumcisione & praeputio venienti: & praesta, ut incremento muneris, & gratiâ benedictionis multiplicetur in habundantia pacis. — *Ant.* Quum circumcideretur puer.

ALIA.

Br. Moz. fol. 346. col. 3. — DOmine Deus, qui omne masculinum, adaperiens vulbam, sanctum esse testaris; fac, nos tibi in sanctitate & justitia deservire, ut, qui vulbam materni uteri incorruptione sanctificas, aeternae sanctificationis praemio credentes attollas, & qui gloriosum nomen tuum in gentibus nuntiant, remuneratorem te suum in futuro cognoscant. — *Ant.* Tulerunt Jesum in Jherusalem.

ALIA.

Br. Moz. fol. col. — DEus, qui in expiatione parientium, par turturum, vel duos pullos tibi offerri praecipis columbarum, in vivam nos tibi * praepera hostiam, qui pro nobis ipse factus es hostia: ut, qui legem adimplere venisti, non solvere, in nobis euangelii gratiam digneris opulentiùs propagare. — *Ant.* Dederunt hostias pro Jesu. * *Lege*: praepara.

ALIA.

TRibue, Domine, nobis, scire & intellegere, quoniam tu verè es, qui semper es, & praeter te nullus alius est; tu ergo, Domine, adnuntians bona, fac nos in te bonos, quos sine te adprobas utique malos: ut, qui ad non esse ex proprio tendimus, ad semper esse tuo munere perducamur. — *Resp.* Cognosce, plebs mea.

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 37. col. 2. — NOtum factum est salutare * Domini virtutum, praedictum Prophetarum praeconio, visumque populorum aspectu, dum Simeon * ulni gestavit senes, quod vates cecinerunt priores: pro quo & promissa, & in quo adimpleta cognoscitur prophetia, ut requiesceret in pace, dum aspiceret pacem: & Jesus Dominus, lumen * in revelatione gentium, & gloriam plebis suae Israhel, & promissus prodiret, & prodiens appareret: lucemque ejus praevenirent in saeculo, quos caecitas oppresserat tenebrarum in mundo; Praesta proinde, Domine, precibus Ecclesiae tuae, ut, quos mirabilia haec fecisti cognoscere, ad te facias pervenire in pace.

* *Br. Moz.* Domine virtutum.
* *Lege*: ulnis gestavit senex.
* *Lege*: in revelationem.

BENEDICTIO AD MATUTINUM.

DOminus Jesus Christus, qui se pro nobis circumcidi permisit, ipse in vobis mundi voluptates divini Verbi gladio desecet: &, qui ritum veteris legis, ut legem adimpleret, suscipere voluit, ipse vos novi testamenti gratiâ renovet: ut vetusta quaeque recentes ex corde, nova, quae Domino placent opera, & mente perficiatis, & corpore.

ITEM COMPLETORIA IN EODEM DIE DICENDA, QUO MISSA CIRCUMCISIONIS DOMINI CELEBRATUR, AD VESPERUM.

CHriste, Filius Dei Patris, qui minister factus es circumcisionis, & paternarum promissionum es omnimoda plenitudo, & adumbratae legis * rebelata perfectio; da nobis, horum mysteriorum gaudiis propensiùs gratulari: &, qui factus sub lege, praecepta legalia non solvere, set adimplere venisti, de peracto Nativitatis tuae festo nos jubeas jucundari.

* *Lege*: revelata.

BENEDICTIO.

CHristus, Dei Filius, qui olim ad complementum legis signum accepit circumcisionis, purificet vos ab omnibus iniquitatibus vestris: Abscidat quoque vestri cordis praeputia, qui est * dedignatus suscipere circumcisionem corpoream: ut, abscisis omnium vitiorum inlecebris, de peracto gaudio tantae festivitatis & hic & in aeternum perenniter exultetis.

* *Idem hic*, ut dignatus.

IV. K. JAN.

* Sec. curis.

* IV. K. JAN.

INCIPIUNT ORATIONES DE INITIO ANNI.

AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 16. col. 4. & fol. 410. col. 1.

BEnedic, Domine, coronam anni benignitatis tuae, ut & * montes copiâ doctrinae refulgeant, & campi donorum tuorum ubertate pinguescant: quò ita nobis substantia cum tua gratia largiatur, ut & caro frugibus, & anima Divinis pasta conlaetetur virtutibus.

Ant. Benedic, Domine, coronam anni.

* *Br. Moz. primo loco montes; secundò verò, mentes, quae lectio magis placet.*

ALIA.

PRaebe nobis, Domine, annum placabilem, ut salvationis dies nos sine intermissione praeveniat, dum totius anni cursus optatae prosperitatis nobis exibuerit incrementa.

Ant. Consolare, Domine, contritos corde.

ALIA.

DEus aeterne, qui idem ipse es, cujusque anni non deficient; renova annos nostros dono gratiae tuae, ut, sicut a principio promisisti patribus nostris, & terra optatos pariat fructus, & animae nostrae salutarium doctrinarum mereantur invenire proventus.

Ant. Renoba, Domine, annos nostros.

COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 37. col. 4.

DEus sine initio, sine fine, a quo est totius mundanae creaturae initium; da nobis, ut extrema, vel media anni hujus * eum placita tibi prosperitate ducamus, qui initia ejus tibi dedicanda porrigimus, ut & substantiis habundemus, & sanctitatis operibus fulgeamus.

* *Br. Moz.* complacita.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. eod. col. 4.

DOminus Jesus Christus, qui est corona totius a se formatae Ecclesiae, det vobis hunc annum placabilem ducere. Consoletur vos frugibus, & dignetur munerare virtutibus: ut, prosperitate sibi placita laetabundi, totius anni spatia mereamini pertransire inlaesi.

*VIII. ID. JANUARIAS.

ORATIONES IN DIE APPARITIONIS DOMINI.

AD VESPERUM.

* *Secundis curis.*

Br. Moz. fol. 49. col. 3.

A Et Ω. initium & finis, Deus & homo, infinitus & praefinitus: in quo A & principium * Deitatis, & ultimum sentitur humanitas: excedens omnia, vivificans cuncta, & continens universa; miserere nobis, qui dignatus es nasci pro nobis, dum in te permanes, & nobis appares: dum in te subsistis, & nobis subvenis: dum nusquam a Patre potentialiter dees, & ad salvandos miseros elementialiter ades: dum caelestia reples, & terrena non deseris; perfice in nobis, quaesumus, beneficium piissimi Redemtoris, dum conservas gloriam inestimabilis Conditoris: ut pietate, qua redemtor adsistis, indultor quoque criminum sentiaris.

* *Lege:* Deitas.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. eod. col. 3.

BEnedicat vobis A. & Ω. cognominatus, omnipotentis Dei Patris unigenitus Filius: Qui est initium & finis, ipse vos secum victuros adtollat temporibus infinitis; atque, ereptos a malis, ita inlustret lumine claritatis, ut vos & gloriae praemiis, & donis ditet aeternitatis.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 50. col. 1.

REx omnium saeculorum, Christe Deus altissime, qui in diebus Erodis regis de Virgine natus, Magis, te quaerentibus, novo es in sydere declaratus; appareat in nobis virtutis tuae praesidium ad depellendas omnes pernicies tenebrarum, quò sic Majestatis tuae sydus in nobis resplendeat, * & ad te quaerendum nulli se nobis errorum obices interponant, quò & ad te videndum curramus alacriter, & te viso jucundemur instanter.

Ant. In diebus Herodis regis.

* *Lege:* ut ad te.

ALIA

ALIA.

Ant. Erodes occultè.

DEus, qui Magos, errorum principes, stellae fulgentis indicio subsequentes ad agnitionem veritatis per viam recti itineris adduxisti, & de manu persequutoris ut princeps pacificus liberasti: * quo utique Erodes occultè vocans, ut ad te accederent, instruebat, dum fraudem in obsequium simulat: sicque evadunt simulantis * decipula, dum te reperiunt viam; te quaesumus, ut in Ecclesia tua pacis jura conserves, & nos ab omnibus scandalis, & temtatoribus liberes: ut, qui in fide Catholica Sacramentorum tuorum sumus usquequaque custodes, cum omnibus Sanctis aeternae beatitudinis haberi meramur participes.

* *Fortè legendum*, quos.
* *Lege*: decipulam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 52. col. 2.

Ant. Praecedens.

CHriste, Filius Dei, qui * praecessione radiantis stellae te ipsum in praesepio positum Magis te quaerentibus voluisti ostendere; praecedente nos, vel subsequente gratia tua, aeternum fac nobis sydus refulgeat, quò te cotidie inveniamus edendum, qui cibus factus es redemtorum.

* *Br. Moz.* processione.

ALIA.

Br. Moz. fol. 50. col. 2.

Resp. Jherusalem, ecce apparuit.

DEus, Dei Filius, Patris summi ineffabilis Virtus, qui novo sydere in gentibus rex regum hostenderis magnus, & in civitate illa beata appares gloriosus: quem insulae tremunt: cui principes & nationes gentium obsequuntur, dum tibi omnia regna cedunt, tibique regum diademata substernuntur; dignare jam per gratiam, nostris te ostendere in sensibus pium, & in conversationibus manifestum: ut primitias spiritûs habentes, ea tibi semper munera dedicemus, per quae introire beatam illam Jherusalem * pacatis cordibus mereamur, ubi tibi mundissimum aurum nostrorum operum deferentes, regni tui mereamur esse participes.

* *Br. Moz.* placitis.

ALIA.

Ant. Venit Jesus a Gallilea.

DOmine Jesu Christe, qui Jordanis alveum & baptizandus & sanctificaturus intrasti, quo documento justitiae, & humilitatis monstrares exemplum, & sanctificationis perficeres beneficium; purifica conscientiam nostram inexausto tui muneris dono, quo, in baptismi sacramento & Patris vocem, & Filii proprietatem, & Spiritus sancti manifestam probamus hostensionem, dum * in ministerio beatae Trinitatis perficitur plenitudo nostrae salutis.

* *Fortè etiam*, in mysterio: *sed prima lectio magis placet*.

ALIA.

Ant. Johannes testimonium.

CHriste, rex noster & Domine, super quo baptizato, peribentis Johannis testimonio, credimus Spiritum sanctum in columbae speciem descendisse; praebe nobis, ita mysteriorum tuorum arcana cognoscere, quatenus id virtutibus proficiat, non ruinae: ut, qui de te visionem percipimus gloriae, nulla inflemur superviae vanitate; quò alta nos sic semper miraculorum cognitio ad ethera pertraat, ut nullus vanitatis turbo corrumpat: ut, qui aquis Jordanis per ministrum humilem tingneris, nos in te jam renatos eleves a peccatis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 52. col. 1.

Ant. Jherusalem descenderint.

DEus omnipotens, cujus continuò filii efficimur, dum tinctione salutaris aquae purgamur; fac, nos ita benedictionis tuae percipere donum, ut meritò supernae illius Jherusalem filii appellemur: ut, qui gentibus es manifestatus in sydere, credentibus appareas in salute; &, qui nos renobasti benedictionis aqua per labacrum, renobes in futuro per indultae gratiae repromissum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 27. col. 2. & fol. 49. col. 4.

FAC nos, Domine, beatae illius Jherusalem visione laetari, & in gremio ejus perpetua jucunditate adtolli, in qua te, lux aeterna, radiare promittis, & cujus honor esse polliceris; largire ergo nobis, ejus desiderio carnalibus exui peccatis, & vestiri virtutibus copiosis: ut eam, cui tu apparendo factus es indeficiens lumen, nos amplectamur semper meritis Genetricem.

ALIA.

ALIA.

Br. Moz. fol. 50. col. 3.

DOmine Jesu Christe, qui ad interrogationem Erodis ita Magorum ora praeconio veritatis tuae inradias, ut te regem regum per eos nuntiatum ostendas: dum se vidisse ajunt stellae refulgentis inditium, quod Mundum illuminet universum; te quaesumus, te precamur, ut des in Ecclesia tua visionis tuae lumen optatum: appareas etiam in ea sydus omnibus pretiosum, quò, nulla adversarii interrogatione deterriti, sic magnalia tua praedicemus ore diffuso, ut aeternae lucis radiemur usquequaque praesidio.

Ant. Interrogavit.

ALIA.

Br. Moz. fol. 50. col. 2.

DOmine Jesu Christe, cui reges & insulae munera offerunt, qui invicta virtute liberare venisti pauperem a potente, & ex hostis antiqui potentia fragile humanum genus eripere miseratione superna: cum nos, a te prolongati, tuarumque miserationum inopes facti, illius * nequitati subditi, vinculisque peccaminum teneremur * adducti; sic tua nos jam nunc pietas & ab ejus saevitia eruat, & restitutos tibi tecum permansuros commendet, ut qui nos te miserante redemtos fatemur, remuneraturi te donante postmodum gloriemur.

Ant. Reges Tarsis.

* *Br. Moz.* iniquitati.

* *Lege, si lubet:* addicti.

ALIA.

Br. Moz. fol. 50. col. 4.

ADorabunt te, Domine Jesu Christe, omnes viri sublimes atque excelsi terrae, quoniam ipse, ut salvares homines, humilis nasci es dignatus in terris; in te enim verè Deus est, quia tu Verbum in carne absconditum, non mutatum, unum cum Patre possides regnum; Confundantur proinde omnes, qui adversantur tibi: dum aut sic erubescunt, ut ad te redeant: aut in te confunduntur, si ad te minimè convertantur; Noster ergo Salvator salvandis nobis appareas, dum nos & in te credere, & ad te transire, & te toto corde diligere praestas.

Ant. Viri * sublimis.

* *Lege:* sublimes.

ALIA.

Br. Moz. fol. 51. col. 3.

FUlget, Domine, Caelum rutilâ serenitate astrorum, Terraque ipsa refulgenti lumine serenatur, quia apparere dignatus es Mundo de habitaculo sancto tuo; sana ergo cordis nostri moestitiam, qui ad hoc venisti, ut redimas universa: illutque nostris oculis lumen adtribue, quo te purificati semper mereamur aspicere: ut, qui apparitionis tuae gaudia laetabunda nuntiamus in gentibus, infinita tecum laetitia gaudeamus.

Resp. Fulget caelum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 43. col. 4. & fol. 51. col. 3.

TU es, Domine, stella veritatis oriens ex Jacob, homoque consurgens ex Israhel: & in novo sydere ostenderis Deus, & in praesepio positus Deus & homo, unus crederis Christus; propter magnam ergo misericordiam tuam, visionis tuae nobis * proroga gratiam: appareat in nobis lucis tuae radiabile signum, quod expellat omnes tenebras vitiorum: ut, qui visionis tuae desiderio anelamus, visionis tuae praemio consolemur.

Ant. Dixit auditor.

* *Fortè,* praeroga.

ALIA.

Br. Moz. fol. 51. col. 4.

ALfa & Ω. principium & finis, radix, genus, filius, dominusque David, Christus, Deus & Homo, per quem utique est ille, ex quo esse dignatus es; esto nobis propitius, dum nos & ùt David Dominus regis, & ùt humilis misericors redimis: ut sceptro tuo subiciens devotionem nostram, solus nos possideas in aeternum, qui solus victor factus es infernorum.

Ant. Ego sum alfa, & ω.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, quo oriente, visitati sumus ex alto, ambulantibus in tenebris lux magna resplende, & sedentibus in regione umbrae mortis vitale lumen appare, ut dum fulgore tuo peccatorum tenebras effugaveris, virtute tua mortis potestatem evacues: quò sic te nunc apparente inlustremur, ut te regnante a mortis imperio liberemur.

Ant. Visitavit nos.

ALIA.

Ant. Felices.

FAc nos, Domine, tuis praeceptis obedientiam exibendo, felices: ut per portas sincerissimae veritatis introeamus in interiora aeternae & gloriosissimae civitatis; sicque hic per Crucis lignum salvemur, ut illic lignum Vitae possideamus: quò ita nobis hic apparitionis tuae mirabile refulgeat sydus, ut illic aeternitatis tuae resplendeat gloriosus aspectus.

ALIA.

Ant. Omnis terra.

OMnis terra, Domine, laetatur, exultatque multitudo * redentium, quia nova lux prodidisti omnium saeculorum; da ergo nobis, hujus apparitionis tuae festum ita promtissimâ devotione excolere, ut quidquid promta credimus fide, aeternâ mereamur consequi in mercede: ut te videamus in jubilo, qui olim es agnitus in sydere declarato.

* Lege: credentium.

ALIA.

Br. Mot. fol. 51. col. 2. — *Ant.* Dies sanctificatus.

DEus sanctificator diei odiernae, qui sanctae hujus festivitatis nomen de mirabilibus indidisti; * ad Ecclesiae tuae, ut sicut Epyfania, idest odierna solemnitas, & declaratio & apparitio nuncupantur, ita in populo claritas Majestatis tuae fulgescat, & sanctitatis lumen appareat, ut plebs haec, in tuo nomine consecrata, hoc habeat jugiter in conversatione, quod haec festivitas appellatur ex nomine.

* Lege: da Ecclesiae.

ALIA.

Ant. In isto die.

ADest, Domine, dies illa, in qua olim refulsisti in gloria super terram, exalta ergo, & clarifica credentium plebem, quam de tenebris evocasti ad lucem; & solus nobis stella matutina resplendeas, dum nos in te sine fine exaltas.

ALIA.

Br. Mot. fol. 51. col. 1. — *Resp.* Stella, quam videbant.

STella illa, Domine, quae natum te in terris regem Magis stupentibus nuntiavit, non sydereas in caelum vias tenuit, quum novo Virginis partu novum sydus apparuit, sed ad demonstrandum te hominibus Christum usque ad ipsum nativitatis tuae loculum praecucurrit; unde profusis te precibus imploramus, ut, qui ejus inditio absque errore Magorum direxisti itinera, nostra te apparente sanctifices corda: ut in aequitate coram te gradientes atque justitia, pervenire mereamur ad gaudia repromissa.

ALIA.

Br. Mot. fol. 50. col. 1. — *Ant.* Gloriosus est.

DEus, Dei Filius, cujus inter homines & forma & aspectus est gloriosus, glorificandos nos tibi adsume, & in partis dexterae coronandos conlocatione statue, ut qui ora nostra in tuis laudibus aperimus, carnis sensibus non grabemur: & qui gloriosi aspectûs tui solamen exquirimus, visionis tuae consolatione omnimoda potiamur.

ALIA.

Br. Mot. fol. 50. col. 3. — *Ant.* Domine, qui nutriunt.

DOmine, quem inclinato in terram plebes vultu adorant, dum tuo subiciuntur imperio universa; largire indefessam populis Christianis laetitiam, & odiernae apparitionis tuae gaudia protende in gentibus dedicanda: Nobis quoque ita esto semper placabilis, ut propitius in Judicio sentiaris, quò vitae nostrae ex vultu tuo tam indefinens solamen existat, ut a te nostrorum nullus depereat, qui te unum & verum Deum expectat.

ALIA.

Br. Mot. fol. 51. col. 2. — *Ant.* Orietur in diebus.

HAbundet, quaesumus Domine, in diebus nostris justitia & multitudo pacis: ut, quos apparitionis tuae luce inradias, abundantiâ pacis usquequaque fulcias: ut, dum deputatis officiis obsequii dependimus votum, ethereae lucis luminosum capiamus effectum.

ALIA.

ALIA.

Br. Moz. fol. 13. col. 2.

DEus Pater omnipotens, qui nobis Filium tuum ſuſcitaſti in regem, quo apparente Mundo, Eccleſia tua, ut Fiſou, ſcient â inundatur: &, velut Eufrates, foecundatur intellectu cariſmatum; da nobis, in te habere & ſcientiae lumen, & virtutum omnium plenitudinem: ut, dum ſcientiae dona perquirimus, *inlaeſi ad te, qui es fons ſcientiae, veniamus.

* *Br. Moz.* iterum ad te.

ALIA.

Br. Moz. fol. 50. col. 4.

Ant. In excelſis apparuit.

DEus, qui breviſſimum ſydus voluiſti gratiâ * repentinâ veſtire fulgoris; hoſtende, quaeſumus, faciem tuam populis Chriſtianis: ut, ſicut Magis errantibus tandem tramitem veri demonſtraſti itineris, ita nobis delinquentibus tribuas portum aeternae ſalutis.

* *Br. Moz.* repentini.

ALIA.

Br. Moz. fol. 49. col. 2.

Ant. Rex magnus natus eſt.

DOmine Jeſu Chriſte, qui Magorum munera, in myſterio oblata, Deum te, regemque, hominemque declarant: ut, primitias gentium in his acceptans, plenitudinem gentium in ſalute perficias; adeſto nobis per ea, quae in te *indiviſa inconfuſa conſtare veraciter credimus: dum pro nobis & ut homo innocens pateris, & ut rex * pontens vinces, & ut Deus omnipotens incorruptibilis * permanens; cujus utique & Paſſioni mirra, & Regno aurum, & Deitati debetur incenſum,

* *Br. Moz.* diviſa, in confuſa.
* *L.* potens vincis.
* *Lege*: permanes.

ALIA.

Ant. Ecce in Jheruſalem.

ECce in Jheruſalem, Domine, apparet gaudium, in Eccleſia tua fides enitet populorum; inlumina ergo eam, quaeſumus, bonorum operum fructu, & vias ejus renova inpenſione caeleſtium gaudiorum.

ALIA.

Reſp. Sedet rex.

REx regum inmenſe, qui in trono Patris ſedens, patriumque ſolium retinens, non ad judicandum, ſed ad ſalvandum Mundum veniſti; da requiem populo tuo ab omnibus honeribus, quibus honerati conſiſtimus: ut, qui apparuiſti rex glorioſus in terra, mitis exiſtas, quum manifeſtata nobis fuerit gloria tua.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 52. col. 4.

GLorioſe, ſancte, omnipotens, aeterne Deus, qui varios humani generis miſeratus ſemper errores, propterea ſine dubio etiam Magis, in tenebroſa ſuperſtitionis ſuae caligine conſtitutis, praevium ſyderis lumen uſque ad tua ſancta cubilia miniſtraſti: ut omnibus generaliter, in ſuo errore degentibus, deſiderium tuae agnitionis accenderes; * ecce nos etiam, precamur, ſalutiſero tui amoris ardore: ut, qui te jam dono tuae inluminationis agnovimus, tuae quoque dilectionis ardore flagrantes, tibi adaerere in perpetuum mereamur.

* *Lege*: accende nos etiam.

BENEDICTIO.

DOminus Jeſus Chriſtus, qui odie apparitionis ſuae mirabile ſignum oſtendit in caelo, majeſtatis ſuae praeſidio vos gubernet in ſaeculo. Acceptet credulitatis veſtrae vota fidelia, ſicut Magorum ſuſcepit munera praetioſa. Jubeat peccatorum veſtrorum * ſordes abſtergere, qui, ut omnem juſtitiam adimpleret, non eſt dedignatus a famulo babtizari.

* *Primis curis*, cordes.

ITEM COMPLETURIA IN EO DIE QUA MISSA CELEBRATUR AD VESPERUM.

CHriſte, Dei Filius, qui * oſtenſone novi ſyderis glorioſus in gentibus demonſtraris; fac nos, ut, qui hodiernae ſolemnitatis feſtum laetantes ovanteſque peregimus, refulgentis tuae ſcientiae lumine inluſtremur.

* *Lege*: oſtenſione.

BENEDICTIO.

CHriſtus, Dei Filius, qui novo eſt oſtenſus in ſydere, ſui vos amoris innovet ubertate; Quique Magos admonuit, ne per viam, qua venerant, re-

verterentur, nunquam vos patiatur iter repedare iniquum: ut illi semper cor vestrum fructificet, cujus odie apparitionis peregistis sollemnitatem.

* VII. ID. JAN. *Sec. noris.

INCIPIT ORATIO, VEL BENEDICTIO DE FESTIVITATE SANCTI JULIANI, DICENDA TAM AD VESPERUM, QUAM AD MATUTINUM. COMPLETURIA.

Br. Moz. fol. 332. col. 1. DOmine Jesu Christe, qui beatis Juliano & Basilissae, fida sibi caritate conjugibus, caelestia conubii consortia tribuisti, dans illis, & corruptionis nescire contagia, & sanctitatis perficere vota: dum in utroque sexu, & per Julianum virorum tibi multiplex numerus adgregatur, & per Basilissam sanctarum virginum multitudo conquiritur: dum & illa per confessionem suscipitur, & hic per passionem glorificatur: dum & illa in virginibus floret, & hic in passionibus gaudet, dans utrisque ad te glorioso transitu evocari: dum & illa ad te post insultationem criminum evocatur, & hic post decisam cutem sui capitis glorioso passionis fine concluditur; horum precibus atque suffragiis junge nos tibi iudisrupto foedere caritatis: ut, qui per eos tunc tibi consecrasti vasa mundissima, per te nos sanctificatos corpore & spiritu perducas ad caelestia regna.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 332. col. 1. CHristus Dominus, qui inter Julianum & Basilissam spiritale sanxit esse conubium, spiritali vos sciat florere dono virtutum: ut, qui beatum Celsium a latere Martyris non passus est dividi, in nullo vos patiatur a suo corpore segregari; atque per eos capiatis aeternae vitae praesidium, per quos sibi Christus multiplicia sacravit vasa mundissima.

ORATIONES IN DIE ALLISIONIS INFANTUM. AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 33. col. 1. CHriste, inenarrabile lumen mundi, qui, aduc in ipsis cunabulis constitutus, nondum effectus martyr, martyrii palmâ catervas Infantium dedicasti: qui, nec dum loqui valentes, sub munere saevientium varios fecisti mugitus emittere: quorum animas de abditis inferorum, te spontaneè pro nobis omnibus moriente, maluisti eripere; inspira eis, sine intermissione orare pro servulis: ut, qui propriis non valemus supplicationibus emundari a crimine, eorum, qui te, quocumque ieris, cum hymnis & canticis adsecuntur, & hic & in aeternum postulationibus abluamur. ANTIQUA.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 33. col. 2. UNigenitus Dei Filius, quo nascente in terris, Bethlemitica rura occisorum pro se infantium cruore infecta sunt, det vobis habere semper pro se optabile votum, & remunerationis parile proemium; Quique illos non ex aetate, sed ex sanguine victores effecit, ipse vos victores efficiat criminis vestri: ut cum his, quorum vox sanguinis ad Deum clamat de terra, remuneratura quandoque admittatur ad Christum confessio vestra.

ITEM ORATIONES AD MATUTINUM.

TUrba Parvulorum, in Syon albis vestibus decorata praefulgens, emitte ad Deum pro salvatione Ecclesiae preces: ut nivei candoris actu renovata resplendeat; qualiter Christus Dominus, qui inter vos eminens creditur singulis vobis pro martyrio tribuisse coronas, a nobis pro merito, quas meremur, arceat poenas. *Ant.* Vidi in Syon.

ALIA.

SUb ara tua, Domine, pro Vervo tuo Parvulorum animae interemtae, quibus aetas defuit eloquendi, adsit pro nobis studium deprecandi: ut, quorum vita lactea interemta est gladio, eorum vox te * inpetrare non cesset pro populo Christiano. *Ant.* Sub Ara Dei.

* *Fortè*: implorare, vel interpellare.

ALIA.

VIndica, Deus, effusum pro te sanguinem Parvulorum, qui, dum ipse ad necem quaereris, pro te patenter effusus est. Intret in conspectu tuo gemitus *Al.* Alleluja, Vindica Deus.

mitus eorum, quò pro utroque, eorum supplicatio in conspectu Majestatis tuae admissa, & eredentibus pacem, & persequentibus impetret ultionem.

ALIA.

Consolatur eece jam, Domine, mater Ecclesia de interemtis filiis lacrimosa; quia illic aput te post excessum vitae ineffabile capiunt quietis arcanum, pro quibus hic, inauditum * insaniâ, celebrandum susceperat luctum; da ergo nobis, ut in ejus gremio numquam deploranda se actio nostra effundat, sed de bonis actibus nostris semper gaudium habeat, quae in horum Parvulorum suorum sic laetatur victoria. *Resp.* Vox in Rama. * *Fortè*, in rama.

ALIA.

Br. Moz. fol. 33. *col.* 3. Memorare, Domine, mortes invictissimas Parbulorum tuorum pro tuo nomine occisorum; & praesta, ut vocem sanguinis eorum, pro nobis ad te elamantis, sic clementer exaudias, ut nobis omnibus peccata dimittas. *Ant.* Vocem sanguinis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 391. *col.* 1. Magno te, Domine, clamore Sancti omnes mirabiliter inpetunt, dum ultionem persequentium non vocibus corporeis, sed desideriis praestolantur; & ideo petimus, ut, qui illorum voces vel desideria exaudis, ad votum confitentium te animas non patiaris aeternum pertrai ad tormentum. *Ant.* Sancti omnes.

ALIA.

Br. Moz. fol. 391. *col.* 3. O Filiorum Dei beatissime sanguis, qui Juditü tempore vindicaberis; ante Judicium succurre populis Christianis: ut, quia pro te ultio restituetur a Domino inimicis, per te peccatorum remissio donetur omnibus Christianis. *Ant.* Sanguis filiorum Dei.

ALIA.

Occurre nobis, Salvator, ad liberationem, qui condolentis filiae Syon propter interfectos suos exaudire dignatus es vocem: ut, quia nullus virorum liberator humanitatis nostrae inventus est, tu, qui & infirmitatis nostrae particeps, & captivitatis redemtor es, illic nos in supernae illius Jherusalem sinu numquam ulterius casuros, sed perpetim laetabundos perducito, ubi summa & videns est gaudii plenitudo. *Resp.* Vox filiae Syon.

ALIA.

Vox funeris in excelso de interemtis Parvulis lugubri ululatu viscera materni foetus intercipit, dum * Racel illa, deplorans filios, noluit consolari; consolare ergo tu, Domine, sinum pietatis Ecclesiae tuae: ut, quae in interemtis vel cadentibus temporalem sustinet luctum, in resurgentibus nobis obtineat gaudium infinitum. *Ant.* Vox in Rama. * *Lege*: Rachel.

ALIA.

Fac nos, Domine, sub ara tua, occisione vitiorum, inmaculatos adsistere: ut illic tibi deferamus purgatae conscientiae hymnum, ubi pro te consistere creduntur animae occisorum. *Ant.* Vidi sub ara Dei.

ALIA.

Br. Moz. fol. 391. *col.* 1. Indue nos, Domine, candore justitiae, qui pro te occisis Parvulis perpetuam donasti muneris claritatem: ut, qui illos per martyrium candidatos supra nivem pulcriores constituis, nos per confessionem purifices a delictis. *Al.* Candidati sunt.

ALIA.

Br. Moz. fol. 391. *col.* 2. Vide, Domine, & audi gementis Ecclesiae vocem, quae suorum deflet Infantium necem; esto ergo illi consolator de filiis, qui filiorum ejus pater agnosceris, ut in te & de interemtorum numero gaudeat, & de adversariorum reditu ilarescat. *Resp.* Vide, Domine.

ALIA

ALIA.

COncede nobis, Domine, verae innocentiae tramitem perpetuò retinere, quò, Innocentibus juncti, atque inter Innocentes per manuum munditiam conſecraſti *, altare tuum circumdemus iulaeſi. *Ant.* * Lababo. * *Lege*: lavabo. * *Lege*: conſecrati,

ALIA.

Br. Moz. fol. 391. col. 2. FAC nos, Domine, Innocentes & rectos tibi ſemper adſiſtere, quò, tuae rectitudini conpage indiſolubili adhaerentes, pro te occiſorum Parvulorum mereamur eſſe participes. *Ant.* Innocentes.

ALIA.

Al. Hi ſunt, qui non inquinaberunt.

STi * ſunt, Chriſte Domine, qui non * inquinaberunt veſtem ſuam; quos utique nulla peccati faedaverat macula, quia nec aetas talium mali bonive dinoſcentiam ſecernebat; quaeſumus ergo, ut, qui non per aetatem, ſed per ſanguinem a te effecti ſunt digni, nobis efficiantur ſine * intromiſſione patroni; &, qui non viribus ſuis, ſed gratiâ tui vicerunt, non noſtro merito, ſed tuo dono nobis perpetim ſamulentur. * *Lege*: Iſti ſunt. * *Lege*: intermiſſione.

ALIA.

Br. Moz. fol. 391. col. 2. SAnguis innocens & juſtus innocentium animarum indeſeſſo vocis clamore te poſtulet pro nobis, Unigenite Filius Dei Patris: quò illic numeroſitas fidelium coronanda perveniat, ubi ipſorum innocentia coronata * perveniat. *Reſp.* Sanguis innocens. * *Lege*: pervenit.

ALIA.

Br. Moz. fol. 33. col. 3. CHriſte, Dei Filius, qui parvulos ad te venire caeleſtis magiſterii doctrina invitas; fac nos ſemper malitia parvulos, & mandatorum tuorum obſervatione perfectos; & qui talium eſſe regnum caelorum praenuntias, nos illis, quos bonos aput te approbas, ſine fine conjungas. *Ant.* Sinite parvulos.

ALIA.

Br. Moz. fol. 33. col. 3. VEra Dei Sapientia Patris, os mutorum aperiens, & linguas infantium diſſertas efficiens; da ori noſtro perfectum legis tuae cuſtodiam: ut, te inmaculato corde ſequentes, illut ſemper labiis praedicemus, & opere inpleamus, unde & te, qui es vera Sapientia, ſine fine laudemus. *Ant.* Sapientia aperuit * hos. * *Lege*: os.

ALIA.

MAgnus es, Domine, & admirabilis valdè, qui ex ore infantium & lactantium perficis laudem; da ergo nobis in tè * pro exceſſibus requiem, qui Parvulis his pro te morientibus aeternam crederis contuliſſe mercedem. *Ant.* Ex ore infantium. * *Hic cubat error.*

ALIA.

Br. Moz. fol. 33. col. 4. ISti ſunt, Domine, qui non polluerunt veſtimenta ſua, quibus nulla utique potuit peccandi ſuboriri inlecebra; concede ergo, nos per indulgentiae donum illis eſſe participes, quos apud te pro meritis adprobas eſſe felices. *Reſp.* Iſti ſunt, qui non polluerunt.

ITEM COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 34. col. 1. TUrba innocentium Parvulorum, quae pro tui Redemtoris nomine proprio es * delibata cruore, non ceſſes Dominum pro ſerbulis exorare: quò, te * inpretrante, licèt inmeriti, poſt hujus vitae excurſum Sanctorum queamus adunari cohortibus, qualiter cum eis perhenniter hymnum decantare in jubilo mereamur, concedente clementia pietatis ejus, quo jubente, dicimus. * *Br. Moz.* delibuta. * *Lege*: impetrante.

BENEDICTIO.

CHriſtus Dominus, qui pro ſe morientium Infantium animas aeterna conlocavit in requie, det vobis de bono innocentiae perfecta ſibi cordium veſtrorum puritate placere; &, qui inter Innocentes quaeſitus eſt a nocentibus peremturus, ipſe vos poſt tranſitum ciſdem Innocentium adſociet animabus: ut, quum illis remuneratura vox veſtra admittatur ad concinenda divinae laudationis praeconia, quorum meliùs vox ſanguinis, quàm aetatis, Creatoris ſui potentiam laudat.

XII. K. FE.

* XII. K. FRBAS. * Sec. auris.

INCIPIUNT ORATIONES * IN DIEM SANCTI FRUCTUOSI, AGURII, ET ULOGII.
COMPLETURIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 350. col. 3.

PRobata satis, Domine, tuorum trium est vita Sanctorum, * ut qui auri fulgidum radiantis metallum, quorum fidem dum probabili camino examinas, laudabili judicio tibi placituram adsignas; Habes ergo in tribus * hi manipulis Sacerdotum, quos ad te mater nostra Ecclesia misit, discreta quidem ordinum, sed veneranda officia: in Fructuoso siquidem Pontificalis gratia fulgens, *in Augurium, & Eulogium Leviticae dignitatis mynisterium clarens; nostra ergo vota * hii tuis obtutibus sanctificanda insinuent: ille, * ut postremo sacerdotii consecranda peroret: hornm ministerio calicem salutaris sumamus ad vitam: illius invocatione sanctificati perducamur ad gloriam.

* Fortè, utque. Br. Moz. ut auri &c.
* Lege: his.
* Leg. in Augurio, & Eulogio.
* Lege: ii.
* Br. Moz. ut pro te more Sacerdotii consecranda peroret.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 350. col. 4.

CHristus, Dei Filius, qui tribus Pueris in camino positis quartum se dignatus est demonstrare, gratiâ vos suae visionis inluminet; & qui Fructuosum cum suis Diaconibus sacerdotem inter crepantes ignes calore amoris sui non est passus extingui, nullo vos temtationum igne patiatur aduri: ut refectionem, quam illi post ignes saeculi percipere meruerunt, vos post vitae hujus excursum capiatis in regione viventium.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol 351. col. 1.

MIra satis, Domine, tuorum trium est constantia Sacerdotum, Fructuosi videlicet Episcopi, Augurii & Eulogii Levitarum, quorum unita nec divisa * devotio in succensione fornacis: praeparantur ad conburendum constanter, persistunt in conbustione viriliter, plus calentes amore tuo, quàm devicti incendio alieno: quum etsi corpora cedunt flammis, victrices animae rapiuntur * in aetheris; Da ergo nobis, eorum meritis a temtationum igne non tangi, ab aeternis ardoribus erui, & post excursum saeculi ignitis tibi desideriis copulari.

Ant. Dum succenderetur fornax.
* Subaudi, est.
* Br. Moz. in aetheru.

ALIA.

Br. Moz. fol. 351. col. 1.

HIi tres pro tuo nomine in fornacis medio constituti, quaesumus Domine, mereantur pro nobis in camino saeculi consistentibus exaudiri, ut odor ignis, quo vitiorum fomenta nutriuntur, nullo modo se nos adtigisse laetetur: qualiter aspectûs tui gloriâ inter flammas saeculi recreati, a lapsu criminum & absoluti repperiamur, & liberi.

Ant. Hii tres missi sunt in medium fornacis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 351. col. 2.

TRes Pueri, Babylonico camino probati, laudis tibi hostiam, Christe Domine, inter ignes positi cecinerunt, quibus plus virtute tua calentibus non potuit nocere ignis admotus; erue ergo nos de ignibus vitiorum, & succende vapore virtutum: ut, praecalidi caritatis tuae incendio, victoriam mereamur ferre de mundo.

All. Tres Pueri jussu regis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 351. col. 2. & fol. 405. col. 1.

DOmine Jesu Christe, qui Sanctos tuos in medio ignis visitare dignatus es, dum de medio flammae eos coronandos adsumis, quos viriliter pro te certantes martyrium peregisse cognoscis; erue vitam nostram a camino facinorum, & visita nos conlationibus gratiarum: ut cum his tribus Martyribus mereamur habere in caelestibus partem, quibus non passione, sed fide dinoscimur consortes existere.

Resp. Haec dicit Dominus: Visicabo Sanctos meos.

ALIA.

Br. Moz. fol. 351. col. 3. & fol. 405. col. 2.

ANanias, Azarias, & Misael, tres illi pueri * babyloni quo igne probati, magnum specimen his tuis, Domine, Martyribus praebuerunt, quibus exemplum praebuit eorum veneranda victoria; In illis quidem ignis fugiit, ne morerentur: in istis admissus est, ut coronarentur; dum & in illis, necdum tempore passionis * abto, poenalis ignis non potuit corpora sacrata contingere: & in histis

Ant. Ananias, Azarias, Misahel benedicite Domino.
* Lege: Babylonico.
* Lege: apto. Br. Moz. alto.

ſtiſſis, tempore accepto, quo Chriſto moriente via jam Paradyſi aperta conſiſteret, adplicitus ignis tunc corpora extingueret, quando jam Beatis aperta Paradiſi janua eſſet; Benedicimus ergo te Deum, qui & illos liberaſti a flammis, & iſtos coronaſti poſt flammas; qui & pro liberandis illis ignes ſpargis, & pro adſumendis iſtis ignes admittis; da ergo nobis utrorumque exemplis atque ſuffragiis, ut ſic liberemur a vitiorum carnalium igne, ut ignita eloquiorum tuorum concremati dulcedine, ad te mereamur pervenire in pace.

ALIA.

Ant. Ananias, Azarias, & Miſahel, ſervi Dei excelſi.

Br. Moz. fol. 351. col. 3.

O Beatiſſimi Martyres Chriſti, ſervi Dei excelſi, magnus eſt Dominus, qui de igne non vos ad hoc liberare voluit, ut vita in vobis ſaeculi permaneret, ſed * hoc, ut infeliciori vitae felicior vita ſuccederet; qui ergo inter calores ignium * vitas meruiſtis perpetuam, nos inter vapores ſaeculi prece operite continuâ.

* Lege: ad hoc.
* Lege: vitam.

ALIA.

All. Ananias, Azarias, & Miſahel, timentes Dominum.

Br. Moz. fol. 351. col. 4. & fol. 405. col. 2.

ECce, ad inſtar trium illorum Puerorum, hii quoque Martyres tui, in igne ſaeculi poſiti, & in camino pro tuo nomine conſtituti, ſimili te, Domine, devotionis more conlaudant; & illi quidem, timentes te Dominum, canticum tibi concinunt gloriae, qui erueras eos de medio ardentis flammae: hii verò, non ut ab igne non * tingantur, concinentes * laudem offerunt precem, ſed ut a te per ignis ſupplicia coronentur, imnum tibi deferunt conſcientiae libertate; da ergo nobis, ut curſum vitae noſtrae in pace ducentes, & ab ardoribus libidinum liberi, & a futuris mereamur ſuppliciis liberari.

* Lege: tangantur; uti cum Br. Moz. contingantur.
* Br. Moz. laudis offerunt precem.

ALIA.

Reſp. Sancti, qui per fidem vicerunt regna.

Br. Moz. fol. 352. col. 4.

ADmirabile ſatis eſt, Domine, Chriſtianae Fidei ſacramentum, per quod Martyres tui regna vicerunt, juſtitiam operati ſunt, ignisque impetum extinxerunt; fac nos ergo, ad inſtar illorum ſimili fidei calore ferveſcere: ut, dum fortes extiterimus mundano in bello, aeterno mereamur munerari de praemio.

ALIA.

Ant. Notum facimus rex.

Br. Moz. fol. 352. col. 1.

DOmine Jeſu Chriſte, quem Martyres tui in Caelis ſe habere Deum profeſſi ſunt, qui de manibus perſequutoris eos poſſes eripere, dum falſorum deorum ſimulacra contemnerent adorare; fac, nos te ſemper in veritate diligere, teque etiam fideliter adorare, ut omnimodâ ſimulacrorum * ſupreſtitione deviĉtâ, placita tibi Martyrum tuorum imitantes ſequamur veſtigia.

* Ita & Br. Moz.

ALIA.

Ant. Ignem, quem tu, rex, minaris nobis.

Br. Moz. fol. 352. col. 1. & fol. 405. col. 3.

IGnis, qui Sanctis tuis, Domine, a perſequentibus non ſolùm minatus, ſed & praeparatus eſt ad comburendum, mirabile illis adtulit vincendi conpendium: dum ipſa acceleratio poenae citatim eos dirigit ad conſummationem victoriae: & per hoc, quod cito flammis aduſti ſunt, * promerentur; quaeſumus, ut meritis Martyrum tuorum futurus ille ignis, impiorum cruciatibus praeparatus, in nullo nos adtingere audeat; ſed, Deitatis tuae ex illo potentiâ liberati, ſceptrum mereamur caeleſtis percipere regni.

* Poſt, ſunt, adde per hoc quatocius gradum coronae ſcandere promerentur &c.

ALIA.

Ant. Tamquam aurum in fornacem.

Br. Moz. fol. 352. col. 2. & fol. 417. col. 3.

UNigenitus Dei Filius, qui Juſtos tuos tamquam aurum fornacis igne examinas; cordium noſtrorum, quaeſumus, vires inſpicias, & juxta poſſe noſtrum, ſi placet tibi, ita nos igne tribulationum temtari permitte, ut de bono patientiae hereditatem mereamur in caeleſtibus obtinere.

ALIA.

Reſp. Iſti ſunt ſancti, qui pro teſtamento.

Br. Moz. fol. 352. col. 2.

DOmine Jeſu Chriſte, pro cujus teſtamento Sancti tui ad mortem ſuas animas tradiderunt, temti catenis, macerati carceribus, peruſti incendiis; eorum meritis, juſtitiae nos limâ conpone, & velut aurum puriſſimum in omni ſanctitatis opere effice, ut qui tibi devotis cordibus famulamur, nullo modo in perpetuum a Deitatis tuae conſortio ſegregemur.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 352. col. 2.

CHriste, Filius Dei, qui Martyres tuos, ùt aurum probatum igni, ita tibi in olocausti hostiam acceptos esse fecisti; annue precibus nostris, ut ignitis resultantes voluptatibus carnis, proventum mereamur obtinere aeternae felicitatis.

Ant. Ut aurum igni probati sunt.

ALIA.

Br. Moz. fol. 352. col. 3.

DEus,.qui ministerio descendentis de caelo Angeli tui trium Puerorum flammas mirificè dispersisti, ut vim naturae suae in illis urens ignis amitteret, qui tuis obtutibus placuissent; redde nos a concrematione vitiorum extraneos, a diaboli laqueis liberos, & tuis nos Martyribus post transitum adsocia coronandos.

Ant. Descendit Angelus de caelo.

ALIA.

Br. Moz. fol. 352. col. 3. Et fol. 405. col. 2.

MAgna, Domine, Sanctis tuis est lux, dum te in nocte hujus saeculi * igne ardentem columnam habere merentur, qua & inluminantur, quid faciant: & adjubantur, ut intellecta perficiant; praesta ergo nobis obtentu Martyrum tuorum, ut luminis tui ducatu tenebrosum saeculi hujus iter agentes, ad aethereas mansiones perveniamus felices.

All. Sanctis tuis, Domine, magna erat lux.

* Br. Moz. ignem.

ALIA.

Br. Moz. fol. 352. col. 3. Et fol. 339. col. 4. Et fol. 392. col. 4. & fol. 405. col. 3.

DEus, qui probatione solitâ pietatis probari Sanctos tuos voluisti in terris, nec plus eos temtari permittis, quàm quod in eis donum tolerantiae adesse conlatum tuo munere praespicis; erue nos ab omni temtatione, quae nostram possit obruere mentem: ut placito tibi famulatu fideliter servientes, sic nos temtari permittas, ut temtatio ipsa non nos in confusionem erroris, sed in amplexu veritatis valenter adstringat.

Resp. Probasti nos, Deus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 352. col. 4.

DEus, qui Sanctos tuos multiplicibus tormentis hominum subdere voluisti, ut haberent de patientia lucrum, de passione * tropeum; erue nos a suppliciis inferorum, ut & hìc nos devotio tibi beneplacita jungat, & in futuro fides, qua te credimus, in aeternis sedibus introducat.

Ant. Sancti ab hominibus tormenta passi sunt.

* Leg. tropheum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 352. col. 4. Et fol. 405. col. 1.

DOmine Jesu Christe, cujus potentia sancti Martyres tui rotantem ignis impetum extinxerunt, & justitiam operati sunt; peccatoribus nobis saborem tuae pietatis indulge: ut per fidem, qua Sancti regna vicerunt, per eam nos peccatores caeleste mereamur obtinere consortium.

Ant. Sancti omnes per fidem vicerunt regna.

ALIA.

Br. Moz. fol. 353. col. 1.

DEus, qui ineffabili splendore pia tuorum Martyrum pectora replevisti, ut coronas tuo munere refulgentes, quas hìc ex passione spei gratiâ mercaverunt, illic a te percipere in munere mererentur; fac, nos splendere & lucere de beneplacita tibi dulcedine proximorum, & dignitate operum perfectorum: ut, si effusione sanguinis coronas non meremur accipere, ex fructu dilectionis verae * perpetuum mereamur aput te hereditatem.

* Leg. perpetuam.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 354. col. 1.

CHriste, Dei Filius, qui & tribus in camino positis Pueris liberator mirificus adfuisti, & tribus his martyribus Fructuoso, Augurio, & Eulogio, probatis ignibus claruisti: dum & illis paratam camino mortem ebadere, & istis coronas invenire, flammis corpora extinguentibus, concessisti: praebens in utrisque discreta gratiarum officia, dum & illos ignis non tangeret, & istos adtingens faciliùs coronaret: suspendens ab illis mortem, consumans in istis laudabilem passionem; utrorumque votis obsequenti famulatu ignis ipse deserviens, dum & ab illis, ne morerentur, recederet: & ad istos, ut coronarentur * praecoptatus veniret; da nobis, ut in utrorumquè sanctitate laetantes, sic victorias Martyrum celebremus, ut infinitâ cum eis laetitiâ gaudeamus.

* Primis curis, praeoptata.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 354. col. 2.

CHristus Dominus, qui Fructuosum Episcopum cum suis Diaconibus examinatos igne perduxit ad regnum, liberatos vos a camino libidinum heredes efficiat regni caelorum; Et qui corporum illorum cineres, usurpatos a fratribus, uno in illo loco tumulandos voluit congregare, ab unitate vos non dividat sanctae matris Ecclesiae: ut eum inter flammas concupiscentiae liberatorem mereamini invenire, in quo illi post esuriem meruerunt invenire refectionem.

* XI. K. FEBRS

** Secundis curis.*

INCIPIUNT ORATIONES IN DIE SANCTI * VINCENTI.

** Lege: VINCENTII, & ita plerumque.*

COMPLETORIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 339. col. 2.

ADest, Domine, testis tui sollemne illut, atque * famosissimus festum, quod annuis recursibus mortalium obtutibus praesentatur, in quo hic Vincentius martyr tuus mirabiliter vincens, & solo provatus & pelago, nec terrenis suppliciis vincitur, nec marinis gurgitibus conpeditur, vincens & tenebras pariter & catenas: dum praedicator luminis nec vinculorum vincitur poenis, nec tenebrosis remoti carceris superatur angustiis; sed potius, qui verè confessus nomen fuerat veritatis, in veritate famulantia sibi videret caelestis obsequia lucis; Qui ergo devoti annuâ devotione tanti Martyris sollemne festum suscipimus, quaesumus, ut susceptionis hujus aput te praemio muneremur, quò memorati Martyris interventu remobeas a nostris finibus plagam, & totius nocivilitatis incommoda: quò & proventûs frugum placidos terra parturiat, & animae nostrae divinis * fonte virtutibus concalescant: ut * exemplis tenebrarum operibus, in tuo Christe lumine cuncta superantes adversa, & hic & in futuro gaudia nobis in commune exoptata proveniant.

** Leg. famosissimum*

** Leg. si placet, fotae. Br. Moz. fonte, ut in editione.*
** Fortè, exemptis; Br. Moz. expulsis.*

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 339. col. 1.

CHristus Dominus, qui viriliter * vincendi Vincentio, tenebroso adsistenti in carcere, & lumine est infusus & munere, sic luce sua vos visitet, ut aeterni muneris conlatione laetificet; quique illi refulsit inter tenebras carceris, inlucescat in cordibus vestris ad evadenda futurae supplicia ultionis: ut, qui ipso bocabulo sui nominis victor conprobatus est * passionis, suis vos precibus consortes efficiat in caelestibus regnis.

** Leg. vincenti.*

** Br. Moz. passionis suae.*

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 338. col. 3.

Ant. Libera me, Domine, de luto.

DEus, qui multis passionum generibus mirificè vincentem Vincentium coronasti, liberans illum ab omni exitio tormentorum, ut vestigia ejus, quae luto non inserant vitiorum, mirificè calcarent omne crudelitatis supplicium: nec aquarum obsorberetur profundo, qui mente saeculum calcans, jam heres esset proximus caelo; praebe nobis precibus tanti Martyris, nec luto vitiorum adtingi, nec profunda desperationis voragine operiri: sed candida conscientiae livertate decori tibi praesentemur in diem Judicii.

ALIA.

Ant. Circumdederunt me aquae.

CHriste, Dei Filius, qui beatissimum Vincentium martyrem tuum geminis aquarum ponderibus circumdatum, victorem facis esse conspicuum: dum & in morem aquae, confluentes in se persequutorum impetus vinceret, & marinorum fluctuum gurgites superaret, habens de utroque victoriam: dum & persequentes plebes superaret, & maria; annue nobis precibus ejus, ut qui vitiorum aquis circumdati obruimur, ereptionis tuae dextera sublevemur: ac, ne pelagus criminum caput nostrum operiat, oratio nos tui Martyris Vincenti semper ad alta sustollat.

ALIA.

Br. Moz. fol. 418. col. 2.

Ant. Infixus sum in limo profundi.

DEus, qui consecratum tibi corpus Vincenti martyris tui, infixum limo profundi, ad superos * revocastis, ut cujus mens tibi placita devotione inserat, ejus corpori marina famularentur obsequia; te quaesumus, te rogamus, ut meritis hujus Martyris nulla nos temtationum aqua operiat, nulla etiam tempestas

** Leg. revocasti:*

pestas criminum in peccatorum profundo dimergat; sed,* leni manus tuae remigio sustentati, ad litus mereamur pervenire justitiae liberi. * Br. Moz. levi.

ALIA.

Resp. Ego in laboribus multis fui.

CHriste, Deus omnipotens, qui multis in lavoribus constitutum beatissimum testem tuum Vincentium coronasti stigmate passionum, ut verberibus caesus, carceribus deditus, profundum maris triumfator adiret: teque Deum ac Dominum, liberatorem suum in his omnibus sibi provenisse laetabundus agnosceret; porrige nobis subsidium pietatis tuae, ut obtentu Martyris memorati discrimina hujus saeculi feliciter transeuntes, regni tui mereamur existere coheredes.

ALIA.

Br. Moz. fol. 340. col. 3. & fol. 397. col. 4.

Ant. Vincenti dabo coronam.

DOmine Jesu Christe, qui mirabiliter Vincenti huic martyri tuo & coronam de victoria praestas, & columnam in templo tuo, quasi decorem aedificii, futurum esse adsignas: dum ei & coronanda vincendi studia suggeris, & invictam perseverantiae voluntatem in passionibus praelargiris; da nobis exemplo ejus, & diligendi te votum * aequalem, & vincendi similem volumtatem: ut ita nomen civitatis illius novae Jherusalem nostris in pectoribus sit adscriptum, qualiter, dum indesinenter obtutum mentis nostrae in illius visione defigimus, in ejus pace perenniter jucundemur.

* Leg. aequale.

ALIA.

Br. Moz. fol. 340. col. 2.

Ant. Vincenti dabo coronam vitæ.

DEus, qui * vincendi Vincentio potentialiter semper * in cuncti ejus & operibus & passionibus claruisti, dum pro his omnibus * & coronam illum vitae ditificas, &, ut a morte non laederetur, matutinae stellae pro missione conroboras: quae utique resurrectionis lucem insinuans, matutina proinde vocata, quia noctem fugat, & lucem adnuntiat: dum, depulsa nocte saeculi, promittitur Vincenti sydus muneris sempiterni; hujus ergo stellae matutinae nos, Domine Jesu Christe, facito conpotes esse: ut promissionis tuae consolatione laetantes, ad fructum justitiae mereamur pervenire indemnes.

* Leg. vincenti.
* Leg. in cunctis.
* Leg. & corona.

ALIA.

Al. Vincenti dabo, alleluja.

MAgnus satis, Domine, atque ineffabile donum est, quod a te Vincenti tribuitur, sedere scilicet tecum in trono claritatis, quum dederis Judicium Sanctis; rovora ergo cor nostrum adversus insurgentia vitia, ut vincentes quidquid nobis de carnali conversatione adludit, sedes illas percipere mereamur Judicii sempiterni.

ALIA.

Br. Moz. fol. 418. col. 3.

Resp. Infixus sum in limo profundi.

DEus, qui corpus beatissimi martyris tui Vincenti infixum limo profundi nulla marinorum fluctuum fecisti lege terreri, ut altitudo illum nullo modo maris dimergeret, qui insurgentes contra se pro tuo nomine catervas hostium devicisset; interventu Martyris tui a cunctis nos temtationibus libera, & a profundo flagitiorum ereptos in tibi placita conversationis luce exalta: ut, te opitulante, & vitiis careamus, & virtutibus habundemus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 340. col. 3.

Ant. Qui habet aurem audiendi.

DOmine Jesu Christe, qui beatissimo martyri tuo Vincentio obedientiae aurem tribuere dignatus es, qua salubri cordis intellectu agnosceret, quid sibi Spiritus diceret; da nobis meritis ejus, edere de ligno vitae, & fructum capere hereditatis perpetuae: ut cives Paradisi tui mereamur existere, qui nunc tui Martyris incolimus devotissimè passionem.

ALIA.

Br. Moz. fol. 340. col. 2.

Ant. Qui vicerit, faciam illum columnā.

UNigenite Dei Filius, qui beatissimum Vincentium martyrem tuum, dum insuperabilem & invictum in suis passionibus reddidisti, aeternae illum claritati donasti, ut qui innumera vicisset passionis supplicia, fieret in templo tuo columna, quae utique mirificum in tuo aedificio decus existeret, dum sequuturis exempla tolerantiae demonstraret; quaesumus Divinitatis tuae potentiam, ut imitamento ejus & vota nostra pro tuo nomine sint * accensa, & nostrorum ope-

* Br. Moz. accepta.

operum efficientia tibi maneat in omnibus placitura: ut, vincentes mundi discrimina, mereamur effici perennis aedificii constructura.

ALIA.

Al. Alleluja, omnis, qui vicerit.

OMnipotens unigenite Filius Dei, qui * vencendi Vincentio martyri sedere in trono Patris tui mirabiliter praestitisti, ut gloriosae sessionis mereretur fastigium, qui Christianae Fidei devicerat inimicum, precibus ejus atque suffragiis, qui eum f dere aput te promisisti pro meritis, nos salubriter facito stare in operibus sanctis: ut pedes nostri in atriis tuis sine offensione criminum persistentes, & hic a peccati lege absoluti, & in futuro mereantur inveniri a suppliciis liberi.

* *Leg.* vincenti.

ALIA.

Resp. Domine, qui das salutem regibus.

DOmine Deus, qui salutem regibus donas, & martyrem tuum Vincentium de malignorum gladio liberas, erueus illum de aquis multis, & victorem efficiens in passionibus universis; libera nos de manu filiorum alienorum, ut insidiantibus inimicis vita nostra laedendo non pateat: nec illorum procacitas saeva de ruinae nostrae casibus ilarescat; sed gladio verbi tui accinti, & hic adversa superemus intrepidi, & pòst ad te mereamur perbenire beati.

ALIA.

Br. Moz. fol. 339. *col.* 3.

Ant. Protector tuus ego sum.

CHriste Filius Dei, protector beatissimi Vincenti martyris gloriosi, qui ejus manum mirabiliter auxilii vice sustentans, nec flammis aduri, nec aquis passus es superari; da nobis, ut nec ignes libidinum nos in quocumque contaminent, nec flumina odiorum in quocumque conturbent: sed protectionis tuae dextera, quâ testis tuus adjutus est, ut * marinas superaret discrimina, nos quoque adjubemur, ne futuram veniamus in poenam.

* *Leg.* marina.

ALIA.

Br. Moz. fol. 339. *col.* 2.

Ant. Vincenti dabo manna.

DEus, qui mirabiliter * vincendi Vincentio daturum te manna absconditum promisisti, ut qui mortalium devicerat genera tormentorum, significatione mannae * immortalitati utique munere ditaretur; concede nobis meritis ejus, qui te fide nomine & passione sequutus est, ut nomen novum, quod nobis in Christianitatis titulo est conlatum, & in hac vita possessionem bonorum operum nobis adcumulet, & in futurâ aeternum nobis regnum praeparet sine fine.

* *Leg.* vincenti.
* *Leg.* immortalitatis.

ALIA.

Al. Dedi te plevi murum aereum, fortem.

DEus, qui beatissimum martyrem tuum Vincentium plevi tuae murum aereum praestitisti, ut bellantes contra se mirabiliter nominis tui virtute devinceret; da nobis, illo te semper * adore fidei sequi, quo & hic adversa per tolerantiam superemus, & futura a te praemia consequamur.

* *Leg.* ardore.

ALIA.

Br. Moz. fol. 339. *col.* 4.

Resp. Haec dicit: Dominus meus es tu.

DOmine Jesu Christe, qui tuum esse Vincentium martyrem ex nomine ipso pronuntias, dum tibi utique vicit, pro tuo nomine militans, * ut in transfretatione aquarum, & combustione ignium: dum illi adesse dignaris, insuperabilem illum in ipsis passionibus reddis; auxilium, quaesumus, pietatis tuae porrige supplicationibus nostris, ut qui in illo vicisti pondus aquae, & flammas, a nobis aeternorum ignium poenas extinguas.

* *Leg.* & in.

ALIA.

Br. Moz. fol. 339. *col.* 4. *& fol.* 318. *col.* 1. *& fol.* 418. *col.* 4.

CHriste Domine, qui es Ecclesiae tuae Caput, praesta, ut Vincentius beatissimus martyr tuus in corpore Ecclesiae constitutus, qui tunc membra pro Capite dedit, nunc Caput pro membris adire non cesset; Capiti proximus regat totum, & protegat corpus: id inpendens uberiùs, quod se exultat obtinuisse feliciùs.

ALIA.

OMnipotens Pater, qui beatissimo Vincentio martyri praecipuo munere praestitisti, ut per te fieret de fragili fortis, de minimo grandis, de mi-

lite

lite dux, de servo amicus, de supplici mirificus advocatus; praesta placatus, ut interventu sedulo, hisdem nunc, de quibus ipse electus est membris, adibeat fragilitati potentiam, humilitati gloriam, militiae disciplinam, servituti libertatem, necessitati advocationem * inpendat.

* Tò inpendat, abundare videtur.

ALIA.

Br. Moz. fol. 340. col. 1. & fol. 318. col. 3.

DOmine Deus, praesta propitius, ut beatissimus * Vincentium martyr tuus vincat suis meritis nostra flagitia, qui non suis, sed divinis viribus saevientium potuit superare supplicia: & qui dudum in illis vicit impietatis atrocitatem, in nobis malae cupiditatis superet voluptatem.

* Leg. Vincentius.

ALIA.

FAmulo tuo, Domine, praestitisti honorem magnum, dum per eundem dignaris vincere mundum: ut qui te coram hominibus confessus est in hoc saeculo, tu illum coram Patre, & Sanctis Angelis confitearis in regno; ejus ergo precibus nobis infirmis famulis tuis bonae confessionis gloriam praesta, ut scandalum Crucis in nobis fiat plenitudo virtutis, & praedicatio Dominicae passionis nobis adquirat munus aeternae salutis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 339. col. 3.

OMnipotens Deus, qui Martyrem tuum aeterno nomine munerasti, ut, qui causâ nominis tui blasfemantium sustinuisset invidiam, in tuo nomine laudantium sumeret obsequellam; tribue ergo exultantibus famulis indefessum suffragium triumfantis, ut intercessione sedula reformet male scisa indumenta babtismatis, quem pro te dimicantem martyrii cruore respersâ stolâ induisti decoris.

ALIA.

Br. Moz. fol. 340. col. 1. & fol. 357. col. 3. & fol. 418. col. 1.

OMnipotens Deus, qui beatissimum Vincentium martyrem tuum passionum stimulis, quasi minantium fluctuum cumulis, probari, non obrui, permisisti: quum eum dimicantem nec poena superaret, nec inmersum unda subprimeret: quia ei & illic adfuisti, ne cruciatibus vinceretur, & hic praestitisti, ut contra naturam fluctibus portaretur; miraculis tantis fidem omnibus praesta, * ut quod a celebrantibus inpensissimè conferatur.

* Br. Moz. ut vota celebrantibus impensissimè conferatur. Sed rectius eo eodem pag. 418. col. 1, ut quod a celebrantibus devotissimè creditur, credentibus impensissimè conferatur.

ALIA.

Br. Moz. fol. 339. col. 2.

BEnedicimus te, omnipotens Deus, qui beatissimum Vincentium martyrem tuum, sicut quondam tres pueros, ab ignis incendio liberasti: eum ejus utique membris * adivita flamma, etsi esset quae exureret, non tamen esset quae vinceret; ejus ergo precibus rorem misericordiae tuae nostris infunde visceribus, ut madefacto igne carnalis incendii, flamma in nobis tepescat peccati: quae etsi a nobis naturaliter non desistat, quaesumus, ne fragilitatem nostram materialiter succensa conburat; sed ita gratia naturae subveniat, * & quod origine non caremus, munere restinguere valeamus.

* Lege: adhibita.

* Leg. ut quod origine.

ITEM COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 342. col. 1.

DOmine clementissime Deus, tribue, ut fortissimus Vincentius martyr tuus, qui, pro te viriliter dimicans, tuo munere vicit, ita nobis in tuo nomine jugiter adsit, ut * victor existat peccati: cottidianas abluat culpas, qui tot tantasque supergressus est poenas; ut, qui pro Domino mirificus * existit triumfator, pro servis existat magnificus intercessor.

* Br. Moz. victor equlei, victor &c.

* Br. Moz. extitit.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 342. col. 1.

DOmine Jesus Christus, qui potenter vincenti martyri suo Vincentio matutinam stellam donavit in munere, & primae resurrectionis * ut futurae vos gaudiis ditet; Et qui eidem vincenti manna dedit absconditum, obtentu ejus glorioso vos inmortalitatis vestiat indumento: ut exemplo memorati martyris &* carcere vincentes, & flammas, educti a carcere saeculi, flammas evadatis aeterni supplicii.

Br. Moz. & futurae.

* Leg. carceres, vel carcerem.

* VIII. KAL. MARTS *Sec. soris.

INCIPIUNT ORATIONES DE CATHEDRA SANCTI PETRI.
COMPLETURIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 354. col. 4. CHriste, Dei Filius, qui, supra petram aedificaturus Ecclesiam tuam, beatissimo Petro Apostolorum omnium principi claves regni caelorum dedisti: ut in illo primùm aedificata Ecclesia surgeret, qui te non solum diligere, sed & confiteri prius caeteris meruisset; da nobis, ut in hac die, qua ille recturus Ecclesiam, suscepit pontificalis gratiae culmen, suscipiamus nos perfectionis omnimodae sanctitatem: ut per eum, cui ligandi & solvendi concessisti in Ecclesia potestatem, * per eum nostra jubeas peccata dimittere, & ad regnum nos vitae perpetuae introire. *Per eum, abundat.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 354. col. 4. CHristus, Dei Filius, qui in beatissimo Petro Apostolo suam primùm fundavit Ecclesiam, fundatos vos in se sine macula & ruga possideat; & qui illum elegit primum sui clavicularium regni, vos conservatores efficiat sui praecepti: ut per quem patescit justis janua caeli, per eum peccatores evadatis portas inferni.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 355. col. 1. JEsu, Salvator noster & Domine, qui Primatum apostolicae dignitatis in beatissimo Petro Apostolo tuo conferre dignatus es, cujus prima vocatio nominis Barjona legis dilectam generationem significat, Petrique vocabulum in Christo firmamentum Ecclesiae sonat; largire nobis, eo suffragante, ut doctrinis ejus votorum obsequia dependentes, perpetuae hereditatis mereamur esse consortes: ut caro & sanguis, quae rebelationem tui ignorant, in nobis dominatum non habeant: sed Spiritus tuus, quo ille plenus te confessus est Filium Dei, nos impleat ad promerendum praemium Judicii pòst futuri. *Ant.* Beatus es, Simon Barjona.

ALIA.

Br. Moz. fol. 354. col. 4. CHriste, Dei Filius, qui oves tuas sub testimonio dilectionis tuae Apostolorum omnium principi Petro * conmendans, quò, & te interrogante, & illo respondente, dignus probaretur Pastor esse Ecclesiae; fac, nos veridicè amatores tuos semper existere: ut per eum, cui claves datae sunt regni, * per eum nos intrare mereamur januas Paradysi. *Ant.* Si diligis me, Simon Petre. * *Leg.* commendasti. * Per eum, *repetitum*.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui sancto Apostolo tuo Petro, cui navem Ecclesiae tuae gubernandam primitùs conmisisti, qua te morte clarificaturus esset, significas, quum illum senem, futurum extensis manibus quò nollet ire, alio praecingente, praenuntias; notum facito nobis finem vitae nostrae, ut sicut illi per passionem praeparatum est regnum, ita nos per poenitentiam perducamur ad praemium. *Al.* Tu Petre, cum esses juvenior.

ALIA.

Br. Moz. fol. 355. col. 1. CHriste, Filius Dei vivi, quem Petrus supra petram solidatus verè confessus est, quia & utique non petra a Petro, sed Petrus est vocatus a petra, in qua tua est fundata Ecclesia; te supplices deprecamur, ut idem, qui accepit claves regni caelorum, peccatoribus pandat caelestis viae introitum: ut per quem doctrinae sublimis exempla suscipimus, per eum aeternae vitae nos suscepisse commoda sentiamus. *Resp.* Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo.

ALIA.

BEnedictus es Domine Jesu Christe, qui beatissimum Petrum Apostolorum omnium Principem constituisti super domum Ecclesiae tuae; & ideo petimus, ut qui illi adfuisti, usque dum perficeret omne opus ministerii domûs tuae, nobis semper adsis, usque dum ad te perveniamus in pace: ut aedificationis illius exemplum & votis & actibus exequentes, non solum tui nominis confessores, sed & regni tui mereamur esse participes. *Ant.* Benedictus Dominus Deus, qui te constituit Principem.

ALIA

ALIA.

Br. Mot. fol. 355. col. 1.

DEus, Dei Filius, qui in te solidissimâ petrâ exaltasti Petrum, & per Petrum Ecclesiam, effectus illi in tribulatione fiducia, quò posit adversa cuncta superare praesentia; porrige nobis auxilium dexterae tuae, ut per eum, qui in te post negationem * reditu salutare meruit solidari, per eum nos digneris a vitiorum temtationibus erui: ut fides nostra in nullo coram te appareus nutabunda, & animas & corpora pertraat ad superna.

Ant. In petra exaltasti me, Domine.
Br. Moz. redditus Muti.

ALIA.

IN te, Christe Domine, qui es firmissima petra, solidatum primum Apostolum tuum Petrum esse gaudemus: qui, dum te Caput omnium nostrorum super inimicos * suos exaltanum fuisse laetatur, immolasse in tabernaculo tuo hostiam jubilationis agnoscitur; perfectionis ergo illius nos, quaesumus, facito adire vestigia, ut etsi humanitùs in quocumque lapsi fuerimus errore, resipiscentes tamen post lapsum, ad gloriosum salutaris viae redeamus triumphum.

All. In petra exaltavit me Dominus, alleluja.
* *Leg.* tuos.

COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 355. col. 3.

APostole Dei beatissime Petre, petra Ecclesiae, pastor caelestis aulae, qui ob hoc, quod primus, Filium Dei esse, confessus es, Christum, claves meruisti percipere regni caelorum; perceptae hujus privilegio potestatis nostrorum omnium vincla dissolve, ut illic, ubi gloriosus janitor adstas, nos peccatores feliciter introducas.

BENEDICTIO.

UNigenitus Dei Filius, qui beatissimum Petrum Caput voluit, esse Ecclesiae suae, membra vos efficiat sibi semper placabilia esse; & qui illi commisit Catedrae pontificalis fastigium, vos a dominatu eripiat peccatorum: ut idem, qui potestatem accepit peccata dimittere, suis vos precibus & a peccatorum lapsibus purget, & regni, de quo claves accepit, faciat participes esse.

ORATIO IN CARNES TOLLENDAS.

Br. Moz. fol. 80. col. 2.

ALleluja in caelo, & in terra: in caelo perpetuatur, in terra cantatur: ibi * sonans jugiter, hic fideliter: illic perenniter, hic suabiter: illic feliciter, hic concorditer: illiç ineffabiliter, hic instanter: illic sine defectu, hic ex affectu: illic sine sillabis, hic modulis: illie ab Angelis, hic a populis; quam, Christo Domino nascente, in laude & confessione nominis ejus non solùm in caelo, sed & in terra Caelicolae cecinerunt, dum gloriam in excelsis Deo, & pacem in terra bonae voluntatis hominibus nuntiaverunt; Quaesumus ergo, Domine, ut quorum ministerium nitimur imitari laudando, eorum mereamur consortium beatè vivendo, te praestante, * quo jubente, * dicimus & terris.

* *Br. Moz.* sonat.
* *Deest* in caelis.
* *Leg.* in terris.

ITEM BENEDICTIO AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 80. col. 2.

ALleluja, quae ineffabiliter concinitur caelis, efficaciùs declaretur in laudibus vestris; & quae illic sine intermissione decantatur ab Angelis, hic per momenta affectiùs concinatur a populis universis: ut haec ipsa, quae laus dicitur Dei, in ea, qua nunc laude initiari populos facit, aeternae vos adscribat socios mansioni.

ITEM AD MATUTINUM.

DEus, cujus laus semper inmensa est, fac nos cum laetitia ingredi semper in sancta tua, & cum exultatione reverti ad te de hac peregrinationis aerumna: ut tibi semper, dum vivimus, devotis mentibus decantantes, ad te quandoque mereamur pervenire felices.

ALIA.

COncede nobis, Domine, tua imitari vestigia, tuaque indesinenter sequi praecepta: ut te desiderantes sincero ex corde, vita nostra in perpetuum coronata tripudiet, quo * tem, quem nunc in laudibus canimus, pòst in praemio capiamus.

* *Leg.* te.

ALIA

ALIA.

DEus omnipotens atque sanctissime, cujus laus usque in consummationem permanet jugis, & sapientia extat mirabilis; concede nobis, ut vita nostra auro comparata resplendeat: & laus tibi ex ore nostro probata sic placeat, ut nos tibi haec obsequia sine fine conjungant.

Al. Usque in consummatione.

ALIA.

AD te, Domine, diem festum celebrantes, concurrimus, & annuis recursibus votiva tibi gaudia dedicamus; proinde pietatem tuam exposcimus, ut qui nos tuis fecisti officiis obsequentes, tui nos regni efficias credes.

Resp. Universus populus.

ALIA.

DUlce nobis, Domine, quum tibi psallimus, satis est, cujus laus inmensa, cujus odor ineffabili potentia flagrat; non ergo, quaesumus, deficiat de ore nostro tua laudatio, ut sine intermissione tuae in nos dulcedinis fructificet plenitudo.

Ant. Quam dulcis est.

ALIA.

O Quam suavis est sonus, quum consono te, Christe, fideles cuncti ore laudamus; magnificetur ergo in nobis tuae laudationis amplitudo perennis, ut bonis actibus ornati per tempora, cum exibitione debita laudum perveniamus ad gaudia repromissa.

Ant. Quam suavis sonus est.

ALIA.

ALleluja, nomen magnum, suave, inclitum, ac jucundum, quod in animas timentes Deum inenarrabile gaudium seris, & in caelestium officiis declararis; dilata in nobis, concedente Deo nostro, amabilitatis tuae gaudia infinita, praeconia clara, ceptra perennia: ut, qui te in laudem Redemtoris nostri diffuso ore concinimus, te in praemio post transitum capiamus.

Al. Alleluja, sonus suavis est.

ALIA.

IN Domo tua, Deus, orantes, in oratione nostra sapientiae tuae lucem exquirimus, & laudationis tuae jubilum exibemus; quaesumus proinde, ut donec florens vitae nostrae fructus incorruptionis maturitate ditescat, sine intermissione laetetur cor nostrum in Ecclesia tua.

Resp. Quaesivi in oratione mea.

ALIA.

IN caelo & in terra mirabile nomen est Alleluja: haec in caelis ab Angelis continua modulatione concinitur, haec in terris obsequentibus fidelibus declaratur; quaesumus ergo, Deus, ut qui supernorum civium nitimur imitari concentum, eorum mereamur beatae vivendo promereri consortium.

Al. Alleluja, in caelo & terra.

ALIA.

DEus, cujus ab initio sunt testimonia gloriosa, testimoniis legis tuae cor nostrum inradia, ut qui gloriosum nomen tuum * devita laudum exibitione attollimus, laudis perpetuae munera capiamus.

Al. Ab initio.
* *Leg.* debita.

ALIA.

LArgire nobis, Domine, ut sermo tuus bonus, qui ut mellis est favus, fit nobis perpetuus civus, quo inradiati adque conpuncti ad intellegenda mirabilia tua efficiamur idonei: ut & corda nostra sint libera, & oris expedita officia: sicque pulcritudo linguae medicina sit animae nostrae, ut odiernae laudationis mysterium aeterno nobis in munere praeparetur.

Al. Favum mellis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 81. col. 1.

DEus, qui nos elemosinam facere praecipis, ut quod gurges humanae prolapsionis * pedorum squalore sordificat, haec velut porrectum boni operis tegmen operiat; fac, nos dignas nobis ipsis primùm elemosinas erogare, & sic indigentibus conpatientes existere, ut primùm vitae nostrae parcamus, piam-

Resp. Elemosina, & fides.
* *Ita & Br. Moz. sed legendum cum diphtongo*, paedorum.

piamque nobis bonorum operum substantiam ministremus, dum mores nostros a male actis corrigimus: & sic, de bono conscientiae ditiores effecti, proximorum corda & instructione inlustremus doctrinae, & inopiam reficiamus subsidio gratiae.

ITEM COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 81. col. 3.

ALleluja, nomen, * quod inprecatione tui laudem resonas Dei, esto consummatrix matutini officii; praebe quoque tu Deus nobis hanc tibi, dum vivimus, diffuso ore concinere, hanc etiam tibi post transitum, peracto mundi termino, decantare: ut, cujus hic * revoatione dulcescimus, in ejus te concentu post nostrum obitum copiosiùs amplectamur.

* *Leg.* si placet, quod interpretatione sui laudem resonat Dei,

* *Leg.* reboatione. Br. Moz: ut in cujus hic renovationem dulcescimus.

BENEDICTIO.

ALleluja, quae nominis interpretatione laus Dei significatur, se se in vestro ore vel corde ad laudandum Deum diffundat omnimodâ diffusione carissimatum: & quae jucundior declaratur in Angelorum obsequiis, efficacior existat in his officiis vestris, ut qui laudum Deo vota persolvistis, aeternum jubilum in praemio capiatis.

ITEM COMPLETURIA POST EXPLICITAS LAUDES, QUAS PSALLENDO VADUNT USQUE AD, *SANCTA JHERUSALEM*, QUAE IN SANCTO FRUCTUOSO DICENDA EST.

LAEtare Jherusalem, quoniam * fili tui collecti numerosae collectionis tibi personant laudes; quaesumus proinde, Deus, ut in hujus sanctae Matris gremio constituti, perpetuum tibi alleluja & spiritu & mente psallamus: sicque, quod nunc in peractione matutini officii per multiplicationem laudum devotè consummantes persolvimus, post nostrum obitum cum Sanctis tuis omnibus tibi uberiùs decantemus.

* *Leg.* filii.

ITEM COMPLETURIA DOMINICO AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 81. col. 4.

ECce laus tua, Deus, quae est Alleluja, & caelos implet & terram: cum & supernorum ineffabili concentu exprimitur, & terrenorum officiis declaratur; quaesumus ergo, Deus, ut quum te in illa die viderint oculi nostri in gloria, laetetur cor nostrum super alleluja: ut per laudis hujus exhibitionem devotam, & hic promereamur criminum veniam, & pòst, aeternam perducamur ad gloriam, quum manifestata nobis fuerit facies tua.

ITEM BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 81. col. 4.

ALleluja, nomen pium atque jucundum, dilatetur in laudem Dei in ora omnium populorum: sit in vocibus credentium clara, quae in Angelorum ostenditur concentibus gloriosa: ut quae in aeternis civibus sine sonorum strepitu enitet, in vestris cordibus affectu pleniori fructificet.

COMPLETORIA AD * SANCTO PETRO.

* *Leg.* SANCTUM PETRUM.

MUltimoda in laudum consummatione, tua Christe odierni diei sollemnia peragentes, quaesumus, ut in ore nostro perfecta laus tua sine intermissione fructificet, & cum effectu mentium nostro se dilatet in pectore: ut quam nunc concinendo peregimus, ad gloriosum resurrectionis tuae festum devotis cordibus concinamus.

BENEDICTIO.

DEus, in cujus laudibus haec sollemnia peregistis, gloriosos vos efficiat dono suae laudationis; Laus quoque ejus in ore nostro semper speciosa appareat, cujus gloriosa laudum odierni festi peregistis officia: ut laus, quae nunc in consummatione officii in vestris vocibus declarata est dulcis, suavior resultet in vestris cordibus tempore resurrectionis.

ORATIO IN PRIMA EBDOMADA QUADRAGESIME. DIE SABABTO AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 105. col. 2.

CHriste Deus, luminis perenne principium, qui * septimi diei curriculum sanctificatione potius, quàm operatione voluisti esse * contentum; quaerimus ecce faciem tuam, sed impedimur conscientiae nostrae tenebrâ consuetâ: conamur adsurgere, sed relavimur in errore; Non ergo abicias te quaerentes, qui non quaerentibus apparere dignatus es. Ecce dierum nostrorum decimas sancto tuo nomini annuis recursibus persolventes, septimum nunc ex ipsis decimis peregimus diem; Da ergo nobis adjutorium in hujus laboriosi itineris * viam, quò inlibata tibi nostra dedicentur obsequia: ut labores nostros amoris tui desiderio relebes, & socordiam sensûs nostri fervida dilectionis tuae ubertate exsuscites: ut in te vita nostra non habeat casum, sed fides inveniat praemium.

* Br. Moz. septimum.
* Br. Moz. confitentium, mendosè.
* Leg. via.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 105. col. 2.

OMnipotens Deus per observantiam horum dierum purificet corda vestra ab omni contagione peccaminum: sic vos in servitute sua timoris sui lege constringat, ut amoris praemio sobeat: quò desiderio aeternitatis labores vestros copiosè reficiens, regni sui vos efficiat coheredes.

ITEM DIE DOMINICO AD MATUTINUM.

Ant. Exurge, Domine, in requiem tuam.

EXurge, Domine, & corda nostra tibi praeparentur in requiem: sitque in singulis arca tuae sanctificationis, meditatio sanctitatis: ut operum nostrorum lucernam Christo tuo, Deo nostro ac Domino, praeparantes, & fructu justitiae repleamur ad gratiam, & verbum vitae contineamus ad gloriam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 117. col. 3. & fol. 143. c. 4. & fol. 129. col. 1.

Ant. Exurge, Deus, judica terram.

EXurge, Domine, qui judicas terram: & qui fidem omnium gentium pius possessor * hereditas, ne patiaris nos in tenebris remanere; sed fac nos lumen tuae veritatis aspicere, ut fundamenta fidei nostrae numquam temtationis turbo deiciat; sed supra petram, cujus tu es firmitas, conlocata permaneant.

* Br. Moz. inhabitas.

ALIA.

Br. Moz. fol. 89. col. 4. & fol. 135. col. 2. & fol. 154. col. 2.

Ant. Exurge, Domine, exurge.

EXurge, Domine, adiuba nos contra omnem malitiam persequentium, & libera a contractu spirituum inmundorum: ut, qui nos in loco humiliasti afflictionis, exaltes * item in remuneratione virtutis.

* Br. Moz. iterum.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 107. col. 1.

EXpectatio salutis nostrae Domine, verba, supplicum precibus ad te directa, sacris auribus percipe, & occultum cordis clamorem occultus scrutator intellege: ut ea, quae non timemus admittere, & erubescimus pandere, tu Rex noster miseratus dimittas, & placatus indulgeas: ut oratio confitentium manè ad te perveniat, & tuae elementiae pietas a te nobis donata succurrat.

BENEDICTIO.

MAnè Christus Dominus clamores vestros exaudiat, & miserationis suae lumen vobis clementèr ostendat; Visione vos interni luminis sobeat, & cor vestrum ad se diligendum sine intermissione accendat: ut ardore suae dulcedinis & flamma vitiorum a vobis diffugiat, & dona virtutum in * vos copiosiùs inardescant.

* Leg. in vobis.

ITEM IN SECUNDA EBDOMADA. DIE SABBATO AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 128. col. 3.

QUarti nunc, & decimi diei de nostrorum dierum decimis curriculo jam peracto, ad te levamus oculos nostros, Domine, qui habitas in caelis; inpende jam & misericordiam miseris, & medellam porrige vulneratis; Tu nobis ad gressum iter placidum effice: tu cor nostrum in mandatorum tuorum semitis dirige: per te lucis inveniamus viam: per te luminosa amoris tui capiamus incendia: tu laboribus requiem, tu laborautibus tribue mansionem; ut horum

horum dierum observatione tibi placentes, gloriae tuae mereamur esse participes.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 128. col. 3.

CHristus Dei Filius labores vestros propitiatus aspiciat, & cordis vestri tenebras inluminando submobeat; In mandatis quoque illius ita viae vestrae feliciter dirigantur, ut justificationum ejus mereantur semper optinere proventum: quò & cursum vestri laboris propitius * adibet, & caecitatis vestrae tenebras miseratus inlustret.

* *Leg.* adjuvet.

ITEM DIE DOMINICO AD MATUTINUM.

Ant. Exsurge, Domine Deus meus, in praecepto quod mandasti.

EXsurge, Domine Deus, in praecepto quod mandasti, & fac nos mandati ipsius observatione consurgere: ut, quum tu significatione non tuae, sed nostrae elevationis exsurgis; dum nostro, non tuo, profectui proficit, quod affectu humanae eloquutionis tu ipse erigi protestaris, stare nos jugiter facias; atque erectionis titulum, dum ipse praeparas, ipse suscipias.

ALIA.

Ant. Exurge, Domine, non praevaleat homo.

EXsurge, Domine, non praebaleat contra nos adversans nostrae fidei homo, atque malignantium multitudo: peccatorum quoque sic contere bracia, ut peccandi eos delectatio nulla subripiat; ut inimicus obsistens humano generi funditus conteratur, quum tu solus in nobis tuum auctâ possessione * dilataberis regnum.

* *Leg.* dilataveris.

ALIA.

Ant. Exurge, Domine Deus, & exaltetur manus tua.

EXsurge, Domine, exaltetur manus tua in signo nostrae salutis, & ne pauperis, ideft redemtae a te plevis, aliquando obliviscaris: ut, dum hic redemtos sanctificas, sine fine, quos redemisti, possideas.

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 56. col. 4.

AUribus tuis, Domine, percipe verba oris nostri, clamoremque matutinum pius scrutator intellige: ut orandi ad te nobis sit fida devotio, tuaque donetur nobis diluculo contemplatio.

BENEDICTIO.

REdemtor noster, & Dominus, discussa noctis caligine, in rectis vos faciat semitis ambulare; Det quoque vobis exultare in lumine, qui caecato homini reddidit visionem: ut & * lucis ejus vestra semper claritate resplendeat, & donorum illius ubertate corda vestra sine fine praepolleant.

* *Leg.* lux.

ITEM IN VICESIMA DIE SABATO AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 153. col. 2.

PAssionis tuae festum, Christe Dei Filius, devotis cordis officiis recursu temporis incoantes, quo pro nobis & * lingua fuisti persequentium passus, & tradentium te vulneribus crucifixus; rogamus atque exposcimus, ne te elonges a nobis: ut, qui aproximante tribulatione non est qui adjubet; * ne tradas ergo nos inimicis nostris in malum; sed excipe servos tuos in bonum: ut caluminiantes supervi, inimici scilicet animarum nostrarum, virtutis tuae potentiâ proterantur; Tu es enim Divinitatis lucerna per humanitatem super candelabrum Crucis inposita: ideo te rogamus, ut nos accendas, ne veniamus * in poena. Quos ergo perspicis initiatum passionis tuae festum devotis cordibus excepisse, facito eos passionis tuae communicare: ut tenebrarum nostrarum orrore discusso, lucis tuae muniamur praesidio * quo juvente dicimus.

* *Leg.* linguas.

* *Supple*, tu solus passionis tuae nos subleves ope.

* *Br. Moz.* in poenam.

* *Sic. curis*; *leg.* jubente.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 153. col. 2.

CHriste * Dominus, cujus passionis vulnera gratissima devotione praecinenda suscipitis, liberos vos efficiat a passionibus vestris; Et qui per adsumtam carnem voluit crucifigi, per Divinitatis suae potentiam participes vos efficiat regni sui: ut * in cujus passionem amarescitis, in ejus resurrectione plenissime gaudeatis.

* *L eg.* Christus.

* *Leg.* in cujus passione.

ITEM AD MATUTINUM IN VIGESIMA.

EXsurge Domine, praeveni inimicos tuos sanctae fidei dono, & * subvertere illos rectae conversationis studio, dum infidelem cordis eorum terram mactâ praeveniendo subverteris gratiâ: quò nec status Ecclesiae tuae in illorum infidelitate ullo modo concidat, nec ipsi perpetuae incredulitatis errore tabescant: ut passionis tuae vulneribus, non tam solentur credentes, sed etiam veritatis viam percipiant infideles.

Ant. Exurge, Domine, praeveni inimicos meos.

* *Leg.* subverte.

ALIA.

EXsurge, Domine Jesu, qui pro nobis occisus es, & dormisti in passionem, exsurge, quaesumus in cordibus infidelium, qui te a mortuis resurrexisse non credunt, ut & redemtae Ecclesiae obtata beneficia tribuas, & in corda eorum, qui te non credunt, manifestus exsurgas: quò per tuam passionem & redemti gaudia aeterna possideant, & inimici tui reducantur ad viam.

Ant. Exurge, qui obdormis, Domine.

ALIA.

Br. Moz. fol. 415. *col.* 3.

EXsurge gloria nostra Deus, exsurge, & libera ab hoste captivos, ut parato corde diluculo surgentes psallamus, & fidei psalmum in populis decantemus. Tu itaque, Domine, pro quibus es magnificatus usque ad caelos, hos in te confidentes intuere placatus: & ipse da nobis in tribulatione auxilium, qui nostrae salutis es complementum: & ipse tribulantes ad nicilum redige, ipseque ad protegendum potentiam tuae virtutis in nobis ostende.

ORATIO DE QUINQUAGESIMO PSALMO.

Br. Moz. fol. 108. *col.* 3.

CHriste Deus nostrae salutis, qui passionibus tuis nostrorum criminum passiones extinguis, libera nos de sanguinum viris, & ab omnibus corruptionibus nostris, ut facta carnis * & sanguinum praecipitio interiri, sed placentium tivi mereamur numero adgregari.

Haec oratio totiens dicenda, quotiens & verba hujus antiphonae fuerint decantata, nisi sive in dominica de Lazaro, sive in caena Domini, seu etiam quando in cujuslibet martyris festum occurrit.

* *Leg.* & sanguinum declinantes, non virorum sanguinum praecipitio interire.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 156. *col.* 2.

DEus, Dei Filius, qui voluntariè * decipula venantium passus, voluntariè utique crederis crucifixus; concede nobis & passionis tuae exceptione singulariter jucundari, & resurrectionis tuae gaudio fidenter adtolli: ut qui passionis tuae sollemnia devotis praecinenda canticis incoamus, respectu lucis tuae copiosius * inlustremus.

* *Leg.* decipulam.

* *Br. Moz.* inlustremur.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 156. *col.* 2.

CHristus, Dei Filius, qui olim, mediante hujus diei festi tempore, detrahentium se pertulit linguas, vestrorum omnium faciat esse disertas; & qui pro impiis passus est innocens, vos sibi efficiat sine fine consortes: ut, ejus nunc passionem * maestificati excipitis, ad resurrectionis ejus diem laetificatis cordibus accedatis.

* *Br. Moz.* justificati.

INCIPIUNT ORATIONES DE RESPONSURIIS, SIVE DE ANTIFONIS PSALMOGRAFIS DE * TRADICTIONE, QUAE DECANTANTUR COTIDIE EXTRA DIES DOMINICOS A DIE SECUNDA FERIA POST VICESIMAM, USQUE IN SABBATTO DE RAMOS PALMARUM.

* *Leg.* de traditione.

Br. Moz. fol. 153. *col.* 4.

CHriste, Dei Patris ineffabile Verbum, contra quem & Reges terrae atrociter fremuerunt, & populi inania meditati sunt; da Ecclesiae tuae membris, obtabilem de adversis potestatibus ferre triumphum, quò & persequentium mucro, obsistente * sivi veritate, vanescat, & eredentium te fides super inimicos suos invicta praepolleat.

Ant. Quare fremuerunt gentes?

* *Leg.* sibi; *mox Br. Moz.* vanitate vanescat: *mendosè.*

ALIA.

IN tribulatione nostra, Deus noster, citus consolator occurre: ut, qui pro impiis tribulationum es perpessus injuriam, supplicantibus nobis dones indulgentiam copiosam.

Ant. In tribulatione mea, Deus meus.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 156. col. 4.

DEus, qui hodio habes omnes, qui operantur iniquitatem; caritatis nos munimine reple, ut aliquando ad te * converſuri, doloris noſtri ſentiant cumulum, qui contra te loquuntur mendacium. *Reſp.* Suſceperunt me, ſicut Leo.

Ant. Odiſti, Domine, omnes, qui operantur iniquitatem.

Br. Moz. converſi, doloris ſui.

ITEM AD TERTIAM.

DEus, Dei Filius, qui in carnis conſtitutus abjectione, virum impium, gradientem ore perverſo, ut te in dolo deciperet, libentiſſimè ſuſtinuiſti: dumque ab eo ſolus Homo putaris, in praenoſcendis tamen ſcandalorum ejus decipulis verus Deus agnoſceris; te ſuſis piiſque precibus flagitamus, ut ſic nos, qui te Deum pariter & Hominem veraciter confitentes, unum credimus Chriſtum, Divinitatis tuae cuſtodiâ protegamur, qualiter & hic paſſioni tuae communicantes, ab omni cordis pravitate purgemur, & in futuro ſanctorum coetibus adgregemur.

Reſp. Ecce vir inpius gradiatur ore perverſo.

ALIA.

DEus Pater unigeniti Filii tui, qui habitans in caelis, irridendos atque ſubſannandos omnes reges terrae & principes, adverſus Chriſtum tuum convenientes, oſtendis; da in nobis ſpeciale munus hoc gratiae, ut adverſis neſciamus ullo modo cedere: quò ſic in furore tuo infidelitas conturbetur, ut ex tuo adjutorio noſtra credulitas coronetur.

Ant. Adſtiterunt reges terrae. mal.

ALIA.

Br. Moz. fol. 156. col. 4.

IN ore inimicorum tuorum, Domine, veritas non eſt: quia dum a te in intimis avertuntur, cor eorum vanitate deſtruitur; da ergo nobis, ut ſic lingua noſtra cum puritate conſcientiae acceptum tibi deferat ymnum, ut patens malignitatis non efficiatur ſepulcrum.

Ant. Quia non eſt in ore inimicorum veritas.

ALIA.

Br. Moz. fol. 158. col. 4.

DEus * Patris Unigenite Filius Chriſte, cujus Divinitatis oculum ſic paſſionis injuria * non turbat, ut tamen paſſionem * ipſam in ſolo homine adſumto exciperet; nos famulos tuos, quorum via amaritudinis, & oculus caligavit, & vita inter inimicos poſita vetereſcit, ſic a nobis acceſſum exclude totius malitiae, ut compotes habeamur felicitatis aeternae.

Ant. Caligavit.

* *Lege:* Dei Patris .... Fili.

* *Forſè legendum*, conturbat.

* *Br. Moz.* ipſa, *mox mendosè*, aſſumpta.

ITEM AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 211. col. 4.

CHriſte, Dei Patris individua Proles, qui adſumto homine laqueos iniquae linguae perpeſſus es; tu Eccleſiam tuam ab omnium paſſionum inlecebris libera, & a nocibilitate labiorum detrahentium inlaeſam conſerva: quatenus iſtic a rugientibus, miniſtris ſcilicet diabolicae poteſtatis, exempta, tibimet caeleſti * in curia perenniter inaereat glorioſa.

Reſp. A laqueo linguae.

* *Primis curis*, injuria, *mendosè*.

ALIA.

Br. Moz. fol. 158. col. 4.

CHriſte, Dei Filius, cujus oſſa & anima in paſſione turbata ſunt, ſana plagam cordis noſtri: ut, confirmatis virtutum oſſibus, ſic paſſionis tuae concinamus praeconia, ut reſurrectionis conlaetemur inpenſiùs gloriâ pòſt futurâ.

Ant. Sana me, Domine.

ALIA.

Br. Moz. fol. 149. col. 2.

TE Jeſum pro nobis impiis laboraſſe in gemitu credimus paſſionis; ideo petimus, ut ſingulare exemplum patientiae tuae proficiat ad emolumentum animae noſtrae, quò per ſingulas noctes ſic lectum ſtratumque noſtrum rigemus in lacrimis, ut continua capiamus praeſidia ſanctitatis.

Ant. * Lavoravi in gemitu meo.

ALIA.

Br. Moz. fol. 153. col. 4.

DOmine Deus, * ſpirantem in te Eccleſiam tuam a perſequentibus omnibus libera: ùt potentia paſſionis tuae, qua eam primùm liberaſti a captivitate diaboli, liberes etiam ab ardoribus ſupplicii ſempiterni.

Ant. Domine Deus meus, in te ſperabi: libera me.

* *Leg.* ſperantem,

ITEM

ITEM AD NONAM,

Br. Moz. fol. 162. col. 4. IN pace in idipsum, in te, Domine, quietis nostrae fiducia conlocetur; ut cujus mortis gloria nobis facta est requies, nos in spe tua constituendo exaltes. *Ant.* In pace, in idipsum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 162. col. 4. DIscendant * a te, Domine, omnes maligni, quos utique infidelitatis suae vorago a te discedere fecit; non, quò ipsi poenali ultione a te perituri recedant, sed ut infidelitatis eorum discedente protervià, mitissima leni jugo tuo sua colla submittant. *Ant.* Discedite a me maligni. * *Leg.* Discedant.

ALIA.

Br. Moz. fol. 162. col. 4. DOmine Deus, sperantem in te Ecclesiam salva: quò per te, qui pro ea passus es, & omnibus persequentibus liberetur, & cum omnibus, qui te diligunt, perpetim jucundetur. *Ant.* Domine Deus meus, in te speravi: salva me ab omnibus, qui me persequuntur.

ITEM AD MATUTINUM.

ERubescant & confundantur omnes inimici tui, Domine, qui & inrisores sunt Crucis tuae, & captatores orationis nostrae; Suscipe ergo orationem fidelium, & castra abice externorum: ut dum oratio Ecclesiae ad te dirigitur, omnes per te * infidelitas confundantur. *Ant.* Dominus orationem meam suscepit. * *Leg.* infideles.

ALIA.

Vide hic supra. Et fol. 187. col. 4. DOmine Deus, sperantem in te Ecclesiam a persequentibus omnibus salva, & de manu persequentium potentialiter libera: ac ne quando rapiat ùt Leo * anima ejus, tuis semper inroretur affectibus: ut cujus primùm passionis * conpluta est sanguine, ejus invictâ liberetur a malis omnibus potestate. *Ant.* Domine Deus meus, in te speravi, salva me, & libera me, ne quando rapiat. * *Leg.* animam. * *Leg.* completa.

ALIA.

DEstrue, Domine, inimicum & defensorem, qui dum fictè defensionis tuae oraculo callet, inimicum veneni poculum obtegit melle; quia ergo admirabile semper est nomen tuum, sic dentes contra te insanientium contere, ut ex ore infantium & lactantium perficias laudem. *Ant.* Destrue inimicum.

ITEM AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 178. col. 1. CHriste, Dei Filius, cujus vitam viri impii & opprimendam definiunt, & detruendam ùt inferi statuerunt, nitentes memoriam tuam auferre de terra, qui creaveras & caelos & terram; te petimus & rogamus, ut qui in spoliis vestis tuae missam sortem * patenter perferre dignatus es, lapsus fragilitatis nostrae benegnissimè toleres, & a cunctorum nos elogio criminum expiatos conserves: quatenus, dum nos malae consuetudinis ligamine reddideris absolutos, Sanctorum catervis in futuro consocies laureandos. *Resp.* Viri impii dixerunt. * *Br. Moz.* patienter.

ALIA.

Br. Moz. fol. 179. col. 4. PSallat semper Ecclesia tua nomini tuo, altissime Deus, qui per passionis tuae triumphum convertisti inimicum animae nostrae retrorsum; quaesumus proinde, ut eodem cum suis satellitibus infirmatis & perditis a facie tua, nos semper tua protegat passio gloriosa. *Ant.* Psallam nomini tuo, Altissime.

ALIA.

Br. Moz. fol. 179. col. 4. ADversus te, Christe Domine, peccatores malignitatis praetendentes arcum, dolositatis suae nicilhominus sagittis transfixi sunt: quia igitur te in obscuro nequitiae jaculis linguae suae, ùt * quonati sunt, transfigere nequiverunt, nos, quaesumus, ab eorum dentibus tuae passionis munimine extraamur: ut te, quem rectum corde persequuti sunt impiè, sentiant nostrum in omnibus protectorem. *Ant.* Peccatores tenderunt arcum. * *Leg.* conati.

ALIA.

Br. Moz. fol. 160. col. 3. SAlvum fac, Domine, populum tuum, qui gloriosâ passionis tuae exceptione laetatur, ut lavia dolosa non habeamus in corde, sed ore simplici & vana loquentibus finem ponere, & in te eredentium possimus accendere caritatem. *Ant.* Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus.

ALIA.

ITEM AD SEXTAM.

DEus, cujus quaedam membra inimicorum vulnerantur sagittâ; tu Ecclesiam tuam ab omni haereticae pravitatis sagittâ intemeratam conserva, & a simulatione * horis pacifici libera: quò non occultas insidias perversorum incurrat, nec dolos forinsecùs * sive praeparatos laceranda excipiat.

Resp. Sagitta vulnerans.

* *Leg.* oris.

* *Forte*, sibi.

ALIA.

Br. Moz. fol. 155. col. 1.

DOmine Deus, salvum fac populum tuum secundùm acceptum a te justitiae donum, in quo sanctae fidei nobis tribuisti mysterium: ut porrecto titulo Crucis sic consumatur nequitia peccatoris, ut dirigatur justus per semitas aequitatis.

Ant. Domine Deus, salvum me fac secundùm justitiam meam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 159. col. 3.

MIserere nostri, Domine, & vide humilitatem nostram de inimicis nostris: ut qui nullis teneri potuisti dolorum infernalium vinculis, nos a portis mortis potentialiter exaltare digneris.

Ant. Miserere mei, Domine, & vide humilitatem meam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 160. col. 1.

DEus, cujus oculi in pauperem respiciunt, in te confidenti animae nostrae dona auxilium: ut, qui sanari nos passionis tuae vulneribus inprecamur, te auxiliante a nostris passionibus liberemur.

Ant. In Domino confidet anima mea.

ITEM AD NONAM.

Br. Moz. fol. 161. col. 1.

VAna satis, Domine, de te loquuntur, qui te Dei Filium confiteri nefariis vocibus dedignantur; disperde ergo labia dolosa a coetu Ecclesiae tuae: ut, destructâ vanitate superviae, candor in nos rutilet humilis disciplinae.

Ant. Vana loquuti sunt unusquisque ad proximum suum.

ALIA.

USquequò, Domine, oblivisceris nos in finem? Jam tandem aspice gemitum precis nostrae; & qui in passione positus Petrum respexisti post lacrimas, nos, quaesumus, respicias post inmanissimas culpas.

Ant. Usquequò Domine, oblivisceris me in finem?

ALIA.

CHriste Dei Filius, qui deceptoris discipuli fraude innocens traderis ad supplicium Crucis, & super quem innocentem munera accepta sunt captionis; da nobis, ut nec jurando decipere proximos, nec noxiis moribus studeamus perdere nosmetipsos: quin potius, patientiae doctrinam sequentes, internos externosque valeamus evincere hostes.

Ant. Qui jurat proximos suo, & non decipit eum.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 160. col. 4.

USquequò, Domine, exaltavitur inimicus animae nostrae, qui nos cotidiana vitiorum abrodit rubigine? Respice jam, & exaudi nos: * hac, ne quando inimicus noster adversum nos praebaluisse se jactet, victoriâ Crucis tuae semper ad superna nos erige: & eum, qui nos quonatur capere, sub nostris pedibus conterendum inmerge.

Ant. Usquequò Domine, exaltavitur inimicus meus.

* *Leg.* ac.

ALIA.

Br. Moz. fol. 179. col. 4.

JEsu, Dei Patris ineffabile Verbum, * qui insipientium corda ideo verum Deum esse non credunt, quia in ipso corde suo corrupti & abominabiles facti sunt; te petimus, & rogamus, ut cognoscant te & ipsi, sicut & nos cognovimus: ut sic * fideliter per veram fidei cognitionem laetabundi jungantur, qualiter plenissimè gaudeant se ipsos additos ad numerum redemtorum.

Ant. Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.

* *Leg.* quem, *vel* quod.

* *Br. Moz.* fidelibus l. i per &c.

ALIA.

Br. Moz. fol. 179. col. 4.

CHriste Filius Dei, cujus animam circumdantes insatiabiles inimici, adipe suae malitiae obcaecati, loquebantur superviam; eripe ab impiis animam nostram: & sic passio tua passiones nostras extinguat, ut numquam oculos nostros statuamus declinare in terram. *Resp.* Ne elonges a me, Domine.

Ant. Inimici mei animam meam circumdederunt.

ITEM AD TERTIAM.

PRaevaricatos in te, Christe, mortalitatis nostrae vera redemtio, inimicos tuos agnovimus: eosque contra te loquutos mendacium, piâ oris nostri confessione fatemur; idcirco supplices quaesumus, ut Ecclesiam tuam in hujus vasti gurgitis fluctibus volutantem ita virtutis tuae excubiis praemunire digneris, ut & hic * dolosarum arcus, ac jacula perversorum dogmatum inconcusso fidei calle pertranseat, & pòst ad te, nos omnes in sinus sui gremio retinens, laetabunda perveniat.

Resp. Haec dicit Dis: praevaricati sunt.

* *Leg.* dolosorum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 178. col. 1. DIsperde, Domine, universa labia dolosa, & linguam magniloquam: ut qui in Salutare tuum fidenter agere nolunt, labiorum suorum malitiâ confundantur: sicque illis in Christo Domino nostro vocatis per poenitentiam, * unâque nobiscum illis fidei linguâ effectâ, labia dolosa in utrumque a nobis usquequaque dispereant.

Ant. Disperdat Dominus universa labia iniqua.

* *Br. Moz.* unâque nobiscum fidei linguâ effecti, ut labia dolosa utrumque &c. *Lege*, unâque nobiscum illis linguâ fidei effectis, *mox*, in utrisque.

ALIA.

DOmine Jesu, cujus caro Crucis patibulo affixa pertulit sepulturam, cujusque in infernum non derelicta est anima; tu carnes nostras Crucis tuae clavis affige, & de manu inferni potentiâ virtutis tuae nos exime: ut tu, cujus sanctum corpus non vidit corruptionem, ab aeterna nos mortis liberes potestate.

Ant. Caro mea requiescet in spe.

ALIA.

DEus adjutor & protector noster, qui es invictissimum cornu salutis nostrae; redime nos ab omni corruptione, qui olim nos lavisti per sanguinem: ut passionis tuae gloriam contuentes, felicitatis aeternae mereamur effici coheredes.

Ant. Deus meus, adjutor meus, sperabo in eum.

ITEM AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 213. col. 3. CHriste, Dei Virtus, & Dei Sapientia, cujus vias dum antiquus hostis persequendo concludere nititur, a te, qui via es, mirificè conculcatur; ita nos, quaesumus, tuae gratiae usquequaque munimine circumvalla, ut nec in via peccatorum antiqui hostis obice concludamur, & iterum te * jubante per vias volumtatis tuae dilatato corde curramus.

Resp. Conclusit inimicus viam meam.

* *Leg.* juvante; *Br. Moz.* jubente.

ALIA.

Br. Moz. fol. 164. col. 2. IN tribulatione sua te Deum liberatorem suum invocat Ecclesia tua; Petimus proinde, ut eam salves ab inimicis, qui eam redemisti pretio tui cruoris: quò ita vias tuas in hac peregrinatione custodiat, ut obans ad tua mereatur pervenire promissa.

Ant. In tribulatione mea invocabi Dominum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 160. col. 2. CHriste, Deus noster, qui contumacis populi contradictionibus es contemtus, & ob hoc in capite gentium constitutus; nos, quibus per passionem & resurrectionem tuam Caput te fieri voluisti, non patiaris a te aliquando praecidi: ut te duce de aeriis potestatibus * triumphemur, quem pro nobis in Crucis patibulo credimus exaltatum.

Ant. Domine, salva me a contradictionibus populi.

* *Leg.* triumphemus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 161. col. 3. FRuctum inimicorum, Domine, de terra disperde, & semen eorum a filiis hominum, qui te, unum Christum, Dei & hominis filium confiteri refugiunt: ut Crux tua, quae Judaeis est scandalum, Gentibus autem stultitia, utrosque populos ad fidei regulam dirigat, tibique connectendos ac coronandos sine fine conjungat.

Ant. Fructum inimicorum, Domine, de terra perdes.

ITEM AD NONAM.

Br. Moz. fol. 161. col. 2. AUxiliare, Domine, & adjuba Ecclesiam tuam, quam adversarius noster nititur suscipere devorandam, sicut leo paratus ad praedam; Exsurge jam, Domine, & nostros praeveni inimicos, subvertens eos & passionis gloriâ, & resur-

Ant. Susceperunt me, sicut leo paratus ad praedam.

resurrectionis tuae potentiâ; ut conversis illis, & passio tua victoriae nobis in commune praeparet titulum, & resurrectio praemium conferat sempiternum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 162. col. 2.

DA nobis, Domine, clipeum salutis tuae, ut dextera tua nos ad alta semper provehendo confortet, quò accincti fortitudine tua ad praelium per insigne Crucis tuae * tropeum deiciamus adversantem nobis humani generis inimicum.

Ant. Da mici, Dominc, clipeũ salutis tuae.

* *Leg.* tropaeum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 164. col. 2.

DEus noster, salva nos ab insurgentibus inimicis, & a resistentibus victoriae Crucis libera nos potentiâ Deitatis: ut nomini tuo cantantes, te semper gloriosum confiteamur in gentibus, cujus sanguine redemtus est mundus.

Ant. Deus meus salva me ab inimicis meis.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 165. col. 4.

EXaudi, Domine, de templo sancto tuo vocem Ecclesiae tuae: ut qui in passione positus rivulos sanguinis patiendo exsudas, nos mortis * gentibus circumdati solaturus aspicias: ut torrentes iniquitatis in nullo nos noceant, cùm inperturbatos reddiderit adjutrix gratia tua.

Ant. Exaudi, Domine, de Templo sancto tuo vocem meam.

* *Leg.* gemitibus circumdatos.

ALIA.

Br. Moz. fol. 181. col. 4.

INveniatur manus tua, Domine, omnibus inimicis tuis in vindictam, qui nolunt Cruci tuae sua subdere colla: inveniatur quoque & in eis, qui te oderunt, dextera tua parcens, cum eos ipsos dexterae tuae feceris esse participes: ut in tempore vultus tui, quum manifestata fuerit nobis facies tua, non ponantur * ut in clibanum ignis, sed transferantur nobiscum coronandi in caelestibus regnis.

Ant. Inveniatur manus tua Domine.

* *Br. Moz.* ut clibanum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 183. col. 4.

AD defensionem familiae tuae adtende, Domine, & jam eripe animam ejus a framea persequentis, & manu canis: qui solus animam tuam ponere dignatus es pro omnibus nobis. *Resp.* Sicut bonus.

Ant. Ad defensionem meam adtende, Domine.

ITEM AD TERTIAM.

O Dei Patris Verbum, adversus quem falsiloquus suscitatus erigitur, & per quem lumborum tuorum pars lanceis inpetitur; concede membris Ecclesiae tuae, ut nec inimici lanceis circumsaepta, ad inclita voluptatum opera dilabantur, nec convulneratione lumborum ad incentiva libidinis excitentur: sed tu, qui es Judex noster in caelo, & conscius in excelso, & à praesenti nos libera malo, & futuro nobis requiem dona in saeculo.

Resp. Caligavit ab indignatione oculus meus.

ALIA.

CHriste, Dei Filius, respice nos, & ne nos derelinquas, currentes in stadio hujus mundi, qui de Cruce Patrem, ut quid te derelinqueret, adclamasti: * ut quia tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet, tu oportunum nobis e caelo auxilium mitte.

Ant. Deus, Deus meus, respice in me; & ne derelinquas me.

* *Leg.* & quia.

ALIA.

CHriste Domine, qui pro nobis carnem suscipiens * in circumdatus concilium perpessus es malignorum; concede nobis, ut manus & pedes tui, quae ettollae clavis affixerunt Crucis, praesidia nobis, praeparent (praesidia) sanitatis: ut insignia passionis tuae vexilla ad consequenda nobis emolumenta proficiant sempiterna.

Ant. In pulvere mortis deduxerunt me, Domine.

* *Fortè legendum*, te circumdantium.

* *Leg.* quae effossae (te, qui effossi) clavis affixerunt Cruci: *& dele*, praesidia.

ALIA.

Br. Moz. fol. 109. col. 4.

LIbera nos, Domine, de ore leonis, qui injuriam perpessus es Crucis: ut in medio Ecclesiae te laudantes, narremus nomen tuum fratribus nostris, qui solus victor factus es mortis.

Ant. Libera me, Domine, de ore leonis.

ITEM AD SEXTAM.

OMnes, tuam, Christe, persequentes Ecclesiam, sub ejus vestigiis convertendos humilia: quique te in membris tuis persecuntur ac detrahunt, salutari confusione & verecundia perfundantur: ut Ecclesiae tuae animam, non ad poenam, sed ad emulationem boni semper exquirant.

Resp. Omnes persequentes me confunde, Domine.

ALIA.

Br. Moz. fol. 176. col. 3. & vide fol. 184. col. 4.

AD defensionem Ecclesiae tuae respice, pastor animarum, Domine Jesu Christe, liberans misericorditer animam nostram de ore leonis, cujus anima a framea & manu liberata est canis.

Ant. Ad defensionem meam respice.

ALIA.

CHriste, Filius Dei, cujus virtus igne passionis decocta, velut testa, firmior fuit, cujus lingua faucibus * esit, dum per illos etiam loqueris, linguaque in illis gloriosa efficeris, qui tuis inerent usquequaque mandatis; da nobis, ut igne tribulationis decocti, non frangamur in camino hujus saeculi constituti: sed in hoc nos veritas linguae tuae possideat, ut, infatigabili cursu tua servantes praecepta, patienter adversa cuncta toleremus praesentia.

Ant. Lingua mea adaesit faucibus meis.

* *Leg. haesit, & sic accomodè similia.*

ALIA.

Br. Moz. fol. 166. col. 3.

CHriste, Dei Filius, quem hominem purum, non Deum credentes, vitulorum multitudo circumdat, & taurorum pinguium persequens crassitudo dilaniat; dá nobis, ita invicto Crucis tuae signaculo frui, ut omnis * per hanc a nobis congregatio dispereat inimici.

Ant. Circumdederunt me vituli multi.

* *Br. Moz. per hoc.*

ITEM AD NONAM.

Br. Moz. fol. 181. col. 4. & fol. 208. col. 2.

ERipe animam nostram a framea potentissimi inimici; Christe Filius Dei, ut tu noster sis semper liberator de ore leonis, qui animam tuam potenter eduxisti ab inferis.

Ant. Eripe a framea animã meam, Domine.

ALIA.

CHriste, Deus noster, qui impiorum crucifixus es linguis; ne perdas animas nostras cum impiis, nec cum viris sanguinum mortis deducamur in lacum, qui te pro nobis Dominum credimus crucifixum.

Ant. Ne perdas cum impiis animam meam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 204. col. 2.

NE tradideris, Domine, Ecclesiam tuam in persequentium se manu cruenta: ut insurgentes, ab ea testes falsi resileant, cum in ea Crucis vexilla fuerint elevata.

Ant. Ne tradideris me, Domine.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 187. col. 4.

NE tradas, Domine, in persequentium manu animas tibi confitentium populorum: ut qui falsorum pertulisti mendacium, colentium te glorificeris vocibus redemtorum.

Ant. Ne tradas me, Domine, in manus persequentium me.

ALIA.

Br. Moz. fol. 177. col. 1.

CHriste, Deus noster, qui inter peccatores, cum latronibus scilicet, Crucis te supplicio tradi perpessus es; quaesumus, ne nos simul cum peccatoribus tradas, neque cum operantibus iniquitatem pariter punias: ut, quos passione tua a diaboli potestate liberare dignatus es, hic & in aeternum ab infernali peccatorum sorte dissocies.

Ant. Ne simul tradas me cum peccatoribus.

ALIA.

ESto nobis, Domine, in Deum protectorem, qui solus pro nobis pertulisti supplicii Crucem: ut in loco passionis tuae muniti altiùs conlocati, cruentum mare saeculi transeamus inlaesi.

Ant. Esto mihi in Deum protectorem.

ITEM

ITEM AD TERTIAM.

INgeniti Dei Patris unigenite Filius, qui in verae carnis mortalitate redemturus hominem veniens, non solùm * infidi es Judeae populis in proverbium veteris, sed etiam & ab his, quos diligebas, passionis procella intercurrente, longè factus agnosceris; tu nos tuae caritatis ubertate refertos in odore unguentorum tuorum post te facito excurrere expeditos.

Ant. In hoc cognovi. *Resp.* Ecce factus sum omnibus.

* Leg. in fidae Judeae populis in proverbium veteris.

ALIA.

Br. Moz. fol. 204. col. 2.

CUm operantibus iniquitatem ne perdas nos, Domine: & qui passionis tuae tempore loquentes foris pacem, mala autem in cordibus meditantes, singulari patientia perferre dignatus es, nos famulos tuos & a totius simultatis vitio liberes, & a talium conventu & hìc & in futuro reddas extorres.

Ant. Quum operantibus iniquitatem.

ALIA.

Br. Moz. fol. 163. col. 4.

ERubescant, Domine, impii, & deducantur in infernum, qui te Christum Dei Filium negaverunt: ut ora te loquentium * aucto praedicationis culmine polleant, dum adversus justum iniquitatem loquentia destruxeris labia.

Ant. Erubescant impii, & deducantur in infernum.

* Br. Moz. alto.

ALIA.

Br. Moz. fol. 166. col. 3.

DOmine Jesu Christe, non infirmetur, quaesumus, in peregrinationis hujus paupertate vigor Ecclesiae tuae: ac si contigerit in nobis virtutum ossa pro tempore conturbari, exemplo passionis tuae erecti, non incidamus usquequaque in laqueos inimihi.

Ant. Infirmatus est in paupertate vigor meus.

ITEM AD SEXTAM.

DOmine, qui nos consoletur, non est in terris, nisi tu de sancto auxilium miseris; tu ergo, qui olim in nostro corpore & adversantem tibi discipulum, & extensam contra te pertulisti adversarii manum, manus nostras ab omnibus inlicitis actibus coibe: ut pro nullis operibus nostris, dum judicaturus vivos & mortuos veneris, confundamur, sed ostensa nobis vultûs tui glorià consolemur.

Resp. Domine, qui consoletur, non est.

ALIA.

Br. Moz. fol. 199. col. 3.

INeffabili, Domine Jesu, enituisti patientiâ, dum congregata omnis simul adversùm te infidelium turba, ut acciperent animam tuam, nitebantur conciliis, quò in verbo te caperent, quem utique Verbum Dei esse nescirent; & ideó, qui tam potentialiter mundum vicisti * in dilectoribus suis, glorificare te dignare in confessionibus nostris.

Ant. Dum congregarētur omnes simul adversùm me.

* Br. Moz. in delicto, viribus tuis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 270. col. 4.

TU nobis es, Domine, refugium a pressura, quae circumdedit nos; & ideo, qui patiendo pro nobis, exultatio factus es nostra, redime nos a circumdantium inimicorum muscipula.

Ant. Tu, Domine, es refugium a pressura.

ALIA.

Br. Moz. fol. 163. col. 4.

JUdica, Domine, nocentes nos, & impugnantes nos ipse expugna: ut qui primùm es inpugnatus in corpore nostro, nunc nos inexpugnabiles reddas, permanentes in corpore tuo.

Ant. Judica, Domine, nocentes me. mal.

ITEM AD NONAM.

COnfundantur & revereantur, Domine, omnes inimihi Ecclesiae tuae, qui te in eam nituntur evincere: ut dum tu, qui pro ea passus, auxilia ei exobtata porrexeris, erubescant omnes, qui cogitant adversus eam mala in cordibus suis.

Ant. Confundantur, & revereantur inimihi mei.

ALIA.

Br. Moz. fol. 189. col. 4.

SUrgentes in te, Domine, testes iniqui, quae ignorabas, interrogabant te: quid enim ignorabas, qui eorum, qui te oderant, dolos ante praespexeras, & futurorum praescius omnia praesciebas? Qui ergo interrogantium blasphemias alto pietatis * mysterio te ignorasse designas, scire nos veraciter, & amplectere facito, & redemtionis

Ant. Surgentes in me testes iniqui.

* Primis curis, misterio.

tionis nostrae mysteria plena fide cognoscere, & ea ipsa interrogantibus inimicis * cognota declarare.

* Leg. cognita.

ALIA.

Br. Moz. fol. 170. col. 4.

DA nobis, Domine, ut mortificationem tuam circumferamus in corpore nostro, qui nos vivificasti in corpore tuo: ut quum molesti nobis fuerint inimihi, non eamus contra illos reddituri vindictam: sed induti cilicio, nostramque humiliantes in jejunio animam, tibi Domine in sinu nostro refusam orationem deferamus acceptam.

Ant. Ego, Domine, cum * mici molesti essent.

* Leg. mihi.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 109. col. 4.

DEus, Dni Filius, super quem exsurgentes testes iniqui, dum ignoranda interrogant, se ipsos caecitatis ignorantiâ jugulant, reddentes tibi pro bonis mala prarsentia; da nobis sic in tuis passionibus conlaetari, ut in caelesti gloria mereamur coronandi admitti.

Ant. Exsurgentes testes iniqui, quae ignorabam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 160. col. 1.

INimihi tui, Domine, adversus te convenerunt, non ut compungerentur poenitentiâ salutari, sed ut dissoluti tentandum te adirent inrisione crudrli; qui ergo innocens perpessus es inimicorum & inrisiones & vulnera, nostra in his abluc propitiatus peccata.

Ant. Inimici mei adversùm me convenerunt.

ALIA.

Br. Moz. fol. 166. col. 4.

CHriste, Salvator noster & Domine, quem inimici tui gratis oderunt, cuique annuentes oculis pacificè loquebantur; da nobis, ut & amicos in te, & inimicos propter te veraciter diligere mereamur: ut, quum tu Dominus fueris solus in causa, simplex ad omnes procrdat conscientia nostra.

Ant. Qui oderunt me gratis, annuebant oculis.

ITEM AD TERTIAM.

JEsu, fons & origo nostrae salutis, qui sine tempore ar.ernus de aeterno Patre Filius nasceris, & in fine temporis natus homo ex Virgine declararis, propter quod & derelictum te super terram a Patre testaris; non nos, dum terra hujus corporis circumdamur, derelinquas: neque a facie tua projicias; sed praesta nobis, propter hoc quòd passionum tuarum * stigmatam fidei ulnis amplectimur, ut tecum post transitum infinito jubilo jucundemur.

Resp. Quare tristis es anima mea?
Resp. Omnes adversarii mei.

* Fro, stigmata.

ALIA.

JEsu, Deus noster & Domine, qui verba inimici, iniquitatem & dolum redolentia, supportasti; fac nos ut, nrquaquam meditantes iniquitatem in cubili cordis nostri abscondito, impleri mereamur tuae gratiae dono.

Ant. Verba inimici, iniquitas & dolus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 163. col. 4.

CHriste, Dei Filius, qui stridentium inimicorum dentibus non es commotus, sed singulari patientiâ, & ferinis stridoribus spicula, & humanis languoribus porrigis medicinam; restitue tibi prr veram poenitentiam animas nostras; ut a te respecti non feramur * praecipiti irâ damnabiles, set exemplo tuae passionis reddamur ad omnia mites.

Ant. Stridebãt in me dentibus suis.

* Br. Moz. praecipites in ira: sed &c.

ALIA.

Br. Moz. fol. 169. col. 3.

OBservat, Domine, peccator justum, insidians fidelissimum gregem tuum ad perdendum eum, viventem ex fide, & de tua misericordia praesumentem; non ergo nos perituros derelinquas in manibus ejus, qui propter nos * ligno es crucifixus.

Ant. Observavit peccator justum.

* Br. Moz. ligno crucis affixus es.

ITEM IN EBDOMADA SECUNDA POST VIGESIMA.

Br. Moz. fol. 171. col. 1.

DEus noster & Domine, Jesu Christe, tu semper esto in causa Ecclesiae tuae, * per quem eam semper patienter discernas a caeteris, qui solus pro ea pertulisti vulnera passionis.

Ant. Deus meus, & Dominus mrus in causam meam.

* Nescio, an legendum sit, partemq. meam.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 195. col. 2. INimici tui, Domine, vivent in poenis, quos destruxisti potentiâ Crucis; non ergo super Ecclesiam tuam ulterius confortentur, qui semel gloriâ passionis tuae evicti sunt: ut membra tua, vexillo Crucis erecto, de hoste victoriam capiant, & exobtata de spoliis hostium lucra conquirant. *Ant.* Inimici mei vivent, & confortati sunt.

ALIA.

Br. Moz. fol. 185. col. 3. ECce, Domine, veteres sunt positi dies nostri, quia in veterem adhuc hominem ambulamus, dum novitatem vitae usquequaque non capimus; operum ergo dignorum exibitione nos amplia, qui fidei tuae nobis contulisti vexilla: ut non veterescamur in hactibus pravitatis, qui tuae nos credimus innovatos gloriâ passionis. *Ant.* Ecce veteres posuisti dies meos.

ITEM AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 204. col. 2. JEsu, Salvator noster & Domine, adversus quem omnes *Juda principes congregati, inmane facinus perpetrantes, sanguinem innocentem effundunt: quò & mundus veternosi criminis *elogione mundatur, & cuncta, quae in caelo & quae in terra sunt, unione pacis sociata noscuntur; nos ejusdem tui cruoris perceptione a cunctis sordibus delictorum emacula, & innocentiae bono exorna: quatenus vinculo alternae pacis innexi, tempore Judicii tui tibi ùt verae pacis filii praesentemur, & ex tuae visionis intuitu nullatenus confundamur. *Resp.* Ab homine iniquo & doloso libera me, Domine. *Resp.* Congregati sunt adversus justum.

* Fortè Judeae.
* Leg. elogio emundatur.

ALIA.

COnsistenti peccatori adversum nos, Domine, tu pro nobis obsiste: ac, ne nos vitio loquacitatis inquinet, salutari ori nostro silentium pone: ut tu, qui in passione productus ante Judicem siluisti a bonis, & loqui & tacere nos facias temporibus oportunis. *Ant.* Dum consistit peccator adversum me.

ALIA.

CHriste, Dei Patris ineffabile *Vervum, qui susurrantem contra te catervam sustines perfidorum, dona Ecclesiae tuae, nec susurris malignantium deici, nec detraentium linguis adtingi: ut qui patienter sustinuisti eos, qui adversus te *inicum verbum deponentes jurgati sunt, nos panlisper sustinens in coeno mersos peccaminum, ad obtabilem perducas poenitentiae fructum. *Ant.* Susurrabant omnes inimici mei adversum me.

* Leg. Verbum.
* Leg. iniquum.

ALIA.

CHriste, Dei Filius, qui unum ex duodecim malum pateris, magister bone, discipulum, qui, accepto a te pane, proditionis consilium agit, quò te Dominum plebi traderet persequenti; da nobis, ut panes tuos edamus ad gratiam, & non sumamus ad poenam: ut, passionis hujus recreati dulcedine, & levantes contra te calcaneum valeamus comprimere, & tibi soli mereamur in sanctitate & justitia deservire. *Ant.* Qui edebat panes meos mecum.

ITEM AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 167. col. 3. DEus, cujus animam leonum rugientium voracitas nequivit absumere in eo, quod justitia in te inventa eorum videbatur rabiem effugare; emitte sanctum Angelum tuum, qui os leonis illius, qui per mundum rugiens currit, quaerens quem *deboret, concludat: atque animas nostras de ejus persuasione atque dominatu eripiat. *Ant.* Misit Dominus Angelum suum.

* Leg. devoret.

ALIA.

Br. Moz. fol. 269. col. 1. CHriste Deus noster, qui in corpore nostro & inludi, & *ververari te passus es; tu animam nostram, inlusionibus repletam, ab omni pollutionum sorde depurga: ut, verâ sanitate habitante in carne nostrâ, ad coronam mereamur pertingere destinatam. *Ant.* Anima mea completa est inlusionibus.

* Leg. verberari.

ALIA.

Br. Moz. fol. 293. col. 2. INimici tui, Domine, cupientes de terra perdere nomen tuum, mala de te loquuti sunt, dicentes: quando morietur? nomen videlicet volentes perdere Chri- *Ant.* Inimici mei dixerunt mala mici.

Christianum; sed tu, Domine, cujus promissum tenemus, quod permaneas nobiscum usque in consumationem saeculi, miserere nostri, & resuscita nos propter innocentiam fidei, qua in te credimus; ut non gaudeat de nobis insatiabilis inimicus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 199. col. 2.

DEi Patris unigenite Filius, qui passione tuâ discernis causam populi tui a grege insatiabilis inimihi, discerne causam nostram a gente non sancta per passionis tuae manifestam potentiam: ut tu solus in causa Ecclesiae agnoscaris, qui te voluisti fieri pretium nostrae redemtionis.

Ant. Discerne causam meam, Domine.

ITEM AD NONAM.

Br. Moz. fol. 185. col. 3.

CHriste, Dei Filius, adversus quem & susurrantia inimicorum labia mota sunt, & contra quem verbum *inicum falsis finctionibus formaberunt; tu nos ab omni temtationum genere protectionis tuae munimine tege: ut per te susurris non cedamus adversis, qui semper *vicis in nos patientiâ Deitatis.

Ant. Susurrabant adversùm me omnes inimici mei.

* *Leg.* iniquum.
* *Leg.* vincis in nos potentia &c.

ALIA.

Br. Moz. fol. 165. col. 1.

TU, Deus noster, & fortitudo nostra, qui pro nobis Crucis subisti injuriam, ne repellas Ecclesiam tuam: ut quae contristata affligente inimico incedit, te sibi parcente, gratuletur se in persequutionibus dilatari.

Ant. Tu Deus meus, & fortitudo mea.

ALIA.

Br. Moz. fol. 169. col. 2.

INgeniti Patris unigenitum Verbum, qui gloriantem contra te in malitia populum sustines supervorum, confitentem tibi gregem salva fidelium: ut, dum turba *multorum tota die in. lingua sua injustitias cogitat, plbs nomini tuo credula, cantica tibi deferat sine fine accepta.

Ant. Quid gloriaris in malitia?

* *Br. Moz.* malorum.
* *Leg.* plebs.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 169. col. 4.

DEus, qui gloriantem contra te in malitia discipulum pateris; da nobis sublimiter gloriari in passionibus tuis: ut, in quem malitia porrecto arcu doloris emisit spiculum vulneris, in eo credulitas defigat vota suae confessionis.

Ant. Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate?

ALIA.

Br. Moz. fol. 184. col. 1.

DEus, qui in exercitatione nostra contristari nos inspicis; da nobis potentissimum auxilium in victoria sanctae Crucis: ut qui exemplo tuo mundum decertamus evincere, Caelos mereamur post transitum possidere.

Ant. Contristatus sum in exercitatione mea.

ALIA.

MIserere nostri, Domine, ne conculcans inimicus homo nos usquequaque deiciat, quos sanguinis tui redemisti potentia: neque nos totius diei debellatione humiliet, quos tuâ redemtos inspicit passione; ut auxilium Crucis tuae valeat in nobis & ad evincendam ejus insidiam, & ad consequendam gratiam tuam. *Resp.* De manu inferni.

ITEM AD TERTIAM.

CHriste Dei, hominisque admirabilis Filius, qui non conpulsione infidelium, sed potestatis propriae *vote dilectam animam tuam tradidisti in manibus inimicorum: dum hereditas tua, plebes scilicet Judaica, facta est tibi quasi leo in silva, crudeli contra te *ritu, ut crucifigaris, exclamans; ita nos infusione sancti Spiritus reple, ut caritatis igne ferventes, & innocuae vocis clamorem ad *auditus tuae omnipotentiae dirigamus, & animas nostras pro fratribus ponere totis nisibus insistamus.

Resp. Animam meam dilectam.

* *Lege, si placet,* voce.
* *Fortè:* nisu.
* *Leg.* auditum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 208. col. 1.

COntristamur ecce, Domine, *a voce, dum feralia super nos cadunt jacula odii; sed tu, qui acerva pro nobis sustulisti obprobria, nos famulos tuos & a tribulatione peccatoris elonga, & decliuantes in nos iniquitates virtutis tuae disperde potentiâ.

Ant. Contristatus sum a voce inimici.

* *Br. Moz.* a voce inimici.

ALIA

ALIA.

TOta die, Domine, inimicorum lingua contra te meditata est injustitiam, quum te mundi Dominum non solùm suppliciis, sed & linguis acriter crucifigunt; *dextrae ergo eos, Deus, in finem, qui converti ad te noluerint ante finem: ut te Finem suum plebs liberatorum agnoscat, qui & malitiam destruis, & benignitatem ad alta sustollis.

Ant. Tota die injustitiam cogitavit lingua inimicorum.
* *Leg.* destrue.

ALIA.

Br. Moz. fol. 173. *col.* 1.

DEus, vitam nostram adnuntiamus tibi, qui inferna moriens devicisti: tu enim firma infirmaque nostra agnoscis, qui solus inspector es cordis; pone, quaesumus, in conspectu tuo lacrimas nostras: ut repromissionis percipiant donum, dum per eas comparaverimus indulgentiae fructum.

Ant. Deus, vitam meam adnuntiabi tibi.

ITEM AD SEXTAM.

UNigenite Dei Filius, qui subeundae passionis in tempore non solùm ab his, qui tibi adversabantur, inlusionum sustines probra, sed & viri pacis tuae, traditoris utique discipuli, fraudulentia perpessus es oscula; votis fidelibus quaesumus, ut te protegente sic benignitatis moribus decoremur, quò & inludentes nobis amicos per caritatem vincamus, & * os, qui nobiscum fraudulento esu communicant benignissimè toleremus.

Resp. Omnes amici mei.
* *Leg.* eos.

ALIA.

Br. Moz. fol. 173. *col.* 3.

ECce, Domine, positi in perturbatione mundanâ, quietem solitudinis eligentes, elongari fugiendo a terrenis actibus cupimus, ut a pusillo animo, & tempestate salvemur; quia ergo non in loco, sed in te, qui locorum es conditor, praeparatam requiem expectamus, praebe nobis, ut exploso omni humano strepitu, in sola dulcedinis tuae contemplatione laetemur.

Ant. Ecce elongavi fugiens.

ALIA.

COntristatur ecce, Domine, Ecclesia tua in exercitatione sua, dum externorum hostium nititur spiculis contraire, & internorum simultates molitur compescere; ab utroque ergo eam discrimine libera, qui solus pro ea pertulisti Crucis injuriam: ut & exercitatio ejus habeat fructum, & vota illius ad aeternum perveniant gaudium.

Ant. Contristatus sum in exercitatione mea.

ALIA.

MIserere nostri, Domine, nec conculcari nos ab inimico homine patiaris, qui redemisti nos pretio Crucis: ut infesto adversario nostro tu solus pro nobis obsistas, qui praestrepentis mundi evicisti procellas.

Ant. Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo.

ITEM AD NONAM.

IN te Deum, Verbum Patris, sermonem laudamus, a quo id ipsut accepimus, ut te sine fine laudemus; & ideo te poscimus, ut invicto Crucis tuae nos munias signo, ne quando timeamus, quid nobis faciat homo.

Ant. In Deo * laudavo verbum.
* *Leg.* laudabo.

ALIA.

Br. Moz. fol. 211. *col.* 4.

POne, Domine, in conspectu tuo contra eos, qui nos oderunt, nostrarum obices lacrimarum: ut jam tandem inimici nostri convertantur retrorsum, qui nos insano odio persequuntur; sicque rogum nostri criminis ubertas lacrimarum extinguat, ut passionis tuae celebritas per artam gradientes viam ad gaudia nos pertrahat infinita.

Ant. Pone, Domine, lacrimas meas in conspectu tuo.

ALIA.

DEus juste, qui justum gregem fidelium in hoc proficere facis, quum vindictam illi peccatoris ostendis: ut in eo justi semper manus * labeotur, in quo visâ peccatoris poenâ opera ejus ad melius diriguntur; tu, qui solus sine alterius participatione es justus, per tuam passionem nos effice justos: ut in poenis, quas pro nobis innocens pertulisti, & decoctionem criminum adsumamus, & conlatione virtutum opulentiùs triumphemus.

Ant. Laetus erit justus.
* *Leg.* laventur.

ITEM

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 169. col. 4.

INruentes * in te fortes, Christe Domine, virtutis tuae valore compesce; quique tuam in passione animam occuparunt, jugo servitutis tuae eorum * gemina occupentur: ut tu solus Dominus redemtor saeculi agnoscaris, quum in occursum Ecclesiae tuae surrexeris.

Ant. Irruerunt in me fortes.

* Br. Moz. in me.
* Br. Moz. geuimina.

ALIA.

Br. Moz. fol. 187. col. 3.

ERipe nos, Domine, de inimicis nostris; & qui tuam pro nobis dignatus es exponere animam, ab insurgentium nos libera usquequaque procellâ.

Ant. Eripe me de inimicis meis, Deus.

ALIA.

EXaudi, Deus, orationem Ecclesiae tuae, quò, in sanctae fidei rectitudine gradiens, nec timore inimici frangatur, nec adversantium jaculis supplantetur, credens te unum Christum, hominem simul & Deum, quem pro se fatetur piis vocibus crucifixum.

Ant. Exaudi, Deus, orationem meam, quum tribulor.

ITEM AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 211. col. 2.

OMnipotens Dei Filius, Christe, cujus verba stilo ferreo, forti scilicet sententiâ, Patrum scripta dinoscuntur in petrâ, in praedurissima videlicet gentilium * corda universa membrorum Ecclesiae tuae corda emoliens; nomina eorum in pagina libri vitae digiti tui sancti * stola conscribe: quò & naturali turgedine careant, & verae humilitatis gratiâ enitescant.

Resp. Quid gloriaris? *Resp.* Quare persequimini me?

* *Ita scribitur in Codice.*
* *Leg.* stylo.

ALIA.

Br. Moz. fol. 174. col. 3.

DEus, qui admirabilis responsionis objectu dentes conteris inimicorum, molasque frangis leonum, dum & interrogationibus eorum inexpugnabile praeparas telum, & eorum clamoribus insultans, viventem te ostendis post vulnera crucifixum; frange & nunc, quaesumus, saevientium contra te inimicorum audaciam, * quod ad nicilim, velut decurrens aqua, * devenient, qui malitiae suae gestiunt intra tuam Ecclesiam spargere documenta.

Ant. Deus conteret dentes inimicorum.

* *Leg.* quò ad nihilum.
* *Leg.* deveniant.

ALIA.

Br. Moz. fol. 174. col. 1.

OCcupantes animam tuam, Christe Domine, fortes super te acriter inruerunt, quum tempore passionis cuneus super te inruit superborum; & ideo, quaesumus, ad precem Ecclesiae tuae jam respice, & cruentum saevientis hostis de manu gladium tolle: & mucrone suo decisum se sentiat, dum per eos, quos tenuerat, fidei tuae cognoverit praedicari doctrinam.

Ant. Occupaverunt animā meam inimici mei, Domine.

ALIA.

IMproperium & miseriam, Domine, expectasti, eorum scilicet, quos persequentes singulari patientia pertulisti; da ergo nobis, & mundanorum lapsuum miseriis ex toto carere, & opprobria hujus vitae usquequaque contemnere; quique in ea pro illis, qui te persequebantur, tristitiâ arebaris, * non invenisti condolendi participes, nobis dona, ut & * fides hìc tristitiae comites, & gaudii pòst futuri mereamur * invenire consortes.

Ant. Inproperium & miseriam expectabit anima mea.

* *Hìc aliquid deesse videtur.*
* *Leg.* fideles.
* *Leg.* inveniri.

ITEM AD SEXTAM.

DEi Patris unigenite Filius, loquere Deo Patri sine intermissione pro nobis, qui tempore passionis interrogatus a judice, studium tacendi adsumis: sit vox tua interpellans Patrem pro populo Christiano, quia nescimus, quid loquamur in defensionis nostrae suffragio: quò per salutaris silentii cultum justitiae muneribus praepollentes, nec gressus nostri in amaritudine currant, nec accusantis linguae nos noceant falsa commenta.

Resp. Loquere pro me.

ALIA.

Br. Moz. fol. 190. col. 4.

A Timore inimici, Domine, libera animam nostram, & a conventu malignantium eripe eam: ut quae vulnere passionis tuae educta est de lacu miseriae, in te credens perducatur ad aeternae gloriae libertatem.

Ant. A timore inimici, Domine, libera animam meam.

ALIA.

PRotege nos, Domine, a conventu malignantium inimicorum, qui Crucis pertulisti opprobrium: ut, qui contra te linguas suas exacuerunt ut gladium, saluberrimo conquisiti devorentur Ecclesiae morsu.

Ant. Protege me, Domine, a conventu malignantium.

ALIA.

Br. Moz. fol. 106. col. 3.

CHriste Dei Filius, qui ultimo passionis exitu felle & aceto potatus es Judeorum; praesta nobis, ut per hoc, quod tu amaritudine propinatus es, amaritudinum tuarum nos potione deebries: ut & amaritudo mortis tuae dilectionis in nos augeat flammam, & resurrectionis potentia perfectam faciei tuae nobis repraesentet gloriam repromissam.

Ant. Dederunt in escam ei fel.

ITEM AD NONAM.

Br. Moz. fol. 198. col. 4.

EFfunde, Domine, super inimicos* tuos iram tuam; ut habitatione eorum permanente destructa, tandem aliquando agnoscant locum quietis suae, qui perdiderunt locum furoris & injustitiae suae: ut conversionis ad te illis aditus in Ecclesia pateat, qui terrenae civitatis Jherusalem perdiderunt auxilia.

Ant. Effunde, Domine, super inimicos meos iram tuam.
* *Br. Moz.* meos.

ALIA.

JEsu Deus noster, qui, facto de resticulis flagello, vendentes, & ementes è tuo eximis templo; da nobis, in Ecclesia tua nec quaestu posse rerum temporalium capi, nec intra eam sordidis moribus conversari: sed ita zelus domûs tuae nos* conmendat, ut placita tibi fratribus de nobis praebeamus exempla.

* *Leg.* comedat.

ALIA.

Br. Moz. fol. 194. col. 1.

DEus in adjutorium nostrum intende: ut qui passionibus tuis* communicari votis sincerissimis anelamus, adjutorem te nostrum in ipsis nostris conatibus sentiamus.

Ant. Deus in adjutorium meum intende.
* *Br. Moz.* communicare.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 173. col. 2. & fol. 186. col. 2.

NOn erubescant in nobis, Domine Deus virtutum, qui te expectant de humanis hactibus judicium esse facturum: ut Crucis tuae potentia & placitos nos tibi* operaris salutis exibeat, & caelestis militiae curiam de nostris actibus contristari non sinat.

* *Leg.* operarios.

ALIA.

FIrmamentum nostrum, Christe Deus noster, esto refugium Ecclesiae tuae:* &, in virtute Crucis tuae de manu peccatoris eam eripiens, sine macula & ruga eam tibi in futuro adsignes.

Ant. Firmamentum meũ & refugium meum es tu.
* *Leg.* ut.

ALIA.

Br. Moz. fol. 201. col. 3.

DEus noster, *ne elonges a nobis, qui longe factus es a persequutoribus tuis: ut tu solus in adjutorium nostrum respicias, qui in Cruce tua potestates hujus mundi triumphas. *Resp.* Eripe me de inimicis meis, Domine.

* *Br. Moz.* ne elongetis.

ITEM AD TERTIAM.

DEus, cujus* medibus caterbæ infidelium populorum muscipulam paraberunt, cujusque animam de caelis deponere, & ad infirma conati sunt incurbare; pedes nostros in pacis itinere dirige, & animas nostras de dominatu potestatis do:moni.ae redime: quatenus & fobeam in nostri perniciem praeparatam possimus evadere, & ad te coronandi feliciter valeamus post nostrum obitum pervenire.

Resp. *Muscipulam paraberunt.
* *Leg.* Muscipulam paraverunt.
* *Leg.* pedibus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 176. col. 3.

FIrmamentum nostrum atque refugium te Dominum poscimus crucifixum: ut, de manu peccatoris nos liberans, in locum munitum coronandos statuas.

Ant. Firmamentum meũ & refugium meum, Deus meus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 189. col. 4.

IN excelso, Domine, contra te peccatores loquuti sunt, quum latentem cordis sui superviam altis vocibus clamaberunt; qui ergo contra te in caelum sua

Ant. Peccatores iniquitatem in excelso loquuti sunt.

sua nituntur ponere ora, redeant in terram, consiluri per poenitentiam: ut, nobiscum te Dei Filium humilem agnoscentes, non supervia sapiant, sed tuis semper monitis adquiescant.

ALIA.

Vide Br. Moz. fol. 190. col. 2.

CHriste Deus, ingeniti Patris unigenite Fili, salva nos de manu impii: de manu etiam iniqui nos libera, & nocentis, qui noxium denotasti osculum traditoris: ut, quia tu es expectatio nostra, expectatum te in munere capiamus in gloria sempiterna.

Ant. Deus meus, salva me de manu impii.

ITEM AD SEXTAM.

DEus virtutum, qui dum esses dives, spontaneè humiliari dignatus es: super quem passionis illo in tempore fortes inruerunt * quum ei supervorum, cujusque animam malignis temtamentis occupare moliti sunt; libera nos a propriae confidentiae voto, & a noxiae fortitudinis malo: quò humilitatis bonò praediti, & oculos nostros ad te solùm dirigamus efficaciter humiles, & de tua tantùm simus misericordia confidentes.

Resp. Ecce occupaberunt animam meã.

* *Leg. si placet*, cunei.

ALIA.

Br. Moz. fol. 170. col. 3.

DEus noster, eripe nos de mann peccatoris, qui pro nobis poenam perferre dignatus es Crucis: ut tu solus sis patientia nostra, qui pro nobis passus es sepulturam.

Ant. Deus meus, eripe me de manu peccatoris.

ALIA.

Br. Moz. fol. 173. col. 2.

LIngua nostra, Domine, meditetur justitias tuas: ut laus totâ die ex ore nostro procedat in eo, quod passionis tuae a nobis praedicata fuerit gloria: ut in ea justitia, qua ex fide vivimus, te nunc & semper sine fine laudemus.

Ant. Lingua mea meditabitur justitiam tuam, Domine.

ALIA.

CHriste Deus noster, fac nos semper ad eripiendum egenum & pauperem promtiores existere, qui pro nobis pauper egenusque effectus, perferre dignatus es Crucem: ut misericordiae operibus affluentes, aeternorum civium mereamur esse consortes.

Ant. Eripite pauperem & egenum.

ITEM AD NONAM.

CHriste, Dei Patris ineffabile Verbum, supra quem peccatores iniquitatem in excelso loquuti sunt, quum te crucifigendum verbis supervissimis clamaberunt; blasfemantium te linguas ad nicilum redige: ut, te * imagine illorum de tua disperdente nicilhominus civitate, nos, qui imaginis tuae decorem per passionem tuam in nobis reformare optamus, in caelesti illa Jherusalem obantes intremus.

Ant. Peccatores iniquitatem in excelso loquuti sunt.

* *Leg.* imaginem.

ALIA.

UNigenite Christe Filius Dei, quis similis tibi, qui & mortem moriens superasti, & caelos post resurrectionem potentialiter ascendisti? ne ergo taceas ultra: * ut, quia inimici tui odientes te lebaberunt caput, tu es caput nostrum, & vicissitudinem jam restitue inimicis, & credentibus in te ostende tuae gloriam visionis.

Ant. Deus, quis similis tibi? ne taceas.

* *Fortè interrogandi modo legendum*, ut quid? *vel hic lege* Et *& mox*, Tu, qui es Caput *&c.*

ALIA.

DOmine Deus noster, pone inimicos Ecclesiae tuae * ùt rota, ut stabiles non sint in eo, quod cogitant: sicque, dum eos in ipsa cogitatione destruxeris, etiam fidem in illorum cordibus opereris: quò, unum nobiscum effecti, in caelestibus mereamur pariter sacrariis introduci.

Ant. Deus meus, pone inimicos meos * ùt rota.

* *Leg.* ùt rotam.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 207. col. 4.

SAlvator noster, & Domine, quem & injusta super te insurgentium malitia perculit, & sinagoga impiorum linguis saeviens crucifixit; da nobis alto pietatis te semper mysterio sequi: ut in eo, quod tu pro nobis & Crucem passus es & sepulcrum, nos devicto sacculo victores transeamus ad caelum.

Ant. Deus, injusti insurgũt super me.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 187. col. 4.

REdemtor noster, & Domine, pone inimicos tuos, ut rotam, quibus mysterium Crucis tuae est stultitia: ut illis sicut stupula ante faciem venti dispersis, credentibus in te, vel credituris, donetur aethereae receptaculum mansionis.

Ant. Deus, meus, pone illos ut rotam.

ALIA.

NE repellas, quaesumus Domine, orationem tuae Ecclesiae, quae in laboribus a sua prima jubentute: ut, quae te in passionibus adsequi delectatur, te etiam se * capuisse in muneribus gratuletur. *Resp.* Propter te, Domine, sustinui.

Ant. Quare, Domine, repellis orationem meam?

* *Barbarè, pro* coepisse.

ITEM AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 169. col. 1.

DEus Dei Filius Christe, qui tempore passionis tuae, dum multiplicantur super capillos capitis tui, qui oderunt te gratis, exolvis ea, quae non rapuisse probaris; tu nos a numerositate peccaminum libera, quò & super numerum capillorum nostrorum copia virtutum excrescat, & * devita nobis poenalis exolutio inpensione tuae miserationis effugiat.

* *Leg.* devita.

ALIA.

Br. Moz. fol. 207. col. 4.

EGenti, & in laboribus consistenti Ecclesiae tuae, Christe, citus liberator occurre: ut, tu qui pro ea egens & pauper effectus es, donis caelestibus eam in futuro munifices.

Ant. * Eges sum ego.

* *Leg.* Egens.

ALIA.

Br. Moz. fol. 176. col. 3.

INdigentiae nostrae inopiam, bone Christe pastor, considera: ne quando avertens a nobis faciem tuam, abicias animam nostram; ut, qui pauperes & erumnosi ab adulescentia sumus, delitiis aliquando recreati caelestibus, aeternâ nos vestitos inmortalitate laetemur.

Ant. Quare, Domine, abicis animam meã.

ALIA.

Br. Moz. fol. 190. col. 3.

DA nobis, Domine, possibilitatis obtabilem facultatem, quò valeamus & adversus malignantes consurgere, & malignantium * sermonum contraire: ac, sicut operantibus contra te iniquitatem parata est fobea, ita credentibus nobis praeparetur in caelestibus mansio gloriosa.

Ant. Quis consurget mecum?

* *Leg.* sermonibus.

ITEM AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 193. col. 3.

CHriste Rex noster, quì dura pro impiis subportasti obprobria, dum adversùm te vino malitiae erapulata, turba omnis infidelium * exercetur in porta; tu nos miseratione adsiduâ & omnium * pedorum contagione emunda, & piae actionis efficacia * opimando glorifica: quò in termino vitae nostrae non confundamur loqui inimicis nostris in porta, sed sanctorum Angelorum occursione adtollamur laetitiâ infinitâ.

Resp. Adversùm me exercebantur.

* *Br. Moz.* exerceretur.

* *Br. Moz.* & ob omnium peccatorum

* *Leg.* poedorum.

* *Br. Moz.* operando.

ALIA.

Br. Moz. fol. 215. col. 1.

CHriste, Filius Dei Patris, qui notis tuis, longè adstantibus in passione, discipulis * visu bigeris Crucis; ne elongari te, quaesumus, patiaris a nobis, sed notas nobis effice vias tuae dulcedinis: quique traditus, non egrederis, scilicet * dum occultus interioribus tuis, Deum te hominibus monstrare non pateris, verâ cognitione nos satia tuae Divinitatis: ut in eâ te post transitum visuri potiamur substantiâ, qua cum Deo Patre & sancto Spiritu unus permanes in gloria sempiterna.

Ant. Longè fecisti notos meos.

* *Leg.* visum ingeris, *Br. Moz.* visionem ingeris.

* *Br. Moz.* dum in oculis interioribus Deum &c.

ALIA.

Br. Moz. fol. 218. col. 4.

MUltiplex nos, Domine, turba circumdat iniquitatis: & ideo, nisi tu redemtor adiuberis, paulo minus * animas nostras in lacum proruet mortis; libera ergo nos & de operibus, quae inferorum * militant poenis, & de poenalibus tartarorum suppliciis: qui, devictis confractisque infernalibus portis, ereptam praedam reportasti in caelestibus regnis.

Ant. Nisi Dominus adjubisset me.

* *Br. Moz.* anima nostra.

* *Br. Moz.* invitant.

ALIA.

Deus Pater omnipotens, qui * bera laude glorificas Filium tuum in eo, quòd tuus Unigenitus praedicatur; da nobis, ad laudem nominis ejus, & ora donis fidei habere flagrantia, & pectora praecalidis amoris cjus ignibus concremanda: ut tu, super quem eft os peccatoris apertum, sis in ore nostro ad conquirendum animarum multiplex lucrum, & consequendum aeternae beatitudinis praemium.

Ant. Deus, laudem meam.

* *Leg.* vera.

ITEM AD NONAM.

Br. Moz. fol. 195. col. 3.

Loquuti sunt adversùm te, Domine, inimici tui lingua dolosa: tunc utique, quando te magistrum bonum captiosa adulatione laudabant; Qui ergo odiosis eorum sermonibus circumdari & expugnari te passus es, confessionis nostrae supplices, jam quaesumus, suscipe preces.

Ant. Loquuti sunt adversùm me linguâ dolosâ.

ALIA.

Br. Moz. fol. 106. col. 2.

Unigenite Filius Dei, cujus genua prae jejunio in tuo corpore infirmata sunt, cujusque caro inmutata est propter oleum; fac nos post te efficaciter currere in odore unguentorum tuorum: ut, qui factus es in opprobrium inimicis, nobis efficiaris protectio salutaris.

Ant. Genua mea.

ALIA.

Domine Jesu Christe, quem moventes capita sua inimici viderunt, non resurgentem de sepulcro, sed pendentem in Crucis patibulo; fac nos videre faciem tuam in jubilo, ut majestatem tuam, quam impii * obtenebranti malitia sua videre non possunt, nos videamus ad praemium adunati cum coetibus Angelorum.

Ant. Viderunt me, & moverũt capita sua.

* *Leg.* obtenebrati.

ITEM AD MATUTINUM.

Qui insurgunt in nos, Domine, confundantur: ut, quum fideles passionis tuæ ornaberit gloria, infideles confusio possideat sempiterna.

Ant. Qui insurgunt in me, confundantur.

ALIA.

Saepe expugnatam a juventute sua Ecclesiam tuam dexterâ virtutis, Christe, exalta: ut, qui in illa cotidie pateris, tecum eam facias conlaetari in caelestibus regnis.

Ant. Saepe expugnaberunt me.

ALIA.

Br. Moz. fol. 170. col. 3.

Ecce, Domine, supra Ecclesiae tuae dorsum iniquitas honerosa peccantium fabricata est supervorum, quum incorrigibiles moribus membra tua atrociter premunt; da ergo, quaesumus, nobis, ita tolerantiae virtute * fulcire, ut eos, quos in dorsu animae nostrae sanandos portamus, salubriter nobiscum ad caeleste stabulum reportemus: quò uno ac singulari denario cum illis accepto, & nos * de praedicatione mereamur percipere lucrum, & ipsi de obedientia capiant nobiscum praemium sempiternum.

Ant. Supra dorsum meum fabricaberunt.

* *Leg.* fulciri.

* *Br. Moz.* dedicatione.

ITEM AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 200. col. 1. & fol 193. col. 2.

Christe Dei Filius, quem zelus domûs Dei, Ecclesiae videlicet Patris tui, comedit, dum iniqua gerentes de ea funiculo audacter expellis; ab omnium nos funiculo iniquitatum absolbe, atque in medio domûs tuae dignè habitare concede: quò, & ipsi domus tibimet spiritualis effecti, a te mereamur caelitus laureari.

Resp. Eu me, quod peregrinatio mea.

Resp. Deus Israhel, propter te sustinui inproperium.

ALIA.

Christe Dei Filius, cui & inferna & caelestia patent: quique inferna penetrans in hominem moriens descendisti, eundemque hominem ad caelos remeans reportasti; da nobis, pretio sanguinis tui sic mundari a crimine, ut nec pro meritis inferna nos teneant, & pro bene gestis in Caelum ascendere possimus cum gloria, ubi tibi * sedis est praeparata.

Ant. Si ascendero in caelum, Domine.

* *Leg.* sedes.

ALIA.

ALIA.

Br. Moz. fol. 165. col. 1. & fol. 399. col. 4.

EDuc, Domine, de tribulatione animam nostram, qui sputa pro nobis perpessus es, & flagella: ut Mundi uius educti de carcere, triumphos Crucis tuae * devita post nostrum obitum praecinamus cum laude.

Ant. Educ, Domine, de tribulatione animam meam.

* *Leg.* debitâ.

ALIA.

EMitte manum tuam, Domine, de alto, & libera nos de inferiori inferno: ut, qui illic volens dignatus es pro liberatione multorum descendere, nos illic nolentes non patiaris cruciandos abire.

An. Emitte manum tuam, Domine, de alto.

INCIPIUNT ORATIONES * PSALMOGRAVAE, QUAE RELIQUAE SUNT DE ANTIFONIS, QUAE IN TRADICTIONE DICUNTUR.

* *Leg.* PSALMOGRAPHAE.

DE PSALMO XXI.

DEus, Dei Filius, qui passione tuâ mundum reconcilias Patri; da nobis, ut nec circumdantium nos luxurians vitiorum multitudo deludat, nec taurorum scelerata auctoritas ad erroris nebulas pertraat: quò, crucis tuae praedicando insignia, malorum semper evadamus * decipula.

Ant. Circumdederunt me, Domine, vituli multi.

* *Leg.* decipulas, vel decipulam.

ALIA.

DE PSALMO LXVIII.

NON erubescant in nostrorum operum lapsu, qui te expectant, Domine Deus virtutum: nec sic malorum perturbemur scandalis, ut confundatur plebs liberatorum de excessionibus nostris; ut qui te Deum Israhel in nobis jam resurrexisse gaudemus, per hujus passionis tuae excursum ethereis sociari civibus mereamur.

Ant. Non erubescant in me.

ALIA.

DE PSALMO CXXXVIIII.

Br. Moz. fol. 177. col. 1.

ERipe nos, Domine, ab * omine malo, qui traditus es pro scelere alieno: ut passio tua futuris nos eripiat a tormentis, quae * in derisu facta est impiis.

Ant. Eripe me, Domine, ab homine malo.

* *Leg.* homine.
* *Leg.* in derisum.

ALIA.

DE EODEM PSALMO.

Br. Moz. fol. 201. col. 3.

ERipe, Domine, gregem populi tui a laqueis viri iniqui: ut passionis tuae circumsulta praesidio, nec hominem iniquum simplicitas Christiana incurrat, nec linguae dolosae in causis fidei jacula * pertimescant.

Ant. Eripe me, Domine, ab homine malo.

* *Leg.* pertimescat.

ALIA.

DE EODEM PSALMO.

ACuerunt, Domine, contra te linguas suas venenosa multitudo serpentium, quum tibi in Cruce posito suorum operum aceto conditum poculum porrexerunt; qui ergo a talibus temtari & inludi te voluisti, nobis dona, ut nec captantium nos possimus inlusionibus falli, nec serpentini dogmatis veneno contingi.

Ant. Acuerunt linguas suas, sicut serpentis.

ALIA.

ITEM DE EODEM PSALMO.

CHriste, Filius Dei Patris, qui nostris vulneratus es pro peccatis; ne tradas nos in desiderium peccatoris: ut derelictos nos a te usquequaque non sentiant, qui adversum nos cogitant mala.

Ant. Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori.

ALIA.

DE PSALMO CXLIII.

EMitte manum tuam, Domine, & libera nos de manu filiorum alienorum, qui vicisti mundum per Crucis tuae invictissimum signum: ut per te ab aetheriis hujus mundi potestatibus insigniter liberati, triumphantes & ovantes petamus iutimum Caeli.

Ant. Emitte manũ tuam Domine, de alto.

ALIA.

ITEM DE EODEM PSALMO.

Br. Moz. fol. 399. col. 4.

DEus, qui in Cruce salutem regibus praestas, tempera jam tandem miseriarum nostrarum erumnas: ac, ne gladio maligno nostrae feriantur cervices, gladio vervi tui nos reddito efficaces.

Ant. Qui das salutem regibus.

INCI-

INCIPIUNT ORATIONES, ET BENEDICTIONES COMPLETURIAE DE TRADICTIONE PER SINGULOS DIES. SECUNUDA FERIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 157. col. 4.

LIbera nos, Domine, a labiis iniquis, & a lingua magniloqua, qui in Crucis adpensus es statera; & praesta, ut nec accusatori accusandi aditus pateat, nec plebs tua ejus decipulis adquiescat, nec iram tuam fugessio fallax commobeat; sed tu, Domine, ipsum humani generis callidum insidiatorem framea divina concide, & pro miseriis pauperum inclita bonitate exsurge.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui passione sua mundum redemit, liberet vos ab omnibus insidiis inimihi; Quique in vestro corpore Crucis sustulit vulnera, membra vos sua semper efficiat gloriosa: ut corpori suo vos perpetim laetabundos adsociet, qui volumtariam perferre pro vobis dignatus est passionem.

ITEM IN EODEM DIE AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 164. col. 1. & fol. 182. col. 1.

BEllantium mucrones, quaesumus Domine, victricis semper potestatis tuae virtute retunde, & contra fortem tuam meditantes inania veritatis tuae corrige disciplinâ: quique adversus Christum tuum blasphemiam dec lamant, ad praedicationem verae fidei sua corda convertant: ut & vincla peccatorum, quibus vincti detinentur, miseratus disrumpas, & cunctos justificatos * digitus tui calamo in libro vitae conscribas.

* Leg. digiti.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui se ipsum nostrae salutis pretium fieri voluit, lucrum nos efficiat sanguinis sui; & qui peccata vestra in corpore suo transfixit in ligno, det vobis hereditariam possessionem in Caelo: ut sicut ille in se ipso principatus & potestates triumphavit confidenter in gloria, ita vos per illum evincatis omnia mundana decipula.

ITEM IN EODEM DIE AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 55. col. 4. & fol. 160. col. 3. & fol. 182. col. 3.

GLoriose, potens, ac misericors Deus, erue nos ab incidiis inimici; &, ne anima nostra rugientis leonis raptu rabido rapiatur, protectio dexterae tuae in nostri custodiam deputetur: ne dum non est qui redimat, ille saevus occidat: aut, si non est qui salvum faciat, ille subertat; sed tu, Leo de tribu Juda in ira tua exsurge, & severitate judicii insidiosi hostis catervas interime: nosque in praecepto, quod mandasti, credere & permanere concede.

BENEDICTIO.

FIdes vestra Deo fructificet, cujus redemti estis inclita passione; spesque vestra, in Cruce ejus defixa, provideat vobis munera sempiterna; eoque caritatis ardore traamini in Caelum, quo ille pro vobis in terra & mortem pertulit, & sepulcrum.

ITEM TERTIA FERIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 184. col. 4.

AD defensionem nostram, Domine, respice; &, ne doctrinae pateamur laetali, tu nos tua in aeternum rege virtute: simul, & de ore leonis, rapere nos cupientis, libera: & ab oblatrantis perfidia canis sollicita nos protege cura.

BENEDICTIO.

STatera Crucis Christi, quae ruituro mundo subvenit ad vitam, operetur in vobis salutis obtabilem medicinam; &, quae mundi hujus devicit auctorem, evincat in vobis libidinis hostem: ut, in qua exaltata est Sapientia * Patri, in ea sit redemtio omnibus miseris.

* Leg. Patris.

ITEM IN EODEM DIE AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 185. col. 4.

EDuc, Domine, animam nostram ab inferis: & a descendentibus * in lacu nos erue; &, qui virtute inenarrabili mundum redemturus, descendens a supernis, inferni confregisti recessus, ne peccato duce illic deducamur, custodi

* Leg. in lacum.

ſtodi propitius: & praeſta, ut quum his, qui ad vitam aeternam * praeſcripti ſunt, tibi modulo pietatis pſallamus, atque in delectationibus tuis conſortium beatitudinis mereamur.

* Br. Moz. perſcripti.

BENEDICTIO.

HUmilitas paſſionis Dominicae omnem tumorem mentis veſtrae ſanando humiliet; medeatque vobis Crux ejus ad vitam, quae a Gentibus putata eſt ſtultitia: ut, quae naufrago vitale munus exibuit mundo, ethereas manſiones * proroget populo Chriſtiano.

* Leg. praeroget

ITEM IN EODEM DIE AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 186. col. 3.

SAlva, Domine, de neceſſitatibus animas famulorum tuorum: & in tua juſtitia ſperantes ne concludas in manibus adverſantis; ſed reſpice humilitatem noſtram, & iu loco nos munito ſalvifica, qui moriens deviciſti inferna: ut, confuſis conſiliis perſequentium, ſine pavore in civitate ſanctiſſima tua feliciori proventu caeleſtem gloriam conſequamur.

BENEDICTIO.

SAnguis Chriſti, qui pro vobis eſt effuſus clementer, ornet vos virtutum generoſitate foecunditer: ut quod pro vobis datum eſt pretium, hoc etiam vobis efficiatur in praemium: quò in eo careatis omnibus vitiis, in quo pridem liverati eſtis de manu praedonis.

ITEM QUARTA FERIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 165. col. 1.

DOmine, qui olim in corpore noſtro pati dignatus es, quando ad nos reſpicies, & ad ſolitudinem, atque inplorationem noſtram? quando propitius convertes obtutum? nec moreris, nec tardes; jam intende, jam converte, jam reſpice: ut oratio noſtra, quae nunc in ſinum noſtrum pro ſecretorum ſuorum conpunctione convertitur, ante conſpectum tuum purgato cordis ſui gemitu dirigatur.

BENEDICTIO.

CHriſtus Dominus, qui detraentis ſibi linguae ſuſtulit jacula, linguas veſtras faciat ſemper meditare juſtitiam ſuam; & qui, Verbum Patris, verba ſuſtinuit detraentium, victores vos efficiat omnium carnalium perturbationum: ut, tranquillo Crucis Chriſti vexillo praebalidi, vincatis omnes inſidias inimihi.

ITEM IN EODEM DIE AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 190. col. 1.

AD defendendam hereditatem tuam, tui ſanguinis pretio emtam, Domine Jeſu Chriſte, adpraehende arma victricia: & exurgens in adjutorium noſtrum, fidei nos * munera ſcutu: ut mentem noſtram non queant inimici jacula penetrare; ſed ipſum inimicum tu, Rex noſter, framea divina concide; & quia tu es animae noſtrae ſalus, id nobis, petimus, tribuas munus, ut mentis vigilantiâ te ſequamur, & honere peccati depoſito, ad promiſſorum tuorum bona perveniamus.

* Cod. primis curis, munere; Leg. munera ſcudo. Br. Moz. mendosè, munere ſcutom corrige, ut &c.

* Leg. onere.

BENEDICTIO.

CHriſtus Dominus, qui animam ſuam pro obibus poſuit, interna inſpiratione vos doceat, & fratres diligere, & Chriſtum in fratribus plus amare; detque vobis exundantem ſuavitatis ſuae dulcedinem, qui amaritudinis propinatus eſt potione: ut in veſtris actibus dulce poculum ſumat, qui pro veſtris meritis amaram mortis * ſubuit poenam.

* Leg. ſubiit, vel ſubivit.

ITEM IN EODEM DIE AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 190. col. 2. Et. vide fol. 302. col. 2.

DIc animae noſtrae, Domine: Salus tua ego ſum; nec deſeras noſtra intima, dum ſe iniquitas prodiderit violenta; ſed nocentes nos tu judica, tuâque poteſtate nos inpugnantes expugna.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 301. col. 1. CHristus Dominus, qui innocens expansis manibus pependit in ligno, Crucis suae vos salvificet sacramento; Appensione quoque sua sursum vos * allebet, qui pro vobis dignatus est exaltari in Cruce, ut verè lucrum sanguinis ejus sitis, * quique in illo confidentiam cordis vestri dirigitis. * Leg. allevet. * Leg. qui.

ITEM QUINTA FERIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 191. col. 2. INtende, & exaudi nos, Domine, quos vox frendentis inimihi conturbat, & tribulatio persequentis exagitat: ut, dum * cernis mentes in nos desaevire rebelles, magnanimos nos efficias, & invicta virtute succingas. * Cod. primis curis, carnis.

BENEDICTIO.

DE trono Crucis vos respiciat Christus, qui pro vobis est innocens eruclfixus; Det postulantibus veniam, qui passionem sustulit volumtariam; &, qui in Cruce positus Patrem pro persequentibus orat, ipse credentes sibi dignos efficiat.

ITEM IN EODEM DIE AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 193. col. 3. & fol. 300. col. 1. MIserere nobis, Deus, miserere nobis, & in te confidentes exaudi: aversantium arma confringe, & laqueos nobis destrue praeparatos: ut circumdati claritate caelesti, non * incedamus in sobeam mortis: sed, parati corde, tuam in populis exaltemus misericordiam veritatis, qui pro nobis sustulisti obprobrium Crucis. * Ita & Br. Moz. sed Leg. incidamus in foveam.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, cujus caput gloriosum in sublime Crucis eminuit, eminere vos faciat in sorte caelesti; &, qui exaltatus est in Cruce suspensus omnia traat ad seipsum, in omnibus regnaturus; ut cum Cruce sua ad Judicium veniens, per eam vos efficiat sine fine felices.

ITEM IN EODEM DIE AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 193. col. 4. & fol. 208. col. 3. & fol. 239. col. 4. SAlvum fac populum tuum, Domine, dexterâ tua; &, qui dedisti timentibus te Crucis significationem, da plenissimam fidei dignitatem: ut, quos peccantes repuleras, convertentes suscipias; & tu da in tribulatione auxilium necessarium, qui pro peccatoribus factus es pretium; & ipse tribulantem inimicum ad nicilum redigas, ipse redemtos in civitatem circumstantiae introducas.

BENEDICTIO.

DEi Filius, qui in Cruce positus Patrem pro persequentibus exoravit, pro supplicibus quoque Patrem interpellare non cesset; quique oblatum sibi amaritudinis gustando respuit poculum, ipse vobis ineffabile suae dulcedinis porrigat alimentum: ut, palato mentis vestrae ex omni parte sanato, possitis conpraehendere cum omnibus Sanctis, quae sit Crucis Christi altitudo, & latitudo, sublimitas, & profundum.

ITEM SEXTA FERIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 172. col. 1. IN die tribulationis nostrae, Domine, precem, quam effundimus, suscipe: & extensis in nocte manibus, quae desideramus intellige; occurre animabus nostris obtimus consolator, & indulgentiali fabore existe redemtor: &, qui nos adquisisti passione volumtaria, erue nos de laqueo venantis invicta potentia.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 300. col. 1. MOrtis Christi admirabile sacramentum depellat a vobis omnium conlubiones faeinorum: Sanguinis ejus ineffabile pretium extinguat in vobis omnem fomitem vitiorum: Crucis ejus insigne vexillum consortes vos efficiat Angelorum.

ITEM

ITEM IN EODEM DIE AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 199. col. 1. SUrge, Deus, & judica terram: ut qui cunctis dominaris in gentibus, jam resurrexisse credaris, a quibus es crucifixus: quò sibi uterque populus caritate consentiat, dum circumcisio & praeputium nexu fidei christianae adglomerat.

BENEDICTIO.

VErbum Patris, quod in suscepto homine pertulit mortem, sua vos justificet passione; Ipsutque Dei Verbum, quod exsors fuit ab injuria Crucis, alienos vos efficiat ab omni actu mortiferae volumtatis; quique inclinato in Cruce capite tradidit spiritum, sine intermissione inclinet vobis pietatis suae auditum.

ITEM IN EODEM DIE AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 199. col. 3. REspice, Domine, in populum tuum, & super odientes te exaltare magnificus; & eos, qui adversùm te fideles tuos declinare festinant, in praecipitem converte ruinam: ut confusi & turbati, te solum altissimum in omni terra Dominum recognoscant.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui triduano dierum noctiumque spatio mortis pertulit sepulturam, a somno facinorum excitet corda vestra; & qui surrecturus tribus diebus in monumento latuit, quietus infinitis temporibus se vestris fruendum ingerat sensibus: ut cum illo sit in caelo vita vestra abscondita, qui manifestam in terris passus est sepulturam.

ITEM DIE SABBATO AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 41. col. 3. & fol. 97. col. 4. & fol. 144. col. 2. & fol. 200. col. 4. COgnoscant gentes, Christe, quòd nomen tibi sit Dominus; pro quibus es patibulo Crucis appensus; quosque * ignabia ignorantiae dedit, scientia restituat conditori: ut fidei convertantur constantiâ, & spe laetentur in gloria.

* Leg. ignavia.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui tenet clavem David, clave Crucis suae absconditos vobis tesauros revelet sapientiae: solidumque cibum exibeat sensibus vestris, qui Verbum creditur Patris: ut in quo mortis aculeum devictum est, & contritum, in eo pastionis aeternae vobis praeparetur edulium.

ITEM IN EODEM DIE AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 201. col. 4. EXaltare, Domine, qui judicas terram; & qui ultionem reddis supervis, pietatis medellam * inperti redemtis; & ipse praeroga misericordiam reis, qui pro nobis es Cruci adjudicatus ab impiis.

* Br. Moz. imperti-re.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui morsu suo * debellabit inferna, potentiâ suâ devincat in vobis omnium libidinum incentiba: ut, qui morte sua vitam reddidit mundo, ipse vos vitae suae reddat heredes in caelo: quique, adjudicatus Cruci voluit mori pro impiis, donet fidelibus beatae receptacula mansionis.

* Leg. debellavit.

ITEM IN SABBATO DE LAZARO AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 177. col. 1. CHriste, Deus noster, qui pro nobis omnibus passionis sustulisti injuriam, quum inter odientes pacem pacificus * inveneris, & innocens a nocentibus crucifigeris: sicque quadriduanam mortem humani generis morte tua transfigis; da nobis, ut multiplicata super nos supervorum iniquitas non praebaleat, quò a meditatione legis tuae cordis nostri studium non recedat: ut, quia tu solus pro nobis omnibus & mortem passus es & sepulcrum, credentibus tibi & lumen aeternae vitae dones, & praemium.

* Leg. invenitis.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui morte sua quadriduanam humanitatis nostrae mortem devicit, victores vos efficiat criminis vestri; & qui tradi se permisit ab impiis, ab aeternorum vos suppliciorum eripiat poenis: ut quum eo sine fine vivatis, qui victor factus est mortis.

ITEM DE LAZARO AD MATUTINUM.

EXsurge, Domine, & intende judicio Ecclesiae tuae, ut qui te in eam blasfemiis persequuntur, per te ad eam conversi spiritu revertantur: quò in causâ ejus tu solus Dominus agnoscaris, qui solus pro ea sustinuisti vulnera passionis. *Ant.* Exsurge, Domine, & intende.

ALIA.

EXsurge, Domine, in occursum Ecclesiae tuae, ut eam videndo placatus respicias, & respiciendo prasurae ejus pius semper occurras: ut qui in singulis collectis ejus cotidie pateris, mysterio Crucis tuae liberes eam ab insurgentibus inimicis. *Ant.* Exsurge in occursum ... mici.

ALIA.

EXsurge, Domine, dispargantur inimici tui, & spirituales nequitiae vultûs tui inluminatione diffugiant. Repellat David * frequectatus in Ecclesia, quod adflans fugabat in cithara; & reddat suavitatem modulatione Psalmorum, quam olim reddebat pulsatione cordarum: ut doctrinâ ipsius te benedicentes, atque ejus suffragiis te precantes, exultemus in conspectu tuo, & delectemur in laetitia, quae Sanctis tuis est perhenniter praeparata. *Ant.* Exsurge Deus, & pereant inimici tui.

* *Leg.* frequentatus.

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 179. *col.* 1. UNigenite Dei Filius, qui passiones mortalitatis nostrae in te * suscipiens, passionis tuae nos boluisti esse participes; effice nos & sectatores lucis, & operarios veritatis: ut, quadriduanae mortis nostrae naufragia evadentes, quadrifluo euangeliorum tuorum amne uberiùs inlustrati; passionis tuae exemplo mereamur esse idonei.

* *Cod. primis curis*, suspiciens.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 179. *col.* 2. UNigenitus Dei Filius, qui adsumtum hominem passus est appendi in ligno, Crucis suae vos dignetur salvare mysterio; & qui persequentium vulneratus est linguis, os vestrum removeat ab omni casu temtationis; quique singulari morte suâ quadriduanum morsum vestrae mortis devicit, a cruciatu vos eripiat sempiterni supplicii.

ORATIO DIE SABBATO IN RAMOS PALMARMUM, AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 102. *col.* 3. DEus, qui manifestus ad Judicium cum Sanctis omnibus venies, & tamen nunc in gremio matris Ecclesiae facis per fidem populos habitare unanimes; suscipe precem tuae familiae, & benedic hereditati tuae in pace: ut & renatis jam nobis omnibus per aquam & Spiritum sit remissio peccatorum, & his, qui sacramentis fidei initiantur, perfectae credulitatis inprimatur mysterium: quò & in nobis & in illis ita verae fidei sacramenta fructificent, ut tu, solus sacramentorum ipsorum auctor, in nobis nunc & in aeternum solus exultes.

ITEM BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 102. *col.* 3. DEus, qui Ecclesiam suam ditat multiplici foecunditate credentium, & regeneratis suam praebeat gratiam, & regeneraturis concedat ad consumata sanctae fidei pervenire mysteria. Sit utrorumque plena salvatio, qui Christianorum est vera redemtio: ut in illo & credentes habeatis vitam, & cum credituris gaudia possideatis caelestia.

ITEM ORATIONES IN EODEM DIE IN RAMOS PALMARUM, AD MATUTINUM DE PSALMO III.

Br. Moz. fol. 26. *col.* 4. & *fol.* 346. *col.* 1. TU es, Domine, salus, & tua est salus: hanc gaudemus nobis largitam, hanc etiam usque in finem a te petimus largiendam; effunde, quaesumus, super popu-

populum tuum benedictionem tuam, ut pribetur maledictio paenae, & ditescat in nobis fructus justitiae.

ALIA.

HIi sunt, Domine, filii, quos tibi parit vera mater Ecclesia, velut novella plantationis stabilita; introduc ergo eos, quaesumus, ad regnum gloriae tuae, quos per adnotationem officii suscepimus in gremio matris Ecclesiae: ut in regno vel patria, in qua eos curamus adscribere, mereamur cum illis perenniter exsultare.

Ant. Hii sunt filii.

* *Fortè*, novellae plantationes stabilitae.

ALIA.

CHriste, Dei Filius, Dux verus de Juda, qui expectatio factus es gentium, dum non solùm ex circumcisione, sed etiam ex praeputio multitudines ad fidem tuam adgregas populorum; praesta, ut, qui ad tuae fidei signaculum veniunt, labent stolam suam, ideft carnem suam, in vino illo Sanguinis tui, qui pro multis effunditur in remissione peccatorum: ut * regenaturi cum regeneratis per labacrum aeternae salvationis mereantur obtinere solacium.

Ant. Expectatio gentium.

* *Pro*, regeneraturi.

ALIA.

Br. Mez. fol. 103. col. 4.

HAEc est, Domine, novellae generationis inclita fides, * quae & exquirit, ut videat, quae te concupiscit, ut in te feliciter vivat; aperi ergo eis, quaesumus, sanctae fidei sacramentum: ut in qua nos fidei perfectione conscendisse cognoscimus, in ea etiam & hos inlustres existere gratulemur: ut & illi ad redemtionis suae perveniant gaudia, & nos perceptae redemtionis inlibata in nobis conservemus mysteria.

Ant. Haec est generatio quaerentium.

* *Br. Mez.* quae te.

ALIA.

Br. Mez. fol. 103. col. 2.

CHriste, Filius Dei Patris, qui ad obes, quae perierant domûs Israhel, te missum esse testaris; ùt verus pastor super obes tuas invigila, & guvernacula in eis praetende pastoria: quò tuae custodiae defensione vallati, & credentes & credituri morsum evadant insatiabilis inimici.

Resp. Oves meae.

ALIA.

Br. Mez. fol. 103. col. 1.

CHriste, qui propter incredulitatem relinquens populum sinagogae, innumeram tibi plebem Ecclesiae ex omnibus gentibus ampliasti; imple, quod prophetali vaticinio praedixisti, ut reminiscantur & convertantur ad te Deum universi fines terrae, adorentque te omnes patriae gentium, qui solus salvas utique mundum; suscita ergo tibi filios credulitatis, ex circumcisione & praeputio venientes: ut & quotquot veninnt, proveantur ad fidei regnum: & qnotquot venerint, nullis meritorum sordibus a tua hereditate priventur.

ALIA.

Br. Mez. fol. 103. col. 1.

ECce, Domine, venturam, quam praedixtit olim generationem Profeta, quae utique per fidem currit, ut ad te veniat; suscipe ergo eam, ut perfectione salutaris labacri tincta, aeternae Jherusalem nobiscum possideat gaudia infinita.

ITEM COMPLETURIA IN EODEM DIE AD MATUTINUM.

Br. Mez. fol. 103. col. 3.

NE oblivìscaris, Domine, vocem quaerentium te, ut supervià eorum, qui te oderunt, ascendente in sempiternum, hii, qui per adnotationem officii gremio Ecclesiae matris suscepti sunt, ad sacri babtismi accedere gratiam mereantur: quò & illis, talia * optantes, perceptum, in nos labacri non * denegeremus mysterium, & ipsi nobiscum possideant gaudium infinitum.

* *Leg.* optantibus.
* *Mez.* denegemus.

ITEM BENEDICTIO IN RAMOS PALMARUM.

Br. Mez. fol. 103 col. 4.

CHristus Dominus, qui salutis suae signo, humano generi dat salutem, det vobis cum his, qui nunc ad ejus veniunt fidem, pervenire ad aeternam hereditatem; donet quoque vobis, inlibatum redemtionis vestrae capere fructum, & il-

& illis feliciter ad falutaris labacri pervenire myfterium : ut & regeneratis & regeneraturis fic divinae protectionis gratia * fabeat ut nullum ex his ab aeterna poffeffione excludat.

ITEM SECUNDA FERIA IN EBDOMADA MAJORE AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 160. col. 4.

NE obdures, Domine, aurem tuam ad orationem Ecclefiae tuae; in aufilium ejus accede: ut, qui pro ea paffus es paffionum dura fupplicia, * innocentem eam tua Deitas non fpernat: * ut quae tuis paffionibus conformatur, tuis quoque muneribus confoletur.

Ant. Ne obduraveris aurem tuam ad orationem meam.

* *Br. Moz.* invocantem.

* *Codex prim. curis*, ut qui tui.

ALIA.

DE lacu inferni vocem noftram, Chrifte Deus, exaudi: ut, qui pro nobis infernum moriens defcendifti, a cruciatu nos eripias fempiterni fupplicii.

Ant. De lacu inferni exaudi, Domine, vocem meam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 219. col. 2.

ADmirabile fatis eft, Domine, quod pro noxiis innocens, piufque pro impiis animam pofuifti, dorfum utique ad flagella ponens, maxillas verò ad palmas conftituens, faciem quoque tuam a confufione fputorum non retraens; Qui ergo tanta & talia in fufcepto * a nobis paffus * es corpore, fac nos perenniter in tuae Deitatis vifione laetari.

Ant. Dorfum meum pofuit ad flagella.

* *Br. Moz.* pro nobis.

* *Cod. primis curis*, eft, *mendosè*.

COMPETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 205. col. 4.

EXaudi, Domine, lamentabilem Ecclefiae tuae gemitum, qui pro ea fuftinuifti injurias paffionum; da ei, quaefumus, ut paffionum ignominiis careat, * quae fe falvatam tuis paffionibus non ignorat: ut aeternitatis tuae judicio & a prefurarum eam tribulationibus relebes, & tibi coronandam fine fine adfocies.

* *Cod. primis curis*, qui.

BENEDICTIO.

UNigenitus Dei Filius, qui patienter fuum pertulit traditorem, patientiae bono vos fibi faciat conplacere; Et, qui manfuetudinem ufque ad mortem * fervabit, ipfe vos dono manfuetudinis fuae munificet: ut, qui nec contumeliorum nec vulnerum perfecutoribus fuis reddidit vicem, nullam in vobis, qui in eum crediti, nec pro male geftis, nec pro male cogitatis refpondeat ultionem.

* *Leg.* fervavit.

ITEM IN EODEM DIE AD TERTIAM.

CHrifte, Dei Filius, cujus vias obcludere inimicus humani generis cupiens, incredulas perfequutorum fufcitat mentes, quò te moriendum inpeterent; te fuppliciter poftulamus, ut qui pro nobis inebriatus es amaritudine, nos liberes a noftrorum criminum paffione: ut, quia in te vita humanae condicionis ufque ad lacum deducta eft mortis, vita noftra per mortem tuam & hic exuatur a vitiis, & in futuro te judicante liberetur a poenis.

Rēsp. Conclufit vias meas inimicus.

ALIA.

DEus & homo, unigenite Dei Patris Filius, Chrifte, quem Ifrahel non meruit reprobatus agnofcere, nec populus fide alienus intelligere; da nobis, & verâ te fide cognofcere, & idoneâ operum tibi exibitione placere: ut cum fceleratorum filiis non puniamur ut blasfemi; fed, te Sanctum Ifrahel cognofcentes, remuneremur ut filii.

Ant. Ifrahel me non cognovit.

ALIA.

Br. Moz. fol. 213. col. 4.

ADverfus tuam, Chrifte, animam mala cogitantes patienter equidem fuftines, utpote bonum tuis paftor exemplum gregibus praevens: dum & perfequentium jacula toleras, & pro perfequentibus Patrem efflagitas; da ergo nobis, paffionis tuae facramento a noftris paffionibus elui: ut, qui blasfemantes te patientiffimè tolerafti, credentes tibi ab aeterna eruas damnatione Judicii.

Ant. Cogitaverunt mala adverfus animam meam.

ITEM

ITEM COMPLETORIA AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 206. col. 1.

DEus, Dei Filius, qui in susceptа hominis carne passionum injurias pro nobis dignatus es tolerare; tu nos passionis tuae mysterio a morte perpetua liberos redde: ut quos moriens & resurgens liberasti de tenebris, judicans & regnans eruas a tormentis.

BENEDICTIO.

SAlvator noster, & Dominus, qui voluntariam mortem suscepit injuriam, ipse a vobis aeternam mortis arceat poenam: ut qui incredulorum blasfematus est linguis, ipse in vobis sensum remuneret credulitatis; ut per eum a passionibus vestris liberi sitis, qui se sponte pro nostris tradidit malis.

ITEM AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 151. col. 1.

DOmine Jesu Christe, qui traditurum te morti, ante mortem praescius praedixisti: & illic, ubi constituta est domus omnis viventis, ad inferna utique moriens descendisti; da nobis, ut quum tempus vocationis nostrae advenerit, illic non deveniamus retenturi in poenam, quò tu moriens liberator accessisti * per gratiam; sed emittens manum tuam * tunc nos de profundo inferni manifestâ potentiâ libera, qui solus pro impiis tuam ponere dignatus es animam.

Resp. Scio, Domine, quia morti me traditurus es.

* Br. Moz. per veniam.
* In Br. Moz. deest, tunc nos.

ALIA.

Br. Moz. fol. 212. col. 2.

COngrega, Domine, inimicos tuos, quasi gregem ad victimam, quò aut resipiscentes ad veniam redeant, aut in malis perdurantes aeternitatis Judicio contabescant: ut tu solus, qui victima pro nobis munda oblatus es Patri, victores nos efficias criminis nostri.

Ant. Congrega, Domine, inimicos meos.

ALIA.

Br. Moz. fol. 235. col. 1.

DEus, probator justi, qui rebelatam tibi causam Filii tui, passionis utique suae injuriam * infidelibus puniturus agnoscis; videamus, quaesumus, ultionem de inimicis ejus, itaut aut resipiscentes ab infidelitate ipsi se poenitendo * ulciscant, aut perdurantes in perfidiam, per ejus puniantur justitiam, cujus nunc contemnunt misericordiam manifestam.

Ant. Domine, probator justi.

* Br. Moz. in infidelibus.
* Br. Moz. ulciscantur.

COMPLETURIA AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 206. col. 4.

DEus, qui pro impiis passus es innocens; placita tibi nos innocentiae dignitate perlustra, & passionis tuae nos ignominiis salva: ut per indevita supplicia mortis tuae, debita ebadamus tormenta iniquitatis nostrae.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui sustulit pro nobis injurias passionis, a cunctis vos eripiat in commune flagitiis; & qui amaritudinis austu est potatus in Cruce, dulcedinis suae vos dignetur enutrire sapore: Ut gustantes, quàm suavis sit, qui pro vobis posuit animam, perfectionem dulcedinis illius capiatis, quum manifestata vobis fuerit gloria sua.

ITEM TERTIA FERIA AD MATUTINUM.

CHriste, Dei Filius, qui ab omnibus amicis passionis tempore derelictus es, dum Synagogae, ex qua natus fueras, jaculis moriturus inpeteris, & a Discipulis imminentis persecutionis turbine desolaris; da nobis, ut gloriosae passionis tuae injuria non ad timorem, set ad victoriam nos vitiorum semper accendat: ut in eo, quod tu pro nobis eum, quem diligebas, traditorem sustulisti patienter discipulum, nos beneplacitum tibi sine intermissione persolvamus nostrorum operum famulatum.

Ant. Omnes amici mei dereliquerunt me.

ALIA.

Br. Moz. fol. 357. col. 2.

COnfundantur omnes, Domine, qui persequuntur in nos sanctum nomen tuum, & non confundamur nos, qui veneramur & credimus, & passionis tuae injuriam, & resurrectionis tuae potentiam; praevaleat ergo virtus gloriae tuae, quae & persequentes te a pravitate deterreat, & credentes in aeternum tibi laetabundos conjungat.

Ant. Confundantur omnes, qui me persequuntur.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 175. col. 3.

MUltis te pro nobis vulneribus, bone Christe, * confessum credimus, & fatemur: cum exceptis suppliciis carnis, & loquens & tacens dolores sustines passionis: te etenim loquente, blasfemasse te clamant, qui converti debuerant: & te tacente, in furoris copiam exardescunt, qui humilitatis tuae mansuetudinem non verentur; da ergo nobis, ut qui passionis tuae dolores concinimus, nostris doloribus liberemur: ut magno discretionis articulo praediti, & loquentes de te, & praedicantes quae vera sunt, & tacere nostrum sit utile, & loqui aeternam nobis proficiat ad mercedem.

Ant. Si loquutus fuero, non quiescam.
* Leg. confessum.

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 169. col. 2.

DEus, Dei Filius, qui diligens oderis, & parcens * occidus inpeteris, dum in persequutoribus tuis & benignus ostenderis, & misericors inveniris; da nobis, ut per passionis tuae vulnera, nostra expientur delicta: ut qui humilis pro nobis passus es mortem, gloriosus aeternam nobis tribuas claritatem.

* Leg. occidendus. Br. Moz. occidendos, mendosè.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, cujus latus vulneratum est lanceâ, vulnere suo vestra piacula tergat; & qui in tenebrosis conlocatus est patiens, ipse vos a tenebris eripiat parcens: ut illius passio vitiorum vestrorum passiones exsuperet, qui dolores vestros in sua sustulit carne.

ITEM AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 169. col. 1.

TU, Domine, in cithara & in cantico inimicorum dignatus es verti, dum linguas tibi derogantium pertulisti: te utique infideles in fabula obtrectaberunt, a quo * cedentes abominati sunt, & in cujus faciem expuere non pepercerunt; Salus proinde nostra, atque Salbator, salvandis nobis inlabere: ut, qui persequentium te fuisti doloribus cruciatus, credentium te & confessionibus placeris, & actibus.

Resp. ....
....
* Leg. recedentes

ALIA.

DEus, qui dies saeculi creans, diem hominis non concupisti; erue nos a concupiscentiis nostris: sicque confundantur omnes, qui in tuis membris acriùs persequuntur, ut ultra non confundantur membra tua, qui in tuis passionibus gloriantur: ut tu, qui solus * mortem volumtariam ab impiis sustulisti injuriam, nostris devitam meritis arceas poenam.

Ant. ....
* Leg. morte voluntaria.

ALIA.

Br. Moz. fol. 171. col. 1.

QUid tibi, Domine, a te formata creatura restituet, pro qua exprobantium opprobria sustinens, solus sedens conminatione repletus es? Pro quibus ergo tanta passionum vulnera sustulisti, quaesumus, ut eos, nec carnis passionibus deici, nec Inferni patiaris baratro dimergi.

Ant. Tu scis Domine, quia sustinui pro te.

COMPLETURIA AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 170. col. 1.

CHriste, Dei Filius, quem atrox persequentium turba caeco furore persequitur, & persequens obcaecatur: dum Hominem in te passionibus punit, & Deitatis in te substantiam non agnoscit; concede nobis, ut te verum Deum, & Hominem, unum Christum esse fatentes, ab aeternis suppliciis haberi mereamur * extorres.

* Br. Moz. exortes

BENEDICTIO.

CHriste * Deus noster, qui in humilitate judicium sustulit passionis, humiles vos efficiat in cunctis actibus vestris; & qui injustè judicatus est ab iniquis, judicium remobeat a vobis suae damnationis: ut qui pro persequutoribus precem obtulit Patri, pro credentibus in se intercessor sibi ipse exsistat in die judicii sui.

* Leg. Christus.

ITEM

ITEM AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 171. col. 2. DOmine Jesu, qui dolorem Ecclesiae tuae, quo ad nicilum redacta sunt ossa ejus, pius guvernator intelligis, dum alios extra eam infidelitatis vorago praecipitat, alios intra eam temtationum foeditas necat; concede nobis, ut quia tu solus pro nobis & temtatus & passus es, tu nos & a temtationibus & a passionibus nostris solus ipse eripias: quò testimonium nostrum intra tuam Ecclesiam ita sit utile, ut mereamur tibi sine fine placere. *Resp.* Ecce nunc venit in me dolor.

ALIA.

Br. Moz. fol. 190. col. 4. REcordare, Domine Jesu, absintii & fellis, quibus pro impiis amaro poculo propinatus es; & ideo amaritudo tua sit, quaesumus, dulcedo nostra perpetua: ut in quo tu pro nobis amaricatus es volens, in eo nos & hic & in aeternum gratulemur felices. *Ant.* Recordare Domine.

ALIA.

VIde, Domine, quoniam tribulatur corpus tuum in eo, quod tu pro nobis tribulatus es Caput nostrum; da ergo nobis, ita in tuis passionibus amarescere, ut plenitudinem gaudii ex hoc in futuro mereamur perenniter obtinere. *Ant.* Vide, Domine, quoniam tribulor.

COMPLETURIA AD SEXTAM.

Br. Moz. fol. 210. col. 3. CHriste Deus, qui injuriam mortis & crucis pro nobis omnibus sustulisti; da nobis, ut per te victores efficiamur nostri piaculi: ut ideo quod tu post mortem resurgis in gloriam, nos a morte vitiorum, nunquam ulterius casuri, resurgamus per gratiam.

BENEDICTIO.

JEsus, Dei Filius, qui inlatae mortis passionem sustinuit aequanimiter, vos sustinere adversa quaeque faciat mundi. Det vobis exemplo suo persequentes patientiâ superare, & de patientia fructum aeternitatis percipere: ut communicantes passionibus ejus, participes quoque possitis esse gloriae illius.

ITEM QUARTA FERIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 214. col. 4. UNigenite Dei Filius, qui in carne moriturus apparens, in concilio ludentium non sedisti, sed solus sedens amaritudine pro nobis ipse repletus es; concede nobis, ut de passionibus tuis nullo modo erubescentes, gloriae tuae mereamur sine fine esse participes. *Ant.* Non sedi in concilio.

ALIA.

JEsu, Dei Filius, qui passionis tuae tempore dorsum ad flagella, maxillas ad palmas ponens, nec contumax nec contradicens inventus es; da nobis, ut vestigia tua sequentes, ita tibi fructum bonorum operum in patientia deferamus, ut ad te per hoc coronaturi post transitum accedamus. *Ant.* Non fui contumax.

ALIA.

Br. Moz. fol. 212. col. 3. REdemtor humani generis, Domine Deus, bellator fortis, qui torcular sustinens passionis, ipsut quoque torcular, in quo calcatus es, conculcare dinosceris, dum & a morte resurgis, & eos, qui te persequuti sunt, corruentes infirmantesque ostendis; praebe nobis, in tuis passionibus & ilariter amarescere, & opulentiùs conlaetari: ut dum infideles perfidia cruciat, fideles confessio ab iniquitate absolvat. *Ant.* Dominus ....

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 213. col. 1. JUstus es, Domine, qui pro nobis injustè judicatus es innocens; & ideo quaesumus, ut qui punitus es sine crimine tuo, absolvas nos a facinore nostro.

BENEDICTIO.

CHristus, Dei Filius, qui ductus est velut ovis ad victimam, mundet ab omnibus iniquitatibus corda vestra. Temporalibus quoque doloribus suis resol-

solvat in vos dolores aeternae damnationis: ut passionum ejus sequentes exempla, ad promissionis illius mereamini pervenire promissa.

ITEM IN EODEM DIE AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 153. col. 4. CHriste Deus, cujus locus in Syon magnus est, converte ad te corda nostra: ut in speculatione ejus constituti, te pro nobis flagellis alapisque caesum, morti quoque adjudicatum, fideliter fateamur: & qui secundùm tempus es passus pro impiis, perenniter a fidelibus conlauderis. *Resp.* Facta est Syon.

ALIA.

Br. Moz. fol. 116. col. 3. CHriste, Dei Filius, qui adversùm te cogitantes iniqua, cruentaque malignorum consilia in te patiens tolerasti; da nobis, exemplo tuo habere cor patiens, & adversos aequali tolerantiâ superare: ut qui te habere Deum Patrem cognoscimus, & cognitionis hujus fide salbemur: & qui passionis tuae dies * incolimus, a nostrarum passionum sordibus expiemur. *Ant.* Dixerunt aput se.

* *Br. Moz.* recolimus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 118. col. 2. JEsu, Deus noster, qui maxillam praebuisti percussoribus tuis, saturatus pro nobis ipse opprobriis; concede nobis miseris servis tuis, ut passionis tuae exemplo instructi, jugum suabe tuum portemus semper idonei: quò a te discentes, quàm mitis sis & humilis corde, & passionis tuae communicemus exemplo, & beatitudinis aeternae potiamur subsidio. *Ant.* Sedebit singularis:

ITEM COMPLETURIA AD TERTIAM. ANTIQUA.

Br. Moz. fol. 213. col. 4. EXurge Deus, & misericorditer judica terram, qui es pro nobis judicatus in terra, qui condemnatus absolvis reos, qui moriens vivificas mortuos, qui resurgens confirmas dubios, & confundis iniquos. In tuam namque hereditatem gentes credendo laetentur, quem resurrexisse pro salute confitentur.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui pro totius mundi salute voluit pati, ab omni vos passionum ignovilitate depurget; & qui ad hoc venit, ut passurus mundum redimeret, ad hoc iterum veniat, ut quod redemit, justificet: ut ligno Crucis ejus & mare transeatis saeculi, & cruciatus evadatis Inferni.

ITEM IN EODEM DIE AD SEXTAM. ANTIQUA.

FAc nobiscum, Domine, signum in bono, ut Crux tua, quae a pereuntibus stultitia creditur, in te credentibus virtus indeficiens demonstretur: videant & confundantur in ostensione gloriae, qui tua dedignantur redimi passione; tu es enim Dominus Deus noster, qui nos adjubas in labore, & consolaris in munere. *Resp.* Habitatores Hierusalem.

ALIA.

Br. Moz. fol. 215. col. 2. CHriste, Dei Filius, cujus facies pro nobis sputis patuit infidelium; da nobis, ut quod in te infidelitas habuit abjectum, nos ad nostrae habeamus fidei tutamentum: & in quo illa offensa est, ut te Dominum crucifigeret gloriae, nos tibi stabiliamur, te nostrum semper & liberatorem expectantes, & judicem. *Ant.* Faciem meam.

ALIA.

CHriste Deus, qui mundum veniens liberaturus, in canticum es infidelium versus: dum te non agnoscerent Deum, & ideo quasi hominem lacescendum conviciis appetunt; erige nos passionis tuae exemplo, & Crucis circumballa praesidio: ut & infidelitas per te confusa dispereat, & sursum fidelitas ad te coronatura perveniat. *Ant.* Versus sum in eorum canticum.

COMPLETURIA.

JEsu, redemtor noster omnipotens, qui humanitatis nostrae factus particeps, mortem pro impiis passus es, ut vulnere tuo redimeres reportatum ad vitam, quod malignus arsurum retinebat in poena; annue precibus nostris, ut qui te non solùm traditum pro nobis, sed & passum confitemur & mortuum, a dextris tuis tempore Judicii conlocemur.

BENE-

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui pro vobis infidelium suscepit sputa, infidelitatis a vobis nubila pellat; & qui pro vobis est judicatus in mundum, vos ad suum praeparet regnum: ut cum eo perpeti in gloria maneatis, cujus hic celebritatem passionis accipitis.

ITEM COMPLETURIA IN EODEM DIE MERCORIS AD VESPERAM, QUANDO CENA DOMINI INGREDITUR.

Br. Moz. fol. 214. col. 3.

PRopinqua passionis tuae sollemnia, Christe Deus, plebs devota suscipiens, praeparari tibi in hostiam vivam desiderat; proinde quaesumus, ut qui in crastino ad tuum accessuri sumus convivium, in susceptione hujus venerandae noctis & culparum tenebris careamus, & tui amoris ignibus inflammemur.

In hac oratione oratio paterna non recitur, sed tantum benedictio, & dicit Diaconus humiliate vos * benedictioni.
* *Leg.* benedictioni.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 214. col. 3.

PAssio vos Christi conservet jure perenni;
Crimine vos odie labet, & cras munere ditet:
Quò, pulsis vitiis, Pascha cum illo celebretis.

ITEM IN CENA DOMINI AD MATUTINUM DE PSALMO III.

Br. Moz. fol. 38. col. 4. & fol. 74. col. 4.

QUamvis, Domine, plurima malignantium multitudo abneget, salutem nostram esse in te Domino Deo nostro; nobis tamen * in hoc robur spei multum * augetar, quia tu susceptor noster esse dignatus es; obstruatur itaque os loquentium iniqua, quum sperantes in te misericordia circumdat adsidua.

* *Br. Moz.* ob hoc.
* *Leg.* augetur.

ALIA.

CHriste Deus, qui humanitatis nostrae particeps factus, passionum nostrarum tristitias in te suscepisti passurus; da nobis, ut tristitiam illam, quae secundùm Deum poenitentiam in salutem stabilem operatur, continuâ sedulitate in nostris cordibus habeamus: quò, in ea conpuncti, & passionibus tuis, ùt veri dilectores tui, in aliquo communicemur, & ob hoc tuis in futuro muneribus repleamur.

Ant. Quare tristis es, anima mea?

ALIA.

Br. Moz. fol. 195. col. 4.

JEsu Dei Filius, quem impia malignorum turba inaniter persequens, dum consilium contra te agit conpraehensionis, fugat potius a se beneficium pietatis: dum * nisa est, delendo vitam, conpraehendere, quem utique nesciebat vitae esse auctorem; praebe nobis, ut te, quem illi maligna volumtate persequuti sunt, nos pia devotione in bonis actibus adsequamur: ut in quo inimicis erit * perpetuum luctum, in eo sit nobis perpetuum gaudium.

Ant. Consilium fecerunt.
* *Br. Moz.* visa est volendo, *mendosè*.
* *Leg.* perpetuus luctus.

ALIA.

CHriste Dei Filius, in cujus conpraehensione verbum iniquum malignae cohortes infidelium tractaverunt; praesta nobis orantibus, ut inimici Ecclesiae, qui te in tuis membris cotidie persequuntur, per te ad verae fidei mysterium convertantur: quò nobiscum plena fide cognoscant, & traditum te esse pro impiis, & impios justificasse tuae gloriâ passionis.

Ant. Tractaverunt.

ALIA.

Br. Moz. fol. 156. col. 2.

NOvimus, Domine, quòd traditoris tui perpessus injuriam, usque ad mortem non reliqueris patientiam: & quum insatiabilis homicida te magistrum tradiderit occidendum, tu tamen ne ipsum quidem volueris moriturum; da ergo, quaesumus, nobis, ut patiendi malos habeamus constantiam, * patientiae tuae teneamus exempla: non nos * vorago praecipitet, nec per noctem hujus saeculi temtator malignus, quasi fur * in quocumque contaminet: quò passionis tuae stigmata sint nobis ad custodiam indefessam.

Resp. Mane * consurgit.
* *Leg.* consurget.
* *Supple*: et.
* *Br. Moz.* vorago irae.
* *Br. Moz.* in hora quocumque.

 ALIA.

ALIA.

Ant. Maledictus homo.

MAledictus est utique, Domine, omnis homo, qui in corde suo fabricat malum, scilicet qui te vel hominem negat esse, vel Deum; da ergo nobis, ut temtatione incredulitatis nullâ tangamur, qui te plenâ credulitate agnovimus: ut qui dudum venisti innocens pati pro impiis, ad hoc in futurum venias, ut cum his, qui te credunt, sine fine laeteris.

ALIA.

Ant. Quid gloriaris?

SAlvator noster, & Domine, qui gloriantes in malitiam, & potentes in iniquitate ineffabili patientia tolerasti, dum in conpraehensione passionis tuae probrosâ contra te Judaeorum infidelium turba, & ut crucifigaris clamat, & ut moriaris expectat; sustenta nos munere patientiae tuae, actusque nostros in bono converte: ut non cum odientibus nomen tuum crucifigamus te in actibus nostris, sed cum dilectoribus tuis inlibata conservemus in nos tuae praemia caritatis.

ALIA.

Ant. Venantes coeperunt me.

CHriste Dei Filius, qui sine causâ delicti & morti es traditus, & venantium laqueis inretitus; facito, ut per indebitam mortem tuam mors nobis debita devincatur, ut qui pro nobis es traditus innocens, pro innocentiae bono ad te nos facias quandoque pervenire felices.

ITEM COMPLETURIA.

Br. Moz. fol. 215. col. 4.

CHriste Deus, Dei Filius, quem Deus Pater pro nobis omnibus tradidit, quum veram te pro nobis hostiam ipse suscepit; suscipe desiderium populi tui: quos redemisti, conserva: quos liberasti, vivifica: non sinas in perpetuum luctum ire, quos, ne perpetualiter perirent, venisti redimere; clavis timoris tui confige cor nostrum, qui pro nobis omnibus & Crucem passus es, & sepulcrum: ut per te & hic nobis sit remissio criminum, & in futuro perpetuum gaudium, quem pro omnibus credimus crucifixum.

BENEDICTIO.

CHristus, qui se ab impiis tradi permisit, nulla vos a se patiatur occasione divelli; & qui pro *bovis multiplicem pertulit passionum injuriam, ipse in vos peccati passiones extinguat: ut & socii passionum ejus sitis, & consolationis ejus munera capiatis.

* *Leg.* vobis.

ITEM IN EODEM DIE AD TERTIAM.

Br. Moz. fol. 215. col. 1.

CHriste Dei Filius, qui transiturus ex hoc mundo ad Patrem, speciali signo tuum praedicis traditorem: quò non solùm *ut non lateret in coeteris, sed ut potius discerneretur a coeteris: te quaesumus, te rogamus, ut non *praecidamus ab Ecclesiae membro, qui redemti sumus tuo Sanguine pretioso: necve illius, qui te tradidit, quisquam in Ecclesia tua constitutus *incurrat; sed gloriosis patientiae tuae exemplis *provocentur ad gloriam: quò, proditoris tui in nullo imitantes studia, bonorum discipulorum & doctrinam capiamus, & praemia.

* *Ut*, abundat.
* *Leg.* praecidamur.
* *Supple*, torporem.
* *Leg.* provocetur.

ALIA.

Ant. Ite ad civitatem.

DOmine Jesu Christe, qui traditionis tuae praescius orae, aput quem, quove in loco celebraturus sis sollemnia Pascae, discipuli missione voluisti significare; te quaesumus, ut ad nos venias, aput nos etiam Pasca facias, nec ullo modo a corde nostro recedas: quò in hac praesenti traditionis tuae sollemnitate tu noster sis cibus, tu etiam suavissimus potus, qui pro nobis factus es advocatus.

ALIA

ALIA.

Ant. Magister bone.

O Bone magister Jesu, Deus noster & Domine, quem ter negando Petrus dilavitur, a quo respectus fletibus reparatur; praesta nobis, ut inconcussa fide passionis tuae gloriam praedicantes, nulla infidelitatis maculâ continguamur, nullisque occasionibus a tua caritate privemur: sed passionis tuae communicantes exemplis, dum praedicamus gloriam Crucis, coronaturi perducamur ad gaudia redimentis.

COMPLETURIA ANTIQUA.

Br. Moz. fol. 59. col. 4. & fol. 216. col. 4. & fol. 263. col. 2.

CHriste, qui de patibulo ad Patrem, ut quid te dereliquerit, adclamasti: qui Cruce tua * hominum peccati perditum redemisti, illumque peccati auctorem aeternis arsurum ignibus tradidisti; postulamus sanctam clementiam tuam, ut nos, qui in te credimus, numquam derelinquas: nec confidentiam nostram a tua Deitate repellas; sed propitius clamorem nostrum suscipe, & tibimet placito famulatu servire concede.

* *Leg.* hominem peccato.

ITEM BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui pro vobis Crucis suscepit injuriam, ab omni futura cruciatione vos eruat; & qui suam pro vobis tradidit animam, animabus vestris donet requiem sempiternam: ut in cujus mortem consepulti estis, cum eo sine fine vivatis.

ORATIO DICENDA IN PARASCEBEN POST INDULGENTIAS EXPLICITAS.

Br. Moz. fol. 119. col. 2.

INgeniti Patris unigenite Christe, qui pro nobis impiis odie occideris innocens; tui sanguinis reminiscere pretium, & totius populi dele peccata; Quique pro nobis perferre dignatus es sputa, probra, vincla, calafos, alapas, & flagella, crucem, clabos, amaritudinem, mortem, lanceam, ac nobilissimè sepulturam; nobis miseris, pro quibus haec passus es, caelestis regni tribue beatitudinem infinitam: ut qui passionem tuam venerando prosternimur, resurrectionis tuae gaudiis ad caelestia sublevemur.

ITEM ORATIO IN EODEM DIE DICENDA AD PENITENTES

EXaudi, Domine, supplicum preces, & tibi confitentium parce peccatis: ut, quos conscientiae reatus accusat, indulgentia tuae miserationis absolbat.

ORATIO, QUAE DIE SABBATO AD VENEDICENDAM LUCERNAM IN SACRARIO DICITUR.

EXaudi nos, lumen indeficiens, Domine Deus noster, unici luminis lumen, fons luminis, lumen auctor luminum, quae creasti & inluminasti, lumen angelorum tuorum, sedium, dominationum, principatuum, potestatum, & omnium intelligibilium, quae creasti: lumen sanctorum tuorum. Sint lucernae tuae animae nostrae; accedant ad te, & inluminentur abs te. Luceant veritate, ardeant caritate; luceant & non tenebrescant; ardeant & non cinerescant. Benedic hoc lumen o lumen; quia & hoc, quod portamus in manibus, tu creasti, tu donasti. Per haec lumina, quae accendimus, de hoc loco expellimus noctem: sic & tu expelle tenebras de cordibus nostris. Simus domus tua lucens de te, lucens in te; sine defectu luceamus, & te semper colamus; in te accendamur, & non extinguamur.

ITEM ORATIO, QUAE IN EODEM DIE AD BENEDICENDUM CEREUM IN SACRARIO SIMILITER DICITUR.

OFferimus tibi, Domine, cerei hujus rutilantis speciem divino igne succensam, quem per * multimodo materia nutu tuo * prodici jussisti *, a quibus. Eum indignis manibus nostris oblatum accendimus, precantes bonitatem tuam, ut emissione Spiritus sancti tui, qui condam in similitudinem ignis, divisionemque linguarum, in Apostolorum tuorum corda praespicuus fulgensque apparuit, eum benedicere & sanctificare digneris: & sicut hic cereus exuberans largâ

N 2 visione

* *Leg.* multimodam materiam.
* *Leg.* produci.
* *Hic cubat error, quem corrigerem legendo*, apibus, *loco*, a quibus.

visione, noctis hujus fugulat caecitatem, & devotissimae plebis tuae resplendet obtutibus: ita & nos, Domini nostri Jesu Christi Filii tui splendore repleti, internis mentibus fulgeamus: ut, peccatorum caecitate detersa, lux in nobis sempiternae fidei perseveret.

ITEM ORATIO, QUAE IN EODEM DIE POST LUMEN LEBATUM * ANTE ALTARE DICITUR.

* Leg. LEVATUM.

PRima tibi & principalia, Deus Pater omnipotens, haec luminum munera in exordio venerandae hujus noctis obtulimus, quae unigenitus Filius tuus Dominus noster adventûs sui faciat mysteriis * luminata, per quem te, Deus, supplices exoramus, ut hoc sanctum munus libens accipiens, hiis famulis tuis, quos ad enarrandam laudem * destinabimus luminis, propitius ac benignus adspires, efficiasque tibi placita, quae in * hore tuo, eorum fuerint sermone * probata: in nobis quoque pervigilem devotionem * flagrantia spiritalis uccendens, omnes terrae noctis insidias lucis tuae candore discutias.

* Leg. illuminata.
* Leg. destinavimus.
* Leg. honore.
* Fortè, prolata.
* Lege, si placet, flagrantiae spiritalis accendens.

ITEM ORATIO, QUAE POST BENEDICTIONEM LUCERNAE ANTE ALTARE SIMILITER DICITUR.

DEus, qui filios Israhel educis ex Egypto, palpabiles Egypti tenebras reliquendo. Deus, qui, duce luminis gratiâ, pondus orrendae noctis exterminas. Deus, qui, praecedente Angelo tuo in columna nubis in diem, eodemque in columna ignis in noctem posteriora * servantem, curam nostrae salutis exequeris: teque nobis in eo praestas, in quo lucere nos in lumine scientiae tuae jubes; fac nos Divinitatis tuae fieri consortes, & largâ tuâ pietate ex invisibilibus bonis visibilia dona concede, quae nos & offerri doceant, & tuam in omnibus conpleri faciant voluntatem, Christe Domine Deus noster, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto gloriosa Divinitate * vibis, & dominaris per infinita semper saecula saeculorum.

* Leg. servante.
* Leg. vivis.

ITEM ORATIO, QUAE POST BENEDICTIONEM CEREI ANTE ALTARE DICITUR.

EXpectati temporis, dilectissimi fratres, festa sollemnitas, & annuum per saecula sacrae Resurrectiouis arcanum votivae noctis advenit. Hoc illut est, quod in perennem memoriam consecratum credentibus populis altissima de caelis gratia spiritalis adtribuit. Hylares vigilias gloriosis laudibus perferamus, diemque vincentes, qua * funalibus crebris Ecclesia sancta resplendens coruscat in lumine. Praeconie * Dominicae passionis indefessis precibus celebremus, intendentes auditu lectionibus sanctis, ac sedulis obsecrationibus patientiam non negantes: ut ille regalis solii habitator altissimus a sede arcis etheriae populo suo, qui sollemnia redditurus ad haec festa convenit, per Spiritum suum Sanctum, clementer inlapsum, placabilis ac propitiatus adspiret.

* Fortè, fanalibus.
* Lege, Praeconia.

INCIPIUNT ORATIONES, QUAE PER SINGULAS LECTIONES IN VIGILIA * PASCE DICUNTUR.

IDEST, EXPLICITA PRIMA LECTIONE, DICITUR HAEC ORATIO.

* Leg. PASCHAE.

ANniversaria, fratres dilectissimi, festa votis sollemnibus incoantes, auxilium Domini poscamus e caelis, ut digni * habeamus Ecclesiasticae functionis officiis; (Imminet enim cura pro cunctis.) Illi pro omnibus supplicemus, qui mori pro omnium salute dignatus est; cui est honor & gloria. DEINDE CLAMAT DIACONUS.

Pro sollemnitate Paschali precemur Dominum.

* Leg. abeamus.

COLLECTIO EJUSDEM.

SAnctifica, Domine, famulos tuos, ut sanctificatae noctis hujus dignis obsequiis serviamus; quia Deus es benedictus. SIMILITER PER CETERAS LECTIONES ISTE ORDO TENEBITUR.

ITEM SECUNDA ORATIO.

ECclesiastica unitate connexi, Deum Patrem petamus, ut eandem Ecclesiam, concordiae vinculo cohaerentem, individuae caritatis nunc studiis, pòst praemiis maueretur; quia multae miserationis est Dominus. DEINDE DICIT DIACONUS.

Pro pace Ecclesiarum, & quiete populi precemur Dominum.

COL-

COLLECTIO EJUSDEM.

DEus, qui Ecclesiae tuae fide & utilitate laetaris, dona ei perfectae religionis affectum, quam sanctae congregationis honore donasti; quia Deus es gloriosus.

ITEM TERTIA ORATIO.

OMnipotentem Deum, qui Sacerdotes suos in suam Ecclesiam praesules * ordinabit, supplici oratione poscamus, ut fideli nostrae * devotiones obsequio suo quaeramus respondere judicio; cui est honor. Deinde dicit Diaconus.

* Leg. ordinavit.
* Leg. devotionis

Pro Sacerdotibus & Ministris precemur Dominum.

COLLECTIO EJUSDEM.

DOna, Domine, Sacerdotibus tuis, ut convenire facias fructum operum cum eminentia dignitatum: ut mercedem potius habeant de labore, quàm judicium de honore; quia Deus es benedictus.

ITEM QUARTA ORATIO.

PAcem dominicam, pacem quoque nostram, Deum Patrem omnipotentem, qui pacis auctor est, postulemus, ut adsit in ordinatione sua catholicis Ducibus, & barbaras gentes refrenet: quatenus, rebus omnibus sua lege compositis, ejus solummodo imperiis serviamus; cujus regnum. Deinde dicit Diaconus.

Pro prosperitate Principum, & tranquillitate temporum precemur Dominum.

COLLECTIO EJUSDEM.

DEus, qui fidelium pace laetaris, dona servientibus tibi pacem, omnesque eorum actus, qui tibi servire cupiunt, placibili miseratione conpone; quia Deus es pius in saecula saeculorum.

ITEM QUINTÀ ORATIO.

DEum Patrem omnipotentem, agentes ipsi gratias, postulemus pro his, quos saeculi necessitas, aut inquietudo detentat: vel pro his, qui secundum carnis infirmitatem diversis aegritudinum generibus affliciantur: ut in hac sollemnitate Pascali, quia corporibus absunt, animis & utilitatibus misceantur, condonante Deo nostro; qui regnat in saecula saeculorum. Deinde dicit Diaconus.

Pro his, qui huic sanctae festivitati interesse non possunt, precemur Dominum.

COLLECTIO EJUSDEM.

DEus, cui ea, quae nobis sunt absentia, deesse non possunt, & quae putantur longè, sunt proxima; praesta, ut famuli tui, quorum necessitates vel infirmitates Ecclesiae sollicitudo commendat, pietatis tuae muneribus vel remediis perfruantur; quia tibi soli est omnis honor & gloria in saecula saeculorum.

ITEM SEXTA ORATIO.

DEum, fructuum largitorem, aurarum moderatorem, qui in supplementum humani usûs terras * foecundabit, creabit fruges, area temperavit, fratres karissimi, deprecemur, ut omnia haec, quae sponte nostris usibus tribuit, nostris quoque obsecrationibus largiatur; quia Deus * es pius in saecula saeculorum. Deinda dicit Diaconus.

* Leg. foecundavit, creavit.
* Fortè, est.

Pro habundantia frugum, & tranquillitate aerum precemur Dominum.

COLLECTIO EJUSDEM.

DEus, creator omnium bonorum, rogamus inmensam misericordiam tuam, ut non tam peccatorum, quàm precum considerator, munera tua, quibus & vivimus * & vibamus, non quia non meremur, neges; sed, quia precamur amplifices; quia tibi soli est regnum in saecula saeculorum.

* Leg. & vivemus.

ITEM SEPTIMA ORATIO.

DEum Patrem omnipotentem pro sacris virginibus & continentibus deprecemur, ut infirmitati corporum adsit robur animarum, quò vitam valeant custo-

custodire virtutum mortificatione omnium vitiorum, adjubante* te Deo nostro; qui gloriatur in saecula saeculorum. Deinde dicit Diaconus. * Te, creandat.

Pro virginibus, & continentibus precemur Dominum.

COLLECTIO EJUSDEM.

TRibue his, Domine Pater sancte, pervenire ad sexagesimi fructûs coronam, quibus integritatem vovere tu dedisti. Nulla ex is stultis virginibus misceatur, sed sint in numerum sapientium puellarum, quarum vasis oleum, quo lampades suae inluminentur, exuberet; quia Deus es clemens in saecula saeculorum.

ITEM OCTAVA ORATIO.

PIae voluntatis retributori Domino supplicemus, ut Ecclesiam suam bono largitatis accinctam, per studium misericordiae ad suam misericordiam * abeat pervenire; quia Deus est benedictus in saecula saeculorum. Deinde dicit Diaconus. * Lege, si placet, faciat.

Pro his, qui elemosinas faciunt, precemur Dominum.

COLLECTIO EJUSDEM.

DEus, qui elemosinis extingui peccata docuisti, dona famulis tuis sanctam largiendi devotionem: neque enim non habere poterunt possibilitatem, quibus tu dederis voluntatem; quia solus cum Deo Patre, & Spiritu sancto vivis & gloriaris Deus in saecula saeculorum.

ITEM NONA ORATIO.

CErti de promissione divina, quae ingentia peccata destentibus indulgendum a se esse promisit, supplices Deum rogemus, ut confitentes nomini suo suo judicio judicari non in his, quae ante commissa sunt, sed in his, quae fuerint correcta, mereantur; quia Deus est misericors, & regnat in saecula saeculorum. Deinde dicit Diaconus.

Pro Poenitentibus, & Confitentibus precemur Dominum.

COLLECTIO EJUSDEM.

DEus, qui mutare sententiam per misericordiam tuam nosti, quum se peccator emendatione mutaberit; dona his poenitentiae fructum, qui ad tuam misericordiam convolantes, recipiendos se in locum revertentis filii crediderunt; quia multae miserationis es, Domine, & regnas in saecula saeculorum.

ITEM DECIMA ORATIO.

CAElestium & terrestrium Deum, fratres dilectissimi, deprecemur, ut in fratribus nostris, quicumque peregrinationis necessitatibus subjacent, potenti auxilio suo consolator & redux esse dignetur: neque ab eo peregrinentur, qui uni Deo & nati sunt, & renati; concedente clementiâ pietatis ejus, cujus regnum manet in saecula saeculorum. Deinde dicit Diaconus.

Pro peregrinantibus, & nabigantibus precemur Dominum.

COLLECTIO EJUSDEM.

SUpplices tibi, Domine, fundimus preces: ut qui per omnia Deus es, nos ubique non deseras.

ITEM UNDECIMA ORATIO.

DEum judicii aeterni, fratres karissimi, pro spiritibus pausantium deprecemur, ut eos Dominus aeternae quietis placabilitate receptos, in illa felici beatorum sede constituat: qui sicut ob hoc se renatos esse, ut resurgerent, crediderunt, ita beatificatos se, quia resurrexerint, gratulentur, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Deo Patre, & sancto Spiritu in unitate gloriatur in saecula saeculorum. Deinde dicit Diaconus.

Pro defunctorum requie & quiete precemur Dominum.

COL-

COLLECTIO EJUSDEM.

Br. Moz. fol. 315. col. 1.

PRecamur te, Deus, ut defunctorum animae in te credentes, ac de tua pietate sperantes, sic a delictis omnibus obsolvantur, ut nulla in aeternam confusione obnoxiae teneantur; quia multae miserationis es Domine, & regnas in saecula saeculorum.

INCIPIUNT ORATIONES DE RESURRECTIONE DOMINI. AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 224. col. 1.

INcomparabili, Christe, Deus noster & Domine, gaudiorum serenatur ex luce conventus omnis Ecclesiae, quòd te ab inferis excipit resurgentem. Qui ergo tam potenter & mortis aculeum vincis, & ultra non moreris, nos, quos potenter redemisti, in aeternam mortem ire nullo modo patiaris.

Ant. Christus surgens ex mortuis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 223. col. 4.

CHriste, qui olim gloriosae noctis hujus diluculum Resurrectionis tuae mysterio consecrasti, dum primus ipse numquam moriturus, ùt verae primitiae dormientium surrexisti; da nobis, ut in te resurgamus a vitiis, & vires reparemus perditae sanitatis: ut in te vivificemur ad statum verae salutis, qui pro nobis es mortificatus usque ad supplicium Crucis.

Ant. Resurrexit Dominus Jesus Christus.

ALIA.

QUantùm, Christe Domine, beatae Mariae tuae fervidae devotionis incaluerit votum, dum te in loculo sepulchri sollicitâ inspectione perquirens, angelico promeruit oraculo commoneri, ne te ùt mortuum fleret, quem illico resurgentem agnosceret; da nobis, parem devotionis hujus fervorem habere, & similiter sollicitos in te quaerendo existere: quò tu, qui in proprietate susceptae carnis resurrexisti a mortuis, in manifestatione verae Divinitatis resurgendo semper elucescas in cordibus nostris.

Ant. Noli flere Maria.

INCIPIUNT ORATIONES MATUTINAE, VEL VESPERTINAE COMPLETURIAE DE RESURRECTIONE DOMINI, QUAE PER SEPTEM DIES UNIUSCUJUSQUE EBDOMADAE DICENDAE ET REPLICANDAE SUNT, USQUE IN ASCENSIONEM DOMINI.

COMPLETURIA AD MATUTINUM IN DOMENICO DIE.

Br. Moz. fol. 223. col. 2.

CHriste Dei Filius, qui venerabilis diei hujus excursum, & prius a te conditae * luci, & post tuae resurrectionis mysterio consecrasti, dum singularis triumfator inferni, olim in hoc die, devicto diabolo, triumfasti; da nobis, ut de sepulcris vitiorum exeamus ad te lumen verum, qui es resurrectionis nostrae principium: ut, quia in te mors ultra nullo modo dominabitur, per veram Resurrectionis tuae potentiam, quam verissimè profitemur, peccata nostra amodo nobis nullatenus dominentur, ut qui matutinum sacrificium pro nobis ipse oblatus es, in hoc Resurrectionis tuae tempore matutino ab omni nos jubeas * purificare piaculo.

Haec completuria in Pascha & usque in Ascensione Domini per omnes dies Dominicos ad matutinum dicenda est excepto in octabas Paschae, ubi specialis completuria habetur ad matutinum.

* *Leg.* lucis.

* *Leg.* purificari.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui odierni diei cursum, & in creationis principio * lumini, & nunc Resurrectionis suae mysterio dedicavit, ipse in vobis, & quod * creabit, inluminet, & quod redemit, sine fine sanctificet; quique Resurrectione sua justificationem exibuit mundo, ab omni vos expurget humanae * conlubionis contagio: ut per eum vobis mors vitiorum occurrat, per quem resurrecturi cupitis pervenire ad gloriam.

* *Leg.* lumine.

* *Leg.* creavit.

ITEM COMPLETURIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 223. col. 3.

DEus, cujus unum hunc ex omnibus duximus diem, in quo creatis rebus omnibus voluisti esse & praesentis lucis indicem, & aeterni luminis testem, ut in eo surgeret inluminatio temporum, atque in eo surgeret inluminatio animarum: quique dominicae & operationis primus, & resurrectionis idoneus revolutus in circulo, & reductus in calculo, Paschalis sollemnitatis inciperet mysterium,

Haec completuria in Pascha die Domenico, & usque in diem Dominicum in octavas Paschae ad vesperum dicenda. .... Ascensionem Domini.

sterium, & concluderet sacramentum; respice in hoc tempore acceptabili, & in hac die salutis super servos tuos, Domine, quos redemisti de captivitate nequitiae spiritali * tropeo dominicae passionis: quò Agni tui sanguine * tinctis, ne vastator laederet, liberasti; esto nobis praevius in solitudine vitae hujus, quò & * in diem calorem temtationis nostrae quasi nubs protegens obumbres, & in nocte a tenebris peccatorum nos quasi columna ignis inlumines: ut dum ades ad salutem, perducas ad requiem,

* *Leg.* tropheo.
* *Leg.* tinctos.
* *Leg.* in die.

BENEDICTIO.

Er. Moz. fol. 223. col. 4.

CHristus, qui diem istum resurrectionis suae consecravit mysterio, resurgendis vobis praebeat efficaciam a delicto; & qui olim odierna die a mortuis relarrexit, mortificationis omnimodae vobis conferens donum, resurgere vos faciat caelestium dono virtutum: ut in eo semper vitam habeatis, in cujus mortem consepultos vos esse gaudetis.

SECUNDA FERIA
COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Er. Moz. fol. 224. col. 3.

ADest, Domine, secundi illius diei luminosa species, in qua matutina lux, Christus videlicet noster, in firmamento * legis a se condito se indice agnoscendum. Praesta ergo nobis, ut, qui luce resurrectionis coruscavit in mundo, habundantiâ pietatis redundet in saeculo: qualiter ita firmamento legis suae corda nostra praemuniat, ut inlaesos nos ad aeternam pertrahat vitam.

* *Er. Moz.* legis a se conditae se indicit agnoscendum.

BENEDICTIO.

CHristus, Dei Filius, cujus resurrectionem ex mortuis omnis confitetur Ecclesia, ab omni labe facinorum resuscitet corda vestra; & qui pro vobis voluit sacrificium se Deo Patri * offerri, ipse carnes vestras suae dignetur affigere Cruci: ut in eo mortem criminum perpetuam habeatis, quem fideliter resurrexisse nunc creditis.

* *Magis placet*, offerre.

ITEM IN EODEM DIE
AD VESPERUM COMPLETURIA.

Er. Moz. fol. 224. col. 4.

CHriste Deus noster, qui secundo die firmamentum, * quasi solidamentum scripturarum in Ecclesia praeparas, quo caelestes populos Angelorum ab infirmitate inferiorum hominum, quasi aquas ab aquis, discernere voluisti: quique dua testamenta constituens, figuram veteris sacrificii per testamentum novum in inmolatione tui corporis complevisti; da nobis, ut intellectu prudentiae angelicis potestatibus, quasi aquis superioribus, sociemur, & semper ad superna tendamus: qualiter ita solidamentum utriusque legis in corde nostro praepollcat, ut resurrectionis tuae potentiâ ad gaudia nos pertraat infinita.

* *Er. Moz. addit*, formans.

BENEDICTIO.

Er. Moz. fol. 224. col. 4.

CHristus Dei Filius, qui in corpore nostrae mortalitatis sustulit obprobrium Crucis, ab omni vos cruciatu nocibilis eripiat passionis; & qui in vera corporis nostri carne surrexit ab inferis, in omnimoda veritate sanctificationis exsuscitet corda vestra ab omni lapsu facinoris: ut fides, qua illum & mortuum fuisse, & resurrexisse agnoscitis, aeternae vobis praeparet receptaculum mansionis.

ITEM COMPLETURIA III. FER. AD MATUTINUM.

Er. Moz. fol. 225. col. 3.

LUcidum diei tertii * spiculum agnosceutes, in quo * post conditum firmamentum legis divisae sunt aquae ab aquis, fideles utique ab infidelibus segregati; te Deum rogamus & petimus, ut verâ fide nos instruas, * ab infidelitate disiungas: ut qui tertia die te suscitatum ab inferis credimus, lucis aeternae praesidio muniamur.

* *Er. Moz.* speculum.
* *Er. Moz.* per.
* *Supple*, &.

BENEDICTIO.

DEi Patris Filius, qui tertio ab inferis suscitatus est die, ab omni vos delictorum conlubione mortificet; & qui] veraciter ea, qua est mortuus, resurrexit in carne, tempore Judicii sui non ad poenam, set ad gloriam vos coronatu-

naturos exsuscitet: ut cum eo sine fine vivatis, cujus hic resurrectionem promtissimâ devotione incolitis.

ITEM IN EODEM DIE COMPLETURIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 225. col. 2.

OMnipotens Deus Pater, qui die tertio ab infidelium cordibus, quasi ab inferioribus salsis aquis aridam, idest populum fontem fidei sitientem, segregare dignatus es; da nobis, ut ab infidelium laqueis segregati, resurrectionem Filii tui praedicemus indubii: ut qui tertio ab inferis suscitatus est die, trina nos virtutum copulatione resuscitet: quò fide spe & caritate robusti, de aeterno resurrectionis mereamur munere consolari.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 225. col. 4.

DEus, Dei Filius, qui resurrectionis suae gloriam toto dilatavit in mundo, credulitatis hujus vos justificet sacramento; & qui resurgens ultra non moritur, ab infinitae vos mortis eripiat dominatu: quò in eo nobis fit perpetuum gaudium, in quo nobis praecessit verae resurrectionis exemplum.

ITEM COMPLETURIA IIII. FER. AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 226. col. 4.

LUminosa diei quarti lux matutina refulget, in qua tu, Deus omnipotens, magna luminaria in firmamento caeli constituens, quadrifluo Euangelii amne mundum visitans inrigasti, quum eum pretioso tuo Sanguine redemisti: da ergo nobis, ita lucere in firmamento Ecclesiae, ut aeternam mereamur pervenire ad requiem: ut qui primogenitus ex mortuis crederis, indultor quoque criminum in Judicio sentiaris.

BENEDICTIO.

REdemtor noster, & Dominus, qui suam pro nobis ad mortem tradidit animam, redimat de interitu vitam vestram: ut qui ad hoc mortuus est, ut mortem extingueret, a perpetuae mortis vos liberet potestate; Quique post mortem resurrexit in gloriam, det vobis post crimina resurgere ad vitam aeternam.

ITEM IN EODEM DIE COMPLETURIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 226. col. 4.

ECce, Domine, vesperum quarti hujus diei officiosis luminaribus frequentamus, in quo luminaria in firmamento caeli, quasi in solidamento legis infigens, quattuor videlicet Euangelistarum * una voce canentium corda inlustrare dignatus es: quò te in quatuor mundi partibus, & mortem pro nobis gustasse, & a mortuis surrexisse, unitis vocibus nunciarent. Te ergo petimus, te rogamus, ut in hujus vitae obscuritate ita resurrectionis tuae in nobis praefulgeat gratia, ut resurrecturi mereamur pertingere ad coronam.

* *Br. Moz. unâ te voce.*

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 226. col. 4.

VErus Dei Agnus, qui pro nobis est inmolatus in Cruce, ab omni vos conlubionis macula purget; & qui occisus, ex infirmitate surrexit potenter, potentialiter devincat omnes libitus carnis vestrae; Quique, devicta morte, mortis devicit auctorem, devictis criminibus vestris, in se vos faciat vivere sine fine.

ITEM COMPLETURIA V. FER. AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 227. col. 3.

LUcidi exortûs diei quinti primordium contuentes, in quo vivarum reptilia animarum, & volatilia tu, Deus noster, formare dignatus es, te poscimus, te rogamus, ut quos vivificans renobasti Baptismatis undâ, hos resuscitando a vitiis pertraas ad superna; & qui te valdè diluculo a mortuis surrexisse gaudemus, nos semper ad caelestia evolasse resurrectionis tuae munere gratulemur.

BENEDICTIO.

CHristus, Dei Filius, qui devicta morte triumfavit ab inferis, triumfare vos faciat de libidinum incentivis; & qui resurrectionis suae gloriam * declarabit in mundo, ipse vos aeternae caritatis munificet dono: ut in eo & nunc resurgatis a vitiis, & pòst perveniatis ad aeterna praemia libertatis.

* *Leg. declaravit.*

O ITEM.

ITEM IN EODEM DIE COMPLETURIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 227. col. 4.

DEus, qui in operatione quinti diei reptilia animarum vivarum, homines scilicet renobatos per Sacramentum Babtismatis, condidisti: & volatilia caeli, animas videlicet Sanctorum ad superna volantes manifesta virtutum luce, formasti; * praeve animabus nostris invictum de tua resurrectione solacium: ut per te renovati resurgamus ad gloriam, per quem regenerati sumus ad vitam.

** Leg. praebe.*

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 227. col. 4.

GRatia, qua vos per fidem Christo consepultos esse gaudetis, mortificet vos ab omni contagio iniquitatis; * & quae resurrectionis illius gaudia dilatavit in mundo, sanctificationem omnimodam exibeat cordi vestro: ut qui illum suscitavit a mortuis, vos quoque resuscitet ad gloriam aeternae remunerationis.

**Br. Moz. & qui, malè.*

ITEM COMPLETURIA VI. FER. AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 228. col. 3.

ADest fulgidum diei sexti curriculum, sextae aetatis continens sacramentum. In illo formatur homo ex nicilo, in isto reparatur ex aliquo; in quo tu, Dei Filius, dum pro nobis indebitam suscipis mortem, mortis devicisti auctorem; da ergo nobis, ut quos de manu tanti hostis tuo sanguine redemisti, non patiaris aeternis doloribus cruciari: ut qui triumfo resurrectionis tuae ea, quae sursum sunt, nos quaerere praecipis, modificatione pietatis corda nostra mortifices a delictis.

BENEDICTIO.

UNigenitus Filius Dei Patris, qui venit salvare mundum in sanguine testamenti aeterni, ab aeterna vos liberet damnatione Judicii; quique pro vobis mortem pertulit & sepulcrum, ab omni vos eripiat dominatu flagitiorum: ut resurrectionis ejus gaudium, quod vobis hìc dulcescit in fide, pòst efficaciùs declaretur in munere.

ITEM IN EODEM DIE COMPLETURIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 228. col. 4.

DEus, Dei Filius, qui hominem, quem sexto die formasti ex nicilo, sexta aetate saeculi redemisti sanguine tuo, *quum qui tunc benè couditus malè cecidit, nunc in melius reformatus surrexit; da nobis, ut ita veraciter redemtionis nostrae mysterium perpendamus, qualiter in morte & resurrectione tua perenniter gloriemur: ut qui tempore salutis, mundo occurrens, mortem nostram moriens devicisti, ab aeterna nos liberes damnatione Judicii.

** Br. Moz. ut qui tunc.*

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 228. col. 4.

DEus, Dei Filius, qui patibulo pro impiis affixus est Crucis, suae vos salvificet gloria passionis; & qui mortem moriendo devicit, ipse a vobis omnes cruciatus avertat inferni: * & in eo resurgatis ad gloriam, cujus nunc resurrectionis suscipitis gaudia.

**Br. Moz. ut in eo, quae magis placet.*

ITEM DIE SABBATO AD MATUTINUM COMPLETURIA.

Br. Moz. fol. 229. col. 3.

CHriste, Dei Filius, qui exortum diei septimi * ita requie consecrasti, quum otium sabbati in sepulcro positus conplebisti; da requiem cordi nostro beneplacitam tibi, ut ab operibus nostris ita in te veraciter quiescamus, ne in otio sabbati peccatorum nostrorum honeribus adgrabemur: ut qui te e sepulcri quiete surrexisse fideliter credimus, e caelis item ad Judicium venientem mitissimum sentiamus.

**Leg. in tua requie.*

BENEDICTIO.

UNigenitus Dei Filius, qui injuriam pro vobis sustulit Crucis, cor vestrum mortificet a delictis; quique sanguine suo * labit mundum a crimine, ab omni vos corruptionis contagione expurget: ut idem, qui resurgens redemtor esse voluit captivorum, sit liberator futuro in Judicio redemtorum.

** Leg. lavit.*

ITEM

ITEM IN EODEM DIE
COMPLETURIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 230. col. 1.

CHriste, Dei Filius, nostrarum requies animarum, qui otium sabbati requiescens in tumulo conplevisti: nt in quo olim requieveras ab omni opere faciendo, in eo etiam requiesceres in sepulero, huuc * vobis veraciter sanctificans diem, cujus vesperum in prima nobis sabbati, quae & octava * est, die lucescit: ut, qui dixeras de tenebris lumen splendescere, manifestè a mortuis resurgens appareres in carne; dirige eursum vitae nostrae in viam sanctificationis omnimodae, qualiter ira in his septem diebus, quibus muudus iste peragitur, & in quibus cotidie nobis Agnus occiditur, & Pasca cotidie celebratur, salubriori vitae curriculo * conversemus: ut absque fermento malitiae verum Pasca mereamur cotidie celebrare: & ita ab omnibus operibus nostris in hoc die sanctificatione tibi placitâ quiescamus, ut octavi illius aeterni diei de resurrectionis gloria consolemur.

* *Leg.* nobis.
* Est, *in Br. Moz. non legitur.*
* *Br. Moz.* conversemur.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 230. col. 2.

CHristus, Dei Filius, qui in hoc die moriens requievit in tumulo, det obtatam requiem cordi vostro; tribuatque vobis cessare ab omni opere criminis, qui in sepulcro sustulit injuriam mortis: ut obtabile vos resurrectionis ejus gaudium & hic devotos efficiat, & in futuro de munere aeternitatis sustollat.

ORATIONES DE OCTABAS PASCAE AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 231. col. 1.

CHriste, vera redemtio mnndi, qui, revoluto per Angelum lapide ab ostio monumenti, mira resurrectionis potentiâ triumfasti, cum sexus mulierum infirmior, * quae te ardenti desiderio perquisivit, prior caeteris te resurgentem, Angelo nuntiante, audire promeruit; da nobis, ut fragilitatis nostrae * torpore secluso, indefinenti servitutis tuae potiamur solacio, ut, te ardentiùs diligentes, oris nostri ostium nulla in confitendo tibi immoti lapidis duritiâ obstruente, aeterno mereamur consolari de munere.

Ant. Angelus Domini descendit de caelo.

* *Leg.* qui.
* *Br. Moz.* corpore recluso, *malè.*

ALIA.

CHriste, Dei Filius, cujus resurrectionem ex mortuis quaerentibus te mulieribus vox angelica nuntiavit, ac ne te viventem cum mortuis quaererent, interdixit; praesta nobis, ut virtutum omnium aromatibus pleni, in perquireudo te semper habeamur idonei: & tam fructuosâ in nobis sit ipsa tui quaesitio, ut aeterna nos ex hoc sequatur gloriae plenitudo.

Ant. Angelus Domini dixit mulieribus.

ALIA.

CHriste Deus, ingeniti luminis lumen, fac nos semper fructuosô in otio quaesitionis tuae persistere: ut ad te venientes sic resurrectionis tuae potentiam cernant, ut se a malis actibus surrexisse agnoscant: qualiter ad tua venientes promissa, te Dominum nostrum, quem nunc resurrexisse certa credimus fide, post in aeterna te videre mereamur gloriae majestate.

Ant. Venite, & videte, ubi positus erat Dominus.

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 231. col. 2.

DEcurso, Christe Domine, Paschalis sollemnitatis officio, & tuae resurrectionis gaudio consumato, quo verum lumen mundo de tenebris effulsisti, quo coecis mentibus coruscasti; adoramus, ecce prosternimur ante te Deum, qui veteris fermenti malitiam azimis sinceritatis & veritatis excludens, omnem corruptionem adulterinae permixtionis intra puritatem ac simplicitatem fidei non relinquis, & azimorum diem nobis ipse absque humani seminis fermento * azimus dedicasti: petentes, ut publica fidei vota arbiter devotionis aspicias: ut conpletum passionis ac resurrectionis tuae * cultu pius propitiator intendas; & quoniam per te gratia & veritas facta est, veritate tua instruas ad intellectum, quos gratia perduxit ad cultum.

Haec completuria oratio, vel benedictio solummodo in octabas Pascae dicenda est.

* *Br. Moz.* azimos, *malè.*
* *Leg.* cultum.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui clausis ad discipulos ingressus est januis, omnem obclusionem a vestris cordibus remobeat coecitatis; quique manibus illorum

palpa-

palpabile * se voluit demonstrare, invisibilis gratiae in vobis dona multiplicet; & qui, corda illorum confirmando, verum Pasca peregit in saeculo, ipse vos perfectione spiritalis laetitiae sustollat in caelo.

* Leg. palpabilem.

ORATIONES DE RESURRECTIONE DOMINI, QUAE IN PRIMO DOMINICO POST OCTABAS AD MATUTINUM JUXTA ANTIFONAS CONGRUENTES DICENDAE SUNT.

Br. Moz. fol. 130. col. 1.

OMnipotens Deus Pater, qui nos Domini nostri Jesu Christi Filii tui pretioso sanguine redemisti, non patiaris in te credentes aeterni supplicii barathro dimergi: ut per eum confessiones nostrorum criminum ad te mereantur admitti, in quo iniquitates nostrorum omnium posuisti: ut ejus, cujus libore sanati sumus, indesinenti praesidio protegamur.

Ant. Libore ejus sanati sumus.

ALIA.

CHriste, Dei Filius, qui inter * inimicos deputatus, * tuam usque ad mortem tradidisti; cura nos indesinenter vulneribus Crucis tuae, ut a peccatorum nostrorum cruciatibus liberati te semper habeamus in praemium, quem pro nobis credimus crucifixum.

Ant. Tradidit in morte animam suam.

* Fortè legendum, iniquos.
* Supple, animam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 130. col. 3. & fol. 366. col. 3.

JUstè quidem, Domine, judicans, peccata nostra in corpore tuo super lignum portasti, quum diabolum non potestate, sed justitiâ devicisti: ut qui * per devictam mortem nostram servituti ejus subjugati eramus, per * indevictam mortem tuam ad libertatis gratiam rediremus; fac nos ergo, ut in te semper liberi esse possimus, qualiter tecum & hic & in aeternum sine fine vivamus.

Ant. Justè judicans * praecepta nostra.

* Leg. peccata.
* Leg. per debitam.
* Leg. indebitam.

ITEM ORATIONES IN SECUNDO DOMINICO POST OCTABAS. AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 225. col. 1.

MOrtuum te peccato fuisse non tuo, set nostro, Jesu Domine, confitemur; & ideo, quia semel pro impiis mortuus, Deo vivis, fac nos, ut sic semel moriamur in vitiis, qualiter coronaturi resurgentes laetemur semper de muneribus sempiternis.

Ant. Quod Jesus mortuus est peccato.

ALIA.

Br. Moz. fol. 225. col. 1.

CHriste, Dei Filius, qui mortuus es propter peccata nostra, & resurrexisti propter justificationem nostram; da nobis, & mortem * abere vitiorum, & resurrectionem obtinere virtutum: ut ita mortis & resurrectionis tuae * in novis vigeat sacramentum, qualiter ad te sine confusione post nostrum transitum accedere mereamur.

Ant. Mortuus est Christus propter peccata nostra.

* Leg. habere.
* Leg. in nobis.

ALIA.

JEsu redemtor inclite, qui resurgens a mortuis sedes in gloriam Patris, fidelibus tuis praeparans mansiones aeterne salutis; porrige fragilitati nostrae invictum protectionis tuae auxilium, ut qui de nobis habemus proprium ut cadamus, de te semper obtinere mereamur ut ad virtutes post vitia resurgamus.

Ant. Resurrexit Christus a mortuis.

ITEM ORATIONES IN TERTIO DOMINICO POST OCTABAS. AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 229. col. 1.

GRatias tibi agimus, Deus Pater, qui eripuisti nos de potestate tenebrarum, transferens in regnum Filii tui; da ergo, quaesumus nobis, ut quos per mortem revocavit ad vitam, per pietatem resuscitet ad gaudia sempiterna.

Ant. Gratias agamus Deo Patri.

ALIA.

Br. Moz. fol. 229. col. 1.

QUas tibi, Domine, gratias referre poterimus pro eo, quia nobis victoriam per * esum Filii tui sanguinem praestitisti? & ideo, quia defectum nostrum inspicis, supplementum tuae porrige pietatis: ut quidquid mens in conceptione laudis tuae suggesserit enarrandum, fideli relatione * hos proferat ad aeternitatis emolumentum.

Ant. Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam.

* Leg. effusum.
* Leg. os; Br. Moz. fdei relaxatione eos, malè.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 119. col. 2.

Domine Deus noster, qui es & qui eras & qui venturus es, gratias tibi creatura a te condita refert, quia factum est regnum hujus mundi Domini nostri Jesu Christi; quaesumus ergo, ut quos regnum ejus voluisti esse, aeterno eos consoleris in munere.

Ant. Gratias tibi agimus, Deus noster.

ITEM ORATIONES IN QUARTO DOMINICO POST OCTABAS. AD MATUTINUM.

Ecce venimus ad te Dominum * reverentes, qui pretium factus es nostrae salutis; tu ergo, qui coepisti, perfice * in nos beneficia sanitatis; & qui in corpore nostro percussus es vulnere Crucis, cura nos medicaminibus tuae Divinitatis; quique nos post duos dies vivificans, tertia utique die corpus mortalitatis nostrae a mortuis dignatus es suscitare, praesta nobis, ut per te suscitati, per te etiam vivificati, in aeternum quoque tecum sine fine victuri, poenas evadamus aeterni supplicii.

Ant. Venite, revertamur ad Dominum.

* Forte, revertentes.

* Leg. in nobis.

ALIA.

Concede nobis, Domine, per fidem resurrectionis tuae gaudium beatitudinis infinitae: ut in hac prima resurrectione partem hebentes, illius secundae resurrectionis gaudia mereamur invenire felices.

Ant. Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.

ALIA.

Psallimus tibi, Domine, in voce psalmi, qui nos morte tua a mortis imperio redemisti: petentes a te, ut qui nos resurgens suscitasti ad vitam, tempore Judicii tui non ad poenam, sed ad aeternam nos resuscites gloriam.

Ant. Psallite Domino in voce psalmi.

ITEM ORATIONES DE RESURRECTIONE DOMINI JUXTA QUOD ANTIFONAE IN ORDINE POSITAE SUNT; QUAE AD MATUTINUM USQUE IN ASCENSIONEM DOMINI DICENDAE ET REPLICANDAE SUNT.

Br. Moz. fol. 115. col. 1.

Christe, Dei Filius, quo moriente, optata mundo vita salusque donata est; dona nobis, in hoc resurrectionis tuae festo copiose laetari: ut qui tecum nos fuisse mortuos credimus, simul etiam tecum sine fine vivamus; & qui tibi mortem ulterius dominari non credimus, a dominatu mortis perpetuae liberemur.

Ant. Si mortui sumus cum Christo.

ALIA.

Br. Moz. fol. 117. col. 1.

Tecum nos, Christe, jam per fidem consurrexisse * exundati ilaritate laetamur; & ideo fac, nos semper ea, quae sursum sunt, quaerere: ut a flagitiorum nostrorum nequitiis resurgentes, illuc, ubi tu in dextera Patris sedes, mereamur aliquando pervenire felices.

Ant. Si consurrexistis cum Christo.

* Br. Moz. exundanti.

ALIA.

Br. Moz. fol. 115. col. 1. & fol. 118. col. 2.

Credimus te, Domine, * indevita pro nobis morte damnatum, & virtute propria suscitatum; & ideo profluenti lacrimarum exundatione deposcimus, ut qui te resurrexisse pro justificatione nostra nunc credimus, placabilem te ac mitem in Judicio sentiamus.

Ant. Pro justificationibus.

* Leg. indebita.

ALIA.

Br. Moz. fol. 116. col. 1.

Concede nobis, Domine, ut mortis opera non agamus, qui resurrectionis tuae triumfos plena fide incolimus: ut insultantes morti perpetuae per bonam vitam, novae hereditatis capiamus praesidia.

Ant. Ubi est mors.

ALIA.

Br. Moz. fol. 116. col. 1.

Deus, Dei Filius, cujus mors mortem obsorbuit, & maledictum abstulit mundi; fac nos ita semper in tuae resurrectionis victoria conlaetari, ut dum praedicamus gloriam Crucis, indesinenter potiamur praemio veritatis.

Ant. Absorta est mors.

ALIA

ALIA.

IN te nos, Christe Domine, & surgere & quiescere sine fine concede: & quia tu virtute Patris es ab inferis suscitatus, Divinitatis tuae potentiâ corda nostra, flagitiorum consuetudine consepulta, a sepulcris vitiorum exsuscita.

Ant. Alleluja: quievi, & resurrexi.

ALIA.

REdemtor noster, & Domine, cujus vestimentum passionis cruore rubrum ostenditur; da nobis, ut vestimentum Baptismatis, quod peccando polluimus, te in nobis resurgente, efficaciùs * innobemus.

Ant. Quis est iste, qui venit?

* *Leg.* innovemus.

ALIA.

CHriste Deus noster, qui virtute Patris tui de morte, quasi e somno, es suscitatus; praesta nobis, ita opulentiâ virtutum adtolli, ut somnus mortis corporeae non ad poenam nobis eveniat, sed ad fructum aeternitatis nobis sine fine dulcescat.

Ant. Ego quasi de somno suscitatus sum.

ALIA.

DEus, Dei Filius, qui a Deo Patre & probatus crederis esse, & cognitus; ad te optutum cordis nostri dirigimus, poscentes, ut qui te pro nobis humiliari voluisti usque ad mortem, nos * perpetuum sanguinem perducas ad aeternam hereditatem.

Ant. Domine, probasti me.

* *Leg.* per tuum.

ALIA.

DEus Pater, qui eduxisti pastorem magnum * obium, Dominum nostrum Jesum Christum a mortuis, educ nos de nostrorum vitiorum sepulcris: ut in illo & per illum futuro nobis requies donetur in saeculo, qui virtute propria suscitatus est e sepulcro.

Ant. Deus Pater eduxit pastorem magnum a mortuis.

* *Leg.* ovium.

ALIA.

Br. Moz. fol. 235. col. 1.

OMnipotens Deus Pater, qui Dominum nostrum Jesum Christum suscitasti a mortuis, suscita in nos studia omnimodae sanctitatis: ut illi soli religatae sint primitiae spiritûs nostri, qui a mortuis resurgens, mortis principem propriâ virtute devicit.

Ant. Deus Pater, qui Dominum Jesum Christum suscitavit a mortuis.

ALIA.

JEsu, Dei Filius, qui vino illo passionis, sanguine utique Crucis, stolam tuam & * palleum labare dignatus es, dum adsumptae carnis nostrae mortalitatem Cruci moriendam voluisti affigere; da nobis, ut sanguis tuus, qui pro multis effusus est * in remissione peccatorum, * labet nos cotidie ab omni conlubione scelerum: ut qui per fidem resurrectionis tuae stamus, stolam nostrae fidei nullis malae cogitationis vel operationis inpulsibus maculemus.

Ant. Lavavit vino stolam suam.

* *Leg.* pallium, lavare.

* *Leg.* in remissionem.

* *Leg.* lavet ..... conluvione.

ALIA.

Br. Moz. fol. 222. col. 1. & fol. 384. col. 3. & fol. 410. col. 2.

SUblatum te, Domine, e sepulcro fructuosa Mariae illius inquisitio fletuum effusione conqueritur, quae utique igni tui desiderii cremabatur; quaesumus ergo, ut desiderium amoris tui similiter in nobis accendas: ut & in perquirendo te valentiores, & in inveniendo te mereamur sine fine esse felices.

Ant. Tulerunt Dominum meum; & ubi posuerunt eum nescio.

ALIA.

Br. Moz. fol. 227. col. 2.

CHriste, qui surgens a mortuis jam non moreris; concede, ut nulla in nobis ulterius mors praevaleat criminis: ut qui resurrectionis tuae mysterium fide promtissimâ veneramur, a nocibili mortis dominio liberemur.

ALIA.

SPiritu tuo adnuntiante, Christe, cognovimus, quòd tanquam potans a vino crapulatus surrexeris, ultionem tuis restituens inimicis; quaesumus ergo, ut ita resurrectionis tuae gaudia in toto mundo dilates, ut & potantes tui sanguinis austum, aeternum habeant praemium, & contemtores tui ad verae credulitatis mereantur accedere sacramentum.

Ant. Alleluja: resurrexit Dominus.

ALIA.

ALIA.

Br. Moz. fol. 118. col. 2. LAEtatur ecce, Domine, Jherusalem, fidelis in victoriam Crucis, & potentiam Salvatoris; fac ergo, ut & diligentes eam in ejus pace consistant, & recedentes ab ea ad ejus amplexum quandoque perveniant: ut, ablato luctu, de resurrectionis aeternae gaudiis recreati, in ejus pace mereamur sine fine constitui. *Ant.* Laetare, laetare Jherusalem.

ALIA.

REpletum est, Domine, gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, dum Jesu Christi Filii tui Domini nostri & mortem carnis, & gloriam resurrectionis fide integra praedicamus; da igitur nobis, ut gaudium praedicationis hujus ita in corde nostro fructificet, ut numquam * permittamus diaboli laqueis inretiri. *Ant.* Repletum est gaudio.

* *Leg.* permittamur.

ALIA.

GAudemus, Domine, & laetamur devotione fideli, quia venerunt nuptiae Agni; quaesumus proinde, ut qnum ad Judicium veneris, ita nos idoneos facias futuris nuptiis interesse, ut quidquid nunc de gloria resurrectionis tuae credimus, totum post in remuneratione vel cultu nobis profuisse aeterni muneris sentiamus. *Ant.* Gaudeamus, & laetemur: alleluja.

ALIA.

COnvivifica nos, Deus Pater, unigenito Christo tuo per indulgentiae donum, qui olim nos illi convivificasti per mortis & resurrectionis ejus ineffabile sacramentum: ut, quia tu solus dives es in misericordiam, ita nos per eum tuae dilectionis consocies, ut aeterna nos per eum in futuro remuneratione corones. *Ant.* Deus, qui dives es in misericordia.

ALIA.

AD te, Christe, revertentes venimus; in nobis ergo, quaesumus, tua pietatis beneficia perfice, qui nos in tuo corpore tertiâ suscitare dignatus es die: ut qui mortis vel resurrectionis tuae mysteria veneramur, a nostris in futuro piaculis obsolvamur. *Ant.* Venite, revertamur ad Dominum.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui es testis fidelis, primogenitus mortuorum, * laba nos a conlubionibus univer sis: ut, qui dudum nos labisti a peccatis nostris in sanguine tuo, nunc quoque nos interminabili justifices indulgentiae dono: ut per te habeamus vitam, per quem vocati sumus ad gratiam. *Ant.* Dominus Jesus Christus, qui es testis fidelis.

* *Leg.* lava.

ALIA.

DEus Pater, qui in populis mirâ per Filium virtute coruscas; libera in bracio tuo, quos ejus redemisti sanguine sacro: ut * quodquod in mortem Filii tui consepulti sumus, infinitâ cum eo laetitiâ exultemus. *Ant.* Ostendisti in populis.

* *Leg.* quotquot.

ALIA.

Br. Moz. fol. 126. col. 1. CHriste Deus, a quo mors in victoriam absorta est, qui mortis victoriam simul & aculeum destruens, magnum mundo redemtionis praesidium contulisti; da nobis, ut, vitiorum morti virtutum profectibus insultantes, ad aeterna gaudia mereamur perduci quandoque beatiores. *Ant.* Absorta est mors.

ALIA.

CHriste, Dei Filius, cujus morte & resurrectione redemti sumus, benedicito nobis, & confirma corda nostra resurrectionis tuae potentiâ: ut in te & resurrectionis nostrae mysterium agnoscamus, & futurae beatitudinis gaudia capiamus. *Ant.* Alleluja: redemit nos.

ALIA.

Br. Moz. fol. 126. col. 2. FAc nos, Deus Pater, ita fructificare tibi, ut ejus tantum simus, quem ex mortuis suscitasti, Christi scilicet Filii tui: quò, suscitando nos tandem de vitiis ad virtutem, pervenire nos facias ad aeternam hereditatem. *Ant.* Fructificemus Deo.

ALIA.

ALIA.

NOs omnes, qui tuo, Christe, redemti sumus sanguine pretioso, quaesumus, ut tantae pietatis pretio liberati, non repedemus noxam criminis consueti ut qui suscitati sumus a te per fidem, per te quoque suscitemur, vel potius transferamur de labsibus ad virtutem.

Ant. Nos omnes redemti sumus pretioso sanguine.

ALIA.

Br. Moz. fol. 230. col. 3.

CHriste, Dei Filius, qui volumtariè pro nobis carnis subiens mortem, disciplina factus es pacis nostrae; fac nos tuis semper disciplinis subjectos existere: ut qui liborę tuo sanati sumus, volumtatis tuae semper judiciis obsequamur.

Ant. Disciplina pacis nostrae super eum.

ALIA.

TU in nobis es, Domine, & testis Christus tuus, qui veram in nobis resurrectionis suae potentiam manifestat; praesta ergo, ut idem testis tuus, qui mortuus est, & resurrexit pro nobis, & nunc & in aeternum liberet nos a doloribus sempiternis.

Ant. Dominus in nobis est.

ALIA.

DOmine Deus noster, qui pro nobis usque ad mortem decertans, admirabili resurrectionis triumpho vicisti; tu pro nobis usque ad nostrum obitum * pugnatus, esto nostra victoria: ut qui redemtor voluisti esse mortuis, efficiaris credentibus causa salutis.

Ant. Dominus Deus noster, ipse pro nobis pugnabit.

* *Leg.* pugnaturus.

ALIA.

ESto, Domine, memor nostri per indulgentiae donum, qui olim memor fuisti nobis per resurrectionis tuae mysterium: ut benedictio & sanctificatio tua semper subsequatur eos, quos festum resurrectionis tuae facit esse devotos.

Ant. Dominus memor fuit nostri.

ALIA.

DEus Pater Domini nostri Jesu Christi, quem suscitasti a mortuis in sanguine testamenti aeterni; suscita in nobis desiderium beneplacitum tibi: sieque nos abta in omni bono, ut sancta desideria in bonorum operum efficaciam transferentes, aeternis illis civivus aliquando mereamur esse participes.

Ant. Deus pacis, qui eduxit.

ALIA.

FAc nos, Christe Domine, laudes tuas diffuso oris officio narrare, & mirabilia tua patulâ devotionis relatione concinere: ut qui resurrectionis tuae gaudia plenâ fide concinimus, resurgere te propitio a mortis actibus mereamur.

Ant. Narrate laudes Domini.

ALIA.

Br. Moz. fol. 214. col. 1. & fol. 222. col. 2. Christe.

JEsu, Dei Filius, quem vox angelica a mortuis surrexisse praedixit, * & ut euntes discipuli, quòd te in Galileam visuri essent, innotuit; da nobis plenum gaudium de tua semper resurrectione habere: ut qui in Galileam, in transmigratione scilicet incorruptionis, manifestum te in carne voluisti ostendere discipulorum aspectibus, digneris etiam in nobis apparere virtutibus manifestus: ut a corruptione in incorruptionem transitum facientes, aeternae illius & verae transmigrationis possidere gaudia mereamur.

Ant. Surrexit, sicut dixit Dominus: alleluja.

* *Et, deest in Br. Moz.*

ALIA.

Br. Moz. fol. 228. col. 1.

CHriste, cui consepulti sumus in mortem, ut resurgeremus tibi per fidem resurrectionis tuae; * laba nos a peccatis nostris in sanguine tuo: ut quos dudum mundasti aqua babtismatis, indesinenter purifices indulgentia pietatis.

Ant. Consepulti estis Christo.

* *Leg.* lava.

ALIA.

SAlvator noster, & Domine, qui nos redemisti de maledicto praevaricationis; libera nos ab omnibus criminibus nostris: ut qui resurrectionis tuae festa concinimus, tempore resurrectionis non puniturí, sed coronaturi tibi jungamur.

Ant. Redemit nos Deus de maledicto.

ALIA.

ALIA.

Convivificati, Christe, tibi facti sumus per fidem; dona ergo nobis, ut fidei dono aboleantur delicta nostra, quibus pro merito aeterna debentur supplicia: ut qui nostro vicisti in corpore, remunerator nobis efficiaris ad aeternam salutem.

Ant. Convivificati estis Christo.

ALIA.

TE, Christe Domine, pro totius mundi salvatione occisum Agnum, septem cornibus, septemque oculis refulgentem, tota coors fidelis fatetur Ecclesiae; ideo poscimus & rogamus, ut qui verè imolatus Agnus pro delictis nostris agnosceris, delicta nostra solvas * carnibus potestatis: quò ita septiformi illo Spiritu, cujus missio per orbem terrarum notitiam tui nominis indidit, impleamur, ut per te Dominum in futuro non ad poenam, sed ad gloriam suscitemur.

Ant. Vidi agnũ quasi occisum, habentem cornua septem.

* Leg. cornibus.

ALIA.

Br. Mez. fol. 133. col. 2.

CHriste, Dei Filius, qui occisus Agnus resurgis in gloriam, & habens potestatem magnam, humani generis inluminare diginatus es terram, quò, passionis & resurrectionis tuae plubiis inrigata, te solum sequeretur ad vitam, quae se olim mortis eliserat in ruinam; nostris, quaesumus, precibus fabens, dona nobis & resurgendi copiam in actibus bonis, & moriendi efficaciam in operibus pravitatis.

Ant. Vidi agnũ quasi occisum, habentem potestatem.

ALIA.

UNigenite Filius Dei Patris, cujus deitas, atque humanitas unius personae copulatione conexa in medio candelabrorum, tanquam in medio . . . .

Ant. Ego vidi in medio candelabrorum.

* *Hic deest pagina in Codice.*

★

ALIA.

Br. Mez. fol. 366. col. 2.

CHriste, Dei Filius, in cujus nomine per Crucis mysterium omne flectitur genua; da nobis in Cruce tua copiosius* exultari, ut in ejus victoria, & inlaesi mare saeculi transeamus, & ad te coronaturi post nostrum transitum accedamus.

Ant. In nomine Domini omne genu.

* Leg. exultare.

ALIA.

REdemtor noster, & Domine, qui nos olim redemisti per sanguinem Crucis tuae; redime nos a perpetuae mortis conditione, ut in Cruce tua, & victoriam de vitiis capiamus, & aeterno post mortem de munere consolemur.

Ant. Redemisti nos Domine.

ALIA.

JEsu, Dei Filius, testis fidelis, primogenitus mortuorum, praesta, ut testimonium Crucis sit nobis ad emolumentum aeternae salvationis: ut qui sanguine tuo labasti miseros a peccatis, misericordia consueta confitentes tibi liberes ab aeternis suppliciis.

Ant. Gentis fidelis primogenitus mortuorum.

ALIA.

JEsu Deus noster, qui offensam ligni praevaricationis ligno tuae destruis Crucis, quum fructus vitae ligni in tempore suo producis; praebe supplicantibus nobis, ut * ambule signum Crucis fructus in nobis operetur tuae dulcedinis, & ita horum fructuum ubertas in corde nostro fructificet, ut tuam * in resurrectionem laetabundi mereamur faciem contuere.

Resp. Alleluja: erit tanquam lignum.

* Fortè, amabile.

* Leg. in resurrectione.

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Mez. fol. 366. col. 4.

INeffabile satis est, Domine, mysterium Crucis tuae, quo & mortis potestatem evacuas, & resurrectionis luce coruscas; Da ergo nobis & initia, & perfectionem sanctae virtutis: ut dum praedicamus gloriam Crucis, ad praemium mereamur pertingere inmortalitatis.

P BENE-

BENEDICTIO.

CRux Domini nostri Jesu Christi sit sublimitas vestra. Sanguis ejus maneat in vos redemtio vera. Resurrectio ipsius sit vobis claritas sempiterna.

ORATIONES IN DIE ASCENSIONIS DOMINI AD VESPERUM.

Fr. Moz. fol. 235. col. 2.

AScensionis tuae, Christe Domine, festa suscipientibus adesto propitius, & * sabe placatus; quique carnis nostrae fragilitatem tecum glorificandam in caelestibus devexisti, culparum veterum tolle putredinem, & vitae nobis pristinae reddito dignitatem: ut illic te credendo conscendere mereamur, quò te veraciter conscendisse nunc credimus.

* Leg. fave.

BENEDICTIO.

Fr. Moz. fol. 235. col. 3.

CHristus Dominus, qui adsumtum hominem paternam ascendendo perduxit ad sedem, perducat vos ad aeternae gloriae libertatem; Quique, si exaltatus esset a terra, promisit omnia traere ad se ipsum, nullum ex vobis patiatur a suo esse corpore separatum; sed sibi vos * in fine coronandos statuat, qui solus in vestro corpore ascendendo caelorum penetravit secreta.

* Br. Moz. sine fine.

AD MATUTINUM DE PSALMO III.

CHriste, gloria nostra, gloriam summam tibi soli debitam per nostram dignanter suscipe, quaesumus, obsequellam; atque illic, quò ipse glorificatus ascendisti post mortem, cordis nostri caput erige post soporem: ut & in monte sancto tuo Sanctorum consortiis connectamur, & cum eis caelestis regni * janua solventes intremus.

* Forte: januas ovantes.

ALIA.

Br. Moz. fol. 237. col. 4.

DOmine, qui ascendisti in altum, captivam ducens captivitatem, nos a captivitate diaboli victoriae tuae conquire triumphis: ut dona tua dum hominibus tribuis, ipsos homines donorum tuorum reddas ex toto participes.

Ant. Ascendit in altum.

ALIA.

DOmine, qui in Cruce pro nobis humilis pependisti, & ad caelum triumphali jubilo conscendisti; fac, nos & Crucem tuam te sequendo portare, & ascensione tua semper ad excelsa pertendere: illa nos tibi societ, ista glorificet: ut & passioni tuae corporis mortificatione jungamur, & gloriae cordis ascensione participemur.

Ant. Ascendit Deus in jubilatione.

ALIA.

Br. Moz. fol. 237. col. 1.

DOmine Jesu, qui ascendisti super caelos caelorum ad orientem, occasum nostrum tuo occasu devincens, quos in te suscepisti redimendos; in te perfice ad excelsa tollendos, ut ubi Caput praecessisti glorificatum, illic totum corpus adtraas honorandum: nec in occiduum mundi relinquas, quos ad orientem prope tuum verus triumphator exaltas.

Ant. Regna terrae cantate Deo: alleluja.

ALIA.

Br. Moz. fol. 237. col. 4.

DOmine Jesu Christe, qui sublebatus in ethera, exaltasti tronum tuum in Jherusalem civitatem tuam, quae est utique Ecclesia sancta tua, dum eam gloriosè conquiris, & ab ea triumphaliter ad Patrem ascendis, dilatans videlicet in * cam imperium Euangelii tui, & tronum potestatis tuae, glorificandum in adsumto homine, ascensionis tuae gloriam * manifestas; praesta, ut in te sit nobis laetitia magna in hereditate tua, dum hoc, quod nunc credimus in spe, te donante meruerimus contemplari in specie; sint ergo in nobis, & tota tibi placita, & operatio ipsa accepta: ut continuò tecum possideamus regnum in gloria sempiterna.

Resp. Jherusalem civitas sancta, exaltavitur tronus.
* Leg in ea.
* Leg. manifestans.

ALIA.

Br. Moz. fol. 235. col. 4.

SAlvator noster, & Domine, qui ascendens * in caelis, intuentium clarificatus apparere dignatus es oculis: dum ita, ùt ascenderas, te venturum ad Judicium polliceris; fac nos odiernae ascensionis tuae festum pura cordium devoto-

Ant. Viri Galilei.
* Leg. in caelos.

votione suscipere: ut ita in te semper ad melius vita nostra ascendendo proficiat, qualiter, te ad Judicium veniente, inconfusibili contuitu te semper visionis aspiciat.

ALIA.

Br. Moz. fol. 236. col. 1.

CHriste, Dei Filius, qui & in nube gloriosus aspiceris, & in caelis gloriosus triumphator ascendis; da nobis, ut te semper in veritate videntes, visionis tuae semper lucro fruamur: ut qui devicta morte paternam ascendendo repetis sedem, peracto mundi termino placabilis nobis jubeas apparere in aeternitatis illius tuae gloriae majestate.

Ant. Vidi nubem candidam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 235. col. 4.

UNigenite Dei Filius, qui devicta morte de terrenis ad caelestia transitum faciens, quasi a corde maris ascendens elevatus in nubibus exaltaris; praeve nobis, ut nullis flagitiorum vinculis in corde hujus saeculi inligemur, qui te ad Patrem ascendisse gloriosâ fidei devotione concinimus: ut illuc indesinenter cordis nostri dirigatur obtutus, quò tu ascendisti post vulnera gloriosus.

Ant. Vidi virum ascendentem.

ALIA.

Br. Moz. fol. 236. col. 1.

DOmine Jesu Christe, creator astrorum, qui inclinasti capita nubium, dum te humiliasti in conversatione mortalium: ut in eo corpore, quo pro nobis probra sustinuisti impiorum, in ipso ascenderes super omnes caelos caelorum, & laudes sumeres Angelorum; exaudi nos propitius, & hoc nobis concede placatus, ut, absoluti criminibus, illic te nunc praevium sequamur corde, quò tu ascendisti glorificatus in homine: ut te etiam tunc contemplari possimus conditorem & dominum aeternum in majestate, quem nunc verum Deum praestolamur & Judicem.

Resp. * Curbati sunt caeli.
* *Leg.* curvati.

ALIA.

GAudemus, Domine, qui mundum vicisti, & ad Patrem triumphaliter ascendisti; nobis ergo, in civitate Domini virtutum, idest in complexu Ecclesiae tuae catholicae residentibus, ab alto infunde virtutem, qui in altis habitans virtus Patris agnosceris, & cum ipso in unitate Spiritus Sancti dominaris.

Ant. Gaudete, quia vici mundum.

ALIA.

JEsu, Dei Patris Filius, qui te post vulnera Crucis ascensurum ad Patrem esse testaris; dignare in nostris cordibus ascensus beneplacitos tibi disponere: ut qui nostro solus ascendendo es glorificatus in corpore, ad eum, qui tibi natura nobis * adobtione est Pater, facias nos quandoque placituros ascendere.

Ant. Ascendo ad Patrem meum.
* *Leg.* adoptione.

ALIA.

SAlvator Christe Domine, Dei Filius, qui * consolationem Paraclitus missurum te Discipulis, si ad Patrem ascenderes, promisisti; da nobis, illut de perfectione tuae dulcedinis obtinere, ut qui ascensu fidei Christianae te verum Deum & verum hominem caelos ascendisse fatemur, spiritali semper desiderio praesentemur: ut te non corporaliter, sed spiritaliter perquirentes, ad promissa tua mereamur pertrai beatiores.

Ant. Si abiero, Paraclitus veniet ad vos.
* *Leg.* consolatorem Paraclitum.

ALIA.

DOmine, qui & in caelo ascensum tuum aedificas, & pollicitationem tuam in terra confirmas; praesta nobis, ita in terra hujus saeculi radices operum bonorum extendere, ut glorioso ascensu ad te in caelis mereamur post nostrum obitum evolare: qualiter a corruptionis nostrae miseria absoluti, ad te coronaturi perveniamus jam liberi.

Resp. AEdificabit Dominus in caelo.

ITEM COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 236. col. 2.

DOmine Rex gloriae, qui patefactis & impletis Prophetarum oraculis, tamquam elevatis aeternalibus portis paternam repetis sedem, quia * tua Deitas eò, quò nunquam discessit, regreditur, humano generi caelorum aditus aperitur; dona, ut illic extendatur nostra intentio, quò praecessit tua redemtio: nec inhaereamus captivâ delectatione terrenis, quum jam nostri corporis Caput tecum regnet in caelis.

* *Supple* eu *Br. Moz.* dum.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 237. col. 1.

CHristus, Dei Filius, qui triumphali jubilo ascendit ad Patrem, caelesti vos cordium ascensione glorificet; & qui in forma vestri corporis * exaltatus a terra, Divinitatis beneficiis vos pertraat ad superna: ut illic vestrorum omnium remunerandam pertraat fidem, quò ipse glorificatus ascendit in homine.

* Adde, est, ex Br. Moz.

ITEM COMPLETURIA IN DIE, QUO MISSA DICITUR AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 236. col. 3.

CHriste, Dei virtus, & Dei sapientia, qui propter nos & nostram salutem descendens e caelis, humani generis carne vestiri dignatus es, ut dignantissima societate nos tua Deitate vestires, & quod mortale descendendo susceperas, inmortalitati ascendendo donares; tribue nobis interventu sollemnitatis odiernae, qua te caelos ascendentem & sequi cupimus & gaudemus, ut benignissimae dispensationis hujusce munera cognoscentes, reddamus pietati, quod solùm possumus, vota laudum: expectantes secundi adventus tui aeternorum solacia gaudiorum.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 236. col. 4.

JEsus Christus Dominus pacem, quam ad caelos remeans discipulis suis tradidit, integram in vobis inlibatamque conservet; Angelos quoque sanctos, quos caelos ascensurus suo delegit obsequio, vobis deputet in praesidio: ut ipso auctore illic erigamini fide, quò vos adsumendos speratis in requiem.

ORATIONES IN DIEM SANCTUM PENTECOSTEN AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 248. col. 4.

FIat super nos, Domine, misericordia tua, & fulgor Spiritus tui interiora nostra inradiet: ut ipse accendat frigidos, & inlustret obscuros, qui semper tecum permanet praeclarus & gloriosus.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 248. col. 4.

SPiritus Paraclitus, qui olim in Discipulos manifesto ignis est declaratus in munere, ignis sui calore a cunctis vos peccatis emaculet; & qui moestificatis eorum cordibus clemens Consolator occurrit, * magno vos sui instruat gratia sacramenti; quique tunc Apostolos docuit veritatem, vos & nunc enutriat fide, & post aeternam perducat ad requiem.

* Leg. magna.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 250. col. 4. & fol. 450. col. 3.

Ant. In principio erat.

DEus Pater omnipotens, qui in principio, idest in Filio tuo Jesu Christo Domino nostro, caelum terramque fecisti; da nobis, ut Spiritus ille tuus, qui super aquas, idest super cor nostrum tenebrosum ac fluvidum fertur, fructus tibi in nobis beneplacitos operetur: ut in corde nostro copiosa virtutum exundatione fructificans, indesinenti nos igne amoris tui accendat.

ALIA.

Br. Moz. fol. 250. col. 4.

Ant. Verbo Domini caeli facti sunt.

TUo, Domine, Verbo caeli sunt facti, & Spiritu oris ornati: quia aput beatam Trinitatem nicil discretum in opere, nicil reperitur sequestratum in munere, quando ea quae Pater facit & Filius, ea etiam indivisè operatur & Spiritus sanctus: caelestis ergo fabrica spiritu oris perficitur; tribue proinde nobis, ut opera tua cognoscamus in fide, dum te Deum Trinitatis & essentialem credimus & aequalem.

ALIA.

Br. Moz. fol. 248. col. 4.

Ant. Spiritus, qui a Patre meo procedet.

O Spiritus sancte, qui a Patre Filioque procedis, doce nos facere veritatem: ut, qui de Patre Filioque accepisti processionem, indivisibili nos his, a quibus tam ineffabiliter procedis, adsocies caritate.

ALIA.

Resp. Disciplina & sapientia.

DIsciplinâ & sapientiâ reple nos omnipotens Deus, ut sanctus Spiritus disciplinae fictos non effugiat, dum bonos ac sinceres efficiat: ut cor nostrùm intellectu prudentiae ditet, dum gratiam nobis afluentem clementer infundit.

ALIA

ALIA.

Br. Moz. fol. 149. col. 2.

DEus, qui in virtute Spiritus sancti, & doemonia eici, & infirmos posse sanari in tuo nomine discipulos docuisti; da nobis, ita repleri hujus sancti Spiritus dono, ut ab omnimodo doemoniorum mereamur eripi temtamento: quatenus per eum a nostris infirmitatibus relevati, bene per illum possimus habere, quum pro bonis operibus bonum perenne perceperimus in munere.

Ant. Dominus loquutus est Discipulis suis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 149. col. 2.

CHriste, Dei Filius, qui per Spiritum sanctum dimitti intra Ecclesiam peccata tibi confitentibus promisisti, quum ligandi & solvendi potestatem tuis, Magister bone, contulisti Discipulis; da nobis, hujus * bono copiosius aflui, quò igne ejus & condensâ in nobis exurantur facinora, & pacis tuae donentur commoda manifesta.

Ant. Accipite Spiritum sanctum.

* *Br. Moz.* dono.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui Spiritu sancto repletos Apostolos personare fecisti variis linguis; praesta Ecclesiae tuae, ut in ea & linguarum & pectorum tibi armonia concinatur: & ita te laudet concorditer diversitas gentium, ut te unanimiter adtollat universitas populorum.

Ant. Alleluja: Repleti sunt omnes.

ALIA.

ADtendimus, Domine, & desiderantes audire cupimus mandata vitae; quaesumus ergo, ut Spiritus a te procedens impleat nos munere suo, qualiter verba tua non recedant de ore nostro: quò ejus plenitudine satiati, sic praedicatione spiritûs fulgeamus, ut dicta factis conprobare possimus.

Resp. Adtende Israhel, & audi mandata vitae.

ALIA.

Br. Moz. fol. 149. col. 2. & fol. 410. col. 2.

OMnium rerum Creator & Dominus docuit sapientiam, in qua est sanctus Spiritus, unicus, simplex, multimodus, subtilis: * & unus Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus, non pluralitate deitatis ostensi, sed unitate virtutis innexi: & unione personae careant, & in unitate naturae permaneant: nec sit illie aliquid diversum, ubi in singulis resonat unum. * Haec igitur te, sancta Trinitas, fidei cognitione credentes, poscimus & rogamus, ut manifestatione Spiritus tui ita cor nostrum inradies, ut & carnis opera declinemus, & perfectionem sanctitatis omnimodae consectemur.

Ant. Omnium rerum Creator & Dominus.

* *Leg.* ut.

* *Leg.* Hac.

ALIA.

Br. Moz. fol. 150. col. 3.

DEus Spiritus sancte, a quo creata sunt omnia, & restaurata sunt universa, qui animas amas, quas inabitando sanctificas: bonus enim Spiritus es in omnibus, dum infunderis cunctis individuus, & in singulis permanes unus; qui ergo mirabiliter dona gratiarum partiris in singulis, singulariter te manifestum ostende in remittendis iniquitatibus nostris.

Ant. A te creata sunt, Domine.

ALIA.

SPiritum Paraclitum desolatis, Christe Domine, cordibus mitte, qui a Patre tuo procedens fulgore suo & nescientiam doceat, & peccata extinguat: quò per illum & peccati laqueos caveamus, & aeterna munera inpetremus.

Ant. Spiritum Paraclitum, quem mittam vobis a Patre meo.

ALIA.

DEus omnipotens, qui Spiritum tuum te in Jacob dedisse testaris; dona sancti Spiritus * proroga in cordibus nostris, quò manifestatione divinorum donorum & divina in ore nostro verba praefulgeant, & operum dignitas de ore nostri seminis non recedat.

Resp. Alleluja: Spiritum meũ dedi in te Jacob

* Prororoga, pro praeroga, & sic ubique.

ALIA.

Br. Moz. fol. 148. col. 3.

COnsolare, Jesu, per donum sancti Spiritus * destinatas bonis studiis fidelium mentes, ut afluentiam donorum Spiritus ille Paraclitus, quem Patrem in tuo nomine missurum esse testatus es, nobis exibeat, qui tecum & cum Patre indi-

Ant. Spiritum Paraclitum quem mittet Pater in nomine meo.

* *Br. Moz.* destitutas.

indivisa potestatis substantia regnat: ut omnia nos, illo docente, & pacem tuam sequamur idonei, & affectum tuum numquam relinquamus instructi.

ALIA.

DA nobis, Domine, Spiritum tuum bonum, qui nos doceat bonitatem, & auferat a nobis iniquitatem: ut qui tecum est essentialiter bonus, nos misericordialiter faciat bonos: ut participes aeternae bonitatis effecti, mali esse cessemus, dum per summum bonum benigni reddimur, bonique perpetuamur.

Ant. Spiritum tuum bonum dedisti eis, Domine, qui doceret eos.

ALIA.

Br. Moz. fol. 251. col. 1. & fol. 410. col. 3.

POne, Domine, Spiritum tuum in medio nostri, qui mundis nos aquis poenitentiae labans, praeparet nos tibi semper in hostiam bibam: quò nec libido templum cordis nostri contaminet, nec flamma ignis aeterni terram nostri corporis poenaliter in quocumque contristet.

Ant. Spiritum meum ponam in medio vestri: alleluja.

ALIA.

Br. Moz. fol. 250. col. 4.

DOmine Deus, suscita Spiritum Ducis Juda, quo tua foecundetur Ecclesia: ut Spiritûs dona idem Spiritus nos in medio nostri positus doceat, replens domum tuam inenarrabili gloria: qualiter in loco isto & ubertas pacis redundet, & habundantia gratiarum exuberet.

Resp. Haec dicit Dominus: nolite timere.

ALIA.

DEus, cujus gloria ineffabiliter non localiter benedicta est de loco suo; da nobis Spiritum vitae, ut eo vivificante, te in omni loco & benedicere gloriosum, & laudare mereamur inmensum.

Ant. Spiritus Domini, Spiritus in te, Ester benedicta.

ALIA.

DA nobis, Deus omnipotens, Spiritum veritatis; per quem & te diligere, & mandata tua valeamus implere: ut, ipso nobiscum in aeternum manente, nullis poenis cruciemur in futuro examine.

Ant. Si diligitis me, mandata mea servate.

ALIA.

EFfunde, Domine, de Spiritu tuo super omnem carnem, ut ejus munere non jam carnalia sapiamus, sed spiritualia sentiamus: ut idem Spiritus, qui in patribus extitit praesentiâ divinus, in filiis appareat intelligentiâ manifestus.

Ant. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.

ALIA.

ACcede ad nos, Spiritus veritatis, & imple domum cordis nostri igne amoris tui, qui olim domum illam, ubi Discipuli consedebant, ineffabili dono tuae magnitudinis replevisti; & qui illos linguis variis fecisti loqui magnalia Dei, nos diversitate virtutum introducas ad atria caeli.

Resp. Spiritus sanctus de caelo descendit, & implevit domum illam.

ALIA.

EFfunde caritatem tuam, Domine, in cordibus nostris per Spiritum sanctum tuum: ut in eo te copiosiùs diligamus, in quo & habundantiùs auriamus.

ALIA.

SPiritu & intellectu reple cor nostrum omnipotens Deus, ut inspirati donum tuum intellegamus, & intellegendo uberiùs auriamus; ejusque capaciores effecti, tanto impleamur munere, quanto dilatamur ex fide.

ALIA.

REple nos, Domine, virtute Spiritus sancti tui, ut idem infirmitatem nostram sanet, qui in se potens * hac fortissimus permanet.

* *Lege*, ac.

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 250. col. 2.

DOmine Jesu Christe, infunde Spiritum sanctum promissum Patris in nos, qui vivificet & doceat nos plenitudinem veritatis in mysterio beatae & individuae Trinitatis: ut in ejus dono sit perfectio nostrae salutis, in quo omnis consistit summa virtutis.

BENE-

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 150. col. 3.

SPiritus sanctus, qui repenti sonitu de caelo igneis super Discipulos apparuit linguis, plenitudinem in vobis operetur suae sanctificationis; & quo docente, Discipuli sunt praelocuti Dei magnalia, eodem vos inspirante, confiteamini peccata vestra ad consequendam misericordiam oportunam : ut per quem illi omnium gentium eloqui linguis edocti sunt, per eum sit vobis remissio peccatorum.

ITEM COMPLETURIA, EXPLICITO IPSO DIE DOMINICO, AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 150. col. 1.

SPiritus tuus bonus, Domine, deducat nos in viam rectam: ut in nobis * malitiam superet, & in cunctis Divinitate redundet.

* Br. Moz. malitiam. Leg. (malitia) non superet.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 150. col. 1.

SPiritus Dei bonus deducat vos in viam rectam, & a lapsu peccaminum itinera vestra disjungat; sitque dux itineris vestri, qui olim in Discipulos manifestus apparuit: ut eodem repleti, & mare hujus saeculi transeatis inlaesi, & aeterno mereamini de munere consolari.

INCIPIUNT ORATIONES IN DIEM SANCTORUM ADRIANI ATQUE NATALIAE, COMPLETURIA AD VESPERUM XVI. KAL. JULIAS.

Br. Moz. fol. 370. col. 2.

CHriste, qui multiplici diversitate virtutum, & copioso certamine passionum beatos martyres Adrianum, atque Nataliam provexisti ad regnum: dum & illum robore patiendi, & istam praevenis gratiâ obsequendi: quum & per illum substernis fidei hostes, & per hanc * victos pro te * efficis martyres; da nobis, utraque virtute posse dipiscere quod optamus, evadere quod pavescimus: ut, vitiorum & carnalium victores effecti, bonorum exibitione obsequiorum coram te efficiamur idonei: & qui corporei sanguinis effusione non meremur coronam, votorum inpensione perducamur ad gloriam.

* Leg. vinctos. * Leg. reficis.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 370. col. 2.

CHristus Dominus, qui sanctos suos Adrianum, atque Nataliam alterna decertandi decoravit virtute, devotionem vestram unione caritatis exornet; quique potentiali obsequio famulae suae Nataliae Martyres refrigeravit in poenis, corda vestra justificet a delictis, & vota remuneret pro susceptione festivitatis: ut * per quam Sanctis ministravit solacii verbum, per eam vobis * proroget petitionis effectum.

* Br. Moz. per quem.... per eum. * Leg. praeroget.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 370. col. 2.

CHriste, qui diversis beatorum certaminibus, Adriani scilicet, atque Nataliae, & Martyrum mederis discrimini, & exemplum sequuturae * prorogas plebi: dum & in illo corpus ad agones corroboras, & hujus os beneficentiae satisfactione inflammas; esto inluminatio nostra, & salus: valeat corpus nostrum servitutis tuae ducere jugum: * hos salutis meditare praeconium: nicil possit caro quod tibi displiceat: nil os praedicet, quod a tua praeceptione dissentiat; exultet ergo cor, & caro nostra in te Deum vivum, ut te opitulante illis, jungamur post transitum, quibus hic viventes dependimus famulatum.

* Leg. praerogas. * Leg. os.

ALIA.

Br. Moz. fol. 370. col. 3.

DEus, qui gaudio Beatorum atque certamini votum Adriani tui martyris miscuisti, dum aeterna promissa sollicitat, dum se adnotari cum Martyribus condemnatis exoptat; concede nobis ejus meritis, elui funditus a delictis: ut eraso nostrorum cirografo criminum, nomen nostrum adnotetur in catalogo electorum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 370. col. 3.

OMnipotens sempiterne atque ineffabilis Deus, praesta nobis, ut optentu beatae famulae tuae Nataliae salvemur in mundo, quae repausatio Sanctis tuis extitit in ergastulo: & quae plagis Beatorum exibuit diligentiam, peccantibus curam praeroget indefessam.

ALIA.

ALIA.

Magna est, Christe Domine, Adriani tui martyris constantia passionis, qua Conjugis ortatu * provocitus, plus voto durat, quàm corpore; ob hoc te quaesumus, Domine, ut nos, quos carnis inbecillitate respicis fragiles, & opere justifices, & gratiâ votorum exornes: ut qui non habemus bonorum operum fiduciam, susceptione hujus festivitatis remissionem criminum capiamus optatam. * Leg. provocatus.

ALIA.

Gloriosa est, Christe, memoria famulae tuae Nataliae, quae virile decus adepta, pudorem faemineum foenore multiplicato nobilitat, dum & Martyres sustentat in poenis, & se dono perlustrat gratiae obsequentis; praesta ergo nobis ejus suffragiis, ut conpatienti virtute praediti, sic triumfis conlaetemur certantium, ut futuris conseramur gaudiis Electorum.

ALIA.

Christe Domine, & Sanctorum meritis gloriose, qui tantam martyri Adriano dedisti constantiam, ut linguis pessimis caesus, usque in supremo te confessus duraret * increpidus; porrige nobis victricis tuae dextrae solatium, quò inmobiles inter mundialium curarum turbines perdurantes, illic conscendamus post transitum, quò idem ascendit post stigmata passionum. * Leg. intrepidus.

ALIA.

Non sinas, Domine, plebem tuam errare, nec devios calles itinerum pavore contingere: ut sicut famulae tuae Nataliae, viro apparente in mari, salutis patefacta est via, ita nobis eisdem in te credentibus portus indulgentiae donetur ad veniam.

ALIA.

Rex Deus gloriose atque sanctissime, absterge nostri criminis labem; quique decertanti Adriano martyri Conjugem vincendi praeparas in suffectum, nobis porrige ex tua pietate solacium: ut qui in illius voto martyrium perficis, nos fide & voto justifices a delictis.

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Mez. fol. 371. col. 1.

Ingeniti Dei Patris Filius alme, qui alternantem viri vel conjugis fidem, Adriani videlicet atque Nataliae, alternanti fervore corroboras, alternoque voto coronas: dum contra sexum virum faemina fingens, & ultra * natura vir per faeminam valens, alter in alterius virtute tripudiat, alterque in altero victor exultat; da nobis, ut, alternis amicitiae profectibus gratulantes, proficiamus in melius: habeamus socios ad virtutem, quos innexos tenemus in foedere: per hos provocati * ad gratiam, quibus similes consistimus in natura: ut, alterutro exemplo accensi, habeamus meritis alternis post transitum veniam, qui singulari bonorum operum efficaciâ non meremur promereri coronam. * Leg. naturam. * Br. Mez. ad gloriam.

BENEDICTIO.

Rex Deus inmensus, cui Adrianus atque Natalia conjugalis mundítiae talamum in suis cordibus paraverunt, dignetur creare in vobis cor mundum, & spiritum rectum; & qui in Natalia Sanctorum remuneravit obsequium, ipse votum vestrum suscipiat munerandum; quique & in illius decertatione, & hujus magnanimitate laudabilis celebratur, ipse in hac devotione vestra conlactari dignetur.

INCIPIUNT ORATIONES DE NATIVITATE SANCTI JOHANNIS BAPTISTAE, AD VESPERUM COMPLETURIA VIII. KAL. JUL.

Br. Mez. fol. 373. col. 2.

Adsunt, Domine, principia Christianae laetitiae, quibus olim, nasciturum in carne, Verbum Vox sanctificata praecessit, & Luminis ortum Lucis protestator insigniter * nuntiabit: ex quo & Christianae fidei sacramenta, & salutaris labacri prodierunt insignia: cujus conceptus miraculum, cujus nativitas gaudium adprovatur; quaesumus ergo, ut qui natale nunc Praecursoris tui ovantes suscipimus, * Leg. nuntiavit.

mus, ad festum quoque natalis tui purgatis cordibus accedamus: ut Vox, quae te praedicavit in eremo, nos purget in saeculo; &* quae viam venturo Domino praeparans, corpora viventium suo lavit babtismate, nostra nunc corda suis precibus a vitiis & errore depurget: qualiter Vocis sequendo vestigia ad Verbi mereamur pervenire promissa.

* Leg. qui.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 373. col. 1.

OMnipotens Deus Pater, qui Unigenito suo nasciture* in carnem Johannem voluit fieri praecursorem, angelicis vos custodiis munitos a malis omnibus dignetur eripere; & qui in nativitate ejus multis tribuit gaudium, in prece quoque illius vota supplicantium munificet populorum: ut per eum, quem voluit lucernam fieri Luminis, inreprachensibiles vos efficiat discipulos Veritatis.

* Leg. in carne.

ITEM AD MATUTINUM.

DEus, qui os Zaccariae sacerdotis tui repleri *sancto Spiritu* voluisti, ut os ejus, quod damna silentii pro incredulitate sustinuit, referatum ad veritatem repleretur vaticinio profetali: ut veritas, quae incredulum interceptae vocis, silentio jussit arguere, ipsa etiam pòst credentem profetalis gratiae muneribus adimpleret; resera os nostrum ad enarranda magnalia tua, ut quem ille nuntiavit ex nomine, nos sequamur devotione: qualiter fructus nostrae fidei sic * hora nostra in tua referet laude, ut aeternae salutis mereamur compotes esse.

Ant. Zaccariae sacerdos.

* Leg. ora.

ALIA.

MAgnum, Christe, nomen est praecursoris tui Johannis, quod, patris digitis in pugillaris serie exaratum, paterno ori loquutionis restaurat officium, per quod & infidelitas damnatur silentio, & credulitas obsequens remunerata est praemio; quaesumus ergo, ut qui vinculatum os Zaccariae publicato nomine prolis aperire dignatus es, publicatis confessionibus nostris, aditum nobis aperias vitae caelestis: ut, quod nostro nobis merito clauditur, tuo munere reseretur.

Ant. Innuebant Zaccariae.

ALIA.

Br. Moz. fol. 363. col. 3.

VOx Verbi, amicus sponsi, qui, Christum in eremo venturum esse pronuncians, viam illi in infidelium cordibus paras; esto cordium nostrorum & mentium praeparator pariter & purgator: ut quod in illis olim egisti praedicatione vocis, in nobis nunc exeras cotidianis suffragiis: quò, sicut per te Domino in Israhel praeparata est via, ita per te nobis praeparetur post transitum mansio in caelestibus laetabunda.

Ant. Vox clamantis in eremo.

ALIA.

CHriste, Dei Filius, quem Deus Pater ad terras misit sanare contritos corde, & caecis reddere lumen: dum praecuntis lucernae lumine adventum tuum in carne caecata corda cognoscerent, & suspirantia contritorum vota desiderabiliter praestolarent; precibus hujus praecursoris tui Johannis sana contritiones vulneris nostri: qualiter, totius caecitatis depulsa caligine, tuis semper vestigiis inerentes, dum vocis festum incolimus, ipsius vocis precibus ad Verbi munera veniamus.

Resp. Misit me Dominus sanare.

ALIA.

CHriste, Dei Filius, qui, verbum salutationis formans in matre, praecursorem tuum Johannem fecisti in suae matris utero exultare: ut ad vocem verbi laetaretur amicus sponsi, & te, pro quo nasciturus susciperet passionem, antequam nasceretur, praemissis gaudiis praedicaret; adesto nobis meritis ejus, qualiter dum auditum nostrum aeternae vitae adnuntiationibus reples, sempiterni muneris nos conlatione munifices.

Ant. Ecce, ut facta est vox.

ALIA.

Br. Moz. fol. 373. col. 4.

DEus, qui steril Elisabeth, senioque infructuosae, Johannem promissionis filium condonasti, qui dum adhuc inclusus ejus utero portaretur, Deum in ospitium Virginis habitantem sua salutatione profetavit; te petimus, & rogamus, ut,

Ant. Quum vidit Maria Helisabet.

ut qui praedicatione ejus regni caelestis aperuisti credentibus januam, suffragio ejus in regno tuo nos perducas ad gloriam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 373. col. 4. CHriste, Dei Filius, qui Praecursorem tuum, & ante * hortum suo nomine vocas, & post * hortum nomine ipso glorificas: dum & ab Angelo ex nomine nasciturus praedicitur, & natus in ipso nomine a populis admiratur; te quaesumus, ut per eum, quem praedicare pacem populis voluisti, per eum tergas sordes nostri piaculi: ut, qui plebem tibi perfectam paraturus advenit, credentium populos tuae inlustrandos restituat claritati. *Ant.* Ex utero matris. * *Leg.* ortum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 373. col. 3. PLena sunt, Domine, & redundantia beneficia tua, quibus sacerdotis Zaccariae pectus, Angelo apparente, dignatus es perlustrare: dum illi, & precationis suae fructum, & sterilis uxoris concessisse insinuas partum, dignè tibi servientem remunerans: scilicet, ut qui ordines vicis suae placito tibi famulatu perageret, Angelicae visionis & visu soveretur pariter, & sermone: quo munere ditatus agnosceret, vel quid in praeteritis signris tipicis tenuisset, vel quid in ostensa sibi * nobitatis gratia appareret. His ergo exemplis instructi, te quaesumus, sanctissime Deus, nt credula semper arcana pectoris nostri te capiant, & in tuis nuntiis praefixam fidem adponant: ut Praecursoris tui suffragio ita tibi via in nostris cordibus praeparetur, quò aeternum, te in nobis permanente, evadamus supplicium. *Resp.* Zaccarias sacerdos dum in ordine. * *Leg.* novitatis.

ALIA.

OMnipotens Deus noster, & Domine, qui missum a te Johannem, dum praecursorem vis fieri luminis, amicum efficis veritatis: ut, testimonium perhibendo, dulce ipse quoque maneret in lumine; fac nos ejus suffragio tutos permanere in saeculo, cujus nos instruxit testimonii plenitudo: nt per te, quem ille testificatus est voce, nos quoque perducamur ad requiem. *Ant.* Fuit homo missus a Deo.

ALIA.

Br. Moz. fol. 373. col. 1. DEus, qui nos in nativitate praecursoris tui Johannis voluisti gaudere; fac nos plenum gaudium a te in futura examinatione percipere: nt meritis ejus, qui adventum tuum in spiritu & virtute Eliae praecessisse agnoscitur, & hic & in aeternum copiosis gaudiis conlaetemur. *Ant.* Multi in nativitate ejus gaudebunt.

ALIA.

Br. Moz. fol. 374. col. 2. CHriste, Dei Filius, qui, ab utero sanctificatum tibi Johannem puerum formans, in principio viarum tuarum, utpote praecursorem, illum ante te boni nuntii destinas; concede nobis sursum semper cor habere, ut Verbum, quod vox adhnc temta praedicavit in utero, peccatores indulgentiae & pietatis munificet dono. *Ant.* Dominus ab utero formavit me.

ALIA.

Br. Moz. fol. 372. col. 3. DEus Pater, qui nnctionis tuae Spiritum super Johannem puerum contulisti, quo praecursor effectus Unigeniti Redemtoris pacem praedicaret in populis, & lugentium daret gaudia votis, qui plenus esset Spiritu veritatis; praebe nobis, tanti Vatis munimine annum placabilem ducere, & in sanctitate & justitia tibi usque ad nostrum obitum deservire: quò & in hac vita tuae dulcedinis fructum, & in aeterna capiamus gaudium sempiternum. *Resp.* Spiritus Domini super me.

ALIA.

CHriste, Dei Filius, qui praecursorem tuum Johannem, non solùm gratia profetandi, sed & munere demonstrandi facis esse mirificum: dum te, quem longe venturum praecinentes Profetae in spiritu praedixerunt, iste digito adesse te * ostendere Dominum manifestum; adesto nostris in oculis, ut, per ostensionem tanti Vatis te praesentem habentes, liberemur a lapsibus nostris: ut per te, quem ille Agnum Dei tollentem peccata mundi praedixit, nos & peccatis ablui, & futuris mereamur suppliciis liberari. *Ant.* Johannes digito ostendens Dominum. * *Leg.* ostenderet.

ALIA.

ALIA.

Ecce, Domine Jesu Christe, quem Johannes in carne venturum praedicans, dicit, quòd post illum venires, qui ante illum factus existeres: ante illum utique factus, quia illi praelatus: nam post illum veniens nasciturus de Virgine, ante illum factus es non tempore, sed honore; Te suppliciter imploramus, ut, in domo tua dignitate operum decorati, non sit in * productoribus annis vel mensibus nostrae dignitas vitae, sed in adeptione virtutum finem nostrum justo consumemus in opere: ut pro cujus deportandis calciamentis Praecursor tuus indignum se ministrum esse pronuntiat, pro eo nos animam ponamus transeuntes ad gloriam.

Ant. Johannes praedicabat, dicens.

* *Leg.* productioribus.

ALIA.

Deus, Dei Filius, qui, extendens manum tuam, os Praecursoris tui Johannis tangere voluisti, dans verba tua in ore ejus, quò te, & in utero adhuc matris positus profetaret, & pòst natus, valenter in deserto adfuturum praediceret; imple os nostrum laude tua, * ut ora praeceptis tuis & judiciis famulantes, dum te auctorem praedicant luminis, ad fructum perveniant veritatis.

Ant. Extendit Dominus manum suam.

* *Leg.* ut ore.

ALIA.

Br. Moz. fol. 371. col. 3.

Homo missus a te, Christe, Johannes, tibi redditurus testimonium in mundo advenit, quia utique effectus initium gratiae testaretur * dulce, convertens corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres eorum; da ergo nobis meritis ejus, ut conversis cordibus te sequamur: ut, etsi vitae nostrae testimonium propriis lapsibus inpeditur, tuis tamen muneribus decoretur: ut quum tuam fecerimus in omnibus voluntatem, tibi soli videatur vita nostra testimonium reddidisse.

Resp. Fuit homo missus a Deo.

* *Br. Moz.* de luce convertente.

ALIA.

Br. Moz. fol. 371. col. 2.

Domine Jesu Christe, qui non solùm in nativitate praecursoris tui Johannis multos gaudere & exultare denuntias, sed ipsum quoque Johannem gaudium & exultationem futurum esse significas: ut qui te in mundo magnificis vocibus nuntiaret, ab ipso matris utero sanctificatus procederet; sanctificationis tuae nos indue libertate, ut Spiritu sancto repleti, mundialium curarum fasce deposito, Angelorum mereamur adunari consortio.

Ant. Johannes erit gaudium, & exultatio.

ALIA.

Br. Moz. fol. 374. col. 1.

Deus, qui Johannem praecursorem tuum ardentem lucernam atque lucentem in templo tuo constituisti: ut ardore fidei, quo calebat, aliis quoque inlucesceret suorum operum flammâ; da nobis meritis ejus, & ardorem tuae dulcedinis habere, & lucem aeternitatis tuae adtingere, concedens fragilitati nostrae, ut sic lucernae tuae sint animae nostrae, qualiter dum illis oleum suavitatis infundis, futuris * ea gaudiis consoleris.

Ant. Johannes erat lucerna.

* *Leg.* eas.

ALIA.

Domine Deus omnipotens, qui inter natos mulierum neminem esse majorem Johanne Baptista pronuntians, non illum * praeferre caelestis; da nobis, ut a quibus merito disjungimur, devotionis obsequio sociemur: & eorum, quibus pares non possumus esse in opere, societatem mereamur obtinere per fidem.

Ant. Amen dico vobis, quia inter natos.

* *Emendet felicior aliquis.*

ALIA.

Christe, Dei Filius, qui, nasciturus per carnem in mundo, Johannem fecisti matris exultare in utero: dum & Elisabeth profetico repleta spiritu venientem ad se Mariam gestatricem utique Verbi cognosceret, & in salutatione Verbi gaudium Vox utero aduc conclusa sentiret; da nobis, ut, vocis tuae audiendo praeconium, ad Verbi munera perducamur: ac dum devotionis vota persolvimus, aeternitatis gaudia inpetremus.

Resp. Unde mihi adfuit.

ALIA.

MIrabilis, Domine, Johannes praecursor tuus effectus est Nazareus . . . . *Ant.* Nazareus vocabitur puer iste.

* *Hic in Codice desideratur una; vel, ut potius crediderim, duae paginae, immo tres.*

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui Petrum & Paulum duo magna luminaria Ecclesiae tuae contulisti, per quos & dies ejus prosperitate fulgeret, & nox adversitate nicil demeret; adsiste nobis respectu clementiae, ut sic in te proficiamus in prosperis, ne frangamur adversis: sic laetis adtollamur, ne tristibus obruamur. Splendeat ergo dies noster Apostolorum gloriâ, temperetur nox eorundem patientiâ, ut & fides clarescat eorum praedicatione, & virtus consummetur in munere.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui beatissimi Petri Apostoli confessione Ecclesiam tuam super firmissimam petram aedificare dignatus es; promissionis tuae imple sollemnia, ut adversus eam portae inferi non praebaleant, quam in te fundatam Apostolorum tuorum excubiae circumvallant.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui claves regni caelorum beatissimo Petro tradidisti, summo Apostolorum; praesta nobis quoque indignis, ut pietate ejus reseretur caelum, & potestate claudatur infernum: illic nos, te praesule, benignus intromittat, hic fortissimus eruat: dum & illic suggerit ut recipias, & hic intervenit ne relinquas.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui in tantum peccatoribus prospexisti, ut beato Petro Apostolo ligandi solvendique potestatem tribueres peccatorum: ut illi hanc dares licentiam, cui* necanti concesseras veniam; eodem interveniente, succurre miseris, cujus placatus es lacrimis: ut dum idem conpatitur fragilitati peccantium, peccatores absolvat potius, quàm adstringat. * *Lg.* neganti.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui ligandi solvendique peccata beatissimo Apostolo tuo Petro dedisti*; confugiendi ad te per eum peccatoribus tuis aditum pande, ut idem, qui reos alligat, confitentes absolvat: & donet magis, quàm inputet culpas: solvatque nodos potius, quàm adstringat: ut hoc sit maximum pietatis effugium, dum idem censor intercessor existit, & idem, qui examinat, intervenit, ut ignoscat. **Supple*, *si lubet*, potestatem.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui Apostoli tui Petri trina confessione trinam expiare voluisti negationem: ut in illo ostenderes, & quid sine te non possit humana infirmitas, & quantum per te valeat humana credulitas, dum idem, & de se praesumens te negaverit, & in te confidens animam posuerit pro te: ut qui prius timuerat exprobrantem, crucifigentem postmodum non metueret; praesta nobis, ut pro te nunquam de nobis praesumendo vincamur, set semper in te confidendo vincamus.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui* ingeniti pietate Apostolum Paulum de blasfemo & injurioso vas effecisti sanctificum interminabili bonitate; nos quoque indignos, non vasa irae apta in interitum, sed vasa misericordiae ad vonum opus praepara, forma, imple, sanctifica, ita ut in nobis redundes ad propriam fraternamque salutem, faciasque nomen tuum non solùm in nobis honorabile, sed etiam in populis praediacavile: ut, tanti magistri & praeceptis & praesidiis fulti, cum ipso misericordiae tuae consortes aeterni Sacramenti mereamur esse participes. * *Lg.* ingenti.

ALIA.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, exemplo vel suffragio beatissimi Pauli tui Apostoli adsiste nobis in omni loco, vel tempore prospero vel adverso, & conforta nos in te propter te: vel si persequutor ingruat, seu vel si deserat frater ignavus, in te nobis & contra persequutorem infirmitas, & in desertore oportuna sit longanimitas: in cunctis liberemur ab omni opere malo, dum adversis per te non cedimus, & in te proximos sustinemus.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui beatissimum Paulum Apostolum tuum liberasti ab ore leonis, & salvum in regnum tuum caeleste fecisti; interventu ejus omnem * saevitiam contra nos, crudelitatemque * daemonum, hominumque conpesce: ut nos in hoc mundo liberes a malo, & Sanctis tuis inaestimabili pietate conjungas in regno superno.

* Prim. cur. servitium.
* Prim. cur. demum.

ALIA.

DOmine Jesu Christe, qui Apostolo tuo Paulo legitimè decertanti coronam justitiae praeparasti, quem idem quoque non solum sibi, sed & omnibus adventum tuum diligentibus repromisit; adesto nobis exoratus * professiore tanto, vel teste: & tribue, ut & praeceptis ejus exibere * parientiam, & praemiorum mereamur quantulamcumque habere particulam.

* Leg. professore.
* Leg. parentiam, nempe, obedientiam.

ITEM COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 377. col. 2.

DOmine Jesu Christe, qui adversas potestates per summos Apostolos tuos Petrum ac Paulum destruis & disturbas, ut praedicationi veritatis, apostolico ore depromtae, nec nequitia malorum, nec versutia possit obviare magorum: dum & Simonem magum Petrus deicit, & Elimam Paulus caecitate percussit; adesto nobis, ut in Ecclesia tua omnes corruant, qui conturbant: & orbentur, qui venientes ad fidem praepedire conantur; quin potius tendentes ad regna caelorum, quos Pauli docentis adduxerit pietas, intromittat Petri potestas.

BENEDICTIO.

CHristus, Dei Filius, quem & Petrus per passionem crucis, & Paulus per gladii defectionem sequuti sunt, imitatores vos efficiat suorum vestigiorum. Per * Petrus vos Christus suae Cruci triumfandos adsociet, & per Paulum spiritualis gladii doctrina peroret: ut, & per Petrum crucifixi in vitiis, & per Paulum mereamini evadere * muscipula adversantis.

* Leg. Petrum.
* Leg. muscipulam.

INCIPIUNT ORATIONES IN DIEM SANCTARUM JUSTAE ET RUFINAE XVI. KAL. AUG. AD VESPERUM COMPLETURIA:

Br. Moz. fol. 201. col. 3.

DOmine Jesu Christe, qui beatissimas virgines Justam & Rufinam vasa misericordiae tibimet effecisti, ut, quaestu fictilium vasculorum contemtae, regnum mererentur futurae vitae intrare; da nobis earum meritis, ut valeat unusquisque nostrum vas suum possidere: * quod, devictis voluntatum carnalium incentivis, ad coronam mereamur pertinere sanctitatis.

* Leg. quò.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 382. col. 4.

OMnipotens Dominus, qui Justam & Rufinam vasa sibi consecravit mundissima, vos in vasibus virtutum coronandos statuat; & qui illas fragmine vasculorum non passus est deici, vos de adversis faciat semper victoriam promereri: ut earum suffragio, quas fecit esse vas virtutum, lutei corporis in vobis fragmen solidare dignetur: qualiter sanctificatione praediti animarum & corporum, regna mereamini introire caelorum.

AD MATUTINUM.

ADmirabilis Christe, & inaestimabilis Rex Regum es, cui post formationem Ecclesiae adducantur virgines placiturae in laetitia & exultatione: quae utique proximae memorantur, quia non alienae, sed tuae sunt, quae in templo Regis per unitatem fidei intromitterentur; quaesumus ergo, ut incorruptae fidei dono

Ant. Offerrentur regi virgines.

dono muniti, in illarum, quarum sollemnia celebramus, mereamur laetitia introduci.

ALIA.

IN honore tuo, Domine, filiae regum, filiae utique Apostolorum, te laetificasse feruntur: quia semen in illis defuncti fratris, non illis, sed tibi per illos est suscitatum; & ideo, qui has filias regum unam & solam voluisti Reginam in membris nominare Sanctorum, quaesumus, ut a dextris tuis, quibus illa tibi coronata adsistit, nos coronandi quandoque mereamur admitti.

Ant. Laetificaberunt te, Domine.

ALIA.

DEus, in cujus judiciis filiae Judae, filiae utique confessionis, exultare merentur, quum inter angustias passionis in tuis conlaetari promerentur aequissimis jussis; praebe nobis, ut in judiciis tuis animae nostrae semper exultent: ut dum judiciorum tuorum aequitatem pia devotione veneramur, a nostra injustitia expiemur.

All. Alleluja: exultaverunt filiae Judae.

ALIA.

Br. Moz. fol. 337. col. 2. & fol. 380. col. 4.

FAc nos, Domine Jesu Christe, ut oleum prudentiae in vasis conscientiae purâ mentis integritate servemus: quò, dum clamor factus fuerit, ut tibi sponso venienti ad judicium * obiam exeamus, non cum fatuis, sed cum prudentibus Virginibus coronandi adnumeremur.

Resp. Acceperunt prudentes.

* *Leg.* obviam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 380. col. 3.

DOmine Jesu Christe, quem filiae Tyri in muneribus, filiae utique gentium, adorare praedictae sunt: dum una ex omnibus gentibus Ecclesia tibi copulata dinoscitur, in muneribus utique, non quaestu pecuniae conquisitis, sed in actionibus sanctitatis, quibus tibi omnis pia anima jungitur, & a quo sincerè inerentibus munera tribuuntur; * quò, justitiam & misericordiam facientes, non ea voto placendi hominibus, sed, ut soli Deo innotescat, & votis & operibus exequamur.

Ant. Adorabunt te, Domine, filiae Tyri.

* *Deest verbum.*

ALIA.

Br. Moz. fol. 380. col. 4.

DEus, qui omnem Virginum gloriam, filiarum utique Regis, intrinsecus esse vis, ut testimonium alienae laudis non apetant, quas virtus in aeterna laetificat; annue nobis harum Virginum precibus, & humanas laudes effugere, & boni operis intra nos testimonium reportare: quò & virgines persistamus in fide, & incorruptam ex hoc capiamus hereditatem.

Ant. Omnis gloria filiae regis ab intus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 425. col. 4.

DOmine Deus, qui profetali vaticinio filias Jherusalem in latere surgere praedixisti; fac nos in Sacramentis, profluentibus ex latere Filii Domini nostri, operum adsurgere dignitate: ut dum his fide conjungimur, caelorum * haec gaudiis potiamur.

All. Filiae tuae, Jherusalem, in latere surgent.

* *Vel barbara locutio, vel legendum, et.*

ALIA.

Br. Moz. fol. 380. col. 3.

DOmine Deus, qui Virginibus tuis glorioso amore flagrantibus concessisti, & quaerere, & invenire dilectum; concede nobis, ita te ferventiori voto exquirere, ut fructuosi laboris mereamur reportare mercedem.

Resp. Filiae Jherusalem, si inveneritis dilectum meum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 380. col. 4. & fol. 337. col. 1.

DEus, qui, in cordibus harum Virginum inlucescens, fecisti de tenebris lumen splendescere: ut quae vitiatae fuerant per naturam, essent * luminatae per gratiam; inlucesce in cordibus nostris ad emolumentum aeternae salutis, ut caligine nostrorum vitiorum detersâ, sola nos lucis tuae claritas sempiterna possideat.

Ant. Illuxit in cordibus nostris Dominus.

* *Br. Moz.* illuminatae.

ALIA.

Br. Moz. fol. 337. col. 2.

REvelata facie tuam, Christe Domine, gloriam speculantes, rogamus, atque exposcimus, ut claritate spei * in claritate illius perfectae, rei mereamur perfe-

Ant. Nos omnes revelata facie.

* *Leg.* in claritatem, *& ita infra.*

perfectiùs transformari: ut sicut hae Virgines tuae, de virtute passionis in virtutem aeternitatis proficientes, tanquam a claritate * in claritate translatae sunt, ita nos & in hac spe, qua consistimus, beatè vivamus, & dum de hac vita ad illam pervenerimus, tecum sine fine regnemus.

*Leg. in claritatem.

ALIA.

All. Audite me, divini fructus.

DEus, qui has Virgines tuas non terrenos, sed divinos esse fructus enuntias; fac nos harum optentu non terrena sapere, sed mundato corde caelestia praestolare: ut qui harum Virginum devotè incolimus festum, a nostrorum criminum sordibus expiemur.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

DOmine Jesu Christe, qui beatissimas virgines Justam & Rufinam de vasis irae fecisti vasa esse misericordiae: dum, originalis peccati traduce colligatae, sacrosanctae regenerationis meruerunt dealbari baptismate: quae etiam dum mercimonio fictilium vasculorum ad misericordiam utuntur, inter vasa virtutum per martyrium coronantur; da nobis eisdem suffragantibus, ut in nostris corporibus, quasi in vasis fictilibus tesaurum vitae perpetuae reportemus: ut in eo spe gustantes quàm suavis est Dominus, & mundana gaudia respuamus, & ad caelestia intentis mentibus accedere festinemus.

BENEDICTIO.

SAnctae Dei virgines Justa & Rufina, quae quaestu vasculorum fictilium inopum indigentiam satiaverunt, suis precibus satient in bonis desiderium vestrum; & quae vasa sui corporis in hujus mundi vasorum commercio exercebant, preces suas in liberatione animarum vestrarum semper obiciant: ut per quas decoctum igne lutum subsidium effectum est salutare, per eas quoque vos decocti igne, expurgati a crimine, regna mereamini caelestia introire.

ORATIO DE FESTIVITATE SANCTI CUCUFATIS, AD VESPERUM, ET AD MATUTINUM COMPLETURIA.

ADest, Domine, famosi tui Martyris expectata illa sollemnitas, * quo, pro tuo nomine decertans usque ad sanguinem, & flammas vicit & hostem, & vinclis mancipatus & * carcere; qui ergo illi de inlatis poenis dedisti ferre victoriam, da nobis non merentibus ejus suffragatione coronam: ut eo intercedente luceat in nobis flamma justitiae, quo supplicante truces persequentium victae sunt flammae.

*Leg. qui.
*Leg. carceri.

BENEDICTIO.

CHristus, Dei Filius, pro cujus nomine Cucufas martyr duodeno milite tortus est, ab omni vos tormentorum futurorum supplicio reddat inmunes; quique adpositas erga eum fecit emori flammas, ipse in vobis perimat totius carneae titillationis inlaecebras: ut pro quo carnificum ignitis sunt depasta membra suppliciis, per eum donetur obtabilis laetitia populis Christianis.

INCIPIUNT ORATIONES IN DIEM SANCTI FELICIS, AD VESPERUM COMPLETURIA. KAL. AUG.

Br. Moz. fol. 364. col. 3.

Ant. Felix, qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.

FElix, Martyr tuus, Domine, & nomine probatus, & munere, dum eum & ex nomine vocas, & munere consecras: ut eum & nuncupares * praescitus, & glorificares electum; confessionis ergo hujus nos participes effice, * & beatitudini conpotes redde: ut te adnuente infelices eruat de ergastulis inferorum, cum ipse felix permanet in aeternum.

* Leg. praescitum, scilicet, praecognitum.
* Leg. beatitudinis.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 364. col. 4.

All. Beatus vir: alleluja: qui implebit: alleluja.

CHristus Dominus, qui beatissimum hunc Martyrem, & merito Felicem fecit esse, & nomine, ab omni vos infelicitatis labe expurget; & qui per illum feliciter temporales infideles felicitates devicit, felicitate vos aeterna jubeat munerari: ut per hunc Martyrem, qui indultae felicitatis privilegio gaudet, aeterna vos felicitas sine fine laetabundos oblectet.

ITEM

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 364. col. 4. & fol. 64. col. 4.

FElix tuus, Domine, quem utique felicem esse & nomine voluisti, & merito, suo nos suffragio tueatur in saeculo: ut cui tristitia animi, etsi fuit temporaliter quae accideret, non tamen extitit quae noceret, tristitiam nocituram a nostris cordibus sua submoveat prece: ut qui illum nomine hereditasti aeterno, nos per eum a supplicio digneris liberare perpetuo.

Ant. Felix, qui non habuit animi sui tristitiam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 365. col. 1.

OMnipotens Christe, Filius Dei Patris altissimi, qui in * sensus Felicis martyris tui circumspectiones tuas dedisti, adimplens illum spiritu sapientiae, & vestiens stola gloriae sempiternae: quò infelicitatem saeculi feliciter vincens, felicitatis illius sanctae Jherusalem mereretur effici heres; da nobis felici ejus merito triumfare, ut infelicitates nostrae felici ejus suffragio propellantur, & vita ipsa in melius commutetur.

Ant. Felix, qui in sensu suo cogitavit circumspectionem.

* Leg. sensu.

ALIA.

Br. Moz. fol. 365. col. 1.

FElix est, Domine, quem ita tuo munere facis esse felicem, ut transgressionis nesciat volumtates: ut quum possit transgredi, transgressum se esse non noverit: non mala facere, quum utique possit a rectis semitis deviare; qui ergo non suo sed tuo munere felicitatis hujus promeruit donum, nostrae infelicitatis suis precibus detergat opprobrium: quò, tanti Martyris ducatu in saeculo gubernati, & volumtatem peccandi nesciamus habere, & transgressionis culpas ignoremus perficere.

All. Felix, qui potuit trāsgredi.

ALIA.

FElix ecce Martyr tuus est, Domine, in quo felicitas, quae sonat ex nomine, monstratur in opere: dum tuo felix munere a se dejecit saeculi ignem, qui utique de consummato passionis fine meruit triumphare; adsistat ergo nobis precibus suis, ut quibus ejus est memoria speciosa in saeculo, sit subventio in futuro: ut qui illum non corporis sed mentis oculo intuemur, & nunc & in aeternum in ejus amicitiis decoremur.

Resp. Felix, quia dejecisti a te ignem aeternum.

ALIA.

FElix satis ille est, Domine, & felicitate aeterna felicior, qui nec lapsu verbi, nec tristitiâ foedatur delicti; fac ergo nos Felicis tui merito, nec lapsum habere in linguam, nec corruptelae corporalis sustinere incendia: ut felicitas operum ad gaudiorum nos felicitatem dirigat aeternorum.

Ant. Beatus vir qui non est lapsus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 389. col. 4.

FElix, Domine, martyr tuus iste est Felix, qui abs te justificatus, & per te in omni certamine apparuit gloriosus; annue ergo nobis, ut illius felicitatis in futuro compotes simus, de cujus nunc felici martyrio conlaetamur.

Ant. Felix vir iste, qui justificatur.

ALIA.

Br. Moz. fol. 365. col. 1.

DEus, auctor felicitatis aeternae, qui in tantum fecisti Felicem martyrem tuum esse felicem, ut nec post aurum abiret, nec in tesauros & pecunias speraret: quum sine avaritiae contagio margaritum fulgens praedicando seminaret in populo; da nobis, ut totius avaritiae retinacula perorrentes, justitiae verbum in ore portemus: quò legem & misericordiam in lingua habentes, & infelicitatem saeculi Felicis tui merito superemus, & felicitatem vitae aeternae feliciori ejus suffragio capiamus.

All. Felix vir, qui inventus est sine macula.

ALIA.

Br. Moz. fol. 389. col. 3.

FElix martyr tuus, Domine, in mandatis tuis floret nimis, & fructu justitiae dilatatur in praemiis, qui tuis paruit omnino praeceptis, & cui felicitas erat ex nomine, perennitas proveniret ex opere: ut quod vocaretur, hoc esse dinosceretur: dum & * miseriam caret patiendo, & felicitatem obtinet triumfando; interventu ergo tanti Martyris proficiat nobis aeterna benignitas, ut dum Felicem felicitate perpetuat, miseratione solita nos infelices absolvat.

Resp. Felix vir, qui inventus est sine macula, & qui post aurum.

* Leg. miseriâ.

ALIA

ALIA.

Felix Martyr tuus, Domine, potens in terra semine praedicationis, potens in caelo virtute confessionis: hic Christianitatis progenie benedictus, illic martyrii stigmate gloriosus; ejus ergo suffragiis, & semen uerbi tui * incremento percipiat, & progenies sancta gratiae ubertate * succrescat.

* *Leg.* incrementa. *Cod. prim. cor.* succescat, *mendosè*.

ALIA.

Br. Mss. fol. 389. col. 4.

Felix Martyr tuus, Domine, quem elegisti & adsumsisti, dum eum, & electio testem, & adsumtio probat esse felicem; ejus intercessio habitare nos faciat in tabernaculis tuis, in quibus perpetuus munerator & suscipis decertantes, & perpetuas triumfantes.

ALIA.

Br. Mss. fol. 389. col. 4.

Felix Martyr tuus, Domine, qui testificatus re & spe, a te susceptus est: in te manet sine fine felix, qui pro te occidi meruit felix; in hoc quoque fit felix, ut nos tuo * muneri obtineat fieri participes, & tibimet serviendo faciat esse felices.

* *Leg.* munere.

ALIA.

Felix homo, quem tu erudisti, Domine, & in lege tua docuisti eum: ut non ab homine neque per hominem, sed a te vero magistro doceretur, pro quo & animam ponere mereretur; quaesumus, ut mitiges eum in diebus malis, quem adimplesti bonis aeternis: obtineatque ipse intercessione sua nostrae quietis statum, qui fide sua obtinuit caelestis apicis regnum.

ITEM ALIAE CUM MACCABEIS.

Deus, qui Ecclesiam tuam, & Maccabeorum victoriis, & Felicis sancti triumfis reddidisti mirabilem, ut eos unius diei frequentaret sollemnitas, quos similis perpetuaret aeternitas: nec honore descernerentur, qui munere jungerentur: & par eis deferretur obsequella, quorum una moriendi extitit causa; adsiste nobis, Domine, eorum precibus indefessis, ut & legalibus in tuis praeceptis, & Euangelicis mereamur perfici Sacramentis.

ALIA.

Deus, qui dum una festivitate jungis Maccabeis martyrem Felicem, Maccabeos ostendis esse felices, ut manifesta gratia redderet clariores, quos habebat occulta victores: & eadem fides dedicaret martyres, quae similiter devicerat hostes; adesto nobis, Domine Jesu Christe, nosque eisdem intercedentibus salva, qui & finis legis es ad justitiam, & plenitudo gratiae ostenderis per victoriam.

ALIA.

Domine Jesu Christe, qui veteribus nova praenuntias, & novis vetusta confirmas, ut Ecclesia tua & auctoritate veteri vigeat, & novitate gratiae fulgeat: dum & Martyres ex lege venerabiliter suscipit, & ex Euangelio singulariter excolit; habeat in te, quaesumus, * in multimodam remunerationis indulgentiam, quae tam copiosam membris tuis exibet reverentiam.

* *Praepositio*, in, *videtur abundare*.

ITEM COMPLETORIA AD MATUTINUM.

Vera est, Domine, felicitas, in qua est vera aeternitas: idcirco martyr tuus verè Felix, quia perpetim inmortalis: propter te feliciter moriens, & tecum perenniter vivens, qui & mortem moriendo triumfavit, & vitam vincendo obtinuit; ejus ergo precibus nos & de morte secunda libera, & vitae aeternae consortes effici, praesta.

BENEDICTIO.

Br. Mss. fol. 389. col. 3.

Deus summus, qui illos vocat esse felices, quos in beatae illius Jherusalem affectu cernit esse gaudentes, Felicis sui prece in ejusdem civitatis amore faciat vos feliciter permanere. Infelicitates quoque actuum vestrorum feliciter tergat,

 & fe-

& felicitatis perpetuae dona felicioribus votis vestris propitiatus attribuat: ut felicis hujus Martyris interventu, felicitatem hujus saeculi feliciter fugiendo, ab infelicitatis perpetuae mereamini * liberari supplicio. * Cod. prim. cur. liveri.

Incipit Oratio, vel Benedictio de festivitate sanctorum Justi, & Pastoris, tam ad Vesperum, quàm ad Matutinum dicenda. Caeterae tamen orationes de Matutino, de Antifonis, idest: Sinite parvulos: &: Sapientia aperuit os mutorum: Sive de * Allelujatico: Ex ore infantium: vel de Responsorio, qui in ordine sequitur, superiùs in Missa quarta de Infantum factae sunt, quae in isto die dicendae sunt. * Primis Curis, ALLATCO.

VIII. ID. AUG.

Br. Moz. fol. 390. col. 4.

ADest, Domine, oculis praesentata mortalium clara illa & enitens sollemnitas Innocentum, in qua pignus geminum, & geminatum dulcedinis ferculum caelum intrare meretur: dum cara sibimet societate germanitas, & in Justo justissima, & in Pastore agnoscitur pia, dum carorum ora infantium invicem se ad passionis gloriam exortantur. Da ergo nobis Justi tui precibus justitiam servare dum vivimus, & Pastoris protectione evadere quod timemus: ut, & Justus justitiam, quam in nomine portat, in supplicantium meritis clariorem ostendat, & Pastor benignitatis gubernaculo nos protecturus excipiat: ut & per Justum justi, & per Pastorem tabernacula Pastoris egregii mereamur introire beati.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 390. col. 4.

DEus, qui justus coronator justorum, & pastor pius est animarum, & per Justum vos ab injustitia liberet; & per Pastorem pastoris Christi vos protectione sanctificet. Per Justum vos efficiat amatores justitiae, & per Pastorrm pastu vos foveat gloriae infinitae: ut dum justitia Justi commendabiles vos fecerit Deo, Pastoris gubernaculo heredes mereamini esse in caelo.

IIII. ID. AUG.
INCIPIUNT ORATIONES IN DIEM SANCTI LAURENTI. AD VESPERUM COMPLETURIA.

Br. Moz. fol. 391. col. 4.

DOmine Jesu Christe, qui beatum Laurentium, igne caritatis tuae ardentem, & cupiditatum & passionum incendia fecisti evincere: dum & aurum calcat & flammam: dum & in pauperum erogatione munificus, & in conbustione sui corporis reperitur devotus; da nobis optentu suffragii illius, ut vapore Spiritus sancti accensi, flammas superemus libidinis, & igne concrememur omnimodae sanctitatis: quò inter Sanctos illos sors nostra inveniatur post transitum, pro quibus nunc tibi dependimus famulatum.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 392. col. 1.

DOminus Jesus Christus, cui beatus Laurentius decoctum sui corporis praebuit olocaustum, mentes vestras concremet caelestium incensione virtutum; &, quem ille afflatus in craticula confiteri non destitit, confessionis sanctae vos dignetur praemiis consolari: ut inter flammas saeculi constituti, ipsi soli flammescatis per studia sanctitatis, cui hic Martyr inesit post incendia passionis.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 392. col. 1.

DOmine Jesu Christe, qui beatissimum Laurentium martyrem tuum amplius refulgere meritis, quàm flammis affici praestitisti: ut fortissimus martyr plus tuo amore, quàm incendii vapore ferveret; tribue, ut scintillâ fidei ejus ita flammemur, ne ab igne saeculi consumamur.

ALIA.

Br. Moz. fol. 392. col. 1.

DOmine Jesu Christe, qui beatissimum Laurentium martyrem tuum suscepisti pro tuo nomine in more olocausti decoctum, ut totus tibi integer membris offerretur & animis; meritis ejus adnuendo concede, ut sacrificium contriti cordis in nobis elementer acceptes, quos Martyris tui supplices cultores agnoscis.

ALIA.

ALIA.

Domine Jesu Christe, qui beatissimum Laurentium martyrem tuum, respuentem vilissimum mundum, aurum ostendisti purissimum, quod ignis utique non consumeret, sed probaret: & quantò plus * proarderet, tantò amplius rutilaret; tribue nobis, ut cupiditatis incendia non consumant, quos tam praefulgenda Martyris tui exempla clarificant. * *Leg.* perarderet.

ITEM COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 393. *col.* 1. Domine Jesu Christe, qui corpus beatissimi Laurenti ignis combustione decoctum, purissimum tibi * efficis olocaustum: dum idem Martyr, ministerii sui non immemor, in offerendo semetipsum placitus tibi & Sacerdos extitit, & minister; adsistat tibi rogaturus pro salvatione fidelium, qui inter flammas membris liquescentibus te confitendo spiritu laetabatur: ut, qui humana superavit devotione incendia, prece suâ debita a nobis repellat supplicia. * *Cod prim. eur.* officis: *mendosè.*

BENEDICTIO.

Omnipotens Dominus, qui mentem beatissimi Martyris sui Laurentii insuperabilem & flammis fecit esse, & nummis, amobeat omnem petulantiae concupiscentiam de cordibus vestris; & qui illum plus votis urentem fecit esse, quàm flammis, ipse vos & voto justificet, & operibus sanctitatis: ut illo caloris igne, quo ille mundana superavit incendia, eo vos restinguatis libidinum incentiva.

INCIPIUNT ORATIONES IN DIEM SANCTI YPPOLITI III. ID. AUG. AD VESPERUM COMPLETURIA.

Br. Moz. fol. 393. *col.* 3. Lux Angelorum, & hominum splendor, dierum & temporum candor, animarum & corporum Christe Domine Deus ob reverentiam tui martyris Yppoliti flammicomae claritudinis munus oblatum, lucifluo sancti Spiritûs respergens inlapsu, tuis effice nutibus placitum, nobis redde prodificum: ut & visibili fulgore nigroris noctivagi furva coerceat, & invisibili munere maledulcium scabra peccaminum errata consumat.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 393. *col.* 4. Domine Christe Jesu, qui tantam Yppolito testi tuo virtutem animi contulisti, ut ferre is praecisus aculeis, te Deum esse proclamaret in caelis; aculeos deceptoriae voluptatis obtunde, nomenque sanctum tuum nobis jugiter confiteri permitte: ut, carnulentae faecis inlecebras * evicentes, Sanctorum mereamur consortia gloriantes. * *Leg.* evincentes

ALIA.

Br. Moz. fol. 393. *col.* 4. Perarma, Domine, os nostrum ad praedicandae veritatis officium, qui os Yppoliti tui caesum lapide, reddidisti non victum: & sicut illius meruit confessio gloriam, ita nostra supplicatio exaudiri mereatur ad veniam.

ALIA.

Br. Moz. fol. 394. *col.* 1. Christe Domine Deus omnipotens, qui sanctum martyrem tuum Yppolitum, dum equinâ ferociâ per spinarum traheretur acumina, Angelicis evectum manibus in regna conlocasti syderea; naturae nostrae substantiam, quam * luxoria petulans diffrenatorum more cornipedum per noxarum aculeos distrahendo dilacerat, gratiae subvenientis evectu caelestem reduc ad patriam: ut, qui a mole criminum * ad gratiam sursum adsurgere non valemus, pietatis tuae favoribus. * *Leg.* luxuria. * *Br. Moz.* adgravati, sursum &c. * *Suppl. ex Br. Moz.* erigamur.

ALIA.

Br. Moz. fol. 394. *col.* 1. Sanctae Martyr Yppolite, virtutum titulis inclite, ac laudum copia gloriose, adsiste nobis orantibus, precesque nostras divinis offer auditibus: ut tua nobis passio quaesitum praestet remedium, quae certandi praebuit mirabile documentum.

ALIA.

Br. Moz. fol. 394. col. 1. POst piceum fuscae noctis atra caligine cahos* luci pura phoebi praevia jam surgit aurora, quae* plo lacteo palliata, monstriferae quietis extrema conterminat, & redivivi luminis initia repraesentat; ob hoc celsi Numinis iumensa potestas omnimodo te nisu poscit nostra fragilitas, ut sacri memor Yppoliti pro te quondam odie trucidati, nobis placidus & benignus adsistas: ac sicut illi tolerantiam tribuisti discriminis subeundi, ita nobis adtribuas fortitudinem squalentem labem criminis evincendi. * Leg. luce. * Lege, peplo.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 393. col. 4.

MArtyris Yppoliti det vobis gaudia Christus:
Prospera contribuat, & vitae dura repellat:
Concedat veniam culpis, & praemia votis.

XVIII. KAL. OCTOB. INCIPIT ORATIO, VEL BENEDICTIO DE FESTIVITATE SANCTI CYPRIANI TAM AD VESPERUM, QUAM AD MATUTINUM DICENDA.

Br. Moz. fol. 401. col. 1. O decus orbis, o doctor unice veritatis, magister catholice, catholicorum ductor egregie, Cypriane, martyr sanctissime, qui Christum & voce praedicando & sanguine, & lingua amenus, & passione monstraris esse conspicuus: dum quae doces agis, & quae agis, posteris docenda relinquis: in utroque admirabilis & praeclarus, dum & doctor mirificus, & Martyr cognosceris gloriosus: dum & doctrina clares in saeculo, & de effuso sanguine laetaris in caelo; te quaesumus, te rogamus, rege, fove, instrue nos tuis semper suffragiis pariter & doctrinis: inbue ore nescios, precibus tuere infirmos, verbis doce quid agere, meritis optine quò possimus intrare: illine riga ignorantiam verbis, hinc continuis fragilitatem nostram foveto suffragiis: ut per Deum unum in Trinitate* perfectum, quem tu & doctrina praedicasti & sanguine, nos & dictorum tuorum fructus libentius auriamus, & meritorum tuorum gaudiis post transitum* sociemur. * Br. Moz. perfecta. * Br. Moz. faciemur.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 401. col. 2. CHristus Dominus, qui Cyprianum beatissimum Ecclesiae suae Praesulem, & doctrinae magisterio clarum, & Martyrem fecit esse conspicuum, impleat vos & gratia sanctae doctrinae, & amoris sui opulenta dulcedine: ut & in verbis Martyris correctionem vitae integram adsumatis, & in exemplis ejus adipiscatis, quod vos heredes efficiat in caelestibus regnis: quò & per ejus doctrinam peccatorum a vobis rubigo effugiat, & per ejus suffragia vita vobis concedatur aeterna.

INCIPIUNT ORATIONES DE DECOLLATIONE SANCTI JOHANNIS BABTISTAE AD VESPERUM COMPLETURIA. VIII. KAL. OCTOB.

Br. Moz. fol. 399. col. 3. DOmine Jesu Christe, qui beatissimum Johannem Babtistam tuum & Martyrem, & tuae nativitatis & tuae mortis praecursorem dignatus es facere: ut fax luminis veritatis lumine ardens, & stuprum verbis conjugalis criminis proibens, gladio interemtus te moriendo praciret, quem nascendo in carne visus fuerat praecessisse: ut quem nuntiaverat voce, praedicaret & sanguine: dum pro eo, quem in deserto praeconatur, in carcere decollatur; obtentu ejus da in ore nostro tuae dignationis oraculum; da etiam* in ore justitiae fructum: ut, utroque munere clariores effecti, sicut ille est pro veritate & carcerem perpessus & gladium, ita nos in veritate & carceres aeternos evadamus & tartarum. * Leg. in opere.

BENEDICTIO.

CHristus Dominus, qui beatissimum Johannem mortis suae voluit praecursorem efficere, praevium se dignetur vestris precibus demonstrare; & qui illum permisit pro veritate decollari in carcere, ipse vos in veritate sine fine conservet: ut sicut ille moriendo praecursor factus est Dominicae mortis, ita vos beate vivendo sequaces sitis unici Redemtoris.

ITEM

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 400. col. 1.

CHriste, Dei Filius, de quo Johannes, praecursor nativitatis tuae & mortis existens, profeziae suae vaticinio protestatus est, quod & te crescere, & illum minui oporteret, quum & Dominus sublimatus sis Cruce, & famulus comminutus sit capite; dona nobis, ut ea fide, qua tantae pietatis mysteria veneramur, eâ etiam gaudia patriae caelestis intremus.

ALIA.

Br. Moz. fol. 399. col. 4.

PRetiosa est, Domine, in conspectu tuo mors beatissimi *Johanni Baptistae, qui dum petulantis principis facinus arguit, justitiam exequendo promeruit in carcere decollari: ut qui haberet vigorem in verbo, non perferret paborem ex gladio, quum sanguis ejus meretriciae saltationis conpensatione taxatus, eò tibi pretiosior esset, quò effundi pro justitiâ meruisset; concede ergo nobis, ut sanguis illius, qui pro veritate effusus est, pro nobis te in supplicatione adire non cesset: voxque illa, quae pro stupri crimine percussit adulterum regem, pro fideli populo te exorare non cesset.

* Leg. Johannis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 400. col. 1.

CHriste, Filius Dei, quem Johannes filium hominis, & nascendo praecessit, & moriens praecucurrit; annue precibus tanti vatis,* ad justitiam, pro qua ille meruit decollari in carcere, nos semper retemtemus in opere: ut sicut ille eam praedicando pro veritate est mortuus, ita nos eam servando in veritate vivamus.

* Br. Moz. ut justitiam.

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 400. col. 3.

DEus, qui beatissimum Johannem multiplicium palmarum floribus coronasti: dedisti enim ei, ut esset sanctus ante * hortum, Propheta post hortum, Baptista in Jordane, Euangelista in solitudine, Maryr in morte; dona nobis supplicibus servis tuis, ut sicut ille sequutus est vestigia unigeniti Filii tui Domini Salvatoris, sic nos vias sequamur Dominici praecursoris, & sicut illi donare dignatus es, ut pro veritate moreretur, sic nobis tribue, ut in veritate vivamus.

* Leg. ortum.

BENEDICTIO.

CHriste, Dei Filius, quem Johannes, & nascendo praeiit, & moriendo praecessit, consortes vos efficiat regni sui; & qui mystica praenuntiatione, & Dominum crescere, & se praedixit minui oportere, ad formam humilitatis suae vos dignetur perducere: ut exemplo ejus de vobis semper humilia sentientes, ut veri amici sponsi mereamini felicitatis ejus esse consortes.

INCIPIT ORATIO, VEL BENEDICTIO
DE FESTIVITATE SANCTORUM COSMAE ET DAMIANI,
TAM AD VESPERUM QUAM AD MATUTINUM DICENDA.

Br. Moz. fol. 403. col. 4.

DEus, medicina languentium, sanitas infirmorum, curator corporum, sanator providus animarum, qui beatissimos viros Cosmam, & Damianum gemina medendi arte fecisti esse industrios: quò & verbo & opere humanis langoribus subvenirent, qui curatores & animarum & corporum eodem genere medendi gemino extitissent: dum & signis utraque curant, & in utrumque artificio manuum mirabiles extant: dum & mundiali arte corporibus, & caelesti medentur medicamine animabus; te quaesumus, te roganius, ut eisdem patrocinantibus, vulneribus nostris providam medendi curam impertias, internas externasque passiones remobeas, quò sanatis cordibus atque corporibus, dum in hac peregrinatione beneplacitam tibi * persolvamus servitutem, consummatae salutis mereamur in futuro pervenire ad requiem.

* Leg. persolvimus.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 403. col. 4.

CHristus Dominus, qui sanctos suos Cosmam, & Damianum gloriosâ medendi arte fecit esse conspicuos, a cunctis vos langoribus efficiat alienos, & per quos voluit infirmantibus curationes inpendere, per eos precantibus sanitatum * proroget ubertatem: ut eorum curatione atque suffragio latens patensque in vobis

* Leg. praeroget.

vobis peccatorum langor effugiat, quibus a Deo curandi potestas concessa est manifesta.

Br. Moz. fol. 180. col. 1. & fol. 238. col. 4.

DEus, qui scelera nostra * figmen opertis denudas, qui incerta dubiis, & occulta conscii * consulta pietate traducis: ut noxietate prodita aspargas nos rore misericordiae tuae; velut nivem dealbes, vitae correctione; averte quaesumus faciem tuam a peccatis nostris, & omnes iniquitates nostras delens, innova viscera nostra Spiritus tui sancti infusione: quò tali habitatore gaudentes, aperiamus jugiter labia nostra ad adnuntiandam laudem tuam.

* *Leg.* figmento operta.
* *Br. Moz.* conducta pietate tradulucis.

Br. Moz. fol. 320. col. 1. & fol. 388. col. 2.

REdde nobis laetitiam salutaris tui, Domine, quam amisimus iniquè gerendo, & praetermisimus neglegendo. Tu nos ad eam revoca, & eam nobis restaura: ut, peccato expulso, succedat justitia: & moestitiâ repulsâ, aeterna adsit laetitia; da quaesumus hanc jucunditatem, ut pervenire mereamur ad aeternam salutem.

DE SANCTIS.

AEdifica, Domine, muros Jherusalem non in structura lapidum, sed ornamento virtutum, neque ut auro vel gemmis compta resplendeat, sed sanctitate praefulgeat: ut, qui aulam tuam pro confitendis delictis, & sacrificio laudis justitiaeque deferendo ingredimur, ab omni purgati contagio vitiorum, te adnuente, consortes effici mereamur omnium beatorum.

Br. Moz. fol. 56. col. 2. & fol. 87. col. 3.

SEcundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates nostras, Domine: ut, quia illae nos adgrabant, istae nos erigant. Cor contritum & humiliatum ne spernas in nobis, sed per ineffabilem potentiam Trinitatis habitet in nobis Spiritus sanctus, innobet Spiritus rectus, confirmet Spiritus Paraclitus, * atque unitatis testimonio sit virtutis, ut confirmatos nos per Patrem, & innobatos per Filium, custoditos nos gaudeamus per Spiritum sanctum.

* *Br. Moz.* atque unius testimonii sit virtus.

DE UNIUS JUSTI.

LIbera nos, Domine, de viris sanguinum, & a telis hostium defende clipeo tuo: ut ad tuum venientes Altare, veniae percipiamus remedium; mitte nobis de caelo magnum auxilium, & eripe nos a conculcatione inimicorum: ut * amotum a nobis turpissimum somnum, labia nostra tibi castissimè persolvantur in jubilo.

* *Leg.* amoto a nobis turpissimo somno.

Br. Moz. fol. 221. col. 1. & fol. 251. col. 2. & fol. 366. col. 2.

DOmine, qui pro nobis soporem mortis ideo suscepisti, ne nos amplius obdormiremus in morte; dona nobis, ut qui te moriente renascimur, te etiam resuscitante atque vivificante a peccatorum lecto surgamus; nec ultra jam subruamur poena peccati, qui redemtos nos congaudemus pretio sacri Sanguinis tui.

Br. Moz. fol. 142. col. 3. & fol. 156. col. 4.

EXurge, Domine Deus noster, in auxilium humilium, & in exterminium persequentium: contere adversarios nostros, qui nos a praeceptis tuis, dolosis promissionibus * aptisque terroribus, avertere moliuntur; in nullo enim eorum proficient insidiae, si tuo muniamur adjutorio gratiae.

* *Leg.* apertisque.

Br. Moz. fol. 77. col. 2.

MIserere nobis, Domine, miserere nobis: & ne nobis peccatorum infirmitas sempiternam afferat mortem, sana nos, Domine: ut anima turbata pro culpa, sit tranquilla pro gratia: infunde medicinam aegrotis, * beniam praestando delictis.

* *Leg.* veniam.

Br. Moz. fol. 364. col. 1.

GLoria nostra, Deus noster, da nobis, ut in te sine fine gloriemur: quosque fecisti de capitis exaltatione sublimes, quaesumus, ut efficias de totius corporis consummata salute securos; elebet abjectionem nostram tua magnifica celsitudo, ut, qui humilitate tua a terrenis erigimur, exaltatione quoque tua ad caelestia provei mereamur.

TU es, Domine, salus, & tua est salus: hanc gaudemus nobis largitam, hanc etiam usque in finem a te petimus largiendam; effunde, quaesumus, super populum tuum benedictionem tuam, ut privetur maledictio poenae, & ditescat in nobis fructus justitiae.

Vide supra in Ramis Palmarum pag. 90. hanc ipsam orationem.

INCI-

INCIPIUNT ORATIONES IN DIE SANCTI MARTINI III. ID. NOVEMB. COMPLETORIA AD VESPERUM.

Br. Moz. fol. 411. col. 2. Beatus est, Domine, Martinus ille tuus Confessor mirificus, qui cogitando de paupere, ultimam pervenire meruit ad mercedem: & ideo in die mala salvatus, quia a te, Domine, adjutus; da ergo nobis ejus suffragiis, ut nuditatem nostram aspicientes ad tui tegminis umbraculum convolemus: & ita vestiamur dono virtutum, ut participes ejus fieri, cujus festum incolimus, mereamur.

BENEDICTIO.

Br. Moz. fol. 411. col. 3. Christus Dominus, qui beatissimum Martinum confessionis decoravit honore, illam in vobis confessionem adtribuat, qua extinguat peccata; & qui per euuı inopiam satiavit egentium, ipse per illum remuneranda vota suscipiat populorum: ut eodem intercedente remunerentur vota fidelium, quo largiente debilitas refecta est egenorum.

ITEM AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 411. col. 3. Jucundus satis est homo, qui te, Christe, inspirante * miseretur, & commodat, quod Martinum Confessorem tuum implesse mirabiliter credimus, dum * gemino elemosinae officiosus, & corpora dato, & corda pascit eloquio; unde flebiles te quaesumus & rogamus, ut utroque dono in hac vita muniti, ad te quandoque perveniamus post transitum coronandi.

* Primis curis, Cod. mendosè, medetur.
* Leg. geminae.

ALIA.

Br. Moz. fol. 411. col. 3. Illius, Domine, justitia manet in saeculum saeculi, cujus misericordia in pauperum se conlatione diffuderit; fac nos ergo Confessoris tui Martini imitatores existere: ut primum miseratores nostri effecti dignas nobis elemosinas * prorogantes, & nobis a male gestis parcamus, & in proximis bona, quae possumus, inpendamus.

* Leg. praerogantes.

ALIA.

Br. Moz. fol. 391. col. 3. & fol. 411. col. 3. Tota die, Domine, Justus tuus miseretur & commodat, qui in toto hujus mortalis vitae curriculo * tempora donat, ut aeterna recipiat; semen ergo ejus super nos in benedictione fructificet, ut meritorum ejus partes abentes, praemiorum quoque illius mereamur esse participes.

* Leg. temporalia.

ALIA.

Br. Moz. fol. 391. col. 2. Christe, Deus noster, qui manus beatissimi Martini Confessoris tui, & palmas pauperibus voluisti largitionis jure esse porrectas; da nobis de laboribus manuum ejus fructum utilitatis in aliquo reportare, ut labor manuum ejus non solum illi, sed & nobis proficiat: dum & illi de perfectione operis dederis gloriam, & nos imitamento ejus * & precem perduxeris ad coronam; sicque, dum justum consummati operis * profectio laudabilem Syon ostendit in portis, peccatores exemplo ejus meritum obtineant sanctitatis.

* Leg. & prece.
* Leg. perfectio.

ALIA.

Br. Moz. fol. 391. col. 3. & fol. 411. col. 4. Jesu, Deus noster & Domine, qui inlustrem meritis Martinum Confessorem atque Pontificem ita fecisti sapientiam custodire, ut in * gloriam mereretur & jucunditate consistere; da nobis verae sapientiae intellectum, & sanctae operationis studium: ut pauperibus * prorogantes substantiam, facinorum nostrorum evadamus vindictam.

* Leg. gloria.
* Leg. praerogantes.

ALIA.

Salvator noster, & Domine, qui jubes nos super egenum & pauperem pietatis intellectum habere; fac nos, ut illo semper intellectu mens nostra fructificet, quo dum opera perficimus pietatis, ad fructum transeamus aeternae beatitudinis.

ALIA.

ALIA.

Br. Moz. fol. 411. col. 4. FAc nos, Domine, intentis cordibus die ac nocte in legis tuae meditatione versari, ut meditantes eloquia tua intento cordis studio, fructum tibi reportemus in tempore oportuno: * quod beatissimi Martini Confessoris tui adjubati suffragiis, caelum, quod ille mercatus est meritis, nos facias intrare tuae gratiae donis. * Leg. quò.

ALIA.

Br. Moz. fol. 401. col. 3. DEus, qui os beatissimi Martini tui ita sapientiae ubertate replesti, ut diversitate virtutum circumsaeptus * apparens, jucunditate & decore illum caelesti gloriosum ostenderes; porrige ori nostro & scientiae lucem, & sapientiae verae perfectionem: ut in eo nos jubeas perenniter jucundari. * Cod. apperens.

COMPLETURIA AD MATUTINUM.

Br. Moz. fol. 412. col. 1. ADspirat ecce, Domine, dies illa multiplici gaudiorum decore vestita, quam beatissima Confessoris tui Martini inlustrat * excessio: in qua dum praescius futurae mortis caelum laetus vellet intrare, obsistentem sibi diabolum mira verborum potentia visus est terruisse; unde tuam proni quaesumus pietatem, ut obtentu ejus adversarius idem a nobis semper effugiat, qualiter nec viventes nos in quoquumque supplantet, nec morientes quilibet modo contaminet. * Cod. prim. cur. excessio.

BENEDICTIO.

DOminus Jesus Christus, qui linguam beatissimi Martini, & in sui nominis confessione victricem, & in adversarii invectione potentiorem fecit existere, os nostrum aperiat in confessionibus laudis suae; & qui illum abstinentiae fecit legibus gloriosum, vos efficiat poenitentiae fructibus opulentos: ut eam pacem, quam ille continuò moriturus * tenendam praedicavit discipulis, vos & nunc spe, & pòst in re plenissimè capiatis. *Prim. cur. Cod. tenendam.

ORATIO MATUTINA.

SUrgentibus nobis e cubilibus nostris, omnipotens Deus, protectio dexterae tuae invocata adsistat, illutque per otium coaltus sopor occupata in oblivione vigoris sui membra dissolbat, primâ se tibi operâ repraesentet. Te ante omnia sensus sapiant, a quo ordinantur, & vigeant. Te aspiciant oculi, a quo aperiuntur, & videant. In Christi tui nomine oris reseratâ custodiâ, lingua sonum vocis emittat. Crucis tuae signum fronti manus ponat. Tibi in orationem genua melius corrigenda flectantur; totumque hoc tibi homo deputet, quod aget, a quo cotidie recipit * per quo agit; & hoc sit sui operis, ut te laudet, in quo tui est muneris, quod resurgit. * Leg. per quem.

ORATIONES DE DEFUNCTIS.

Br. Moz. fol. 315. col. 4. NOn intres in judicio, Domine, quum servis tuis ill., quoniam nullus aput te per se justificabitur homo, si nulla per te hominibus peccatorum tribuatur remissio; non ergo eos tua, quaesumus, judicialis sententia premat, quos tibi vera supplicatio fidei Christianae commendat; sed gratia tua illis occurrente, mereantur evadere judicium ultionis, qui, dum adviverent, insigniti sunt signaculo Trinitatis.

ALIA.

Br. Moz. fol. 324. col. 3. DEus, qui humanarum animarum aeternus amator es, animas famulorum tuorum ill. quas vera, dum in corporibus manerent, univit fides, ab omni cruciatu inferorum redde extorres: ut segregatae ab infernalibus claustris, sanctarum mereantur animarum consortio . . . .

HIC DEFICIT, ET EXPLICIT CODEX.

PSAL-